



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>



870

PROV. BIBL. FRIESLAND



0250 5775

Digitized by Google

23

DISSERTATIONES PHILOLOGICÆ,
DE DIE MUNDI
ET RERUM OMNIUM NATALI,
*Completentes Historiam Creationis juxta seriem & ordinem,
à Moysè descriptam Cap. 1. & 2. Genes.*

ACCEDIT
DEFENSIO DISSERTATIONIS
DE ORIGINE JURIS NATURALIS,

opposita
SIMONIS HENRICI MUSÆI,

D. & in Acad. Kilon. Jur. Nat. & Gent. Prof.
Vindiciis Juris Nat. Paradisei contra prædictam
Dissertationem editis.

EDITIO SECUNDA

AUCTA CUM
DISSERTATIONE TERTIA
DE DIE MUNDI NATALI

ad Caput 3. Genes.

AUCTORE
GULIELMO VANDER MUELEN,
DOMINO D'OUDBROUCHUYSEN.

Supremæ Trajectinæ Curiaæ Senatore

PARS I.



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud HERMANNUM BESSELING,

M D C C I X X V I I I.



PRÆFATIO.



Quantum homo ratione præditus præstat cæteris animalibus, quæ naturæ duntaxat instinctu reguntur; tanto magis devinctus est, ut in totius vitæ cursu generis sui præstantiam referat, adeoque vitæ traducendæ rationem ita instituat, ne magis ventri obediri, & corporis voluptatibus inservire, quam animi imperio uti videatur. Alterum commune habemus cum belluis; Alterum cum Diis. Quamobrem qui desides, indocti incultique vitam transigunt, illi haud multum differunt a brutis animantibus, quæ natura abjecit ad pastum & ventri obedientia finxit. Mens enim nostra, qua potissimum antecellimus bestiis, nunquam acquiescit, sed perpetua ejus agitatio est, unde nostram quoque originem cœlestem esse credidêre

P R Æ F A T I O.

didere antiqui. Illæ dum nihil sentiunt nisi voluptatem, ad eam cæco naturæ quodam impetu feruntur. Mens autem nostra, quæ rationis particeps est, *exquirendis excogitandisque rebus alitur cum oblectatione solertiæ, qui est unus suavissimus animorum pastus*, ut ait Cicero. Quamobrem qui dediti luxuriæ, & ad voluptates propensiores vitam agunt, hi magis homines nomine, quam re videntur. *Voluptas enim bonum pecoris est, adeoque merito eam tanquam non satis dignam homini præstantia contemni & rejici oportere*, inquit Tullius. Verum enim vero is demum vivere & anima frui videtur, qui præclaris artibus & disciplinis colendis incumbit, ut hisce imbutus atque exornatus humanæ societatis utile non duntaxat membrum evadat; verum etiam de patria sua & Republica bene mereri possit. Quippe nobis non solum nati sumus, verum ortus nostri partem etiam patria, partem amici, partem, quibuscum in uno eodemque cœtu vivimus, socii vindicant, adeo ut nobis perexigua pars relinquatur. Velim tamen ne quis opinionis errore sibi persuadeat, huc sistendum esse gradum, quasi jam finem esset

P R Æ F A T I O.

esset assecutus, in quem mentis acies, animique nostri motus omnes unice intendere deberent. Quisque in se experitur in illarum artium scientia mentem nostram non acquiescere, sed ad altiora adspirare & assurgere, donec finem illum assequatur, cujus se compotem aliquando fore sperat. Nondum enim se ab omni parte beatam perspicit, qualem tamen beatitudinem consequi exoptat mens nostra. Adeo ut ipsi etiam Gentiles, licet ad beatè vivendum omnes suas cogitationes conferrent, & omnes artes ac humaniores litteras excolerent, harum tamen scientia non adeo exsaturari posse animum experiebantur, ut in ea acquiesceret. Unde sanioris doctrinæ inter eos Philosophi ad illam disciplinam colendam animum adplicuerunt, cujus cognitio nos ad unum & verum bonum ducit, quod non in rerum externarum usu, quas tanquam res vilissimas aspernabantur, nec in commercio cum corpore, verum animi & mentis nostræ cum divina mente convenientia & conjunctione consistere haud immerito docebant, ita ut quo propius ad eam accederet, eo beatiorem prædicarent: quippe

* 3

cum

P R Æ F A T I O.

eum beatum prædicabant , qui Deo similis. Unde rerum divinarum contemplationem cæterarum artium scientiâ præferendam , saltem cum ea conjungendam existimabant , scil. Deorum naturam & virtutes indagare elaborabant , ut eos imitarentur , & ad eorundem exemplar , quantum possent , sese componerent formarentque ; ut hac ratione quasi divinæ naturæ participes , cum prima illa mente , ex qua nostras delibatas opinabantur , consuetudinem habere possunt , & cum ea quam arctissimè conjungi. Adeoque verum summumque bonum , & perfectam beatitudinem adepti , nihil amplius concupiscerent. Ad hanc acquirendam nos esse natos , quis Christianorum sacris initiatus ibit inficias ? Illa finis & meta est , ad quam amplectendam in hoc vitæ curriculo properamus : qua autem ratione arripienda , nulla scientia , nisi solida illa & vera rerum divinarum doctrina , quam Theologiam vocamus , nos docet. Illa enim versatur circa Dei & rerum divinarum cognitionem. Tum etiam ad veram summamque felicitatem , cujus in usura animus acquiescit , adipiscendam , viam & aditum aperit,

P R Æ F A T I O.

rit, cum rationem doceat, qua ad ejus possessionem possumus pervenire. *Natura enim*, teste Cicerone, *non celsos & rectos constituit, ut Deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possimus.* Quamobrem Poëta concludit é recto statu corporis humani, homini res cœlestes esse propositas. Hanc autem doctrinam è sacris litteris, tanquam purissimo fonte hauriendam esse, neminem negaturum mihi persuadeo. Sacra enim Scriptura nos ducit ad unum verum & sumum bonum, ad quod omnes adspirare decet, qui sibi velint consulere. Quis enim adeo omnes humanæ naturæ sensus abjecit, ut sui curam non ageret, adeoque sibi non pararet, quæ ad corpus vitamque tuendam necessaria esse ducit. Quanto autem magis quemque sollicitum esse oportet, ut sit paratus ab illis rebus, quæ ad animi salutem comparandam pertinent. Quanto animus corpore præstat, tanto major cura illius quam hujus habenda. Vita, quia hic fruimur, brevis atque fluxa est, & in pulverem redeundum corpus circumferimus; mens vero nostra, quæ immortalis est, atque è custostia vinculisque corporis soluta reditum

P R Æ F A T I O.

ditum in cœlum & sempiternæ felicitatis participem aliquando fieri exoptat, illarum rerum cognitione pascitur, quæ nos ad summum bonum ducit, cujus compotes facti, nihil reliquum est, quod exoptare possumus. Media autem & regulas adipiscendi summum hominis bonum, rerum divinarum, uti diximus, duntaxat tradit doctrina, quæ verbo divino continetur. Ex eo omnîs Theologiæ & salutis, summaque felicitatis nostræ notitia haurienda. Merito itaque Sacra Scriptura summo in pretio habenda, summaque & assidua diligentia tractanda, utpote quæ nobis rationem docet, per quam ad Deum, ejusque unionem pervenimus. Verum enim vero in Sacrarum litterarum studio haud magnos processus faciet, qui, antequam ad hanc disciplinam, quæ se per omnes artes ac scientias diffundit, colendam accedit, animum non prius aliarum artium & humaniorum litterarum scientia exornaverit. Ad verum enim divinorum oraculorum sensum indagandum, & veritatem cœlestem illustrandam, neminem latere potest, qui eorum se interpretem profitetur, quantum non ornamentum

P R Æ F A T I O.

enim duntaxat, sed etiam adjumentum adferunt aliarum artium studia atque politioris literaturæ scientia. Cum innumera in Sacro Codice, tum Veteri, tum Novo, inveniuntur loca, quorum sensus haud assequi possumus, nisi ex Gentilium moribus, ritibus, atque vana & nefanda superstitione contaminatis consuetudinibus illustrentur. Quamobrem aliarum artium & humaniorum literarum scientiam magni animi contentione & assidua diligentia expetere incumbit illis, qui se ad pernoscendam atque discendam sacrarum literarum doctrinam unice dederunt, & divinorum oraculorum Interpretis titulo aliquando se condecorari ambiunt. Rerum enim usus docet, quam crassos sæpius in explanandis atque illustrandis difficilioribus S. Codicis locis errores committunt, qui ab hisce subsidiis imparati, in Sacram Scripturam commentati sunt. Cum autem usque ab eo tempore, quo ad bonas artes atque disciplinas colendas animum applicavimus, & humaniorum literarum scientiæ operam dedimus, summis semper in deliciis habuerimus divinæ literarum doctrinam, tempus illud, quod ab
* * *
aliis

P R Æ F A T I O.

aliis studiis. & aliquot abhinc annis à fori strepitu & privatorum controversiis dirimendis nobis vacuum fuit, huic quoque studio singulari cum voluptate animi impendimus. Nec displiciturum spero sacrarum literarum doctrinam amantibus, quod forte vehementiori, quam par est, scribendi studio inflammati, ea, quæ nobis sacros libros evolventibus ex florentissimorum Verbi divini Interpretum commentariis, tum etiam veterum monumentis, & politioris literaturæ assidua lectione collecta observataque essent, & ad illustrandam cœlestem veritatem aliquid adjumenti conferre posse nobis videbantur, quamvis nondum fatis elaborata neque expolita aut varia eruditione exornata, sine ulla vel honoris, vel inanis captandæ gloriæ, aut alicujus commodi cogitatione in lucem emittere animum induximus. Uti enim in aliis disciplinis, ita in hac exornanda Sparta quid valerent humeri, quid ferre recusarent, tentavimus. Nullus dubito, quin, uti sua habent fata libelli, ita quoque hæc meæ Dissertationes non cuivis sint placituræ. Quemadmodum omnibus non idem gustus, sic dis-
par

P R Æ F A T I O.

par quoque hominum iudicium; tot enim sententiæ, quot reperiuntur homines: omnibus autem placere difficillimum. Præterquam quod nunquam desint iniusti & iniqui rerum æstimatores atque censores, qui quasi in insidiis latere solent, unde quamprimum aliorum scripta in lucem exierint, maledicendi facundiâ præditi, quasi aquilæ ad dilacerandum cadaver, ita ad ea procaciter vellicanda, nigrisque conspurcanda censuris, & Auctoris famam fictis quandoque calumniis proscindendam advolant. Verum id genus hominum proterviam & pronam ad maledicendum linguam non perhorresco, æquo id ferendum animo; levius enim fit patientia, quidquid corrigere nefas. Eruditi & candidi Lectoris benigno iudicio, iustoque examini hæc mearum lucubrationum in Sacram Scripturam primitias lubenter submitto. Haud equidem ignoro, quam curta sit mihi supellex; novi ingenii mei exiguitatem; scio tenuia & vulgaria esse, quæ à me in hisce Dissertationibus edita. Haud inficior multa deficere, quæ ad illustrandam de Mundi origine Historiam adferri forte potuissent ab aliis, quorum latius patet

P R Æ F A T I O:

eruditio, quique plus pollent ingenii vi & judicii acumine. Verum eruditionis laudem non posco. Scripsi, ne otium otiose traducerem, & bonis artibus excolendis operam navans, mihi utiliter viverem, & Reipublicæ literariæ pro virili & ingenii modulo consulere; quod nulli vitio vertendum, nec alicujus scurræ iniquam & immitem meretur censuram.

Te itaque, Lector benevole, rogo atque precor, ut hæc meas lucubrationes benigno velis accipere animo, & judicio omnibus præjudiciis vacuo evolvere. Sin in quibusdam erraverim, quod humanum est, adeoque nec à me alienum puto, vel incautius quid aut indoctius a me positum sit, id nec scriptum nec dictum vellem. Vale.

VIRO

VIRO NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO
GVLIELMO VANDER MVELEN

IVRISCONSULTO,

TOPARCHAE IN OVDBROVCKHVYSEN,
NIECOP, PORTENGEN,

AD DIVAE MARIAE MAIORIS TRAIECTINAE
DECANO,

CONSILIARIO IN NEGOTIIS DE COMMUNI
LANGEVLIET,

LECCAE AGGERIS INFRA MOLEM PRAEFECTO,

ORDINARIO IVDICI PRO SUMMO
TRAIECTENSI TRIBVNALI,

NEC NON MVNERIBVS ALIIS FVNCTO
FVNCTIQVE;

QVVM HABERET HEXAEMERON IN MANIBVS.



*Cur me poeniteat, studiis exculte vir altis,
Traiectum patriae praeposuisse meae?
Nil ubi paene bonas docuisse fideliter artes,
Et laudis recta profuit isse via.
Barbariae, quondam quam debellavit Erasmus
In magno specimen civibus inde foro;
Barbariae sancto contemptus ab Hercule Plutus
In Musas tantum iuris habere dedit.
Traiectum est, ita non inglorius incola vivam,
Vota vel a puero quod petiere mea;
Nobile Traiectum doctrinae commoda sedes,
Traiectum doctis semper amata domus.*

** 3.

Cur

Cur me poeniteat sortis, mihi non ita pridem
 Non forte obiectae, sed ratione datae?
 Quum te praesertim Mariani praeside templi
 Laetus agam placidos, nec sine honore, dies.
 Quum mihi saepe tuo pendere fauentis ab ore,
 O decus o nostri summa caputque chori:
 Atque ipso rerum liceat te noscere in actu,
 Cuius scripta mihi nota fuere prius;
 Scripta, quibus genus omne hominum tibi semper habebis
 Devinctum, et tua post fata superstes eris.
 Iam plures poteras scribendo absistere libros,
 Mens tamen ad chartas vix requieta redit.
 Sic generosus equus, qui vicit Olympia, nescit
 Stare loco, donec membra senecta gravat.
 Defixum in prima totius origine mundi
 Haec tenet aeterni te positura dei.
 Quid mare; quid tellus, reputas; quid regia caeli,
 Lux, liquidum, stellae, lumina magna duo;
 Quid volucres, cete, pisces, animalia, stirpes;
 Quid nos divini numinis instar homo,
 Nos animal sanctum et dominari in cetera natum:
 Vnde ea cuncta, quoto quaeque creata die:
 Amramides, an Spinozae deliret acumen;
 Et quis Spinozae triste tenetur iter.
 O argumenti felix ter et amplius huius,
 Quem manet adsertae religionis honor;
 Nec mala, uti multos, laedunt contagia saeculi
 Sacra profanantis nunc magis atque magis.
 Ire per exemplum Basilii Gregorique,
 Hoc etenim fas est, Ambrosique iuvat.
 Duret opus sex, ut dignum est durare, dierum;
 Duret opus sacrum, nobile duret opus.

FRANCISCVS HESSELIUS.

E R R A T A.

Præfat. pag. 9. l. 3 leg. *scientiæ*. & lin. 11. l. *possent*. pag. 4. lin. 10. l. *æther*. pag. 9. lin. 9. l. *immutabilitate*. pag. 19. lin. 11. l. *caussa*. pag. 28. l. 3. leg. *componunt*. pag. 29. l. pen. leg. *Pellæo*. pag. 13. l. 11. leg. *Act*. 17: 26. pag. 54. l. 5. leg. *nec nova*. pag. 49. l. 23. leg. *Draconem*. pag. 53. l. 6. leg. *ne fallaris*. pag. 57. l. 26. leg. *significare*. p. 58. l. 20. leg. *necessitate*. p. 65. l. 12. leg. *respectu nostrum*. p. 72. l. 28. leg. *quando qui*. p. 74. l. 20. leg. *aceruum aquarum*. p. 89. l. 25. leg. *M. Antoni*. p. 99. & 100. l. 20. leg. *Achæmenias Achæmenios*. & l. 25. l. *efformatur*. p. 101. l. 13. leg. *templi*. p. 105. l. 12. leg. *Et quos inter*. & l. ult. leg. *sed quod in*. p. 106. l. 4. leg. *existimantis*. & l. 8. leg. *Sol & Luna*. p. 110. l. 17. leg. *res mundanas*. p. 116. leg. *peribunt*. p. 118. l. 18. leg. *præsentis*. p. 160. l. 23. leg. *datum*. pag. 165. *de divinatis sunt versus Ennii*. pag. 167. *de predicandæ*, dele. leg. *de Bello. Get. Et nunquam cælo*. pag. 173. l. 23. leg. *Panicos*. pag. 182. leg. *gelidas*. pag. 184. l. 4. leg. *expertia*. pag. 187. l. 10. leg. *eliquantis*. pag. 191. inscrip. nummi, leg. TEMP. p. 196. l. 27. leg. *quod de*. p. 197. l. *Ezechiel*. p. 199. l. 1. leg. *quales*. & l. 8. leg. *videntur*. p. 213. l. 26. leg. *actionem corporis*. p. 223. leg. *ambus*. p. 224. LXX. p. 226. l. 16. leg. *causam suæ essentia*. p. 233. l. 24. leg. *ad quos*. p. 234. l. penult. leg. *fruerentur*. p. 238. dele *Atticus*. p. 234. l. 9. leg. A. & l. ult. leg. *vita*. p. 240. l. 1. leg. *expositæ*. p. 247. leg. *hanc animam*. p. 251. l. *diviserunt*. p. 261. l. 21. leg. *necessariam*. p. 270. leg. *imprimerent*. p. 276. leg. *per hanc controversiam*. p. 277. l. penult. leg. *existimare*. p. 281. l. 20. leg. *videri*. & l. ult. *diluere*. p. 287. l. *Judeos*. p. 40. l. 1. leg. *anacephalæosis*. p. 415. leg. *plenissime*. p. 433. dele lib. 21. cap. 12. p. 446. l. 25. leg. *necessaria*. p. 463. l. 22. leg. *lacus*. p. 487. l. 29. dele *Paradisum*. p. 488. l. 1. *Hebræi*. p. 492. l. 23. leg. *ingrediebantur*. p. 497. l. 12. leg. *tam*. p. 502. l. 8. leg. *quas alveo*. p. 516. l. 6. leg. *auro dives*. & lin. 20. l. *Arabicas*. p. 531. l. 18. leg. *incolas*. l. 533. l. 20. leg. *navatæ*. & l. 26. leg. *initiati*. p. 599. l. penult. leg. *præstantiam*. p. 562. l. penult. leg. *sed extra*. p. 563. l. 16. adde *non*. p. 568. l. 17. leg. *pænam*. p. 580. l. 3. add. *non*. p. 586. l. 15. leg. *atingant*. p. 588. leg. *fuit in causa*. p. 592. l. 1. add. *manibus*. p. 598. l. 3. leg. *juæ vitæ*. p. 621. l. 2. leg. *stimulos*.

Si quædam omiffa, æquo Lectori corrigenda relinquimus.



DISSERTATIO
PRIMA.
DE
DIE MUNDI,
ET
RERUM OMNIUM
NATALI.



Ln summam rapi nos oportet homi-
ciones admirationem, quoties Uni-
versi machinam intuemur, ob im-
mensam divinam potentiam, ines-
fabilem sapientiam, & incredibili-
lem erga humanum genus benevo-
lentiam, quam ejus nobis aspectus refert; ita ut
hæc Mundi compages sit quasi tabella, in qua nun-
quam satis admirandas Dei virtutes, quatenus no-
stros in oculos incurrere possunt, depictas, conspi-
cere nobis datum est. Mundi enim constructio at-
que ædificatio, seu potius ex nihilo creatio, ut lo-
qui solemus, infinitam potentiam testificatur; or-
do & ratio operis profundam sapientiam produunt:

Mundi
natales.

A sum-

summam autem nullisque meritis provocatam in nos benevolentiam experimur, quoties in nosmet ipsi oculos convertimus, utpote qui non, uti cæteræ creaturæ, duntaxat a non esse ad esse transiverimus; verum nos mentes e divina mente delibatas habere placuit summo rerum Opifici. Unde Poëta Naso:

*Sanctius his animal, mentisque capaciæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est - - -*

Quamobrem mentem nostram *divinæ particulam auræ* dixerunt veteres. Imo, nonne dicendum, nostri causa Mundum, cum omnibus, quæ in eo sunt, videri esse ædificatum? non eo duntaxat, ut omnes creaturæ nostro usui & commodis inservirent, verum etiam, ut Dei virtutes contemplando, ejus gloriam celebraremus, & benevolentiam & amorem, cum grati animi testificatione prædicaremus. Quamvis ab æterno Deus fuerit idem, quod est hodie, Ens summe & infinite perfectum, beatum, in se possidens omnia, & proinde extra se nihil cupiens; cum Enti summe perfecto & beato nihil accedere possit, quo ad majorem perfectionis & beatitudinis gradum perveniret; & proinde creaturæ nihil incrementi adferre possunt ad amplificandam beatitudinem summi Entis, vel ejus Majestati vel virtutibus majorem conciliandum splendorem. Quemadmodum itaque ab æterno & infinito tempore semetipso fruendo, in summa semper delitescerat beatitudine; ita quoque in æternum eadem frui, absque ulla sui manifestatione, a divina pendeat voluntate.

Atta-

Attamen summæ benevolentiaæ suæ & incredibilis amoris testimonium per manifestationem Sui, suarumque virtutum extare voluit: majus autem nec fingi nec excogitari potuit, quam ejusdem beatitudinis etiam participem creaturam facere, quæ in assidua creaturæ cum sui Creatoris consuetudine consisteret. Verum qui ad eam ipsi patere posset aditus, nisi a non esse transisset ad esse; scilicet, ut inquit Poëta, de meliore luto finxisset hominem Omnipotens, qui ratione præditus, ingenii sui capacitate ex visibilibus omnium invisibilium maximum, Deum, & divinas virtutes summa cum admiratione & veneratione perspiceret. Quamvis enim Deus Ens summe perfectum & beatum extra se nihil concupiscere posset, divina tamen natura videbatur efflagitare servitia & obsequium, Majestas venerationem; gloria admirationem; benevolentia grati animi testificationem: oportebat enim, quamvis sit Ens infinite perfectum, beatum, æternum, se suasque virtutes manifestare extra se, ut ita dicam, deducendo in actum, quod ab æterno fuerat in potentia, ad suam ipsius gloriam. Finis enim creationis est manifestatio gloriae, non solum æternæ potentiaæ, verum omnis *Dignitas*, Rom. 1; 20, & 11; 36. ubi non duntaxat *ex eo*, scilicet Deo, & *per eum*, sed & *ad ipsum* dicuntur esse omnia, *ipsi sit gloria in secula, Amen.* & *Apoc. 4: 11. Dignus es, Domine, qui accipias gloriam & honorem & virtutem, quia tu creasti omnia.* Hanc enim gloriam unam aliunde accipere videtur, reliqua omnia in se ipso complectitur. Etenim cum honor foris

accedat, in honorante potius, quam honorato positus, aliquid eum creasse oportuit, quod sibi hoc honoris officium præstaret, Angelos in cælo, & Homines in terra. Imo cælum & terra, & universa Natura Dei prædicant gloriam, & omnes creaturæ quasi uno ore & communi voto exoptare & exclamare videntur, ut sit *Creatori gloria in cælis altissimis*: omnia enim ad deprædicandam Dei gloriam creata, cœlestia & terrestria. Sic cælum & æthera, aër, & corpora cœlestia omnia, Sol, Luna, Stellæ, dicuntur enarrare & prædicare incomprehensibilem gloriam Dei conditoris & cuncta gubernantis, *Psal. 19.*

Creatio
non ab
æterno.

Huc itaque Mundi origo referenda, quam describit Moyses: *In principio, inquit, creavit Deus cælum & terram.* Hac voce monemur, creationem rerum non ab æterno factam, sed in principio illo, quo omne tempus fluere cœpit. In tempore igitur proprie sic dicto non cœpit creatio, sed in primo instanti, & principio temporis, id quod dicitur *principium viarum Domini*; ante quod uti nulla fuerit via, nulla externa actio, nullum opus; ita nullum tempus, nullum ævum, nullum seculum; sed nihil nisi mera æternitas; nulla quoque materia præexistens ex qua productus mundus; verum ex nihilo creavit Deus omnia. *Hermogenes* quidem hæreticus, materiam aliquam Deo coëternam statuit, ex qua omnia condita: verum contra illum *Tertullianus* integrum librum scripsit, quem videt *cap. 2. & 3.* *Nam, ut inquit Augustinus 1. Gen. contr. Manich. cap. 6. Etsi omnia formata de materia.*

teria illa informi (primo die creata) facta sunt ; tamen hæc ipsa materia de omnino nihilo est facta ; unde rectissime creditur , Deum omnia ex nihilo fecisse . Itaque non ex rerum formis , ut Plato somniat , nec ex ulla materia , sed vividioris sui verbo . Vid. Dieter. Antiq. Bibl. 1. Gen.

Turpis itaque error *Stratonis Lampfaceni* , qui finxit , Mundum esse ingenitum ; non ab alio umquam conditum , sed per se ipsum vi suâ ab æterno existitisse . *Aristoteles* vero , cujus sententiam etiam amplexi sunt *Simplicius* , *Avicenna* & alii Peripatheticorum sectæ addicti Philosophi , voluit , Deum necessitate Mundum condidisse ab æterno . Posita enim causa omnino habili & completa ad agendum , statim sequi debet ejus effectus , maxime si ejus actus sit ejus substantia . Cum igitur Deus ab æterno fuerit causa omnino habilis & completa ad agendum , & ejus actio creativa , ut ita dicam , fuerit ejus substantia , & Deus Ens sit absolute necessarium & simplicissimum , idcirco concludi debere voluerunt , Mundum fuisse a Deo conditum ab æterno ; alias eidem Deo advenisset nova voluntas condendi Mundum . Cum autem sit Ens omni mutationis expers , non potest in Deum cadere aliqua voluntatis mutatio . Verum Resp. quod Deus quidem est auctor , creator , & causa Mundi , sed libera , non necessaria : quippe cum sit Ens perfectissimum , ejus naturæ convenit , ut omnia agat libere ; cum etiam actio Dei sit infinita in genere actionis , & formaliter immanens , potuit tamen ut virtualiter transiens effectum etiam ad extra attingere . Item , licet sit æterna , potuit

Philosorum de origine Mundi opinio.

rursum eundem effectum attingere eo tempore, quo placuit, libuit, ac voluit; uti differunt sanioris doctrinæ Philosophi. Alii iterum, quorum in numero *Democritus* & *Epicurei*, statuerunt Mundi genituram & productionem ab atomorum fortuita concursione deducendam, eundemque corruptioni obnoxium; ideoque aliquando corrumpendum, ut quodvis aliud corpus ex elementis coagmentatum, nec iterum restaurandum. *Empedocles* & *Heraclitus* opinionis errore seducti, finxerunt Mundum vicissim generari, atque etiam interire; nunc scilicet amicitia congregante, nunc discordia & lite dissolvente. *Pythagoras*, & cum eo *Priscillianista* & *Manichæi* adseruerunt, duo esse rerum principia, sive duos Deos, unum bonum, conditorem spirituum, alterum malum, creatorem corporum. Verum, teste Plutarcho, plures ex Gentilibus duas statuerunt esse rerum omnium creatarum causas sive principia, unde res omnes profectæ sint, & originem traxerint: quarum unam voluerunt esse bonam, a qua res bonæ, uti stellæ, plantæ, homines, & omnis generis animalia processerint; vocaruntque *Oromasidem*: alteram malam, quam *Arimanium* dixerunt: unde quæcunque mala, ac cumprimis venena, & quæ noxia, originem habeant. Vid. *Plutarch. in lib. de Isid. & Osirid.*

Verum, quidquid hi Philosophi de Mundi origine atque rerum principio somniarunt, ab omni rectæ rationis lumine & usu adeo est alienum, ut aliæ gentes saltem moratiores rationis lumine edoctæ, non nisi unam causam, sive unum rerum principium

cipium, auctorem ac opificem agnoverint. Vid. *Ovid. 1. Met.* Mundum autem hunc a Deo conditum esse, præter Sacræ Scripturæ revelationem, ipsa quoque nos docet ratio. Nulla enim res creata existit, quin concipere possim non existentem, quod jam hæc res existat, & a possibili transiverit ad actuositatem, ostendit, aliquam causam esse summe potentem & necessario existentem. Præterquam cum Deus sit Ens perfectissimum, præter eum nihil esse potest, quod non ab ipso sit & dependeat; quique solus habet existentiam necessariam, & proinde æternam. Nec enim Deus ipse qui sit, alio modo intelligi potest, nisi quod sempiterna natura sit, ceterorumque omnium causa & principium; quæ enim quidquam fieri potuit, cum nihil esset, a quo fieri potuisset? *Res enim corporales cum actuositatem nullam habeant, sed ab aliis moveri atque affici debeant, multo minus se ipsas producere potuerunt: Res autem spirituales, etsi in sese aliquam agendi potestatem deprehendant, nullius tamen creandi potentie sibi consciæ sunt; adeoque nec illam possident; alioquin si eam in sese deprehenderent, omnes illas perfectiones, quas sibi deesse sentiunt, sibi ipsis percipere darent, adeoque omnes forent perfectissimæ, utpote a nulla externa causa cohibitæ & limitatæ. Adeo ut hæc ipsa rerum omnium imperfectio alium Mundi; atque originis nostræ, auctorem extra nos, qui singulas creaturas in proprio ordine ac sede in hoc rerum creatarum universo collocavit, singulisque proprias perfectiones dedit, manifesto ostendat, uti disputat florentissimus Theologus*

gus Franc. Burmannus *Synops. lib. 1. cap. 41.*

Materiæ
initium.

Neque materia, neque ulla res ex materia facta, potest initio carere: nam quod initio caret, æternum est. Quod vero æternum est, & initio caret, id in æternum manet idem, & nulla ratione mutationem patitur. Nam æternum si mutatur, ab æterno mutatur, atque ita simul est in potentia ad mutationem & actu mutatur; quæ est contradictio. Deinde quod motui & mutationi est obnoxium, id ipsum esse, incepisse, & certum ac determinatum durationis suæ modum habere necesse est. Quippe, quod momenta numerabilia habet, non potest esse absque initio; quemadmodum omnis numerus ab unitate inchoatur: ut necesse sit inter ea, quæ cum ordine numerantur, ut secundum, ita esse & primum; & momenta diversa simul ejusdem rei esse non possunt; quamobrem & sapienter Scriptura hunc Mundum vocat *aiōvas secula*, *Hebr. 1: 2. 11: 3.* quia seculorum suorum modulo continetur. Quumque omnia creata in tempore sint, quod in partibus suis infinitum non est, impossibile est, id in toto infinitum esse. Nam a quo finitum dempseris, ejus reliquum finitum esse necesse est. Quod itaque movetur, id non est infinitum nec æternum: atqui nihil mutabilis materia; ergo, quæcunque ex materia facta, mutabilia, & proinde non infinita. Idem de spiritu statuendum; quia mutationis non expers quoad cognitionem; quoad voluntatis arbitrium; quoad statum saltem a possibilitate perfectionis majoris. Quod semper perfectionem majorem accipere potest,

test, immutabile non est, æternum esse non potest: atqui spiritus creatus semper majorem perfectionem accipere potest: igitur perfectissimum nihil esse potest, quod non sit Deus.

Quod si autem dicas, id semper in imperfecto statu manere posse, dices idem perfectius fieri non posse, quod perfectius fieri potest. Imo nec Deum creatorem deceret, ponere quid in necessario desiderio perfectionis suæ, & id ipsum ea immutabiliter privare. Si vero nec desideret ulterius bonum, nec bonum erit: quippe quod non cuperet creatore suo amplius frui: sic enim nec Deum finem suum & bonum habebit.

Ut vero omnia creata habent initium sive principium, quo exstiterunt, & inceperunt suum ^{Initium} *aiōva*, ^{Temporis.} hoc est, tempus, quod Deus illis adensus est, ita & Mundus: nempe quo exstitit prima creatura; unde dicuntur omnia *exstitisse* sive *esse incepisse* Job. 1: 3. Ante primæ creaturæ exortum nullum tempus nec fingi nec cogitari quidem potest sine contradictione. Nam si tempus est ante primam creaturam, prima creatura non erit prima: quippe duratio creaturæ, quæ mutabilis est, tempus dicitur. Et si velimus cogitare tempus ante creaturam primam, id cogitabimus æternum, sine initio; quæ etiam contradictio est: nam non potest esse tempus sine initio. Quamobrem non male Augustinus, *de Civ. Dei lib. 11. cap. 6. Quum Deus, in cujus æternitate nulla est mutatio, creator sit temporum, & ordinator, quomodo dicatur, Mundum post temporum spatia creasse, non video. Nisi dicatur, ante*
B Mundum

Mundum jam aliquam fuisse creaturam, cujus motibus tempora currerent. Coccej. summ. Theolog. cap. 15. Unde concedimus quidem, quod in tempore creare absolverit omnia; non autem, quod in tempore creare cœperit. Momentum enim, quo cepit creare, non fuit tempus, sed principium temporis. Sicut punctum non est linea; sed principium lineæ. Unde nec sequitur, tempus fuisse ante mundum, sed cœpisse cum mundo, seu esse mundo concreatum.

De origine
Mundi
saniorum
inter
Ethnicos
Philosophorum
opinio.

Saniores quoque inter Ethnicos Philosophi, duce ratione, perspicere potuerunt, æternum non fuisse Mundum, sed ejus originem ad primam omnium & rerum & causarum causam, cujus potentia infinita nullos habeat præter voluntatis suæ concellos, quibus circumscribitur, referendam esse, teste Laëtantio *lib. 2. divin. instit. com. inquit: Divina quidem providentia effectum esse Mandum, ut taceam de Trismegisto, qui hoc prædicat: taceam de carminibus Sibyllarum, quæ idem nuntiant: taceam de Prophetis (scil. de Vatibus Gentilium, uti Persarum Magis, Indorum Gymnosophistis, Zoroastre, aliisque similibus impostoribus) qui opus mundi, atque opificium Dei uno spiritu ac pari voce testantur, & inter Philosophos pene universos convenit. Idem etiam Linus, vetustissimus Gentilium Philosophus, sensit; quem operi, de Mundi generatione, a se conscripto, hoc fecisse initium refert Laërtius in *proæm. de vit. Philos.**

Ἦν πᾶσι τὰ χρο̅ν̅α ἑστᾶ ἐν ᾧ ἅµα πᾶσι ἐπέδυνει,

Tempus erat quo cuncta simul sunt condita quondam.

Anaxa-

Anaxagoras statuit mentem omnia exornare, omniumque causam esse; quam sententiam expressit Cicero de Nat. Deor. lib. 1. *Anaxagoras*, inquit, qui accepit ab *Anaximene* disciplinam, primus omnium rerum descriptionem, & modum mentis in fuit & vi ac ratione designari ac confici voluit. Et idem in *Quæst. Acad.* lib. 2. *Anaxagoras* materiam infinitam, sed eas particulas similes inter se minutas; eas primum confusas, postea in ordinem adductas mente divina. Plutarchus in *Pericle* de *Anaxagora* sermonem habens, inquit, *Quem illius temporis æquales Mentem appellavere, vel quod perspicaciam ejus singularem in natura perscrutanda excellentemque admirarentur; vel quod universitati non fortunam neque fatum ordinatæ descriptionis principium, sed mentem princeps puram atque sinceram perccerit, cum omnibus confusas aliis secermentem particulas similes.* *Anaxagoras*, inquit *Augustinus*, harum rerum omnium, quas videmus, effectorem divinum animum sensit, &c. *Anaxagoræ* successit auditor ejus *Archelaus*, etiam de particulis inter se dissimilibus; quibus singula, quæque ferent, ita omnia consistere putavit; ut inesse etiam Mentem diceret, quæ corpora dissimilia, id est, particulas illas conjungendo & dissipando ageret omnia. Notatu digna quæ apud *Platonem* disputantem in *Timæo*, de Mundi origine, legimus, ubi inquit: *Univerſum hoc cælum sive mundum, seu quo alio vocabulo gaudet, cognominemus. De quo primum consideremus, quod in omni quæſtione ante omnia investigari debet: Utrumne semper fuerit sine ullo generationis principio, an genitum sit ab aliquo*

principio sumens exordium. Id profecto cernitur, tangitur, & corpus habet. Omnia vero ejusmodi sensus movent. Quæ sensus movent opinione per sensum percipiuntur. Hæc vero talia esse, constat, ut gignantur & genita sint. Quidquid autem gignitur, ab aliqua causa necessario gigni asserimus. Opificem quidem & patrem Mundi invenire difficile, & cum jam inveneris, prædicare in vulgus nefas. Et paulo inferius, Mundum divina providentia constitutum, adfirmat.

Origine
artium
probitur
Mundi
princi-
pium.

Neque Philosophorum duntaxat, sed & hominum indoctorum judicio, quasi tacito quodam naturæ sensu comprobata est hæc sententia, æternum non fuisse Mundum. Rerum enim, quæ traduntur ab Historicis, artiumque fere omnium origines, argumenta sunt omni exceptione majora, quæ indicant ortum fuisse aliquando Mundum. Emero enim ac vendere instituit Liber Pater. Idem diadema Regium insigne & triumphum invenit. Ceres frumenta, cum antea glande vescerentur. Litteras apud Assyrios, alii apud Ægyptios, a Mercurio, alii apud Syros repertas volunt. Laterarias ac domos constituerunt primi Euryalus & Hyperbius, fratres, Athenis. Medicinam Ægyptii apud se volunt repertam. Æs conflare & temperare Lydum Scythen monstrasse, Aristoteles, Theophrastus Delam Phrygem putat. Artem ex ære vasa ceteraque similia fabricandi, alii Chalybas, alii Cyclopas docuisse tradunt. Argentum Erichtonius Atheniensis, vel ut Hyginus & Cassiodorus testantur, Indus rex in Scythia, invenit. Fabricam ferrariam.

rariam invenere Cyclopes. Et sic singulæ artes suos habuere auctores & inventores, teste Plinio *lib. 7. cap. 5. 6.* Lucret. *lib. 7.* Quod si mundum æternum fuisse, statuendum, cur non ad nos æternas artes, æternamque rerum notitiam ad feros nepotes transmisissent Majores nostri? Neutiquam vero obstat, quod Plato aliique fingunt, crebras ingentesque deflagrationes atque incendia & inundationes immensas omnem rerum antiquarum delevisse memoriam. Quippe, cum hæ calamitates non universon pervaserint terrarum Orbem, superstites profecto nationes hominesque permulti retinuisent artes, & posteris tradidissent, aut res gestas, aut certe clades deletarum Gentium, ut argumentatur vir doctissimus Hug. Robinson *Annal. Mund. lib. 1. §. 58.* Vid. Sam. Parker. *de Deo & Provid. divin. disp. 2. sect. 29.*

Verum propius adhuc quidam e Gentilibus veritatem attigerunt, qui *Verbo* Mundum factum existimarunt, sive illud de Filio Dei, verbo nempe, sive sermone, quo omnia fieri jussit simulque effecit Deus, intelligas. Sic testatur Johannes *Evang. cap. 1. Quod in principio erat Verbum, atque omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil*, scil. per verbum Dei, Christum, *per quem secula fecit. Hebr. 1.* In ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive denominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipso condita sunt, *Coloss. 1. v. 16.* Quamobrem nonnulli principium illud, in quo Deum omnia creasse tradit:

Mundus
verbo factus.

Moses, esse Christum, Verbum Dei, alii sapientiam Dei statuunt, non ex Judæis duntaxat, sed & Christianorum sacris initiati divinæ Scripturæ interpretes 1 Cor. 1: 29. *Hebr.* 1: 2. *Prov.* 8: 27, 30. Quamobrem in Targo Hierosolymitano, qui apud Judæos magna auctoritate pollebat, legitur: *In sapientia Deus creavit cælum & terram.* Et asserit Hilarius, in Filio hic haberi creatum Mundum. Inter Gentiles Orpheus in *Juramentis*:

Orationem te Patris obtesior, quam primum effatus est,

Cum mundum universum suis formaret consiliis.

Quem citans Justinus Martyr *Orat. ad Gent.* addit, *Ἀὐδὴν, id est, Vocem, hic λόγος, id est, Verbum Dei nominat, per quod cælum & terra, & universa condita est creatura, prout nos divinæ sanctorum virorum prophetiæ docent. Quibus & ipse aliqua ex parte in Ægypto operam navans intellexit, Verbo Dei omnem esse creaturam factam.* Hisce quoque conveniunt quæ legimus apud Clem. Alex. *Strom. lib. 5. pag. 596. edit. Colon.* ubi inquit: *Et in summa Pythagoras, & Socrates, & Plato, dicentes se audire vocem Dei, considerantes universorum constructionem, quæ a Deo accurate & perfecte facta est, & ab eo perpetuo continetur, audiverunt Moysen dicentem, Dixit, & facta sunt.* Diogenes Laërtius duo rerum initia, faciens & patiens, ex Stoicorum opinione, statuens, cum id quod patitur, materiam sine qualitate substantiam descripsisset; facientis nomine Verbum sive rationem Dei, quod in ipsa scil. materia vel principio patiente est, denotari significat:

gnificat: quod autem faciat, inquit, rationem in ipsa esse Deum: hunc enim, quippe sempiternum, per ipsam singula creare. in Zenon. cap. 134. Quod latius explicat Seneca epist. 65. Dicunt, ut scis, Stoici nostri, duo esse in rerum natura, ex quibus omnia fiant, causam & materiam. Materia jacet iners, res ad omnia parata, cessatura, si nemo moveat. Causa autem, id est, Ratio, materiam format, & quocumque vult, versat: ex illa varia opera producit. Et paulo post: Querimus, quid sit causa? Ratio faciens, id est, Deus. Hinc Tertullianus in Apolog. Apud vestros quoque sapientes ἄλογον, id est, sermonem atque Rationem constat artificem videri universitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatore. Hoc sensu inquit David, Verbo Dei caelos formatos esse, Psalm. 33: v. 6. Unde Proverb. 8. Quando preparabat caelos, aderam; quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando aethera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Et post: Quando appendebat fundamenta terrae, cum eo eram cuncta componens.

Perhibet autem Moses, Deum in principio, sive initio, creasse, id est, ex nihilo fecisse caelum & terram; id enim, uti quidam sacrarum litterarum Interpretes adfirmant, proprie dicta creatio est. Creare ergo nihil aliud significat, quam ex nihilo aliquid producere. Quippe, ut Viri docti adnotarunt, creare non semper significat productionem ex nihilo, verum quandoque etiam productionem ex praëxistente materia: ita ut omnis quidem productio ex nihilo creatio sit, verum omnis creatio dici:

dici nequit productio ex nihilo; quod exinde patet, quia creatæ etiam quandoque dicuntur res, quæ ex præexistente materia productæ; eo sensu aves, feræ, pisces, balæne, reptilia &c. creata dicuntur, *Gen. 1: 21*. Hebræi enim verbo suo ברא *bara* utuntur sæpe ad significandam productionem, quæ ex aliquo fit. Hoc etiam sensu vetustissimi mortalium creati dicuntur ad Dei imaginem *Gen. 1: 27*. Quamobrem, quum creatio sit vox ambigua, adeoque non semper significet productionem ex nihilo, non immerito carpunt quidam eos, qui definiunt creationem, *productionem ex nihilo*; quoniam, uti jamjam adnotavimus, non semper *productionem ex nihilo* significat. Rectius aliis definiri videtur creatio *productio rei per imperium*. Quippe omnia *Verbo oris* producta; Deus enim res omnes creat per solum nutum voluntatis suæ, adeoque per imperium suum. *Vocat enim ea quæ sunt, tanquam sint. Rom. 4: 17*. Et, *dixit Deus, fiat lux, & facta est lux*. Κρίω enim *impero*: imperio enim & mandato Deus omnia fecit. *Psal. 33: 9. Ipse mandavit, & creata sunt*. Inde a Κρίω est Κραίω, *impero, perficio*.

Mundus
non ex
præxi-
stente
materia
factus.

Quemadmodum vero Deus omnia creavit, ita etiam omnia ex nihilo creavit; & in hac significatione vox *creare* sumenda, eamque maxime propriam esse ejus significationem, docet R. David Kimchi in *Dictionary*, בריאה creationem dici, *cum res e nihilo educitur*; eamque communem Hebræorum opinionem esse, fatetur R. Aben Ezra: *Omnis interpretatio creationis est innovatio rei, & egressio ejus*

*ejus a non esse ad esse. Nihil autem, inquit Auctor de Relig. Medici, sect. 34. illud appello, quod alicui opponitur, sive, accuratius dicam, quidquid Deo contrarium est. Ille solum est, reliqua omnia pendentem aliquam essentiam habent, nec in entium numero, nisi adhibita distinctione ponenda sunt. Sic itaque generationem & creationem in contrarietate fundatam videmus; adeoque Theologiæ Philosophiam consonam. Deus, cum omnia sit, nihilo contrarius est, ex quo omnia producta sunt; sic nihil aliquid factum est, & nullitas ab omneitate informata essentiam inducit. Creavit itaque Deus cœlum & terram ex nihilo, nulla materia præexistente, secus ac olim inter Gentiles Philosophi, Platonici & Stoicorum sectæ addicti, finxerunt, & ex Christianis Marcio & Hermogenes, quem supra notavimus; unde a re nomen habentes, Veteribus quoque *materiarii* dicti sunt. Videtur quoque ratio dictare contrarium, quippe unde ista præexistens materia, a se ipsa vel ab alio? si a se ipsa, ergo increata; si increata, ergo independens, & proinde ipse Deus. Si creata, ergo a Deo ex nihilo producta, & non ex præexistente materia. Et quamvis videatur rationi contrarium, ut ex nihilo nihil fiat, sive ens positivum proveniat; non tamen repugnat rationi, si infinitam Dei potentiam spectemus. Fateor ex nihilo nihil fieri posse, neque etiam sano sensu Deum aliquid ex nihilo producere, quatenus nihil non potest esse causa materialis, ut ita dicam, alicujus entis positivi, cum sit entis negatio, vel privatio, uti tenebræ sunt privatio lucis, cum concipio ni-*

C

hil

hil esse, etiam concipio, nihil existere, adeoque nullum esse aliquod ens, vel rem aliquam: qui affirmat nihil esse, negat aliquid esse vel existere; atque hoc sensu Deus non dicitur tam ex nihilo omnia creasse vel produxisse, quam cum antea nullæ res, nulla entia existerent, per summum imperium & absolutam voluntatem & infinitam potentiam effecisse, ut res, quæ nondum erant, essent, existerentque: causa itaque, cur existerent, fuit voluntas & imperium Dei, cum posset velle, ubi nihil est, ut res existeret: itaque creasse videtur Deus omnia, non tam ex nihilo proprie loquendo, quam quidem ex imperio; causa rei existentis fuit imperium, & dum imperat, necessario res debet existere, quia imperare & producere est in Deo idem actus. *Et dixit Deus, fiat lux, & facta est lux.*

Mundus
quo modo
factus?

Creavit itaque Deus Mundum sola voluntate jubente, imperante, vocante quæ non erant. Belgice diceremus, *God heeft Hemel en Aarde geschapen uit of door zyn kragt; of uit of door zyn bevel is Hemel en Aarde geschapen.* Itaque per modum causæ, ex qua producta sive creata omnia, hic imperium conjungitur cum creatione sive productione. Et sic omnia ad vocis ejus imperium ex nihilo emicuerunt. Quod abs ratione non alienum, nec ei contrarium. Notandum ipsam *creandi* vocem in nulla fere lingua proprie significare creationem ex nihilo, sed productionem rei ut novæ per meram vocationem & imperium Dei. Sin autem ex nihilo creasse omnia affirmo, videor aliquid contradictorium dicere vel statuere, quasi illud *quod nihil* per modum

modum causæ, sive tanquam causa concurreret cum divino imperio in producendis rebus: quippe illud, ex quo aliquid factum dicitur, consideratur tanquam causa istius rei, quæ ex ea profecta; quod paradoxum esset de nihilo prædicare. Quamvis per imperium & voluntatem rem aliquam producere revera sit creare, id est, ex nihilo producere, hanc tamen existentæ & essentæ cujusque rei creatæ causam, principiumque atque originem ponere, rationi magis convenit.

Causam itaque creationis efficientis solus est ^{Causa creatio-} Deus, eique soli attribuitur. *Creavit Deus cælum* ^{nis.} *& terram*: solum Deum creatorem hujus universi prædicat Moses, ut etiam testatur David *Psalm.* 124: 8. *Auxilium nostrum in nomine Domini, factoris cæli & terræ*; & innumeris aliis sacre Scripturæ locis perspicimus, quibus hic allegandis supersedemus, quoniam propter divinæ Scripturæ auctoritatem, hanc veritatem tanquam per se notam, & falli nesciam, amplectimur. Adeoque cadunt profana veterum Hæreticorum figmenta ac somnia de duobus principiis, de Angelis mundi conditoribus: a quo commento non alieni etiam hodie Judæi. Simoniani enim statuebant Angelos mundum condidisse; imo fuerunt qui dicebant Patrem produxisse Filium, Filium Spiritum S. Spiritum S. Angelos, Angelos vero omnes res creatas; & quod exinde quidem Deus dici posset, omnia mediate fecisse, non vero immediate: quod horrendum & blasphemum. Perperam etiam Remonstrantes quidam statuunt, hominem habere virtutem creandi:

creandi enim facultas supponit potentiam infinitam, quæ soli Deo adscribenda est, utpote qui solo nutu ac verbo vocat ea quæ non sunt tanquam sint; infinitæ & virtutis omnipotentis, qualis ad creandum requiritur, proprium quid, & propterea in creaturam non cadit, cujus potentia limitata & finita est. Non inficias eo, vix determinari posse, quid a creaturis fieri vel non fieri possit; sacræ enim paginæ testantur, Deum magis magisque creaturæ vires augere posse, uti plurima in S. Scriptura ejusmodi Dei beneplaciti occurrunt exempla, ita ut ejus fines vix determinare possimus; sed obstupescimus, quoties creaturæ potentiam eo crevisse sacris litteris consignasse tum Prophetas, tum Evangelistas & Apostolos perspicimus, ut aliquid divinitatis in creatura, scil. homine, residere dicendum videatur; & naturæ divinæ quam humanæ magis participes diceres eos, qui potentæ suæ miranda, & quæ humanam fidem superant, ediderunt facinora, quod in miraculorum patratiōe potissimum observandum est. Verum quocunque adsurgat creaturæ potentia, suis tamen semper cancellis circumscriptam & limitatam concipere oportet.

Creatura
creare
nequit.

Quamobrem creatura creare nequit, quia, uti jam dicere incepimus, ad creandum, virtus requiritur infinita & omnipotens, cujus creatura capax non est. Nec magis creandi facultatem Angelos habere credimus, cum potentia creandi soli Deo propria sit, & aliis omnibus creaturis incommunicabilem censemus, & proinde etiam Angelis. Quamobrem Deus sibi soli creationem tribuit *Jes. 44: 19,*

24.

24. *Ego sum qui feci omnia, qui extendi cælos solus, & expandi terram per me ipsum.* Et proinde omnes omnino creaturæ, omniaque alia instrumenta excluduntur. Hinc *Job. 9: 8. Qui extendit cælum solus, & calcat celsa maris, & passim alibi.* Unde Creatoris nomen illi dari solet, tanquam proprium quid & incommunicabile; quod dici non posset, si illa potentia posset communicari aliis creaturis. Absurdum itaque, horrendum & blasphemum, Angelos quoque Mundi conditores prædicare, ut veteres Hæreticos hallucinatos esse, supra adnotavimus. Ipsi Gentiles, ratione duce, hanc veritatem investigare potuerunt; quoniam summi Numinis potentiam incommunicabilem statuendum ipsis persuasum fuit; & proinde solum Deum omnium rerum principium & auctorem Aristoteles non uno in loco inculcat, *Deus, inquit, causarum omnium auctor est.* Et paulo post: *Deus igitur omnibus causis id præstat, ut sint, & ex se res alias procreent; tantumque in hoc procreando differunt, quod ipse alicujus causæ auctor est, sine ulla alia interjecta.* lib. 3. cap. 2. *de secret. part. divin. sapient. Ægypt.* Et lib. 4. cap. 3. *Primus opifex auctor est universi, atque hoc ipsum ille infinitate quadam immotus antecedit. Nec enim aliquando incepit, cum antea non esset, sed finis est atque principium omnium eorum quæ sunt.* Et rursus lib. 5. cap. 4. *Ab agente principe omnia proficiunt, ipsum vero a nullo originem habet, causarumque Auctor est.* Iterum lib. 13. cap. 6. *Eus unum & perfectum, omnium aliorum, quæ procreata sunt, causa existit: quoniam*

*ab eodem omnia ducunt originem. Ex eoque rerum
 essentia in illo confirmantur, atque ad idem redeunt:
 cujus essentia quoque est absoluta; quia causa est caus-
 sarum omnium, & inter ea quæ procreata sunt, ob-
 tinet principatum. Si auctor sit & principium re-
 rum omnium, quî alii Mundi conditores fingi vel
 excogitari possunt? Placet hic describere, quæ a-
 pud Athanasium legimus Orat. contr. Gent. pag. 73.
 Non enim, inquit, plures esse Mundi principes vel
 conditores suspicari licet, sed pro religione perfecta
 ac veraci Unus tantummodo, rerum natura hoc ip-
 sum declarante, credendus est. Nam certum illud
 est indicium unum esse istius universitatis auctorem,
 quod non multiplex, sed unus perpetuo Mundus exi-
 stat. Oporteret enim, si plures essent principes, plu-
 res quoque & diversos esse Mundos, siquidem par
 non est, ut plures unum Mundum ædificent, aut
 unum a multis ædificari; propter absurda quæ se in-
 de ostenderent. Primum quidem, quod si a multis
 fabricatus esset hic Mundus, imbecilles fuisse ejus
 fabros, arbitrandum foret, eo quod multorum opera
 ad unum opus requisita esset: & ex eo quoque argu-
 mentum colligeretur minime vulgare imperfectæ uni-
 uscujusque ad faciendum scientiæ. Nam si unus ido-
 neus fuisset, non plures aliorum defectum, quasi suc-
 centuriati, adimplevissent. In Deo autem dicere
 aliquid esse minus integrum aut perfectum, non solum
 impium, sed plus quam nefarium est. Quippe ne-
 que artificem inter homines absolutum dixeris, sed
 imbecillem, si non solus, sed cum multis, unum opus
 expediat. Et paulo post: Impium certe pariter &
 absurdum*

absurdum videretur , unum opus esse , plures autem & diversos operatores , cum Physicæ rationis sit , unum & singulare , si perfectum sit , multiplicato excellentius esse.

Cave itaque, Lector, ne tibi persuadeas, cum Moyses hic utitur nomine *Elohim*, quod proprie de Deo dicitur, in numero plurali, *Dii*, (quo nomine Gentiles quoque Angelos & Dæmones vocant) quasi plures essent Mundi conditores, & plura rerum principia: vel quasi Angeli, (quorum creationem non expresse tradit Moyses, neque usquam inter opera sex dierum Angelorum aliqua fit mentio) ante Mundum jam conditi, etiam Mundi postea condendi conditores esse potuissent. Et sic etiam venire nomine *Elohim*. Aben Ezra putat, Deum *Elohim* dici propter Angelos, qui & ipsi in divinis litteris veniunt hac appellatione, vid. *Psalm.* 8: 5. Unde aliqui ex Hebræis existimant, sociari cum Deo Angelos in opere creationis tanquam ministros potentix Dei: cum *Elohim* nomen sit factum a fortitudine, & Angelis sæpe tribuatur. Respondent autem alii, Deum unum plurali quidem voce appellari, pluralitatem vero Deorum & hujus universi principiorum excludi verbo singulari *creavit*, quod hic junxerit Moyses verbo plurali *creavit Dii*, reverentix & honoris causa duntaxat vocem *Elohim* numero plurali adhiberi. Verum hanc opinionem refutavit Vir eruditus Ludovicus Capellus in *Diatriba de nomine Elohim*. Quippe non infrequens nec inusitatum est in lingua Hebræa singulos hominum etiam aliquando pluraliter

Elohim
vox quo-
modo
fumen-
da.

liter appellari, vid. *Gen.* 42: 5. 30. ubi vox Hebræa *Adonim*, locutus est Domini regionis nobiscum *dura*; quod nostri verterunt, *locutus est Dominus*. vid. *Exod.* 21: 4. *Jes.* 19: 4. Unde patet, Moysen non fuisse usum nomine plurali, quasi honos aliquis Deo proprius hoc numero contineretur. Nec etiam, ut alii Viri eruditi animadvertunt, singulari verbo Deorum pluralitatem caveri, cum etiam verbum vel adjectivum plurale cum plurali אלהים aliquando constructum legatur, ut *Gen.* 20: 13. vid. *Gen.* 35: 7. Præterquam quod etiam de Idolis hoc nomine plurali occurrit cum verbo singulari, *Exod.* 20: 3. Sunt Viri docti, qui sentiunt, Moysen propter divinarum personarum Triadem hac locutione usum fuisse. Alii iterum, qui forte nec eruditione prioribus cederent, negativam sententiam tuentur. Dissidentium rationes adferre nobis non est animus, nec hanc controversiam decidendam in me suscipio, ne forte meam falcem in alienam messem immisisse videar, & hac ratione quibusdam S. S. Theologiæ Doctõrculis superciliosis stomachum movere; quorum olim vanam & sine viribus iram in me provocasse memini. Equidem non disputamus de hoc mysterio, sive an vox pluralis *Elohim* insinuet trinitatem personarum in una essentia, verum an plures fuerint Mundi conditores, sive Dii, sive Angeli, quos *Deos* quandoque appellari notavimus, & an ejusmodi pluralitas Deorum, ex voce *Elohim*, numeri pluralis, posset elici? Et hic potissimum spectandum linguæ Hebræicæ usum, ejusque linguæ peritissimorum judicium sequendum esse,

esse, arbitrator. Quippe, qui hic indagare velint, qua mente Moyses voce plurali usus fuerit, an vero hac ratione adorandam divinarum personarum trinitatem docere voluerit hoc nostro loco, sermonem habens de auctore & conditore Mundi, ille mihi suscipere videtur plenum opus alexæ, an forte divinando veritatem adsequetur; nullus dubito, quin noverit Moyses personarum divinarum trinitatem, atque etiam docuerit eam hoc loco: nec ambigendum, quin Moyses hic habeat sermonem de vero Deo, & proinde de Patre, de Filio, & Spiritu Sancto, eumque vocare *Elohim*; quippe verum Deum nec aliter concepit Moyses, nec aliter nos concipimus. Verum, cum in S. Scriptura non revelatum, quid Moyses hac locutione significare voluerit, quis certo adfirmare posset, Moysen eo animo hac locutione usum, ut insinuaret mysterium Trinitatis, nisi qui intima cordis penetrabilia perscrutari possit, cui omnes animi cogitationes, tam præteritæ quam præsentis & futuræ apertæ sunt & notæ, cujusmodi scientia in creaturam cadere nequit. Nec illa copulatio nominis pluralis cum verbo singulari satis sufficiens argumentum videtur, ex quo mens & animus Moysis sat manifeste probari possit. Sed omnes hæ rationes videntur potius meræ conjecturæ, quæ admodum lubrico nituntur fundamento, & proinde ad quorundam Hæreticorum, duo principia & plures Mundi conditores fingentium, opinionem oppugnandam haud satis idoneæ videntur. Oportet enim hic rationes adducere omni exceptione majores, quæ non verisimiles,

D

sed

sed certæ & claræ, adeo ut etiam invitæ ad sensum extorqueant; quæque ab usu linguæ Hebraicæ petuntur & depromuntur; quapropter consulendi ejus linguæ periti. In dubium enim vocari nequit, quin Moyses usitato & consueto loquendi modo usus fuerit, qui agresti & rudi adhuc populo non erat insolens. Jam vero observarunt Viri eruditi, & linguæ Hebraicæ periti, quod, quemadmodum in aliis linguis nomina sint pluralia, quæ significationem singularem habeant, hæc quoque consuetudo Hebræis ignota non fuerit. Audiamus Drusium: *Quis enim, inquit, nomen liberorum, quando de uno usurpatur, dixit, habere unquam sensum pluralem. Quis plures Athenas, Thebas, Salonas, quia dicimus Athenæ, Thebæ, Salonæ? Quis neget unum cælum esse supremum, quod Apostolus tertium, David cælum cæli vocat, quoniam Hebraice samaim vocatur numero duali, aut plurali? Nonne eleboro curandus est, inquit, qui ex numero illo colligit, duos tantum cælos creatos esse? Quid: an ideo plures tenebræ, quoniam in Latio non auditur tenebra, numero singulari? quis ad ejusmodi ineptias pelvim possat? si Elohim numeri pluralitatem innuit, cur non etiam Adonim; nam eadem utriusque ratio est, si Adonim ego, inquit Deus, Malach. i. ubi timor mei. Ecce par mysterium, quod tamen nemo hic agnoscit: ne in plurali quidem בְּעֵלִים Baalim, qui aliquando de uno domino dici reperitur, at tunc habet sensum singularem, ut etiam Adonim, cum de uno Deo sermo est. Hinc Viri docti adnotarunt, omnes priscos Interpretes Elohim simpliciter interpretari Deum.*

Deum. Itaque credendum, Moysen hic usitatum loquendi modum adhibere, & per nomen *Elohim* simpliciter voluisse significare *Deum*; neque populum, juxta usitatum loquendi modum, ullum creatorem alium, nisi *Deum*, intelligere potuisse. Quippe, si inusitatus hic loquendi modus fuisset, adeo ut pluralitas ex loquendi modo concludi posset, sane parum bene consultum fuisset Judæorum, ut annotarunt Viri docti, ruditati atque tarditati, & ad idololatriam proclivitati; quia hinc fortasse occasionem arripuissent existimandi multos esse Deos. Statuit hic doctiss. Joan. Clericus *comment. in Genes. cap. 1.* Hebraicam linguam Idololatrarum, qui Palestinam incolebant, fuisse propriam, & proinde sibi verisimile videri, Hebræos πληθυντικῶς a Palæstinis didicisse loqui; ita tamen ut voci plurali singularem tribuerent significationem, prout dogma de Deo uno summo requirebat. *Hinc mirum non est*, inquit, *ut huic voci singulare verbum junxerit, cum ad sensum magis, quam ad numerum vocis attenderent, & quandoque ratione numeri habita, plurale verbum addiderunt, ut Genes. cap. 20: 13.* Vid. Drusium *dict. loc.*

An vero duos pluresve Mundos, an unum duntaxat creaverit Omnipotens, de eo non anxie inquirendum puto, sed fidem habendam S. Scripturis: nulli enim tutius credimus, quam ipsi Deo; ipsi autem placuit per Moysen nobis revelare, se condidisse, vel creasse cælum & terram, id est, Mundum. Quippe hisce vocibus nihil aliud divinorum oraculorum Interpret significari voluit, quam to-

Unum
Deus
creavit
Mundum.

tam hanc universitatem, cujus superior pars cœlum, inferior terra est, cum omnibus quæ in iis continentur, & hanc universitatem componuntur. Huc pertinet ipsa Mundi definitio ab Aristotele tradita, cum definit Mundum *compagem e cœlo terraque coagmentatam, atque ex iis naturis, quæ in illis continentur.*

Mundi
vocabu-
lum quid
comple-
ctatur.

Moyfes igitur dicens, Deum creasse cœlum & terram, quid aliud dixit, quam creasse universum. hoc *σῦνμα*, seu hunc Mundum, cœlo & terra, & quæ eo continentur, constantem: hæc enim omnia unum totum & universum componunt. Unde Philo observat, Mundi vocabulum sumi pro universitate rerum. Quamvis non inficiar, etiam quandoque aliam significationem admittere; adeo ut nonnunquam pars pro toto sumatur; & cœlum aut terra quandoque vocetur Mundus; tum etiam homines in terra, uti ex S. Scriptura notarunt Viri docti. Imo Scaliger *ad lib. 5. Manilii* observat, sêxariam *νίκμη* vocabulum usurpari Græcis: Stoicis Deus, fatum, providentia, mundus, unum erat. De cœlo autem frequenter utuntur Poëtæ: vid. Claud. *lib. 2. in Ruffin.* Lucret. *lib. 5. ψ. 1376.* Sed quidquid sit, Mundus semper occurrit apud omnes fere scriptores numero singulari, & tanquam universitas rerum, quas complectitur. Possẽm hic citare tum veteres Philosophos tum etiam alios inter Ethnicos scriptores, quorum scripta id testantur, verum cum id ipsum notissimum sit, frustra hunc susciperem laborem. Sic etiam divina Scriptura Mundum alias dicit, alias per partes describit, cœlum.

sum & terram, comprehenso mari sub terra. Hæc tamen omnia unum totum & univcrsum, non plures mundos constituunt. Sic Isidorus *lib. 13. 1.* *«Mundus est, inquit, cælum, terra, mare, & quæ in iis sunt, opera Dei.*

Non me fugit, Epicurum & Metrodorum, Anaximandrum, Anaximenem, Archilaum, Aristarchum, & alios, statuisse, plures, imo innumerabiles & infinitos esse Mundos. Metrodorus tam absurdum putavit statuere unum tantum mundum existere, ac unam spicam in agro quodam nasci. Verum hunc errorem Aristoteles & Stoici multis refutarunt argumentis, unicumque cum Platone aliisque sanioris doctrinæ Philosophis Mundum posuere, quod τὸ πᾶν, hoc est, univcrsum. Et quis non videt hanc opinionem adeo a sana ratione alienam, ut potius somnium vel delirium videatur, quam rectæ rationis dictamen. Adeoque mirum, quod suos sectatores habere potuerit, eamque opinionem interjecto tempore nonnullos quoque Hæreticos amplecti potuisse, studio forte excogitandi & inveniendi quædam nova. Refert Plutarchus *lib. de tranquil. animi*, Alexandrum, se jam Mundi dominiū esse credentem, cum de mundorum infinitate differentem audivisset Anaxarchum, illacrymassc, eumque rogantibus amicis, num aliquid ei dignum lacrymis accidisset, respondisse, *An indignum est nos flere, si, cum infiniti mundi esse perhibeantur, nondum unius domini sumus?* Sic unus Peleo juveni non sufficit orbis? Si enim Mundus univcrsum quid est, uti omnes fere sensisse Philo-

Philosophorum plures & infinitos Mundos statuentium opinio confutata.

sophos veteres ex eorundem scriptis perspicimus, unum quid esse debet, nec multiplex esse potest. Implicat enim manifestam contradictionem, si dicamus plures dari universitates. Audiamus Platonem philosophari de unitate ac miranda combinatione omnium universi partium, *in Timæo pag. 33. Opifex, inquit, effecit primum, ut mundus animal possit esse perfectum: deinde ut unus esset, nulla parte, ex qua alterum quidpiam hujusmodi gigneretur, relicta.* Unde concludit, *pag. 58. Universi ambitus postquam genera complexu suo una apprehendit, circularis quidem ille, & natura hujusmodi, ut mutuo ad se redeat, tum vero omnia constringit, nec vacuum ullum relinquit locum.* Unum solum esse Mundum probat Cartesius *part. 2. princ. philos. cap. 22. Nam omnes mundi constarent ex una eademque materia, sequitur, unum tantum mundum esse posse; materia enim illa, (cujus natura solum in hoc consistit, quod sit substantia extensa) omnia illa spatia, in quibus alii mundi esse deberent, occuparet.*

Com-
mentum
Rabbi-
norum
refelli-
tur.

Quemadmodum plures simul esse mundos negamus, ita quoque successive plures mundos existere, ab omni sana ratione alienum esse putamus, & Rabbिनorum commentum existimamus. Hujus opinionis errore ductus, sibi quoque persuasit Origines, ante hunc mundum conditum existisse alia systemata, aliasque compages, & post hunc mundum alium rursus existiturum. Plures tamen dari orbes nostræ terræ instar, ubi sint montes, silvæ, maria, fluvii, credibile est.

An in

Quod lanam attinet, illam terræ nostræ esse per-
similem,

similem, per tubos opticos jam dudum exploratum est. Utrum vero dentur animalia in Luna aliisque corporibus cœlestibus, vix certo affirmari potest. Verum dari homines in Luna, aliisque corporibus cœlestibus, plerisque Viris doctis non credibile videtur: cum Deus *genus humanum ex uno sanguine creaverit*, Act. 17: 26. Verum quis id absolute affirmare vel negare potest. De Saturno quidem negare satis possumus, cum ibi nimis foret frigidum: Jupiter vero recte constitutus. Videtur quidem ex statim adducto loco Act. 17: 13. ferme contrarium magis monstrari posse, sed tamen ibi loquitur Apostolus de talibus hominibus, ut nos sumus, ejusdem naturæ ac genii, ortum ex Adamo ducentes, indigentes mediatore Christo: absolute vero neque unum neque alterum affirmandum quidam statuunt, sed præstare id, ut, in eo ignorantiam confessi, neminem opinione diversum condemnemus, verum Deo relinquamus.

Quamvis autem statuendum putemus, mundum hunc esse unicum; plures tamen habet partes suas, ex diverso motu ipsi indito, quo omnia cientur varie, & varia corpora efficiunt, factas & coagmentatas. Est enim unus ex partium aggregatione, omnium inter se ordine & fine; quem non creatus, sed increatus Spiritus, Deus ejusdem auctor, conservat & continet. Unde Poëtarum figmentum est, si quis ponat Animam generalem totius mundi, velut omnia in omnibus operantem, a qua totus rerum mundus, vita & conservatio dependeat, juxta illud Virgilio *Æneid. lib. 6.*

Spiritus

*Spiritus intus alit , totamque infusa per artus
Mens agitat molem , & magno se corpore miscet.*

Huc referunt nonnulli , qui Spinozæ castra sequuntur , Spiritum , de quo *Genes. 1: 2. Spiritus Dei ferebatur super aquis.*

Mundus
non per
Ani-
mam,
sed per
Naturæ
leges te-
netur.

Igitur tota mundi compages non per animam, sed per naturæ leges tenetur, anima quippe hæc efficacior foret omni Angelo. Si tamen quædam terræ inesset anima, deberet esse materia illa subtilis, quæ versatur in quavis mundi parte, illamque agitat, movet, & ciet; hæc si non inesset terræ, actum esset cum omni universo. Licet nugatores illi, qui in Stoicorum & Spinozæ castra transfierunt, impii Athei, pestes Ecclesiæ & humanæ societatis, & verum unicumque Deum abnegantes, mundum Deum faciant, & animæ mundi adscribant id, quod solius Dei opus est; qui creator & formator omnium est, *qui omnibus vitam, halitum, & omnia dat, in quo omnia vivunt, moventur & sunt. Act. 15: 25--28.* Ipse solus omnibus rebus præsens adest, nec auxiliari aliquo spiritu opus habet; cum omnia sua potentia sustentet atque gubernet.

Quo anni
tempore
Mundus
fit conditus.

Verum, quum Moses describat Mundi creationem, non addito quo tempore creatus; quosdam investigandi cepit cupido, qua anni tempestate Mundus sit conditus, an Vere, an Autumnos? de eo enim non convenit inter Doctos. Quidam statuunt, creatum circa Æquinoctium vernum, Sole versante in Ariete. Aliis posterior magis arridet sententia, & solidioribus rationibus niti putant. Qui priore loco descriptam sententiam amplexi sunt,

sunt, hisce solent rationibus eam tueri. Prima ratio desumpta est a tempore, quo solent Judæi annum civilem incipere, circa mensem Septembrem, dum Ægyptum incolebant. Quippe non ambigendum, quin eandem temporum rationem observaverint, quam a patribus suis quasi per traditionem acceperant, & hi a suis majoribus, Semo, Noacho, aliisque Patriarchis ad vetustissimum mortaliū Adamū usque, edocti sint. At ipsos incepisse annum non circa Æquinoctium Vernum, verum circa Æquinoctium Autumnale mense Septembri, colligunt ex *Exod.* cap. 23: 16. & 34: 22. ubi Judæi jubentur festum Tabernaculorum celebrare in fine anni. Hoc autem fieri mense Tisri, annotarunt Viri docti, qui respondet Septembri vel Octobri nostro. Nec etiam ex annis Sabbathicis, qui Æquinoctio autumnali pariter incipiebant, non improbabiler colligi posse statuunt initium anni ab eo tempore computandum. Huic etiam accedit, quod fructus circa mensem Septembrem ad eam maturitatem pervenire solent, ut hominum & animalium usui possint inservire: ea enim anni tempestate arbores fructibus oneratae, & plantæ seminibus gravidæ sunt; ideoque ad sustentandos homines & animalia nulla tempestat commodior Autumnali. Quamobrem isto mense creatus Adam, ut haberet, unde vitam tueri posset, ceteraque animalia alimentum caperent. Verum hæ rationes, quamvis non suo destituantur fundamento, mihi tamen magis credibile videtur, mundum conditum fuisse circa Æquinoctium Vernum, sole versante in Ariete,

E
mense

menſe Martio. Omnes id paſſim docent Patres. Præterquam quod iſta anni tempeſtate cœlum eſt amœniſſimum; tale autem decuit felicitatem ſtatus innocentix: eo enim tempore plantæ maxime germinant, & arbores proferunt fructus ſuos, uti tempore creationis factum ſacræ perhibent litteræ, *Gen. 1: 11*. Quamobrem Ovidius 1. *Metam.* in Aurea ætate, id eſt, ſtatu integritatis, Ver æternum fuiſſe fingit, dum canit:

*Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores.*

Verum Saturno tenebroſa in Tartara miſſo, id eſt, poſtquam ſtatu integritatis exciderit homo, fingit Jovem, qui jam regnare cœperat, in quatuor tempora Ver illud aureæ ætatis perpetuum commutaſſe, ſcil. Ver, Æſtatem, Autumnum, & Hiemem. Argumentum, quod etiam Ethnici hoc tempore crediderint mundum fuiſſe conditum. Quippe ſi Ver fuerit æternum, uſque dum mundus ſub Jove erat; ſtatuere debet Poëta, qui a prima mundi origine omnia refert, hac anni tempeſtate mundum eſſe conditum, cum nullam aliam referat fuiſſe tempeſtatem? Hinc quoque Virgilius *Georg. 11*.

*Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri.*

Huic etiam accedit, ut Viri docti annotarunt, quod convenientius erat, ut dies ſtatim poſt creationem creſcerent, quam deficerent, ut herbæ & arbores floridiores amœnum præberent adſpectum, quam
ut

ut instante & adpropinquante hieme statim arescerent. Nec obstat ratio desumpta a maturitate & copia fructuum, quibus vitam tueri debuerint vetustissimi mortalium, tum etiam animalia alerentur, quasi illi tempore autumnali ad maturitatem pervenire soleant, & proinde eorundem copia eo demum tempore haberetur, ad victum & sustentationem cum hominibus, tum animalibus præbendam sufficiens. Quippe notandum, quod mense Martio in ea mundi plaga, ubi Paradisus fuisse creditur, nimirum circa Babylonem, fructus & frumenta matura sint, quantum sufficiat ad alimentum, teste Philone *de vita Moysi*. Igitur de hoc mundi tractu omnis disputatio est, ubi Paradisus fuisse creditur, & primi nostri parentes; scilicet, utrum respectu hujus regionis mundus fuerit conditus circa Autumnum, an vero circa Ver? De qualibet enim Orbis parte quæstio hæc non potest moveri; cum omnia anni tempora juxta varias mundi plagas simul existant; sed accipienda est nostra disputatio de illa Orbis parte, in qua primi parentes formati, quæ creditur fuisse circa Babylonem; atque in hac regione sat fructuum mensibus Martio & Aprili reperiri, annotarunt Viri docti, unde vitam tueri poterant primi parentes. Quare mensis Martius in S. litteris *Mensis spicarum* dicitur, *Exod. 9: 31.* ubi legimus, ante exitum ex Ægypto hordeum fere ad maturitatem provenisse: exiisse autem inficiari non possumus, mense Abib, qui respondet Martio & Aprili. *Et, si Plinio credimus, in Ægypto hordeum sexto a satu mense, frumenta septimo mense metuntur.*

tuntur. Oportet igitur tempore autumnali, & quidem Octobri vel Novembri mense satum fuisse. Unde inferri posse videtur, si statuamus tempore autumnali conditum mundum, sat fructuum in ea mundi plaga, in qua formati Adam & Eva, ad justam maturitatem provenire potuisse, unde sustentare se possent primi mortalium, ceteraque animalia; cum eo tempore primum arare & seminare incipiunt. Quippe nullus dubito, quin idem tempus messis & vindemiarum observatum fuerit in eo Orbis tractu, quo Ægyptus, tum Babylonica regio sita, sive Mesopotamia, in qua plerique Doctorum Paradisum collocant. Constat enim plerosque veteres Geographos Ægyptum in Asiæ regionibus computasse; posteriores in Arabico sinu, inter Asiam Africamque termino constituto, Africæ eam contribuerunt. Alii partem Ægypti, quæ a Nilo in ortum deflectit, Asiæ attribuere, & quæ in occasum, Africæ. Alii tantum duas Orbis partes constituerunt, Asiam atque Europam, Africam sub hujus nomine comprehendunt tanquam partem, scissis utrinque Calpe & Abyla montibus, freto divulsam. Alii itidem duas a freto Gaditano ad Tanaim amnem: hinc Europam, inde Asiam, sub qua Africam etiam intellexerunt, teste Cluvero; fortasse ob situs rationem, quasi sub uno eodemque hemisphærio & tractu cœli sitam Africam sub Asiæ nomine comprehenderunt. Deinde quia Asia non Europam duntaxat, sed & Africam magnitudine vincit; hinc forte ob ejusdem intemperiei sive climatis convenientiam Africam Asiæ contribuerunt;

runt; quippe uti juxta Geographos quædam partes ex continente Asiæ intra Zonam sunt torridam, pars vero longe amplissima est intra Zonam temperatam Septentrionalem, ita pars Africæ subjecta est Zonæ torridæ, ingens Zonæ temperatæ Septentrionali. Annotavimus statim, primam proximamque Africæ Asiæque esse Ægyptum, quæ terminatur a Septentrione mari suo, nim. Ægyptiaco, ab ortu Arabia Petræa: nec exigua pars Arabiæ sub Ægypto, uti quoque magna Mesopotamiæ pars & quidem ea ubi Babylon, Arabia, teste Plinio. Hinc Arabes Ægyptii populi dicebantur, qui superiorem Ægyptum, quæ in meridiem vergit, incolabant; & quidem eam partem, qua orientem spectat: notandum enim superiorem Nilum dividere in Lybicum qua occidentem, & Arabicum qua orientem spectat, & hinc populi Arabes Ægyptii, illinc Lybii Ægyptii dicti, teste Cluvero.

Hæc annotare volui, ut ex situs tum ipsius Africæ, in qua Ægyptus, cum Asiæ convenientia, tum etiam non ex interjacente duntaxat, sed & utriusque tum Ægypti, tum Mesopotamiæ parte Arabia idem hemisphærium & clima participare utramque regionem, & proinde verisimile in eandem anni tempestatem messis vindemiarumque tempus incidere; ut hac ratione constet, magis vero consentaneam eorum sententiam esse, qui statuunt verno mundum conditum, ob fructuum hac anni tempestate copiam; utpote qui hac tempestate maturi, victum & alimentum præbere poterant tum hominibus, tum animalibus, quibus destituti fuissent,

Verno
tempore
Mundus
conditus.

si tempore autumnali conditus fuisset mundus. Quod & inde magis evinci posse mihi videtur, si consideremus populum Israëliticum eam Ægypti partem incoluisse, quam S. Scriptura *Gosen*, sive *Jessen* vocat, quæ pascendis pecoribus idonea, Arabiæ vicina, juxta sinum Arabicum: unde LXX Interpp. ἐν γῆ Γεσὴν Ἀραβίας. Fuit autem terra Gosen in inferioris Ægypti, sive simpliciter dictæ Ægypti limitibus ad orientem Nili, versus Arabiam Petræam, & Palæstinæ vicina, cujus pars erat Rameses, & urbs ejusdem nominis, quam, teste Eusebio, ædificarunt filii Israël in Ægypto. Hieron. *pagum* appellat, quem olim *Arsinoiten* dictum putant, perperam *Arsenaten*. Vid. Marshamum, qui hoc nomen Regis esse, & casu quidem Genitivo censet: itaque nec urbem ejusdem nominis, nec tractum regionis *Gosen* significari putat. A *Ramese* profecti sunt Israëlitæ, abituri in *Succoth*, cui inditum nomen ab Arabum tentoriis. Hæc autem Ægypti pars inferior, Mesopotamiæ vicinior: erat enim ea Ægypti inferioris pars, qua eam ex Syria venientes ingrediebantur, quam partem olim *Thebais* dictam fuisse Nilo adjacentem, quæ ad Mare Rubrum prospectat verisimile mihi videtur. Unde Ægyptus Thebais illa pars inferior dicta, in S. literis *Gosen*, cujus pars Rameses, ut alii volunt. Verum ut annotavimus, vehementer dubito, an illa denominatio sit deducenda a regione, quæ ejusdem regionis *Gosen* sive *Gossen* pars fuerit, an a nomine Regis, qui tum temporis huic regioni præfuit. Hanc quæstionem decidendam mihi non vindico;

dico; verum regnasse tum temporis in Ægypto Ramessem Tubaëtem, Viri eruditi annotarunt.

Itaque ut ad ipsum quæstionis cardinem revertamur, notandum, quod mensis ille, quo exiit ^{Mente Nisan conditus.} populus Israël ex Ægypto, vocetur *Nisan*, respondens partim Martio, partim Aprili nostro: initium capiens a novilunio, quod proxime præcedit aut sequitur Æquinoctium Vernum, sive ingressum Solis in Arietem. Mensis hic Hebræis dicitur *Abib*, id est, spica maturescens, vel maturitati proxima; quia eo mense in Judæa, sive Palæstina, uti in Ægypto, vel ea Ægypti parte, sive regione quam incolebat populus Israël, fruges maturescabant. Quamobrem a LXX vertitur ^{μην νίαν}, a Macario Ægyptio ^{μην ἄβιβ}. Quidam malunt esse vocem Persicam, originis tamen Græcæ a νίσιος, quod esset mensis novarum frugum.

Ex quibus vidimus eandem cœli & climatis convenientiam utriusque regionis Ægypti, vel saltem istius partis inferioris, & Palæstinæ, seu potius Syriæ, quæ, uti Geographi tradunt, Palæstinam & Mesopotamiam & Babyloniam olim suo ambitu complectebatur. Quippe Syri veteres eodem mensis nomine *Nisan* usi; imo annotarunt Viri docti, vocem *Nisan*, qui Hebræis *Abib*, non esse Hebræam, sed Chaldæam, quam Hebræi ab Chaldæis acceperunt in captivitate Babylonica. Hoc itaque Mensis nomen denotat quale earundem regionum sit clima & cœli constitutio, ejusque cum Ægypto convenientiam; quippe, uti mense Abib, (qui Martio & Aprili nostro respondet) quo ex Ægypto

Ægypto exierunt Israëlitæ, jam hordeum erat maturum, ceteraque frumenta jam maturitati proxima; ita quoque in Syria, & proinde Palæstina, Mesopotamia, cujus pars & Babylonia est, eodem mense maturescebant, quod eodem mensis nomine & eadem ejusdem significatione luce clarius perspicui posse mihi videtur. Quapropter concludo, fere idem sationis, & messis vindemiarumque tempus incidere in eandem anni tempestatem, qua in Ægypto satio & messis fierent. Ex Plinio autem annotavimus, satum hordeum vel triticum Octobri vel Novembri mensibus oportuisse, quod sexto vel septimo mense metebatur, teste Plinio, scil. mense *Abib* vel *Nisan*, id est, Martio & Aprili, vel etiam Majo quoad triticum, quod mense serius metendum erat, quam hordeum, ut tradit Plinius.

Mundus
conditus
circa Æ.
quinto-
etium
Vernum.

Itaque si mundum conditum statuamus tempore Autumnali, Sole versante in Libra, unde fructus & fruges, quibus vetustissimi mortalium vesci potuissent, & animalibus victum præberent, quia germinare cœperunt demum Sole versante in Ariete, id est, tempore Verno, mense Martio & Aprili; eo enim tempore cœlum magis aptum e terra fruges & gramen, & frumenta educere: unde mensis *Abib* sive *Nisan*, mensis *spicarum* dicitur, ut annotavimus, istis in regionibus, quarum eadem cœli temperies & clima, & proinde quoque in Babylonia, qua in regione Paradisum fuisse, plerique Viri eruditi statuunt. Quamobrem credibile & magis vero simile videtur, Mundum conditum eo anni tempore, quo sat fructuum haberi poterat, quos ea anni tempe-

tempestate natura , sive terra e sinu suo proferebat ad sustentandos homines & animalia cetera : ideoque creatum fuisse mundum statuendum videtur circa *Æquinoctium vernalis* , Sole versante in Ariete, id est , mense *Nisan* , sive Martio , quo tempore coelum amœnissimum est , & ad omnis generis producendos fructus terra fœcundissima : quã obrem & hac anni tempestate conditum mundum magis credibile. Ipsa quoque *Paradisi* vox , quæ significat locum amœnum & desiderabilem , videtur id ipsum confirmare : Verno enim tempore omnia florescunt , & amœnissimum adspectum præbent ; frugum ea tempestate uberior copia in illo terræ tractu ; itaque ejusmodi loci amœnitas & voluptas, tum etiam alimentorum ad vitam tuendam necessariorum copia , reddebat statum integritatis magis felicem ac beatum , cui nihil deesse oportebat, quod desiderari potuisset a primis mortalium. Videtur etiam nostra sententia eo magis vero consentanea, quia mensis Martius sive אביב *Abib* , *primus* dicitur *anni mensis* , *Exod.* 12: 2. 13: 4. ubi præcipit Deus, ut mensis *Nisan* , sive *Abib* , qui, uti diximus, respondet Martio nostro, sive partim Martio partim Aprili, sit populo Israelitico primus mensium, uti ab initio annus naturalis initium ab hoc mense cœpisset , scil. a condito Mundo; licet forte interjecto tempore illud mutatum, adeo ut populus Israel anni politici initium computare cœperit a mense *Tisri* , qui partim Septembri partim Octobri nostro respondet , ad exemplum *Ægyptiorum* , quam regionem tot secula incoluerant , & qui-

F buscum

buscum commercia & consuetudinem habebant : nam idem mensis caput anni fuisse perhibetur in Ægypto , unde annus naturalis Ægyptiacus dictus , incipiens a mense *Tisri* , (ab Ægyptiis Pharnuti appellabatur , teste Josepho) qui mensis idem caput anni Ebræorum politici , instituta computatione ad exemplar computationis istius populi , cujus imperio subiecti , & majestatem venerari cogebantur. Unde etiam in rebus civilibus degentes in Ægypto Hebræi , annum inchoarunt ab Autumno. Quare Josephus *lib. 1. Ant. Jud. cap. 3. §. 3. Moses Nisan* , qui est *Xanthicus* (ita enim Græci hunc mensem appellare soliti) mensem primum in festis constituit , cum eo Hebræos ex Ægypto eduxisset. Hic ei initium fecit , ad omnes honores Numini exhibitos. Sed ad venditiones & emtiones quod attinet , & aliam administrationem , priorem ordinem servavit. In sacris itaque reduci voluit Deus veterem , eumque maxime naturalem anni inchoandi rationem a mense Abib , ut reminisceretur populus , esse quoque in fatiis , adfore aliquando tempus , quo mundus eodem illo tempore , quo conditus , renovaretur , redimeretur & recrearetur per Christum , per idem illud Verbum , quo cœlos formatos esse testatur Psaltes 33. aliquando mundum , ad interitum vergentem , restauratum , & ab eo vindicatum iri. Restauratus autem & ab interitu vindicatus mundus , scil. mortale genus , cum pro expiatione peccatorum & criminum nostrorum , quibus æternæ morti nosmet mancipaveramus , immolatus est , & quidem Verno tempore , Christus , verus ille agnus Pascha-

Paschalis, cujus agnus iste, quem Hebræos mense Nisan mactari præceperat divinorum oraculorum interpres Moses, erat typus. Occasione itaque exitus Hebræorum ex Ægypto, initium anni, quod inchoabat a mense Septembri sive *Tisri*, *Exod. 23: 16.* in sacris inchoavit a mense *Abib* sive *Nisan*. Quoniam hæc a servitutis jugo, sub quo diu presus gemuerat populus Israel, liberatio erat typus redemptionis Ecclesiæ, sive fidelium, per Christum aliquando perficiendæ, renovaturum aliquando mundum, *1 Cor. 5: 7, 8. 2 Cor. 5: 17.* ubi Apostolus, *si quis igitur est in Christo, nova creatura est: vetera præterierunt, ecce nova facta sunt omnia: veluti omnia recens denuo condita.* Hanc autem immolationem futuram hoc mense docet Johannes *18: 28.* quamobrem hunc mensem initium & caput anni esse præceperat Jehova. Cum hæc constitutio, sive lex divina, relationem suam habeat ad tempus illud, quo conditus est mundus, ut manifeste patet ex analogia, sive convenientia rationis, in qua lex illa fundata, cum ratione temporis, quo mundum creatum verisimile nobis videtur. Eligit autem tempus illud cum maxime nobis terræ nascentia applaudere primum incipiunt, & beneficia anni imminentis promittant ex floribus, graminibus, aliisque fructibus, quæ terra hac anni tempestate é sinu suo abunde edit, & profert in usum cum humani generis, tum etiam reliquorum animalium. Ratio itaque dicat, ut initio anni, vel etiam mensis, beneficiorum Dei cum gratiarum actione memores simus verbis simul & opere: maxime autem, ut nunquam intermittamus

reminisci hoc anni initium, hunc mensem, hunc diem, quo redemptus & renovatus mundus per Redemptorem Jesum Christum, qui sanguinem suum profudit pro nobis, scil. si eum fide amplectamur, de cujus sanguine qui bibit, nunquam sitiet, & ejus carnem comedit, nunquam esuriet. Hic itaque mensis, hoc anni initium, quo renovatus & redemptus mundus, perpetuo nobis est memorandum, & tanquam maximæ charitatis beneficium cordibus nostris imprimendum; quod nulla umquam oblivio debet oblitterare. Hoc mense, sive Verno tempore, immolatus pro nobis verus ille agnus Paschalis, ut nobis iterum aditus pateret ad Paradisum illum, quo ejecti sumus, non terrenum, sed coelestem, cujus imago & figura tantum fuit ille terræ locus, sive hortus Eden amœnissimus & maximis deliciis refertus. Verum, quisnam eloqui posset amœnitatem illam, voluptatem, omniumque deliciarum affluentiam, qua aliquando in illo Paradiso cœlesti gavisuri beati, liberi jam a captivitate vitiorum, quibus in hac vita etiamnum electi & fideles obnoxii, & proinde jam restituti in statum integritatis & libertatis, in quo primi mortales recens formati ad divinæ imaginis exemplar, adeoque nulla macula, vel vitiorum labe adpersi sui plane juris, in Paradiso terrestri feliciter vitam transegerunt. Hac liberatione a captivitate & servitute vitiorum aliquando potiturum per mundi Redemptorem Christum, edocebat populum Israel exitus ex Ægypto, quo a duro servitutis jugo jam liberi in possessionem terræ Canaan immit-

immitterentur, uti aliquando per fidem in Christum, verum illum agnum Paschalem, qui pro expiatione nostrorum peccatorum immolatus, fidelibus viam panderet ad Canaan cœlestem.

Tanti autem beneficii, cujus particeps futurus Israel, ut memoriam conservarent, præcepit Jehovah, ut mensis iste, quo exierunt ex Ægypto, in veterem libertatem restituti, ut terram promissam, duce & auspice Jehovah, statim a Deo tempore, post multos exantlato labores, multa que rerum discrimina, possiderent, principium esset mensium, & initium anni in peragendis & celebrandis sacris, utque in restitutionem grati animi pro tanto beneficio, quale erat liber exitus ex terra servitutis Ægypti, mactando agnum vel hœdum, ejus beneficii memoriam celebrarent, in spem & fiduciam erecti, se aliquando fore liberos a captivitate vitiorum, & ab omni peccatorum labe purificatos, per sanguinem Christi, veri agni Paschalis, adeoque per fidem in Christum mitterentur in possessionem Paradisi cœlestis, quippe qui per effusionem sanguinis sui fideles sibi vindicavit a servitute Satanæ, & in pristinam libertatem restituit; quo in statu collocati primi parentes, cum Paradisum ingressi eodem mense, quo, immolato vero agno Paschali, omnia de novo facta & condita sunt. Pace hæc quorundam divinorum oraculorum Interpretum a me disputata sunt, quibus forte stomachum moveo, quod *falcem* meam in eorum messem immiserim; sunt enim quidam adeo delicati, ut vix æquo patiantur animo, si quis, cui Theologica tractandi non est demandata pro-

Nisan
initium
anni in
celebrandis
sacris.

vincia, se hisce immisceat quæstionibus, quæ ad hanc disciplinam pertinent, uti quondam me expertum fuisse, verum sine aliquo detrimento, paulo ante testatus sum. Illi non dissimiles istis Hebræorum magistris mihi videntur, qui in cathedram Mosis sedentes, rude vulgus a suo ore pendere volunt. Quod maxime detestor; cum cuique data facultas investigandi veritatem, & perscrutandi S. Scripturam, ut cuique constare possit, quæ sibi agenda incumbunt ad salutem animæ acquirendam, quam quilibet cum tremore & timore adsequi summa ope niti debet.

Annina-
turalis
conditi
Mundi,
princi-
pium.

Sed e diverticulo in viam. Diximus mensem Martium sive *Abib* vel *Nisan*, esse primum anni mensem, idque rationibus adstruere conati fuimus: atque ab hoc mense, a tempore mundi conditi annum naturalem inchoasse notavimus, quod licet interjecto tempore mutatum fuerit, dum forte Hebræi alieno imperio subiecti e re sua existimaverint, ab eodem mense annum incipere, a quo Ægyptii eum inchoare soliti, liberi tamen a tyrannide, & impotente Ægyptiorum dominatione, revocata in sacris celebrandis vetus & antiqua anni inchoandi ratio; in civilibus non receptus mos, ne fortasse ejusmodi mutatio pareret confusionem aliquam, tum in publicis, tum privatis gestis ac negotiis, contractibus celebratis celebrandisque. Quamvis postea veterem & antiquam menses numerandi & anni inchoandi rationem revocatam atque receptam fuisse vel inde appareat, quod in captivitate Babylonica non aliter annum numerasse videntur Hebræi; quippe

pe perspicimus ex libro *Estheræ*, mensē Martium primum fuisse: etenim primus mensis, cujus sit mentio *cap. 3: 13.* fuit mensis *Nisan*, uti etiam notæ marginales docent. Præterquam quod duodecimus mensis dicatur *Adar*, *cap. eod. & cap. 8: 12. & 9: 1.* Notum autem, mensē *Adar* esse Februarium. Ergo primum mensē fuisse oportet *Nisan* seu Martium, unde intercalatio ultimi mensis Februarii. Quidquid autem sit, videtur etiam tempore Noachi, & post eum, idem mensis primus fuisse, adeoque hanc anni inchoandi rationem post longam a mundo condito seculorum seriem usu ac consuetudine receptam fuisse. Quippe testatur Moses, *Gen. 8: 14.* Noachum mense secundo emisisse ex arca, terra jam arefacta vel exsiccata, cuncta animantia. Jam vero id factum fuisse, dicit sana ratio, eo anni tempore, quo cœli temperies & clima ad exsiccandam terram idonea, ideoque tempore Verno; quam ob rem mensis secundus hic procul dubio erit mensis Majus; quia ea anni tempestate non duntaxat terra facilius exsiccabatur, sed etiam gramen edebat in alimentum animalium. Sin autem inchoandum annum statuamus a mense *Tisri*, sive Septembri, animalia emissa erunt circa mensē Decembrem, quo tempore plerumque, in ea præsertim mundi plaga, humido, terra vix exsiccari poterit; nec pabulum habuissent animalia, imminente hieme. Hanc opinionem tanquam probabilioribus rationibus subnixam amplexus inter patres Ambrosius; cum inquit, *Inde mundi capi oportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna temperies.*
Unde:

Unde & annus mundi imaginem nascentis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito verni temporis splendor eluceat. Dedit ergo formam fructus annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum genera, quo primum Dominus Deus dixerat: Germinet terra herbam &c. Et paulo post: Decebat enim principium anni esse generationis & ipsam generationem mollioribus auris foveri. Neque enim possent tenera rerum exordia, aut asperioris laborem tolerare frigoris, aut torrentis æstus injurias sustinere.

Hæc delibasse sufficiunt de tempore Mundi conditi, quæ nobis, licet falli non nescia, verisimilia saltem esse videntur.

Terra
infor-
mis,
molesque
indige-
sta.

Perhibet autem Moses, terram, quam Deus antea creaverat, informem, vastam, indigestam, confusam, atque incompositam, inanem & vacuam fuisse, nullis ornatam plantis, quam nulla suis vestigiis premebant animalia, deserta plane erat & vacua: profundæ tantum, atque inertes aquæ, tenebris obsitæ densissimis, occupabant omnia. Nullus itaque splendor erat in rebus, obscuritas obtexerat totam molem sub cœlo, rude & confusum chaos omnia erant; de quo Ovidius 1. *Metam.*

Unus erat toto naturæ vultus in Orbe,

Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles;

Nec quidquam nisi pondus iners congestaque eodem
Non bene junctarum discordia semina rerum.

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan;

Nec

*Nec non crescendo reparabat cornua Phœbe;
 Nec circumfuso pendebat in aëre tellus
 Ponderibus librata suis: nec brachia longo
 Margine terrarum porrexerat Amphitrite
 Quaque fuit tellus, illic & pontus & aër:
 Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,
 Lucis egens aër. Nulli sua forma manebat;
 Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno
 Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
 Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.*

Horrida igitur rerum facies adhuc. Quemadmo-
 dum vero Chaos hoc, ex quo reliqua producta & Chaos
quid fue-
rit? in ordinem digesta, nihil aliud fuerit quam terra
 aquarum mole immersa & undiquaque perfusa; ita
 Philosophi modo aquam, ut Orpheus & Thales,
 modo terram, ut Archelaus, Apollodorus, & Phe-
 ricydes; modo utramque, ut Xenophantes Colo-
 phonius, omnium rerum principium & causam, a
 qua originem traxerint, posuerunt. Testatur enim
 de Orpheo Athenagoras, quod esset secundum ip-
 sum rerum principium aqua. *Orat. pro Christian.* Ex
 aqua autem lutum factum esse, ex utroque natum
 animal Draco, qui adnatum sibi habebat caput al-
 terum Leonis, & inter hæc duo medium Dei vul-
 tum; ejus nomen erat Hercules & Tempus: hic Her-
 cules ovum grande peperit, quod ubi completum
 fuisset, propter violentiam parentis, ex attritu ru-
 ptum est in duas partes; atque ea quidem pars ejus,
 quæ sursum vergebat, cœlum facta est; ea verò
 quæ deorsum, terra: evasit autem Dea terra per
 corpus. Testatur quoque Aristoteles de Thalete,

G eum

eum aquam principium rerum asseruisse. *Fortassis*, inquit, *hanc habuit opinionem nutrimentum omnium humidum esse videbat, ipsum quoque calidum ex eo factum, eoque animal vivere. Ex quo autem aliquid fit, id esse principium omnium.* Propter hoc igitur hanc habuit opinionem, & quoniam cunctorum semina naturam humidam sortita sunt. Aqua vero naturæ principium humidis est. Idem adfirmat Laërtius in *Thaete cap. 27.* tum etiam Cicero in *Lucullo.* *Princeps*, inquit, *Thales ex aqua dixit constare omnia.* Et *lib. 1. de nat. Deor.* *Thales enim Milesius*, inquit, *aquam dixit esse initium rerum.* Et Tertullianus *lib. 1. advers. Marcion.* *Ut ergo aliquid & de isto hujus mundi indigno, loquar; cui & apud Græcos ornamentum & cultus non sordidum nomen est, indignas videlicet substantias ipsi illi sapientie professores, de quorum ingeniis omnis hæresis animatur, Deos pronuntiaverunt; ut Thales aquam, ut Heraclitus ignem, ut Anaximenes aërem & ætherem, & Plato sidera.* Idem Augustinus de *Civ. Dei lib. 8. c. 2.* Eodem sensu Homerus Oceanum omnium patrem vocat: *Oceanus cunctis præbuit primordia rebus.* Plutarchus de *placit. Philos. lib. 1. cap. 3. & de Isid. & Osirid.* *Humida*, inquit, *natura, cum ab initio principium & ortus esset rerum, tria prima produxit corpora, Terram, Aërem, & Ignem.*

Tenebræ
non posi-
tium
quid.

Totum autem hoc universum densissimis tenebris involutum & coopertum, Sanctus & falli nescius Scriptor memorat. Quæ non fuerunt aliquid positivum, ut Marcionitæ & Manichæi, opinionis erro-

re

re seducti, delirarunt; statuentes easdem fuisse principium Deo coæternum, sive malas potestates seu cacodæmones, unde omnia animalia proveniant. Nec fuerunt ignis elementaris, quem Hebræi & quidam alii terræ & aquæ concreatum volunt, ut quatuor elementa simul creata, & ante mixtionem per se existentia hic eliciant quartum aeternum דוחאליהם intelligentes. *Quippe*, uti inquit Pareus, *non credendus est Moyses hic tam subtiliter de elementis philosophari, cum ne Physici quidem elementa sincera & impermixta umquam existere doceant: nec ignis proprie aut metaphorice tenebræ dici potest, cum non tenebricosus, sed lucidus sit, quidquid huic commento prætexant. Comment. in Genes. cap. 1:1.* Fuerunt igitur tenebræ nihil nisi absentia vel privatio seu negatio lucis nondum adhuc existentis, & caligo terræ & aquæ sua natura adjacens. Quemadmodum enim ubi nihil sonat, silentium; ita ubi nihil lucet, caligo est. Quis autem adeo desipit, ut silentium creatum quid esse putet? Sic plane & tenebræ nihil sunt in se. Da lucem, non erunt tenebræ. Da sonitum, non erit silentium. Quare frivolum est quod quæritur, *quis creavit tenebras?* haud secus quam si quis quærat; *quis fecerit silentium.* Musculus *in Genes. cap. 1:1.* Hinc August. 1. *Genes. contr. Manich. cap. 4.* ait, *ubi lux non est, tenebræ sunt; non quod aliquid sint tenebræ, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur; sicut silentium non est aliqua res, sed ubi sonus non est, silentium dicitur.* „Proinde tenebræ istæ primordiales non „fuerunt privatio proprie sic dicta; cum ante pri-

,, vationem habitus antecedit, necesse sit; lux au-
 ,, tem illas non antecessit, sed tenebræ istæ a parte
 ,, rei nihil aliud, quam moles ipsa primæva confu-
 ,, sa; a parte autem formalitatis suæ mera negatio
 ,, lucis vel luminis. Joan. C. Dieter. *antiq. Bibl.*
Genes. cap. 1. Neque phrasis ista apud Paulum
2 Cor. 4: 6. ὁ εἰπὼν ἐκ σκότους φῶς λάμψαι, innuit, qua-
 si tenebræ Deo fuerint velut thesaurus, in quo lux
 illa *πρωτόγενος* prius ab eo recondita, & unde lucem
 & splendorem Deus produxerit; sed iussit summus
 Cosmoplastes *e tenebris lucem exsplendescere*, non
 ut ex materia, sed ut ex termino; sicuti Deus ex nihi-
 lo omnia creasse dicitur, non quod nihilum ipsum
 fuerit materia rerum conditarum, sed cum omnia
 prius nihil essent, ea tamen esse & aliquid esse Deus
 voluerit. Tenebræ enim illæ, quæ mundi primor-
 dia præcesserant, erant nihil negativum. Quam ob
 rem recte B. Chemnitius inquit, *Deus iussit e tene-*
bris lucem splendescere, id est, cum essent tenebræ,
Deo dicente & iubente, subito exstitit lux: ideo vi-
detur lux quoque immediate ex nihilo creata esse. Te-
 nebræ igitur nihil aliud sunt, quam defectus lucis,
 imo negatio mera & nihil. Quam ob rem Deus non
 fecit tenebras, nisi per accidens, quatenus tum non-
 dum fecerat lucem. Sicuti in Scripturis dicitur *crea-*
re tenebras, Esai. 45. quia subducit lucem. Unde
 enim nocturnæ tenebræ, unde illæ, quæ fiunt per
 deliquia solis, nisi a Deo, qui omnia sapienter &
 facit & moderatur. Inde tamen nemo sanæ mentis
 rite colliget tenebras esse materiam quandam, sicu-
 ti de sole ac luce constat, quæ sic sunt condita,
 ut.

ut per illorum absentiam tenebræ, & non vicissim per tenebrarum absentiam Sol & lux constiterint. Verum, cave tibi, dum totum hoc universum tenebris involutum a Mose descriptum intuearis, a Manichæorum Diabolico, ut cum Pareo loquar, sarcasmo non fallaris, irridendum Mosen, quasi describeret Deum quemdam in tenebris ab æterno versatum, inquietem, tenebras fuisse ante lucem conditam, & Deum super aquas tenebris obsitas inambulasse per noctem, antequam eduxit lucem. Quasi vero Deus non sit lux æterna, habitans & manens in se ipso, antequam hanc lucem adspectabilem & mundum conderet. Testatur enim Johannes 1. *Epist.* Deum esse lucem, & tenebras in eo non esse ullas. Quo sensu *pater luminum* vocatur a Jacobo cap. 1: 17. *lucem inaccessam habitans*, 1 *Tim.* 5: 16. Quam obrem Propheta Regius *Psal.* 139. *Etiam tenebræ apud te non sunt tenebræ; & nox sicut dies lu- cet, ac similes sunt tenebræ luci.*

... Erat igitur ante lucem, quæ illuminaret mundum recens factum, lux illa vera, æterna, inaccessibili; quæ cuncta illuminat, nullisque tenebris obnoxia. Quippe non dicit Moses, *Et tenebræ erant in facie Dei*, sed; *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Nec latuit Gentiles, quod divinus Scrip- tor hic memorat de tenebris densissimis, quibus cœli terræque orbis principio rerum immerfus. Sic legimus apud Eusebium & Sanchoniathonem, qui Phœnicum historiam conscripsit, de eorundem Theologia sermonem habentem, principium hujus universitatis ponere aërem tenebrosulum ac spiritu fœ- tum,

Ante lu-
cem quid
fuerit?

tum, seu mavis, tenebroſi aëris flatum ac ſpiritum, chaos turbidum, aſtaque caligine circumfuſum. Quippe ut canit Ovidius 1. *Metam.*

Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan,

Nec non crescendo reparabat cornua Phæbe.

Hinc Ariſtophanes in *Avibus* conſervatis a Lucia-
no in *Philopatride* & Suida:

Χάος ἐν καὶ νύξ Ἐρεβός τε μέλαν πρῶτον καὶ Τάρταρος ἰσχυρός.

*Chaos & nox primum erat atque Erebus nigricans
& Tartarus ingens.*

Quam ob rem haud inſcite Thales ſciſcitantī cui-
dam, utrum prius factum eſſet nox, an dies? *nox
una prior die*, reſpondit, teſte Laërtio *in ejus vita*.
Aliter quam Gymnoſophiſta Alexandro quærenti
diem an noctem putaret fuiſſe priorem? reſpondebat,
diem uno die, Plutarch. *in vita Alexandr.* Et pro-
venit forte inde Gentium quarundam mos tempora
per noctes numerandi: Sic Numidæ in Lybia, non
ex diebus, ſed ex noctibus tempora ſua computant,
juxta teſtimonium Nicolai Damasceni. De Germa-
nis Tacitus: *nec dierum numerum, ut nos, ſed no-
ctium computant. Sic conſtituunt, ſic condicunt, nox
ducere diem videtur.* Idem quoque mos invaluit
apud Phœnices & Athenienſes. Servant etiam hunc
morem vicinæ gentes Bohemi & Poloni; olim &
Galli. Unde Cæſar *lib. 6. Bell. Gallici: ſpatia
omnis temporis non numero dierum, ſed noctium fini-
unt.* Grotius *de verit. Relig. Chriſt. lib. 1. ibique
annotat.*

Spiritus
Dei, a-
quis

Tradit quoque Moſes, *Spiritum Dei aquis in-
cubuiſſe.* Spiritum hunc Dei Cajetanus Angelum
fuiſſe

fuisse mavult; agitatione cœli operantem in aquas. ^{incumbens, quis?}
 Plerique Judæi ventum potius vehementiore aëris
 impulsu agentem, quo etiam ad aquas minuendas
 usus est Deus in Diluvio Noachico Gen. 8: 1. Atqui
 horum omnium nihil adhuc notum erat; non cœ-
 lum Angelive, non aër aut venti. Verum Sanio-
 ris doctrinæ Theologi Spiritum Domini, Spiritum
 Sanctum interpretantur, a Deo Patre & Filio pro-
 cedentem, suaque vi & potentia ventum & auram
 calidam adspirantem aquis. Quam interpretatio-
 nem omnes fere Patres adprobarunt; qui hinc et-
 tiam probant divinitatem Spiritus S. Atque Spiritum
 S. intelligi voluisse Moſen, vel ex eo appa-
 ret, quod *Dei* vocetur *Spiritus*: id enim alii spi-
 ritui hoc tempore convenire non poterat. Non me-
 fugit maximas in suo genere ac nobilissimas quas-
 dam res, veluti montes, cedros, rivos, urbes &
 alia, Dei montes, cedros, rivos, urbes appellari:
 at vero hac tantum ratione, si Spiritus hic Dei vo-
 caretur, quid prohibuit terram quoque Dei & ecc-
 lum & lucem dici, maximas hœc minus optimasque
 res? Præterquam quod Spiritui S. in sacris litteris
 sæpius tribuitur creatio rerum, ut eum propterea
 hoc in loco significari verisimillimum sit; Psalm.
 33: 6. *Verbo Jehovæ facti sunt cœli, & Spiritu oris
 ejus omnis exercitus eorum.* Et Esai. 40: 13, 14.
*Quis libravit in statera montes, & colles in bilance &
 quis direxit Spiritum Jehovæ, & quis ei consiliarius
 fuit?* Quemadmodum igitur Christus, a quo rege-
 neratum est genus humanum, in utero Virginis erat
 conceptus obumbratione Spiritus S. ita ex terræ,
 quasi

quasi virginis incorruptæ adhuc, humida materia totus est creatus Orbis, eodem incubante Spiritu. Vereque cecinit Tertullianus *Carm. in Gen.*

- - - - Deus super æthera vasta meabat,
Dum Chaos & nigrae fuscabant cuncta tenebræ.

Vid. Hug. Robinson. *Annal. Mund. lib. I. §. 12.*

Voets
מרחפת
significa-
tio.

Ferebatur autem Spiritus super aquas. Volunt Viri Hebraicæ linguæ periti hac voce מרחפת *mrakbepbeth* significari *incubitum avis*, & quidem columbæ super ova, ut annotavit ad hunc locum Clericus *Comment. in Gen. cap. I.* saltem ea volucrum denotari testantur Basilius, Diodorus, Hieronymus, dum super ova & pullos quasi pendulæ leniter agitatione alarum se librant, motitant, & volitant, iisque deinde incubant, calorem adspirant, fovent & animant. Pari modo Spiritus S. supervectabatur vel incubabat aquis, non loco aut motu, sed omnia superante & præcellente potentia, sicut superfertur rebus fabricandis voluntas & idea artificis. Hac ergo voluntate ac potentia sua cum aura calida, quam a se spargebat, aquis quasi incubabat Spiritus S. iisque vim prolificam indebat, ut reptilia & volatilia, pisces & germina, imo cœli omnes ex aquis producerentur. a Lapide *in Genes. cap. I.* Hunc Spiritum aquas omniaque vegetantem Plato dixit esse *Animam Mundi*. Unde Virgilius 6. *Æneid.*

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agit molem, & magno se corpore miscet.

Huc referri possunt, quæ de animantibus in ovo existentibus ex Sanchoniathone, & de ovo initio generaturæ

nituræ atque mundi simulacro annotavit Hug. Gro-
 tius *de Verit. Relig. Christ.* Et facit eo ovum,
 quod immensæ magnitudinis ab Hercule procrea-
 tum, atque incubando completum, per ejus vim,
 qui id procreaverit, ex attritu in duas partes fra-
 ctum, ex quarum superiori coelum, & inferiori ter-
 ra prodierit, uti ex Gentilium fabulis Athenago-
 ram referre supra annotavimus. Nec alio sensu in-
 terpretantur quidam Viri eruditi Platonis, *de Ani-
 ma Mundi*, opinionem, eumque per *Animam Mun-
 di* nihil aliud intellexisse statuunt, quam Spiritum
 Dei ex ruditate omnia formantem, Gen. 1: 2. ubi
 verbum $\eta\eta\eta$ non simplicem motionem, & agitatio-
 nem designat, sed qualem Milvus, aut alia avis,
 peragit, pendens in aëre, vel qualem Columba per-
 agit, cum ovis excludendis incubat. Hinc *Spi-
 ritus universi* a Pindaro nuncupatur, Πατὴρ Ἀριστοτέλους
Pater optimus & sapientissimus Artifex: nempe
Pater, quoniam producit, fovet, & tuetur omnia.
Artifex vero, quia certa idea & lege res universas
 moderatur, conformat, & gubernat. A Lucretio
 describitur, *Natura Dædala rerum*. Unde Chry-
 sostomus vim hanc vivificam Spiritus, nuncupat
 $\beta\acute{\iota}\nu\epsilon\gamma\epsilon\iota\alpha\varsigma$ ζωτικὴν *energiam vivificam*. Quamobrem Spi-
 ritum Dei fuisse *super facie aquarum*, nihil aliud si-
 gnificari videtur, quam Spiritum S. esse omni-
 tentem illum $\delta\eta\mu\omega\epsilon\gamma\acute{\omega}\nu$, sive Spiritum mundanum, qui
 vi sua energetica & fabricatoria rebus omnibus ef-
 sentiam, vitam, motum & perfectionem indidit.
 Hinc Ludovicus Vives in *Augustin. de Civ. Dei lib.*
 10. cap. 23. *Animam vero mundi si quis impensus*
Platoni

Platoni faveret, posset facile defendere, illum esse Spiritum, qui ferebatur super aquas; quem videntur illi facere per molem universitatis omnibus vitam essentiamque impertientem. Hoc sensu dicit Plato, Animam esse omnium antiquissimam, principium motus, & bonorum causam. de Leg. pag. 896. Et alibi iterum dicit, Animam late imperantem, in omnibus, quæ moventur, habitantem. Huc referri possent, quæ Plato docet in Timæo de primo Deo, de Opifice mundi, & Anima mundi. Quamobrem Cyrillus contra Julianum, ostendit, Platonem non ignorasse Trinitatis mysterium. De Spiritu hoc mundi increato late agit in Timæo pag. 34. Deus autem, inquit, & ortu & virtute antiquiorem genuit Mundi animam, eumque ut dominum atque imperantem obedienti præfecit corpori: idque molitus tali quodam est modo. Exhibet autem modum, quo mens Dei animaque Mundi totum efformabat universum pag. 48. Quum, inquit, igitur mens intelligentiaque Opificis necessitati superior, illi imperaret, eamque parere cogeret, ut res quam plurimæ nascerentur, & ad optimum quemdam statum adducerentur: in hunc omnino modum necessitate sapientis mentis illius imperio cedente, initio constitutum est hoc universum. Per necessitatem materiam primam sive Chaos, per mentem verbum Spiritumque Dei omnia efformantem intellexisse, verisimile est. Tertullianus enim in Apol. contr. Gent. ait, Philosophos cognovisse λόγον, id est, verbum, per quod facta sunt omnia; & inter alios citat testimonium Zenonis; & Cleanthem etiam testatur agnovisse Spiritum Sanctum.

Sanctum. Lactantius *lib. 4. cap. 6.* in eandem rem adfert testimonium Trismegisti & Sibyllarum vaticinia.

Primum autem omnium Deus formavit *Lucem*, Formatio Lucis. dispersis densissimis illis tenebris, quibus obsita terra jacebat quasi sepulta; necessaria enim maxime lucis erat formatio, quia deinceps, quæ futura erant opera Dei, apertius conspicerentur. *Dixit itaque Deus, fiat lux: & facta est lux.* Dixit Deus non ore, nec lingua; caret etenim Deus, quia Spiritus, vocalibus organis; sed operativo sermone, seu Filio ad extra jam primum agente. Verbum enim illius, expressa est voluntatis illius virtus & efficacia.

Dicere itaque Dei, est jubere, efficere. Quo sensu Deus dicere dicatur? Quamobrem optimus interpres David *Psal. 33: 9.* *Ipsè dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & exstitit.* Et *vers. 6.* *Verbo Jehovæ facti sunt cæli, &c.* Docet itaque nos Psalmista, quod, *Deus dixit*, idem sit, quod, *Deus verbo potente effecit.* *Verbum hoc*, uti inquit Pareus *Comment. ad h. l.* non est sonus evanidus ex ore Dei procedens, quod nullum habet Deus; sed juxta declarationem *Scripturæ*, est *Sermo Dei essentialis*, per quem Pater omnia initio creasse dicitur, *Joh. 1.* *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Is vero sermo est Filius Dei, ut ibidem docet Johannes. Filius enim dicitur Dei verbum seu λόγος: atque ipsi appropriatur sapientia, ars, idea; sicuti Patri potentia; Spiritui Sancto bonitas attribuitur. prorsus

prorsus ratione & fundamento destituta Hæreticorum quorundam impia cavillatio, qui ex his verbis argumentari & colligere volunt, Dei Filium non esse æternum, sed primo die creatum. Quippe si Verbum est Dei Filius, ergo etiam eodem temporis momento productus, quando Deus dixit, seu verbum enuntiavit. Dicendo enim creavit lucem, non Filium, qui, ab æterno ex Patre genitus, etiam simul cum Patre ab æterno existit. Hinc Dei *dicere* non est Filium generare, sed per Verbum, id est, Filium jam existentem, res quæ nondum existunt, producere. Quippe, juxta Johannem, Verbum erat in principio, antequam ulla res creata vel producta, ante jacta mundi fundamenta; ergo non cœpit esse. Quamobrem *Sapientiam* loquentem ita inducit Salomon *Prov. 8: 22, 23. Jehova possedit me principio viæ suæ, ante opera sua ex eo tempore. A seculo principatum habui, a principio ante terram; cum nondum essent voragines, genita sum, cum nondum essent fontes graves aquis, ante colles genita sum.* Dixit autem Deus, *fiat lux, & fuit lux.* Ad illustrandum enim hoc novum opus, dignissimum spectatu, ipsa lux cumprimis a Deo est in lucem edita. *De thesauris suis protulit lumen luminosum, quo appareret opus suum,* inquit Esdr. *lib. 4. cap. 6. 40.* Per hanc lucem non solarem illam, quæ tribus diebus junior, sed quam primigeniam vocant, intelligimus; scilicet radix, materque Solis, inde postea, Deo jubente, demum enati. *Ne Soli, vel Stellis debere vos lucem putaremus,* inquit Vir Doctiss. Robinson *Annal. Mund. lib. 1. §. 14.*

Fuit

Fuit itaque lux substantia corporea seu massa lucida, post indigestam cœli terræque molem, immediate ex nihilo a Deo producta, ut Stellarum esset materia, ex qua quarto demum die, Sol, Luna, & reliquæ Stellæ per condensationem & expositionem quamdam fuerint productæ. Qualem creationis ordinem ratione lucis agnovit etiam Empedocles apud Plutarchum *lib. 2. cap. 6. Empedocles primum omnium secretum agebat æthera, deinde ignem, post terram, qua constructa impetu ipsi agitationis, ebullisse inde aquam: ex hac exhalasse aerem: cœlum autem ex æthere natum; Solem ex igne. Et cap. 20. Empedocles duos Soles statuit alterum originalem, alterum eum, qui appareat.* Philolaus dixit Solem vitreæ naturæ, quia ignis ejus, qui in mundo est, repercussum inde splendorem recipiat, lumen autem ad nos distillet. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, Solem massam quamdam ignitam dicebant, apud Plutarch. *d. l.* Idem discrimen animadvertisse Ovidium, patet ex eo, quod quæ juxta illum

*Igneæ convexi vis & sine pondere cœli,
Emicuit, summaque locum sibi legit in arce.*

plures res antecesserint, post quas demum creata

*Quæ pressa diu massa latuere sub ipsa
Sidera cœperunt toto effervescere cœlo.*

Quorum nobilissimum & splendidissimum sidus Sol, qui non primo, ut quidam opinantur, sed quarto demum die, una cum Luna, & reliquo Stellarum exercitu a Deo productus. Quippe si hæc luminaria die statim primo producta fuissent, tum merito

in opere quarti diei dicendum esset, sunt hæc luminaria: scilicet prius condita in cœlo ad ferendam lucem. Communior itaque & veritati magis consentanea eorundem sententia, qui statuunt lucem *πρωτογενον*, substantiam sive massam lucidam, post indigestam cœli terræque molem immediate ex nihilo a Deo fuisse productam. Et quemadmodum primo loco descripta, ita quoque eodem ordine primo die ante Solem Lunamque & Stellarum exercitum producta, ut stellarum esset materia, ex qua deinde quarto die Sol, Luna & reliquæ Stellæ per condensationem & expolitionem quandam formatæ. *Quemadmodum*, uti differit Dieterichus *antiq. Bibl. Gen. cap. 1: 3. 4. terra primæva & aqua rerum primæva fuerunt rudia & informia corpora; in sequentibus diebus magis perpolita & effigiata & exornata: ita quoque hæc lux, hoc opus primi diei, rude quoddam & imperfectum fuit opus, adeoque accidentibus diversum à tam splendido Solis corpore, & non diversum a luce nostra, videlicet, ratione substantiæ. Nam quæ lux primo die producta, ea deinde quarto die in orbem solarem est collecta, magis polita & illustriori virtute prædita. Vide summum Theologum Franciscum Burmannum *Synops. lib. 1. cap. 42. n. 34.* Quamobrem non a sana ratione alienum statuimus, ante creationem Solis discrimen dierum & noctium factum esse, non per emissionem & contractionem radiorum, uti Basilius & Damascenus opinati sunt, sed per motum circularem luminosi corporis, seu massæ lucis primigenitæ, quod ita circa rudem molem motum, ut accessu suo diem, recessu*

recessu vero noctem induxerit, & viginti quatuor horarum spatio ad eundem terminum redierit. Unde primus dies naturalis factus tenebris per 24 horas durantibus ante lucem conditam, quæ prima nox fuit.

Vidit autem Deus, *quod lux esset bona*. Cave autem, tibi persuadeas, Deum ex postfacto vidisse lucem, quod bona esset; quasi antequam produxerat lucem, ignorasset ejus naturam & qualitatem, ac bonam fore. Quî enim Deum, cui omnia cognita antequam fiunt, tam futura quam præsentia, fugere potuisset, lucem, quam producere animum induxerat, bonam fore. Loquitur tamen Moses ad hunc modum, quoniam ad hominem de operationibus sermonem dirigit, quibus illæ non possunt, nisi humano more exponi. *Vidit Deus lucem, quod esset bona*, id est, adprobavit, quod commoda utilisque futura sit, non sibi, sed rebus a se creatis, & jam disponendis. Si enim artifex homo novit bonitatem & usum operis, antequam fabricet; & quia novit, ideo fabricat: quanto magis opifex Deus sciebat, qualem lucem, & ad quid, faceret. Est igitur humanitus dictum de Deo. Vid. Pareum *Comment. ad h. l.* Antequam igitur lucem produxerat Omnipotens, intellexit sensitque bonam, jucundam & utilem fore; quam obrem & adprobavit, tanquam suæ voluntati consentaneam, & voluntates hominum suo illustri splendore caloreque dulci merito sibi conciliaturam. Nec nisi bona esse potuit, quippe a Deo, lucis auctore optimo ac purissimo, nil nisi bonum proficisci potest.

Atque

Non ex-
posttra-
cto, Lu-
cem bo-
nam ef-
se, Deus
vidit.

Lucis a
tenebris
divisio.

Atque *divisit lucem a tenebris*. Hebræi, & Septuaginta Interpp. habent, *Divisit inter lucem & tenebras*. Sed quorsum hæc divisio? cum tanta inter lucem & tenebras, tum formalis, tum naturalis discordia sit ac repugnantia, ut simul eodemque tempore & loco consistere nequeant, sed se mutuo quasi absorbeant, atque pellant. Sed recte, quæso, an non ipsa lucis productio sive creatio commode dici possit divisio? Quippe antequam producta fuerit, totum hoc universum densissimis erat involutum tenebris, & spissa caligine obducta omnia, quæ exorta luce, dissipata. Quamobrem Deus lucem producendo divisionem inter lucem & tenebras effecit. Nulla enim communio lucis cum tenebris excogitari vel fingi potest; proinde, quoniam in eo uno eodemque loco morari, vel simul eodem tempore existere nequeant, necesse fuit, ut cum lucis existentia existerit quoque divisio inter lucem & tenebras. Deinde separavit Deus lucem a tenebris, fanciendo earundum perpetuas vices, ut lux tenebris, tenebræ luci, dies nocti, nox diei perpetua lege & continuo ordine succederent in mundo, nunquam autem commiscerentur. *Adhuc omnibus diebus terræ sementis & messis, & dies & nox non cessabunt*, Gen. 8: 22. *Sic dixit Jehovah: si non est fœdus meum, diei & noctis, definitiones cæli & terræ non posui?* Jerem. 3: 25. Divisit quoque tempore sive duratione certa, ut pro diversitate situs Sphæræ alias æqualia, alias inæqualia temporis spatia & tenebræ durarent. Distinxit quoque loco, & diversa sede locavit

Igneæ

*Ignea convexi vis, & sine pondere cæli,
 Emicuit, summaque locum sibi legit in arce;*
 ut Ovidius canit, 1. *Metam.* *Et si credibile sit, ante Solem primo triduo non loco tenebras divisas, sed plane depulsas a luce fuisse, ut nusquam esset, ut inquit Pareus in Gen. cap. 1. Lux clara & tamen in se est obscura, omnia facit cognoscere præter se ipsam: tot potest ac efficere conatur lineas rectas; estque pressio materiæ subtilis, cujus una particula premit alteram, & hæc rursus aliam, donec ad oculum pervenerit; substantia est respectu materiæ, respectu nobis accidens. Hæc primi diei lux fuit materia quædam subtilis, vehementi motu circumgyrata. Quod lux nominata sit dies, & tenebræ nox, primum nomen est, quod Deus ulli suorum operum indidisse legitur, ut inquit summus Theologus Francisc. Burmannus *Synops. lib. 1. cap. 42.* non vocaliter proferendo, sed tum efficiendo, ut tenebræ essent nox, lux esset dies: tum volendo ab homine ita vocari, cum sexto post die rebus singulis convenientes cujusque rei naturæ & qualitatibus appellationes inderet. *Appellavit* igitur, id est, appellari fecit; sic dicitur domum ædificasse qui ædificari fecit. *Vocavit lucem diem*, id est, voluit esse primam diem, decrevit ut illud tempus, quo lux est in nostro Orbe, Dies vocaretur: Nox diceretur, quoties tenebræ per absentiam lucis diurnæ terram obscuritate involverent. Sic Cicero Diem lucis nomine exprimit, *Centesima lux hæc est ab interitu Clodii*, id est, centesimus dies.*

Lux,
 primi
 diei
 or-
 pus.

Atque ita factus Vesper, abeunte luce; & factum est

Initium
 Vesperæ.

I

est

est mane , accedente rursus & redeunte lumine ,
 Dies unus , scil. primus. Vespera itaque est noctis
 initium , & mane initium diei. Nox prima fue-
 runt tenebræ primæ super abyssso: Dies prima fuit
 lux primigenia sparsa super facie abyssli. Cum au-
 tem lux prius facta sit , & deinde factus sit vesper,
 cui post noctem successit mane , sequitur Diem pri-
 mum non à tenebris aut vespera , sed ab ipso mane
 initium sumfisse , & in illo rursus finitum. Ita ut
 non vespera mane prior fuerit , sed mane vespera ;
 licet in lege secundum rituale nox diem præcesse-
 rit propter mysterium *δήλωσιν πνεύματος* , ut differit sta-
 tim laudatus Theologus *d. l.*

Dies pri-
 mus.

Cum autem dicitur , *Fuitque vespera & mane
 dies unus* , sive dies primus , facile ex hoc loquen-
 di modo perspicimus , Mosen sermonem habere de
 die naturali constante 24 horis , cum dies artifica-
 lis duntaxat constat 12 horis : sed naturalis duos
 quasi terminos includit , ac vespera & matutino lu-
 cis exortu perficitur : quorum septenario numero
 Hebdomada , & trigenario Mensis constituitur. De
 die artificiali sermonem habet Christus *Joh. 11. 9.*
*cum inquit interrogatorio modo , nonne duodecim
 sunt horæ diei?* Sed diem naturalem denotat Paulus
2 Cor. 11: 25. quam Græco vocabulo appellat *Νυχ-
 θήμερον* (*dienoctium*) , Belgice *Nagtdag* , vox re-
 spondens Hebræis duobus *ערבונבד* (*vespera & ma-
 ne*) Belgice *een Avondmorgen* , id est , spatium
 diem & noctem complectens , & sic vespera & ma-
 ne coaluerunt in diem naturalem : & quia tenebræ
 ante lucem , hinc vespera ante mane posita. Et sic
 etiam

etiam Hebræi diem naturalem a vespera incipiunt, uti Levit. 23: 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* scil. ab uno solis occasu ad alterum, cum apparere incipit stella Veneris (ut Hebræi tradunt) quæ Vesper, Vesperugo, & Hesperus dicitur; & idem est cum Lucifero & Phosphoro. Nam vespertino tempore dicitur Vesper, Hesperus, Vesperugo; matutino tempore Lucifer, Phosphorus. Cic. 2. de nat. Deor. *Stella Veneris, quæ φωσφῆρ Græce, Lucifer Latine dicitur, cum antegreditur Solem; cum subsequitur autem, Hesperus.* Plin. lib. 2. cap. 8. *Præveniens quippe ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens.* Seneca in Hyppol.

*Qualis est primas referens tenebras
Nuncius noctis, modo latus undis
Hesperus, pulsus item tenebris
Lucifer idem.*

Hinc errat Turnebus l. 24. *Advers. cap. 27.* cum scribit, *aliam esse stellam nocturnam, id est Vesperum; aliam Luciferum.* Athenienses eodem modo quo Hebræi, a vespere scil. diem incipiebant; verum Chaldæi ab ortu Solis; Ægyptii a meridie; Romani vero a media nocte diem incepisse tradunt Scriptores.

Postquam Moses opera primæ diei litteris confignavit, describere aggreditur opera secundæ diei, scil. creationem expansi, sive Cælorum, & divisionem Aquarum abyssi, quorum prius ad complendam

Firma-
mentum
sive Ex-
pansum,
secundi
diei or-
pus.

dam essentiam universi; posterius ad molem primigeniam dirigendam pertinet. *Dixit itaque Deus, sit firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis.* Dixit Deus, & uti dixit ita facta sunt; quia dicere Dei est facere, quod dixit ut existeret, ad nutum & voluntatem Dei exstitit; primo quidem Firmamentum sive expansum: deinde Aquarum separatio. Recentiores sacrarum litterarum Interpretes vocem רַקִּיעַ *rakiah*, quæ firmamentum significat, vertunt *expansum*; ea forte ratione ducti, quod radix רַקַּע *rakah*, apud Hebræos, teste Hieronymo, aliisque Hebrææ linguæ peritis magistris, significet *expandere, extendere, distendere, & distendendo firmare ac consolidare* rem aliquam, quæ prius erat fluida natura sua & rara. Hoc sensu *Psal.* 104: 2. & *Esai.* 40: 22. dicitur Deus *extendere cælos*. Huc quoque collimare videtur *Job. cap. 37: 18.* cum inquit, *Num extendisti cum eo cælos, qui sunt fortes, sicut speculum fustum.* Græci reddunt στερέωμα, quod Latini *firmamentum* verterunt; non ratione materiæ duræ vel firmæ, sed ratione formæ & finis, ob perfectionem, distinctionem, & firmitatem, seu perpetuitatem. Quippe non est fingendum, Cælum esse durum & solidum instar ferri: est enim juxta Physicos, substantiæ subtilissimæ, purissimæ, tenuissimarum partium; proinde penetrabile, & cedens corporibus solidis. Latini Firmamentum, non quasi solidæ foret substantiæ; sed vel respectu nubium, quæ firmamentum & fulcrum sunt vaporum; vel quia aër uniformis & stabilis semper manet, & superas aquas latissimo gremio suo

fuo veluti sustinet ac firmat; ita ut hinc Cœlos solidos esse, non autem liquidos & fluidos, concludi non possit. Hoc sensu Firmamenti vocabulum, quod significat stabilitatem & firmitatem, apud Ciceronem occurrit, *de amicis. Firmamentum stabilitatis ejus, quam in amicitia requirimus, est fides.* Belgice, *Die trouwe bind of houd de vriendschap, en maekt dezelve duursaam en bestendig.* Firmus enim stabilis, fortis & constans. Sic Firmamentum manet semper firmiter extensum, adeo ut non vacillet, nec corruat, nec a statu suo ab aliis deturbari possit.

Expansi autem nomine in sua latitudine intelligitur totum illud spatium, quod à terrestribus globi superficie ad extremum usque cœli adspectabilis terminum extensum est, quod Cœlum appellare solemus. Hinc Moses *vers. 8. cap. 1. Genes. Et vocavit Deus expansum Cœlum*: non quidem æthereum, quod primo die creatum, & a terra distinctum, & quarto demum die sideribus exornatum; sed aërium, quod antea confusum & permixtum latuerat sub rudi illa massa indigestaque mole, concreta ex aqua & terra; quod sæpius in sacris litteris Cœli nomine venit: unde *volucres cœli* postea dicuntur, *vers. 20.* Non me fugit Expansum *vers. 14, 15, 17.* etiam tribui Cœlo æthereo, in quo astra posita sunt, quia diversimode de eo loquitur Scriptura, vel in tota sua latitudine, quo sensu complectitur quidquid Cœli adspectabilis nomine venit, Cœlum æthereum & aërium, vel respectu partis superioris, ut loco citato: vel respectu inferioris.

rioris *vers.* 20. quo pacto aquas superiores dividit ab inferioribus *vers.* 6, 7. Expansum autem secundo die factum ratione usus & perfectionis, non vero ratione substantiæ, quæ primo die creata erat. Opus vero secundi diei proprie erat separatio unius ab alia re. Expansum enim sive firmamentum separabat aquas ab aquis. *Sit expansum in medio aquarum, quod separet aquas ab aquis. In medio aquarum, scil. abyssi, de quo vers.* 2. quæ partim ad superam aëris regionem recesserunt, & in nubes collectæ; partim ad eum locum divino imperio defluerunt, quod Mare sive Oceanum appellare solemus, ubi quasi in unum locum colligerentur, ut terra aquis hucusque immersa, tandem ex iis suum extolleret caput, omnia enim Pontus erant. Coëgit itaque Deus aquas inferiores in unum quasi locum profundissimum, ad eas recipiendas capacem & idoneum, atque ita Expansum fecit inter aquas inferiores & superiores. Dixit enim Deus, *sit firmamentum, quod separet aquas ab aquis*, non pro aliquo tempore, sed in perpetuum, quousque duratura Mundi machina, eo ordine, quo Deus omnia collocavit & disposuit. Quippe, quoniam totius universi fabrica sit ordinata & disposita ab ejusmodi, ut ita dicam, Architecto, qui infinite sapiens & infinito modo perfectus est, ita ut omnia quæ ab eo profecta, in suo genere perfecta sint, nulloque laborent vitio vel defectu, nulla causa existere potest, cur ordo ille, quem Deus sibi in Mundi primordio proposuit, mutaretur, vel inverteretur; idque eo magis, quia omniscius, tam futura quam

quam præsentia ipsi nota sunt : ejusmodi enim mutatio sive ordinis , sive naturæ , præsupponere videretur aliquem defectum , qui deinde post creationem & productionem omnium rerum apparuisset vel innotuisset Auctori , quem nihil tamen fugere potest , cui , uti diximus , futura non minus quam præsentia cognita & aperta. Præterquam quod ab eo , qui infinito modo perfectus , produci aut agi nihil potuerit , quod aliquo defectu aut vitio laborat , & proinde in melius mutari posset.

Cur autem Expansum a Deo factum perspicimus? ^{Expansum in quem finem factum?} nimir. ut inserviret separandis aquis superioribus ab inferioribus. Factum autem est tum ratione substantiæ , quatenus inibi aëris formam accepit ; tum ratione usus , quatenus divideret aquas superiores ab inferioribus , quod illi ratione imæ suæ partis attribuitur. Fecit quidem Expansum , non creavit , perfecit , absolvit , & in certam formam rededit , extremam manum adhibuit. Adnotavimus supra S. Scripturam triplici modo loqui de Expanso. Cum aliquando in summa latitudine id sumit pro Cælo , uti patet *Genes. 1: 8.* Aliquando pro parte , duntaxat superiore , ut *vers. 14, 15, 17.* Nonnunquam pro sola inferiore , ut *vers. 20.* Per aquas superiores non cælum crystallinum , nec aquæ veræ supra octavam sphæram , seu aliæ quædam aquæ supracœlestes intelliguntur , sed Nubes & vapores in superiori aëris regione collectæ , quas aëris ima regio distinet , ne nos inundent. Vid. *Psalm. 148: 4. & 104: 3. Contabulans aquis cœnacula sua , ponens nubes vehiculum suum. Et Job. 26: 8.*

26: 8. *Constringit aquas in nubibus suis, ita ut non findantur nubes sub ipsis. Et Jerem. 10: 13. Ad vocem dat multitudinem aquæ in cælis, & adscendere fecit vapores a fine terræ: fulgura, imbrem facit, & educit ventum ex thesauris suis. Nubes itaque sunt aquæ istæ supra expansum, seu potius in expanso. Quid enim aliud sunt Nubes, nisi aquæ vi caloris diurni evaporatæ, & frigore aëris iterum concretæ & condensatæ. Intelligit itaque Moses per aquas superiores Nubes, quæ supra sunt in Expanso, ab inferioribus aquis immenso intervallo divisæ, quas Plinius lib. 31. cap. 1. vocat aquas in cælo stantes. Sicut per aquas inferiores fluvii, lacus, fontes & maria denotantur. Inter quas aquas, scil. superiores & inferiores determinandi usum expansum habuit. Unde & aquæ dicuntur fuisse non supra universum expansum, sed potius desuper ipsi expanso, vel a regione supra expansi, uti disserit Francisc. Burmannus Synops. lib. 1. cap. 42.*

Nomine
Cæli,
quid in-
telligen-
dum?

Vocavit autem Deus Expansum, *Cælum*, uti testatur Moses, quo significat inferiorem aërem, quo aquæ superiores separantur ab inferioribus; pars hic mutuatur nomen a toto. Quippe Cælum in latiori significatione est tota regio supra terram expansa; pars autem ejus aër vel æther: Cælum enim dicitur & iste aër, ubi venti & nubes, procellæ & turbines fiunt. August. *de agon. Christian. cap. 3. Idem de natura bonitatis cap. 33. Aër quando, quæ & cælum dicitur, non illud in quo sunt sidera, sed hoc inferius, cujus caligine nubila conglobantur, & ubi aves volitant: nam & Cælum nubilum dicitur, & volatilia Cæli appellantur.* Ut

Ut autem terra hucusque aquis sepulta ex undis ^{Aqua- rum a terra se- paratio} caput extolleret, iussit, sive dixit Deus, ut separatio fieret aquarum à terra per collectionem earum in magnas terræ cavitates; ad hunc usum à Deo præparatas, fecit Omnipotens, ut terra disrumperetur, forte per tonitrua, vel terræ motum; unde fissa est; & in ejus concavitates secessit aquarum moles. Vid. *Psalms*. 104: 5, 9. Quippe non congregari iussit summus rerum Opifex aquas loco separato à terra, sed in corpore terræ, in ejus concavitatibus & profunditate. Quoniam de uno loco sermo est, commode intelligi id potest de Oceano, in quo quasi uno alveo & gremio congregatæ aquæ, diffuso & se extendente versus omnes Mundi cardines; varios efficiente sinus aut maria locis & nominibus distincta; revera tamen unum est continuatum Mare, in quod omnes sive fontes, sive flumina sese exonerant. Unum esse Mare dicimus, & nihilominus multa maria esse legimus. Sic unus locus aquarum & multa loca, quæ aquam suis ripis & littoribus coërcent continentque, veluti maria, fontes, flumina, lacus, stagna. Aquis autem hac ratione unum in locum coactis & congregatis, inspecta est arida, ita ut non diutius terra aquis tecta manserit, quemadmodum hucusque ad tertium scilicet diem hisce immersa fuerat.

Et durare solum, & discludere Nerea ponto

Cæpit.

Uti canit Virgilius. Atque ita quasi ex aqua terram natam, omniaque ex aqua ortum ducere, quidam olim Philosophi commenti fuere. vid. *Aristo-*

K

tel.

tel. *Metaphys. lib. 1. cap. 3.* Nos vero e sacris literis edocti, Deum cœlum & terram, totum scilicet Universum e nihilo; id est, solo imperio & voluntate produxisse, divinæ immensæ & infinitæ omnipotentia, tum sapientiæ & bonitati adscribimus hanc terræ ex aquis exsurgentis supra mare & fluvios foundationem, ut inquit Psaltes, *Psalms. 24: 2.* ut terra arida jam facta cederet hominum & animalium cæterorum usui, eorumque inservire posset commodo; tum etiam, ut iisdem aquis, quæ in visceribus terræ reconditæ erant, eadem irrigaretur, ut eo uberiores produceret fructus, unde sibi homines aliaque animalia caperent, quibus vitam tueri possent. Quemadmodum autem Deus dixit, ita factum est, & recesserunt aquæ ad locum suum sive alveum, in quem congeri eas Deus imperaverat. Unde *Psalms. 104: 7.* *Ab increpatione tua fugient, scilicet aquæ, a voce tonitruum tui, id est, per vocem & imperium divinum, formidabunt. Qui est colligens acervum aquas maris, ponens in thesauris abyssos. Psalm. 33: 7.* *Et fregi super ipsum mare modum meum, & posui vestem & fores, & dixi, hucusque venies, & non addes. Et hic metabitur in elevationem fluctuum tuorum.* Quod montes in terrâ sint, indicium est summæ Dei bonitatis; hi enim ut fulcimenta sunt terræ, & spinæ in hominis dorso. Si plana foret terra, consistere non posset: nam licet non inundaretur a mari, tota tamen vi tempestatum arenæ copia obrueretur, ut sæpius in planis usus rerum docuit.

Terra
arida, ca.

Vocavit autem Deus aridam terram, ita denominatam

natam a voce *מרחק* *arets*, qua denotatur res, cui que an
centrum
Univer-
si? pedibus suis insistere creaturæ, eamque obambulare & percurrere possunt. Eadem voce, quoties de aliquo loco vel terræ angulo usurpatur, significamus regionem. Quamobrem *Genes. 12. 5. Terra Chanaan*, id est, regio Chanaan. Terram autem hanc in medio Universi, tanquam centrum ejus, sitam esse, nonnulli opinantur. Quoniam undique cœlum supra nos extensum, atque undiquaque a terra pariter distans conspiciamus, unde nos in Mundi medio degere judicamus. Verum, ut cum summo Theologo Francisco Burmanno loquar, sensus nostri in tam vasta mundi hujus mole nihil de corporum ejus situ nos edocere possunt: neque ratio id in universoni docet; cum enim illa mundi terminos & fines ignoret ac concipere non possit, pariter punctum ejus medium ac centrum adsignare non potest. Hinc frustra de centro totius Universi inquirendo ejus terminos ignoremus, de cœli vero nostri visibilis centro inquirere possumus, quod Solem esse volunt, nullus vero Astronomus, quin Ptolemæi systema repudiat, cum multa falsa habeat phœnomena. Ticho Brahe statuebat Lunam, Solem, & Firmamentum circa terram verti. Nil vero absurdum Copernicus statuit, nisi quod terminos universo tribuere voluerit, & quod terra ipsa versus Solem moveretur. Quæstio non est; utrum terra moveatur, an non; simpliciter videtur quiescere, & respectu cœli, sed ex eo quod quiescit, movetur. Et si moveretur, posset dici quiescere. Potest hoc illustrari exemplo. Si jacens in flumine

K 2

plane

plane quiescat , necessario cursu fluminis abripitur; si vero tantillum moveretur versus orientem , ac cursus fluminis illum impellit versus occidentem , maneret in eodem semper loco , & sic respectu loci posset dici quiescere , sic terra quiescens in fluido , necessario abripitur a materia circumvolvente. Si enim omnia corpora cœlestia moveantur , & terra (ut quidam volunt) ipsorum centrum foret , & quiesceret sola , quæ exinde celerior omnium moveri deberet , perpetuum miraculum fieret. Vid. de hac quæstione Galil. Galilæi *System. Mundi* ; Ubi vero Solem moveri & Terram quiescere Scriptura docet , tenendum eam , dum res naturales narrat , sæpe uti phrasibus ex vulgaribus desumptis , & sermonem adhibere quotidianum , qui ad accuratam rei veritatem castigatus non est , qualem & sapientissimi adhibere solent , uti inquit statim laudatus Theologus. Motus ergo ille , pergit , ex more communi optice tantum intelligi debet , atque in variatione usus ac adspectus consistit : quæ cum oriente & abeunte Sole revera fiat respectu ejus , Soli non absurde motus , Terræ autem quies adscribitur.

Mare.

Aridam itaque terram vocavit Omnipotens , quæ , in unum coactis locum aquis , detecta , & proinde conspiciebatur. Locum autem aquis recipiendis ab Omnipotente destinatum ac præparatum , maria vocavit , voce plurali ; quo nomine Hebræi aquæ collectionem appellant. Atque omnium , uti paulo ante dicere incepimus , aquarum receptaculum & fons est Mare illud immensum , seu Oceanus ,
qui.

qui universum terrarum orbem circumdat, atque ambitu suo complectitur, unde omnes ubique aquarum originem suam habent. A mari quippe omnis fontium atque fluviorum origo est, quorum perpetuitas consistit in perenni aquarum à mari per terrarum quasi viscera sive meatus occultos in fontes & fluvios egressu, atque ejusdem per fluminum in mare sese rursus exonerantium continuos cursus ac lapsus regressu. *Omnes amnes pergunt ad mare, & mare non repletur: ad locum quo amnes eunt, iidem repetunt ire. Eccles. 1: 7.* Cur autem Mare incrementum non capiat, cum omnia flumina fontesque recipiat, causas quasdam refert Isidorus *lib. 13. cap. 14.* Quæstio mota fuit, utrum maris, an vero terrarum pars major foret? Nautarum vero ostendunt, majorem esse aridarum partem, quam maris, cum Indies quædam adhuc terrarum partes detegantur.

Terra ita fundata, & ab aquis, quibus cooperta fuerat, jam separata, tertio die procreavit Deus cum herbas & gramina, tum arbores frugiferas in usum cum generis humani, tum cujusque generis animalium, quæ terram, tanquam suum domicilium inhabitarent: parum enim vel ad mundi ornatum, vel ad animalium utilitatem profuisset, terram esse conditam, vel ex tenebris & aquarum mole undique eam tegente, in adspæctum productam & aridam factam, si desolata & inanis, nullos producens fructus, & herbas emittens vel edens, mansisset. Imo, ut inquit Pareus, *hæc fuisset maledictionis species, pugnans cum bonitate terrarum divinitus approbata; cujusmodi maledictio nunc in locis deser-*

Herbarum graminumque procreatio, tertii diei opus.

tis ac desolatis apparet. Et dixit Deus, *germinet terra germen*, aut *gramen*, herbam virentem vel herbam graminis, vernaculo sermone *Gras-scheutkens*. Hæc est lex quædam naturæ imposita terræ ad germinandum atque fructificandum tum temporis, & deinceps. Qualem habilitatem; terra non ex se habet, sed indidit summus rerum Opifex; eamque in actum deducit, efficitque ut germina, femina, & fructus omnis generis concipiat tanquam in utero suo, atque ibi fœcundata parturiat quasi, atque uberrime producat suo tempore. Hæc omnia olim accepta tulerunt Gentiles suis Diis, in variis terrarum oris & plagis auctores & inventores stirpium ac frugum fingentes; uti Saturnum in Latio; Triptoleum in Græcia; Cererem in Attica; Isidem in Sicilia frugum auctores prædicarunt: unde Ovidius de Cerere:

Prima dedit fruges, alimenta que mitia terris.

Ceres Græcè *gaudium* dicitur, quapropter illam frumenti Deam esse voluerunt, quod ubi fructuum copia sit, gaudia semper abundant, necesse est. *Terram ipsam Cererem nominant: nomen hoc a ferendis frugibus mutatum: teste Julio Firmico; sive potius gerendis: hinc etiam Ceres quasi Geres.* Quamvis hæc omnia Poëtarum ficta & excogitata commenta, merentur tamen annotari a nobis, propterea quod ex eo perspicimus, naturali lumine edocti, nihil harum rerum sponte, scil. sua virtute & vi produxisse terram, verum auctorem habere Deum aliquem sive Deam, adeoque a nobis dissentire, quatenus opinionis errore sibi plures eosque falsos

falsos finxere Deos, non vero ratione causæ productricis, ut ita dicam : agnoscunt enim causam fruges producentem atque germinare jubentem efficientemque ; eamque nullam aliam statuunt nisi divinam , & proinde non adeo impia circa multiplicationem Deorum eorundum erronea opinio , quam quidem impia & abominanda ac detestabilis quorundam Atheorum (quibus pro dolor nostra abundat ætas) de mundi aliarumque rerum creaturarum origine atque generatione opinio. Illi enim , quamvis plures colant Deos , unicam tamen divinitatem , sed variis subjectis sive personis communicatam agnoscunt. Hi omnem prorsus divinitatis sensum delere summa nituntur ope , dum primum aliquod Ens , quod a se ipso est , nullum principium habens , nec finem habiturum , summe perfectum , sanctum , sapiens , omnipotens , auctorem hujus universi & creatorem abnegant ; pestes generis humani , & hostes , quibuscum nec societatem nec amicitiam colere possumus ; quippe demto metu superioris , qui sua sceleribus supplicia tribuendi habet facultatem , nulla inter homines societas subsistere , nulla fides haberi potest , ætissimum humanæ societatis vinculum , nullisque officiis sibi invicem devinciuntur homines. Quippe cum hæc omnia innitantur lege naturali , quæ nullum auctorem habere potest præterquam Deum , cum omnis lex ad superiorem referenda sit , natura autem nullum alium possit habere , quam ejusmodi Ens , de quo statim sermonem habuimus , cum natura sibi ipsi legem præscribere vel dare nequeat , cui obtemperare

re devincta, sequitur esse summum aliquem Legislatorem, qui in universam naturam dominium habet atque imperium, & qui virtute creationis in omnia, quæ creata sunt, summum sibi imperium jure vindicat. Quis enim adeo obduratus, ut animo vel menti non incisas vel insculptas sentiat naturæ leges, ipsummet facti sui accusantes? Nullam enim gentem adeo extra mores projectam testatur Seneca, quin suos Deos habeat atque veneretur. Nostri vero Athei eo pejores & deteriores, quod non naturali lumine duntaxat edocti, supremum Ens, conditorem & auctorem hujus universi existere è rebus, quæ in oculos incurrunt, & dictante propria conscientia perspicere luce meridiana clarius possunt; sed insuper è sacris paginis ejusmodi Numen testimoniis & argumentis omni exceptione majoribus revelatum edoceri possunt. Saniori itaque imbuti doctrina, agnoscimus omnium rerum Opificem, conditorem & auctorem hujus universi, omniumque rerum visibilium & invisibilium, veneramur Deum summum, eumque gramen & herbam ac fruges produxisse profiteamur, terramque effecisse fructiferam præcepto suo, cum dixit, *Terra germinet germen & herbam*; ut naturaliter exserat vim suam, quam tum opus habet ad herbarum & feminum atque fructuum generationem. Hæc etiam naturæ lex, quamvis rei brutæ atque inanimæ adeoque rationis incapaci lata: quippe capax nihilominus divini imperii, & eatenus legis sive præcepti aut mandati. Eoque sensu omnes res inanimatas, suo modo legis naturæ capaces & participes esse,

esse, annotavimus in nostris ad Hugonem Grotium de Jur. Bell. & Pac. commentariis. Sic naturæ jus definit Tribonianus: *quod natura omnia animalia docuit*, quatenus unumquodque individuum tendit in finem, cui acquirendo inservire debet, juxta suam naturam & qualitatem innatam, & operatur id, ad quod juxta naturam determinatum a summo Opifice.

Neque solum frugum & plantarum semina eo die tellus concepit, cœlesti veluti manu consita, quæ demum tractu aliquo temporis herbascerent, & læta viriditate terram induerent; sed jam hoc ipso die arbores, frutices, plantasque omnis generis, saltem in Paradiso, suppullulavit, quæ nullo fatu proditæ, ad solius Dei imperium provenerunt. Ita ut hoc die Paradisus a Deo plantatus sit. Per se enim dabat omnia tellus. Tria autem stirpium genera proferenda terræ Deus imperat, *Germen* scilicet, *Herbam* & *Arborem*. *Sub quibus frutices & arbuta & omnes omnino plantas recentes & adultas tanquam species sub genere suo, parvas & magnas, silvestres, pratenses, hortenses, domesticas, & quas-cunque terra hæcenus genuit, complectuntur*; ut inquit Pareus *dict. loc.* Singularia quippe ponuntur pro pluralibus, *herbam* pro *herbis*. *Quæ enim postea agriculturalum industria invenit in maritandis arboribus, ac surculorum nodorumque insitionibus, quo silvestres fetus in mitiorem naturam quasi transmutare, & ignobilem stipitem generosa fronde imprægnare norunt, inde non novæ species productæ, sed species commixtiones, & quoddam veluti naturæ ad-*

Arb-
rum, fru-
ticum,
planta-
rumque
omnis
generis
produ-
ctio.

L ulterium,

alterium, ut inquit sæpius a nobis laudatus Theologus Franciscus Burmannus *d. l.* Ubi etiam notavit, quod, quoad primam plantarum germinationem, terra sese habuerit, non tam active, quam passive; eodem modo ut ad productionem animalium. Quamquam, uti annotavimus, eodem tempore eidem simul indita fuerit vis quædam ac fecunditas, qua postea ex herbarum omne genus semine easdem producere & ubere suo alere ac fovere possit.

Plantarum
diversa
species
unde?

Oritur autem plantarum diversa species potissimum ex pororum in plantis diversitate, quæ in causa est, ut pororum ratione succus, modo sic, modo aliter figuram accipiat. Quæri autem hic posset, cum Deus imperaverit è terra nasci herbam pabuli habentem semen, & lignum fructiferum habens fructum, in usum animantium, unde igitur herbæ spinosæ, vel veneno infectæ, quæ usui inservire nequeunt, sed maximè nocivæ sunt, tam multæ etiam quæ carent semine, tam multa ligna quæ nullos proferunt fructus? Augustinus *de Gen. cont. Manich. lib. 1. cap. 13.* hoc totum ex maledictione terræ derivat, cui per admissum ab homine peccatum obnoxia esse cœpit. *Maledicta erit terra propter te, spinas & tribulos tibi feret.* Unde concludit, ante peccatum terram non nisi herbam pabuli, & ligna fructifera protulisse: post peccatum vero multa venenata è terra nasci ad pœnam, vel ad exercitationem mortalium: ita ut Basilius ante peccatum, rosam fuisse sine spinis, affirmet. Verum hæc opinio solida ratione niti mihi non videtur;

tur; nisi forte de Paradiso horto amœnissimo, in quo Adam recens formatus, & vitæ integer scele-
risque purus collocatus erat, intelligas; ex quo deinde peccati labe contaminatus exul in vicina ar-
va spinis & noxiis herbis foeta, expulsus est.

Verum a sana ratione eorum opinio non aliena, qui statuunt, sub hisce plantarum speciebus etiam
comprehendi spinas, tribulos & herbas venenatas, quia expresse dicitur *Gen. 2: 2. quievit Deum ab
universo opere, quod patravit.* Exstiterunt enim quoad naturam, non autem quoad qualitatem no-
xiam, degenerarunt in usu & qualitibus ob pec-
catum. Fuerunt itaque quidem ab initio, ast non fuere in pœnam, quia omne virgultum fuit ab ini-
tio creatum. Nec ignotum est, multa post lapsum ex errore & ignorantia hominum censi venenata,
noxia & inutilia, quæ tamen, si eorum natura & qualitates nobis patescerent, permagno omnibus es-
sent emolumento & commodo. *Quamvis non omnia ad nutrimentum hominis nata videantur, sufficit si
nutrimento ceterorum animalium serviunt, & quæ ad alimentum non valent, conducere possunt ad medici-
nam, vel alios usus, uti disserit Cunr. Dieter. antiq. Bibl. Genes. cap. 1.* Quippe etiam post pecca-
tum nihil inutile aut noxiam simpliciter è terra na-
sci erudite Basilius & Ambrosius ostendunt. Quamobrem dicendum mihi videtur, omnia, quæ crea-
ta sunt, sua natura bona, etiam ea, quæ nobis vi-
dentur noxia: noxia non tam sua natura, sed ob
abusum & ignorantiam hominis noxia fieri possunt.
Vis itaque illa nociva non residet in re, vel ejus

Sub
planta-
rum spe-
ciebus an
compre-
hendantur her-
bæ vene-
natæ?

L 2 natura,

natura, sed abusus noxiam facit, quia ob ignorantiam hominis vel non applicatur ad illum finem & usum, cui inservire destinata, vel quod non eo quo oportet modo, vel non ea mensura aut quantitate utimur. Sic etiam, quæ natura sua in usum hominis creata, ei maxime nocere possunt, quoties iis abutitur, & peccat in excessu.

Metallorum cur apud Mosen nulla mentio?

Notandum hic etiam, quod Moses de metallis, quæ in terræ visceribus recondita, quotidie effodiuntur ad irritamenta malorum, ut Poëta loquitur, nullum habeat sermonem. Quippe omnino verisimile est, cum hic dies tertius sit is, quo Deus terram perfectè formavit & ornavit, hoc pariter die metalla quoque producta esse, tum etiam marmora, & fossilia. Verum, quia duntaxat describit res visibiles, de hisce, quia, ut diximus, in terræ visceribus latent, mentionem non facit. Quemadmodum itaque Deus dixit atque imperavit, ita factum. Voluit, ut terra proferret tenerum gramen, & omnis generis plantas arboresque frugibus foecundas ederet, & uti voluit, ita produxit. Verum, uti annotavimus, non ex se, sed ipse Jehovah omnipotente sua virtute creavit omne virgultum agri, antequam esset in terra, omnemque herbam agri, priusquam oriretur, & germinare fecit è terra omnem arborem visu amœnam, atque ad vescendum bonam: in prima quippe germinatione terra se tantum passive & subjective habuit. Vis itaque subito germinandi, ipsaque germinatio momentanea tota fuit supernaturalis & miraculosa. Ad eam proprie sola vis omnipotentis verbi Dei active se habuit.

habuit. *Terra autem subito miraculose germinans tantum passa fuit Dei virtutem. Dicitur autem vim illam suscepisse & germinasse, quatenus medium fuit edendis stirpibus adhibitum, & subjective sustinuit germinationem, vi omnipotentis verbi effectam, uti differit Pareus dict. loc.* Quamvis germinationem, quam deinceps terra fecit, quoque sola vis & benedictio efficiat: tamen aliter eam efficit, quam primam, cooperantibus in ea efficaciter causis secundis, terra, seminibus, calore & humore; itaque quæ immediatè mundi primordio provenerunt e terra, jam mediatè producuntur. Ex hisce apparet summa & immensa Dei potentia non duntaxat, sed & bonitas ac benevolentia, dum in usum humani generis tot herbarum & frugum species pleno ubere terram proferre iusserit: atque ita quidem, ut cum aliæ herbæ uno loco, aliæ alio lætius proveniant, eæ tamen, quæ maxime necessitati inserviunt, & ad vitam tuendam necessaria sunt, è terræ gremio quam uberrime proveniant. Fatendum quidem aromata & magni pretii herbas, non omnibus, sed certis quibusdam & à nobis longe distitis atque remotis locis haberi. Verum cum hæ non tam necessariae sunt, quam quidem delicato palati inserviunt, parcius quoque distributæ: ut Deum magis necessitati quam voluptati hominum consulentem intelligamus.

Peracto autem tertii diei opere, quo absoluta terræ fabrica & ornatus, placuit summo rerum Opifici ad cœlum exornandum reverti. Id enim creatum quidem erat, sed nondum expolitum, hæ-

Cœli, hæcenus, dicitur, ornatus, quarti diei opus.

L 3

mus.

nus ἀναστροφῶν, quod hoc die sibi ornandum Creator sumsit, maximo totius mundi ornamento, terrigenarumque commodo. Hinc Stellæ, earumque principes, Sol & Luna; ille clarissimus & lucis fere fons; hæc nobis proxima, luce reliquis notior, efficacior & nobilior, productæ. Non ex nihilo, sed ex cœlorum materia; non erat enim tum nihil, cum omnia corporibus erant repleta.

Lumina-
rium
produ-
ctio.

Creata igitur sunt luminaria ex cœlesti præexistente materia, ut aquatilia ex aquis. Materia ex qua fuit lux illa primigenia, quæ hæctenus triduo noctem a die discriminabat. Quippe aliam luminarium sacræ litteræ non produunt materiam habitabilem, ex qua Sol, Luna, & reliqua astra producta sunt, quam lucem primigeniam. Abs ratione plane alienum esset statuere ex expansi materia hæc corpora lucida producta. Quippe cum astra sint densiora æthere sive expanso, & expansum secundo die suis cancellis & limitibus circumscriptum, nempe aquis superioribus & inferioribus, non potest admitti Solem vel stellas ex expanso esse productas, nisi aut vacuum velimus in eo admittere, condensatis quibusdam illius partibus in tam ingentia corpora, aut immutationem maximam in corpore constituto jam in suo naturali ordine die secundo. Nec dici potest materiam esse quandam novam pro stellis in expanso: hoc enim admissum, partes quædam expansi debuissent annihilari, ut illæ locum cederent materiæ illi stelliferæ in expanso, aut necessum fuisset, ut totum expansum condensaretur invita natura; quam primordio creationis acceperat. Vid.

Dieter.

Dieter. *antiq. Bibl. Genes. cap. 1: 14.* Unde concludit merito, materiam Solis nullam aliam esse potuisse præter lucem primigeniam; quod etiam patet ex officii idenditate, quia divisio lucis & tenebrarum, vicissitudo noctis & diei, Soli & Lunæ adscribitur *Genes. 1: 14, 15, 16, 17, 18, 19.* Hanc autem materiam Deus in globos ac magna quædam corpora collegit, quæ Solem & reliquas stellas efficerent; eaque corpora in expanso cœli, velut in summa arce, & suprema mundi statione collocavit, *Genes. 1: 17.* *Et, ut inquit Franciscus Burmannus dict. loc. non confuso ordine disjecit, sed summa prudentia disposuit & in ordinem redegit, & quemadmodum veluti astrorum chorum instruxit, quæ juxta motus ac vortices suos commodissimo situ sibi invicem contemperavit.*

- Quoniam vero Deus nihil fecit frustra, sed omnia ^{Luminarium usus.} produxit, ut certo & destinato usui & fini inservirent; sic quoque hæc luminaria in expanso collocata ad dividendum inter noctem & diem; tum ut sint signa; ut sint in tempora; dies, & annos; & denique ut illuminent & radiis suis mundum collustrant. Luminare magnum fecit in dominationem diei, parvum in dominationem noctis, uti & stellas. Hinc *Jerem. 31: 35.* *Sic dixit Jehovab, qui dat Solem ad lucem diei, leges Lunæ & stellarum ad lucem noctis.* Diviserat quidem Deus primo die lucem & tenebras, diem & noctem & re & nomine, ne simul existerent, sed ordine sibi succederent. Verum certa quædam ad hunc usum destinata creavit Deus corpora, quæ successionis causa organica essent,

essent ; ut inquit Theologi , & quotidiano suo ortu & occasu dividrent diem a nocte. Qui primus astrorum usus. Astrorum enim usus sive fines quatuor enumerantur. Primus est, *ut dividant diem a nocte*. Verum cum lux primigenia hactenus dividerat tres dies antecedentes a tribus noctibus , & proinde illa divisio inter noctem & diem extiterat , quem ergo in finem Sol ceteraque astra ? Respondent sacrarum litterarum Interpretes ; quod idem effectus assignatur diversis causis diversimode. Deus divisit initio lucem a tenebris , ut causa prima effectrix utriusque. Divisit autem re & nomine ab invicem separando , & ne simul essent , sed vicibus perpetuis succederent in natura sancienda : lux pelleret tenebras , tenebræ lucem : dies artificialis succederet nocti , nox vicissim diei. Hujus vere successionis causam organicam nullam adhuc Deus condiderat , sed ipse immediata & extraordinaria quadam lucis primigeniæ expansione super abyssu & super terra universa tres primos dies , ac rursus lucis contractione noctes produxerat. Nunc quarto die luminaria creat ad hoc , ut dividant diem a nocte , scil. ut deinceps sint causæ organicæ naturales & proximè efficientes successiones dierum & noctium in natura : sunt organa & mensuræ distinguentes immutabili vicissitudine dies artificiales & noctes ; nempe quotidiano suo ortu & occasu. Basilii hic respondet , naturam lucis esse primo die conditam , corpus vero Solis , esse quarto die inductum ; ut illius esset vehiculum. Sentit enim non esse lucem primogenitam a Sole hoc divisam , sed perinde
illi

illi unitam, sicut ignis conjunctus est Lychno. Lychnus non est ignis, sed ad hoc factus, ut ignem in se recipiat, per quem non duntaxat ardeat ipse, sed & alios illuminet.

Ita quoque Solis corpus non est per se lux, sed Sol. non
lux per
se. lucem accendens & illustrans, ut illam circuitu suo toti terrarum orbi administret. Si lucis, inquit laudatus Basilius, ortus Solem anticipavit, cur nunc Sol, ut illuminet terram, exorsus esse dicitur? non adversantur hæc illis sane, quæ de luce dicta sunt. Tunc enim ipsa natura lucis orta, nunc autem hoc Solis corpus extractum est, ut illi primigeniæ luci vehiculum esset. Nam ut alia diversaque sint, & non eadem ignis atque lucerna, & ignis quidem illuminandi vim obtinet, lucerna autem, ideo facta est, ignem eorum causa gerat, quibus illo opus est: sic & illi purissimæ, sinceræ, materiaque vacanti luci, vehicula nunc ipsa luminaria sunt extracta. Nec videtur hæc opinio repugnare voci למנו, quæ non lumen, sed luminare, id est, instrumentum lucis significat. Luminare autem est, quod lumine aliunde accepto accensum, vim habet administrandæ lucis. Verum vehementer dubito, an non quandoque ipsum lumen denotet. Ita enim Cicero 2 *Philipp.* In te autem, mi Antoni, id decrevit Senatus; & quidem incolumis, nondum tot luminaribus extinctis, id est, tot egregiis viris, qui sunt lumen & splendor, atque ornamentum Senatus & civitatis. Alii sentiunt, Solem sic esse conditum, ut primogenitam lucem, id est, diem non reciperet in se, sicuti lychnus ignem, quo accenditur, sed splendo-

M re

re suo de novo & integro seorsum creato lucem primo die factam illustriorem redderet. Verum materia, ex qua duo hæc luminaria producta & creata, nulla fuit alia, quam lux illa primigenia: quippe aliam luminarium materiam sacræ non ostendunt literæ, ex qua Sol, & cetera astra producta sunt, quam lucem primigeniam: quemadmodum autem sine lege loqui erubescit Jurisconsultus, ita absque auctoritate S. Scripturæ loqui erubescit Theologus. Siquidem dici nequit, materiam quamdam novam productam esse pro Stellis in expanso. Hoc enim admisso, sequeretur quasdam expansi partes debuisse annihilari, ut dicere incepimus, quò materia illa stellifera locum haberet in illo: aut totum expansum debuisset condensari contra naturam, quam primitus in creatione acceperat, Cunn. Dieter. *antiq. Bibl. d. l.*

Materia
Solis.

Materia itaque Solis nulla alia excogitari potest, præter lucem primigeniam; id quod etiam patet ex officii identitate, ut statim annotavimus. Quamobrem hanc materiam, sive lucem primigeniam in unum corpus sive massam collegit Omnipotens; unde corpus illud lucidum sive Solem formavit, & sic de ceteris dicendum. Igitur perperam mihi videtur Sol dici quasi luminare quoddam, lumen accipiens ab alia materia, quam a se ipso, & proinde non instrumentum lucis, sed ipsum lumen dicendum: quia istius luminis antea dispersi, ut ita dicam, collectio & quasi in unum corpus coalitio vel concursus, Solem efficit; ita ut Sol dici possit corpus cœlestis natura sua igneum, ita ut totus solaris

laris globus igneæ existat naturæ. Et quamvis ignis Solis validissimus & efficacissimus, adeo ut a cujuscunque ignis alterius terreni calore, & imprimis fulgore superari minime queat, universum tamen non comburit: summa enim & singulari divina sapientia & providentia ordinatum est, ut Sol ista dispositione distaret ab his, quæ inflammari aut comburi possunt, ut ejus ingens & subtilissimus ac validissimus ardor temperaretur humiditate Lunæ, ut circa terram continuo motu in obliquo circulo moveretur, nec cum directis semper radiis ferirét: utque ita tam ex continui motus variatione, quam radiorum emittendorum diversa ratione, una cum lunaris admixta humiditatis contemperatone noxa severior inhiberetur, uti differit Joh. Zahn. Secundus Philosophus in suis sententiis describit Solem, quod sit *lux cælestis, noctis adversarius, æthereus circumitus, mundi index, flamma sincera, fax semper suppetens, viator cælestis, indeficiens lumen, ornamentum diei.* Sol vocatur, quod tantam claritatem solus obtineat, ut solus cum est exortus, obscuratis omnibus aliis appareat. Unde Cicero *de Nat. Deor. lib. 1. & 1. Tuscul.* inquit, *Solem astrorum obtinere principatum.* Capella *lib. 2. Solem te Latium vocat, quod solus honore post patrem sis lucis apex.* Et Cicero *de Nat. Deor. 2. cap. 9. Cumque tu Solem, quia solus esset, appellatum te dicas, Sales ipsi quam multi a Theologis proferuntur.* Et Lactantius *lib. 2. cap. 9. Unde Solem appellatum Cicero vult videri, quod obscuratis sideribus solus appareat.* Isidorus *de nat. rer. cap. 24. Sol appellatur.*

eo quod solus appareat ; obscuratis cunctis sideribus. Eumque vocat Cicero moderatorem & ducem temporum ; mentem mundi & temperationem , tanta magnitudine , ut cuncta sua luce lustret & compleat. Hinc genitum pleræque crediderunt gentes ; e quibus autem parentibus , inter se haud consentiunt. Hesiodus in Theog. Thiam Solis & Lunæ & Auroræ matrem , & patrem Hyperionem fuisse , scribit. Homerus autem in Hymno , quem scripsit in Solem , Euryphaessam matrem fuisse Solis scribit , patrem vero Terræ & Cœli filium Hyperionem. Quoniam , ut statim ex Cicerone annotavimus , fuerint plures Soles vocati , non mirum videri debet , si aliqua inter Gentiles de Solis parentibus fuerit controversia.

Sol ab antiquissimis populis auctor omnium rerum habitus , religioseque cultus.

Post ipsum vero Deum , rerum omnium auctorem & moderatorem , Solem patrem & auctorem generationis crediderunt Antiqui. Quippe quod ille Deorum omnium vires unus re ipsa contineret , cum varia nomina ipsis viribus indita essent. Namque tanta fuit simplicitas Antiquorum , tanta eos ceperat dementia , ut divinos honores rebus humanis & simulacris elementorum , aut elementorum viribus tribuerint , qui soli vero , sancto , & immaculato Deo debebantur. Ita ut & antiquissimus sit cultus Solaris , ejusque non duntaxat Homerus & Hesiodus meminerint , sed & tempore Mosis , hunc cultum obtinuisse testatur illa Mosis ad populum Israëlém adlocutio , *Deut. 4: 19. Ne forte eleves oculos tuos in cœlos , & videas Solem & Lunam , atque Stellas , cum universo exercitu cœlorum , & impulsus*

pulsus adores atque colas ea. Hanc antiquitatem etiam comprobatur locus ille Jobi cap. 31: 26, 27. quo animum suum testatur ab hac Gentilium idololatria maxime abhorruisse, dum inquit: *Si vidi Solem, quando splendebat, & Lunam pretiosum abii; & seduxit sese in abscondito cor meum, & osculatum est manum meam os meum: etiam hoc fuisset iniquitas iudicata, qui abnegassem Deum insuper.* Ex his itaque satis manifeste constat, ab antiquissimis temporibus cultum Solis deducendum, imo ipsi etiam Israëlitæ foedissime se hoc peccato idololatriæ commacularunt, & ad aliarum Gentium exemplar eo se inquinaverunt. Quod perspicimus 2 Reg. cap. 33: 12. ubi legimus abolevisse Josiam equos, quos dederant Reges Juda &c. & currus Solis combussisse igni. Vide Ezechielis c. 8: 16. ubi reprehenduntur Israëlitæ, quod faciem orientem versus converterent, Solemque adorarent. Hac peccati labe inquinati sunt, dum forte commercium habebant cum gentibus Syriæ vicinis. Imo ætate Enoch cœpisse cultum hunc idololatricum, opinatur Maimonides, atque hanc suam opinionem fundatam statuit in capite quarto versu ultimo Geneseos, ubi, *Tunc profanatum est circa invocationem nominis divini.* Dum res creatas sive cœlestia corpora cœperunt adorare.

Primum enim objectum Idololatriæ fuisse *exercitium cœli*, constat ex locis statim adductis. Israëlitas autem incertis sedibus vagantes, & in deserto errantes ad astrarum cultum delapsos fuisse, patet ex *Astro Dei Rempham*: tum etiam antea in *Vitulo aureo*; modo id numen pro *Iside* sumendum

Exercitium Cœli, primum Idololatriæ objectum.

fit. Hunc autem foedissimum morem Soli divinum exhibendi cultum Israëlitæ à gentibus Syriæ vicinis accepisse, statim annotavimus. Est vero Syria, testante Vossio, *de Orig. & progress. idololat. lib. 2. cap. 4.* vel ad littus sita, vel mediterranea: prior dicta Phœnice. Hic Sol generali nomine vocatur **𐤁𐤁** *Babal*, quod *dominum* notat; pro *Babal* vero, omissa littera *y ajin*, dixerunt etiam **בַּאָל** & **בְּעַל**, & contracte **בָּא** & **בְּיָל**. *Bal* autem & *Bel* esse Saturnum, Saturnum vero Solem, docet nos Servius ad 1. *Æneid.* ubi inquit, *Assyrios constat Saturnum, (quem eundem & Solem dicunt) Junonemque coluisse; quæ numina etiam apud Afros postea culta.* Unde & lingua Punica *Bal*, *Deus dicitur quadam sacrorum ratione.* Quia autem variis *Baal* cognominibus distingueretur, factum est, ut in Scripturis culpentur Israëlitæ, quod servierint *Bealim*, id est, *Baalibus*. Nullum autem, ut annotavit Vir doctissimus Gerardus Vossius, *nobilius cognomentum ei, quam a cælis ductum.* Inde enim Phœnicibus vocabatur *Beel-samen*; ut ex Sanchoniathonis libris notat Eusebius in primo *Præparat. Evang. cap. 7.* *Cumque siccitas obtigisset, sustulisse manus in cælum ad Solem. Hunc enim solum, ut inquit Sanchoniathon, Deum existimabant, eum vocantes cæli dominum, Beel-samen.* Quod autem Phœnicibus *Beel-samen*, id Hebræis *Baal-schamaim*, id est, dominus Cæli. Etiam Phœnicibus Sol in cultu divino *Adon*, sive *Adonis*, vel *Adoneus* dicebatur, uti ibidem annotavit. Non duntaxat Phœnices, sed & innumeræ fere aliæ gentes, ut Assyrii

syrii & Chaldæi sive Babylonii sub *Beli* nomine Solem divino cultu adorarunt. Sic etiam Persæ & Ægyptii, Æthiopes, Græci & Romani sub variis cognominibus ei divinum præstabant honorem & cultum. Apud Persas *Mitbras*, apud Ægyptios *Osiris*, apud Æthiopes *Assabinus*, apud Græcos & Romanos Ἀπόλλων, *Apollo*, sive *Phæbus* dicebatur, & sub hisce diversis nominibus colebatur. Nec mirum nobis videri debet, quod huic Astro sive Soli divinos tribuerint honores. Quippe Deorum in numerum cum esset relatus, dictabat ratio, ut divini ipsi exhiberentur honores. Quartus enim Sol apud Romanos Deorum fuit habitus, & uti statim diximus, *Apollo* sive *Phæbus* dictus est. Cur autem Soli hoc nomen inditum, varix adferuntur rationes, quas silentio præterimus. Habuisse Ægyptios quoque inter ipsorum Deorum monstra signa cœlestia, & potissimum Solem, quem appellarunt *Osiridem*, uti Lunam *Isidem*, ex veterum monumentis apparet. Itaque non eodem nomine apud antiquos inter Divos collocatum fuisse perspicimus. Unde Theodoretus *Serm. 3. de Diis & Angelis*, inquit, *Atque ut testis est Diodorus Siculus, omnium mortalium primæ Ægyptii Solem, Lunamque Deorum nomine appellantes, Solem, quem Osiridem, Lunam vero Isidem dixerunt.* Hinc Jerem. cap. 43. & seq. ait, *Et conteres statuas domus Solis, quæ sunt in Ægypto.* Et iterum, *Sacrificemus Reginae cæli & libemus eam libamina.* Quamobrem Suetonius in triumpho, quem Augustus de Antonio & Cleopatra Romæ habuit, præcedere fecit

cit imaginem Solis & Lunæ. Solis vim & potestatem admiratus Plinius, Deum credidit, *lib. 2. cap. 6. Eorum (planetarum) medius Sol fertur amplissima magnitudine & potestate: nec temporum modo terrarumque, sed siderum etiam cælique Rector. Hunc mundi esse totius animum, ac planius mentem; hunc principale naturæ regimen ac numen credere debet, opera ejus æstimantes. Et cap. 7. Quapropter effigiem Dei formamque quærere imbecillitatis humanæ reor. Quis est Deus, si modo alio præter Solem scil. & quacunq; in parte totus est sensus. Solem Deum absolute appellat Avienus Arat. v. 691.*

Abraxas
Hæreticorum.

Imo non solum Ethnici, sed & nonnulli Hæretici & Apostatæ Solem tanquam summum aliquod numen coluerunt, ut Basilides, & à suo nomine dicti Basilidiani; & Julianus Apostata, quique tum secuti Hæretici, Solis sacra tanquam supremi numinis coluerunt celebraruntque. Unde in antiquis nummis invenitur monstrum quoddam cælatum capite Galli, trunco corporis humani, pedibus in serpentes duos desinentibus, qui se reflectunt, scutum una manu tenens, altera flagellum, Basilidis impii Hæretici, uti Scriptores referunt, commentitium Deum, cui nomen *Abraxas*. De commentitio hoc Deo Tertullianus *lib. de præscript. advers. Hæret.* sic ait: *Postea Basilides Hæreticus erupit: Hic esse dicit summum Deum nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam Græcè ὦν appellat. Inde verbum. Ex illa providentiam, ex providentia virtutem & sapientiam: ex ipsis inde principatus & potestates & Angelos factos, deinde infinitas*

infnitas Angelorum editiones & probolas : ab istis Angelis trecentos sexaginta quinque cælos institutos ; & mundum in honorem Abraxæ , cujus nomen hunc in se habet numerum computatum. In ultimis quidem Angelis , qui hunc fecerunt mundum novissimum ponit Judæorum Deum , id est , Deum Legis & Prophetarum. Quem Deum negat , de Angelo dicit. Huic sortito obtigisse semen Abrahæ , atque ideo hunc de terra Ægypti filios Israëli in terram Chanaan transtulisse. Hujus quoque Dei meminit Hieronymus in Naum. cap. 1. ad illud : Ex te exhibit cogitans contra Dominum , ait , inimica cogitatio. An non videtur adversus Deum malitia & prævaricatione dicere , quod Valentinus , quasi abortivum errantis sapientiæ extremum editum creatorem. Nonne contra Deum est Basilidis impudicum & portentosum Abraxæ nomen , quod præfertur Domino conditori. Idem quoque in Amos. cap. 3. ad illa verba : „ Congregamini super montes Samariæ , & videte infanias multas in medio ejus. ” Et quia semel , inquit , juxta leges Theologiæ , Samaria refertur ad Hæreticos , qui custodes mandatorum Dei esse mentiuntur , præcipit sermo divinus , ut in Gentibus prædicent , quæ non habent notitiam Dei , in quarum doctrina ignis exurens est & tribulatio & angustia , ut considerent falsam Samariam , & ascendant ad montes superbiæ ejus , & videant multas insanias in medio civitatis , dum unusquisque fingit quod voluerit , & adorat figmentum suum : ut Marcio , bonum Deum & otiosum : ut Valentinus aivvas triginta , & extremum Christum , quem appellat Ἐκτρομα , id est ,

N

aborti-

abortivum : ut Basilides , qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas , & eundem secundum Græcas litteras & annici cursus numerum dicit in Solis curriculo contineri, quem Ethnici sub eodem numero aliarum litterarum vocant MITHRAM, & Iberæ ineptiæ in Balsamo Barbeloque mirantur. Nonne hæ insanæ sunt & multæ insanæ , unoquoque fingente , quod in animum ejus inciderit. De Basilide Hæretico ita Augustinus : Basilides , inquit , trecentos sexaginta quinque cælos esse dicebat , quo numero dierum annus includitur. Unde etiam quasi sanctum nomen commendabat , quod Ἀβραξας : cujus nominis litteræ secundum Græcam computationem , eundem numerum complent. Sunt enim septem α & β , & γ , & δ , & ε & ζ & η & θ , id est , unum & duo , & centum & unum & sexaginta , & unum & ducenta , quæ fiunt in summa , trecenta sexaginta quinque.

Ethnicorum Mithras.

Commentitium hunc Basilidis Deum Ethnicos sub eodem numero aliarum litterarum vocasse *Mithram* , tradit statim laudatus Auctor Hieronymus. Forte eandem supputationem nomine Mithræ includi , demonstrari posset , si Græce proferatur , ΜΙΘΡΗΣ , qui & ΜΙΘΡΑΣ dicitur. Sunt enim sex litteræ Græcæ , & μ , 40. nota ι , 10. θ , 8. ρ , 100. η , 7. σ , 200. quarum summa eadem quæ in *Abraxas* , 365. uti hoc annotavit Joh. Macarius in sua *disquisitione antiquaria de gemmis Basilidianis* , edita a Joh. Chiffletio. *Nec est quod quis miretur* , inquit , se θ dicere 8 , & η , 7. cum aliter sit usus. *Videntur enim* , pergit , *qui hunc numerum collegerunt , in eo nomine ΜΙΘΡΗΣ perrexisse recto ordine , numerando*

numerando Alphabeti litteras usque ad θ, quæ est octava littera, & nonam fortasse eam fecisse, quæ sexto loco solet inferi; nec potest hic numerus in nomine MITHRÆ reperiri. Colebant ergo Basilidiani Mithram, qui Persis familiaris. Irrepsit quoque in Romanum orbem, ejusque sacra Christianis sacris valde affinia fuisse notarunt Veteres. Refert autem Suidas, Mithram Persas existimasse Solem esse, cui multas victimas mactabant, ne quis possit ipsi initiari, nisi per multos gradus cruciatuum se ipsum ostenderit sanctum & indolentia præditum. Hi ergo Hæretici, qui Basilidiani vocantur, eundem cum Gentilibus Deum colebant Solem, nam Mithram & Titanem eundem esse & Apollinem & Osirim, ex Thebaidis libri primi fine idem probat Auctor, ut perspicimus ex his versibus:

*Phæbe parens. Post quædam interjecta,
Adsis, o memor hospitii, Junoniaque arva
Dexter ames, seu te roseum Titana vocari
Gentis Achmeniaë ritu, seu præstat Osirim
Frugiferum, seu Persei sub rupibus Antri
Indignata sequi torquentem cornua Mithram.*

Et Claudian. in Stilicone :

*Thuris adoratae cumulis & messe Sabæa
Pacem conciliant Aræ, penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo statuere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.*

N 2

Exstant

Exstant Romæ antiqui lapides in donarium sacratæ
Mithræ Deo, cum hac inscriptione:

SOLI INVICTO:
MITHRÆ. FL. SEPTIMIUS. ZOSIMUS.
V. P. SACERDOS. DEI.
BROTONTIS.
ET. AECATE. HOC. SPELEUM.
CONSTITUIT.

Alter lapis:

DEO:
INVICTO:
MITHRÆ.
C. LVCRETIVS. MNESTER..
M. AEMILIVS. PHILETVS.
SVM. MAG. ANNI. PRIMI.
M. AEMILI. CHRYSANTI.
D. S. D. D.

Figura *Mithræ* nobis exhibetur in marmore. Colebatur enim Apollo sive Sol a diversis Gentibus sub diversis nominibus: Apud Achmenios enim *Titan*: apud Ægyptios *Osiris*, uti paulo ante notavimus; apud Persas, ubi in antro colebatur, *Mitra* vocatur: Persæ enim in spelæis Solem coli primi invenisse dicuntur. Uti varia etiam specie effictum, ad exemplar *Abraxæ*, qui diversis efformati modis. Quippe cum in *Abraxa* lateat *Mithres*, idem contigit *Mithræ*, quod *Abraxis*. Diversi hi modi conspiciuntur in gemmis, quas nobis exhibet Gorleus in *Dactyliotheca*, & Joh. Macarius in *sua antiquaria*.

ria de gemmis Basilidianis disquisitione. Qui tamen omnes ad Solem referri possunt. Figuram Abræ xæ hoc modo nobis exhibet Macarius.



Notat idem Auctor, quod temporibus horum Hæreticorum magna in veneratione fuerit Sol, ut fere cœperint Vordere alii Dii præ hujus cultu; plurimamque fieri mentionem Dei *Mithræ* a Scriptoribus, qui ætate hujusmodi Hæreticorum scripserunt; ejus sacraturarum etiam sub Christianis Imperatoribus. Nec Romæ solum colebatur *Mithres*, sed & in Græciam se ingessisse ex Epiphaniî libro contra hæreses videre est; ubi agens de Marcione, *Epimenidem, veterem Philosophum, templum MITHRÆ sive SOLIS, apud Cretenses, ait, fuisse sacerdotem.* Quin & Apostata Julianus, dum a vero Deo defecit, non ad alium conversus, quam ad suum HAION, id est, *Solem*, ut ipse fatetur in Saturnalibus. Et in Deum suum SOLEM encomium composuit. Nil mirum igitur, si corruptores Christianæ fidei & religionis hostes & desertores impudentissimi ac foedissimi,

N 3,

ad

ad castra *Mithrae* & *Solis* confugerint, ejusque se devoverint sacris, & myſteriis profanis & execrandis. Nec inauditum itaque cuiquam videri poteſt, Solem & Lunam tanquam æternitatis ſymbola Ethnicos habuiſſe; cum hæc duo ſidera divinam participare naturam crediderint. Unde Veſpaſianus nummos imprimi curavit figura mulieris ſtantis velatæ, una manu Solis caput, altera Lunæ ſuſtinentis, cum hæc inſcriptione, ÆTERNITAS.



Alludit ſcil. Imperator per hæc duo ſidera, Solem & Lunam, tanquam æternitatis ſymbola, ad æternitatem Imperii Romani per duos filios Titum & Domitianum a ſe proſpectam, hoc modo imperium in æternum domui & familiæ alligaffe, exiſtimans. Sed forte mirabitur quis, adeo cæcutire potuiſſe, ut æternos Deos ſuos dicant, cum eorum parentes, a quibus geniti, & proinde naſcendi principium referre poterant, non ignoraverint. Quid enim magis repugnat rectæ rationis dictamini, quam æternum ſtatuerre illud, quod habuit initium? Hinc enim *æternus* quaſi *æviternus*, ab ævo exiſtens,

existens, & æternitas, quam nulla temporis circumscriptio metitur. Quamobrem temporis initium, quo existere cœpit, illud, quod æternum est, habuisse dici nequit. Hoc sensu Cicero, *Sed fuit quædam ab infinito tempore æternitas, quam nulla circumscriptio temporum metiebatur.* Et hoc sensu æternitas nulli enti vel creaturæ convenit, sed duntaxat summo Numini, rerum omnium auctori & hujus universi conditori Deo, a quo omnia sunt producta & condita, visibilia & invisibilia; ipse autem à se ipso Deus, æternus sive sempiternus, qui semper fuit eritque.

Nullum enim ens concipi potest æternum, sive sempiternum, quod existendi habuit initium sive principium. Quippe quod cœpit aliquando existere, temporis spatio circumscribi potest ejus existentia; tum etiam tempus quo nondum extitit, antecessit, & proinde sempiternum dici non potest, id est, ab infinito existitisse tempore. Quod igitur sempiternum vel æternum dicitur, oportet nullum habuisse existendi principium, id est, esse a se ipso. Quippe si ab alio habuisset initium existendi, non posset esse a se ipso; quia autem à se ipso, id est, sui ipsius causa, æternum sive sempiternum fuisse oportet. Agere enim, antequam fuit, non potuit, & proinde illud ad existere ad aliam suæ existentiam causam & auctorem referre necesse habet, & hic tandem ad ejusmodi principium sive *Ens summum* devenire oportet, quod à se ipso; & quia a se ipso, æternum vel sempiternum est: quoniam quod à se ipso & sui ipsius causa est, ab infinito fuisse tempore,

Æternitas summo Numini propria.

pore, dicat ratio; quia nullum tempus excogitari potest, quo non fuerit: cum, uti statim dicere incepimus, nulla ratione concipi potest, quomodo suæ existentix posset esse causa, quod non est, adeoque nec agere potest. Illud adeo impossibile, quam si diceremus aliquid simul esse & non esse. Nihil itaque vero magis consentaneum est, quam illud ens, quod sempiternum sive æternum nuncupamus, ab infinito tempore existisse, & nullum habuisse existendi initium, nec habiturum finem. Quamobrem dicendum videtur, licet Ethnici in densissimis obambulant tenebris, destituti quippe omni divina revelatione, qua in sacris litteris se suasque virtutes, suaque attributa manifestare voluit Deus; attamen duce ratione, cujus erant participes, hanc veritatem investigare potuerunt. Unde Plato *Phileb.* 15. affirmat, *Idem unum & multa* (quibus Deum intelligit) *semper idem, olim & nunc; neque desinet, neque incepit.* Et idem in *Timeo* pag. 27. τὸ ὄν μετὰ αἰῶν γένεσιν ἦν ἔχον τὸ ὄν definit illud τὸ αἰὼν hujusmodi esse, ut nullam habeat γένεσιν, sed vere sit αὐτοὺν αὐθοποιόν & αὐτοαἰ. Atque Dei æternitatem ex eo probat, quod sit omnium rerum causa. Ita enim disputat *Phædr.* 245. *Principii autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla alia ex re nasci potest: nec enim esset id principium, quod gigneretur aliunde. Quod si nunquam oritur, nec occidere quidem unquam ipsum necesse est. Unde ab infinito tempore, ut inquit Cicero dict. loc. oportet illud fuisse, quod æternum prædicatur, & proinde omnis ætatis & temporis*

poris expertem esse oportet auctorem & principium omnium rerum Deum. Unde idem in *Timæo* pag. 141. de æternitate Dei sermonem habens, inquit, *Quod si ipsum unum (id est, Deus) nullo modo particeps est temporis, non sane vel umquam factum fuit vel fiebat, vel fuit umquam, neque est modo, neque fit, neque fiet, neque erit, neque generabitur.* Hanc veritatem, uti diximus, duce ratione indagare potuerunt Ethnici, quamobrem mirum fictitiis suis Diis, quorum originem & nascendi principium referre poterant, æternitatem tribuisse. Imo & ipsis Imperatoribus, quibus & numen tribuebant, & inter Deos computabant; unde illud Plinii ad Trajanum 10. *Epist. 42. Opera non minus æternitate tua, quam gloria digna.* Verum quis in eam posset adduci opinionem, ut crederet, Ethnicos adeo omni rationis lumine orbatos fuisse, ut Diis suis æternitatem tribuerint, quorum natales prædicabant, eo sensu, quo significat vel denotat tempus infinitum, vel perpetuitatem, quæ principii expers, nulla temporis quantitate mensurari, nullo temporis spatio designari potest, nec finem umquam habitura, & proinde omne continet ævum & præteritum & futurum, absque principio, absque fine, unde *Psalms 40. A sæculo & usque in sæculum tu es Deus: id est, Tu sine initio Deus es, & sine fine.* Longe alio sensu Diis suis fictitiis æternitatem tribuerunt Ethnici, scil. eodem sensu, quo æternitatem Romani precari soliti imperio Romano, cujus initium à Romulo, & proinde non ab infinito tempore deducebant, sed in æternum sive perpetuum duraturum precabantur.

O

bantur.

bantur. Huc referenda statim nummis Vespasiani impressa exhibita figura muliebris, una manu Solis, altera Lunæ caput sustinens, tanquam æternitatis symbola, existimans per duos filios Titum & Domitianum, ut dicere incepimus, imperium familiæ suæ per ista pignora in æternum sive perpetuum alligasse: ita ut tamdiu domui suæ alligatum sibi persuaderet, quamdiu hæc duo fidera Solem & Lunam, tanquam generi humano propitios Deos, populo Romano lumen præberent, quod in perpetuum duraturum, adeoque nunquam intermoriturum sive interiturum perspiciebat. Immortales autem Deos & hoc sensu quoque æternos, Ethnicos credidisse, quis ambigit. Quamobrem Plautus: *Dii immortales hoc voluerunt.* Idem *Pseud. scen. 3. act. 2. Dii immortales! lætantis.* Et Terent. in *Eunuch. Dii immortales! homo homini quid præstat.* Imo cum divinæ naturæ mentem nostram participem, ideo quoque immortalitatem participare crediderunt. Quamobrem Aristoteles 10. *de mor.* animum vult esse optimum, & Diis maxime cognatum, utpote eodem quasi genere & simili natura. Huic consonum istud Arati *Act. 17: 28, 29. Jovis enim genus sumus*, id est, & Jehovahæ fumus, unde mentem sive animam *divinæ auræ particulam* crediderunt. Nec perperam forte Solem & Lunam tanquam æternitatis symbola habuisse Ethnicos dicendum videtur, scil. tanquam sidera, quæ nunquam deficiunt, nec defutura, sed in perpetuum duratura. Unde *Psalm. 89: 36, 37. Semen ejus perpetuum erit, & thronus ejus sicut Sol in conspectu meo; & sicut Luna, quæ firmata.*

firmata est in seculum, ac testis in cælo fidelis. De horum verborum sensu alio loco disputandi, volente Deo, nobis erit occasio.

Ex hisce autem, quæ annotavimus, perspicimus, non alio sensu Ethnicos æternitatem Diis suis commentitiis tribuisse, quam quod eos immortales credebant, quod nec rationi repugnat eatenus, quatenus divinam naturam, quam incorpoream credebant, immortalem quoque statuebant, & proinde perpetuam & sine carentem prædicabant. Hinc quærenti Porphyrio, qui possint Sol & Luna Dii esse, cum sint corporei? respondet Jamblichus, multis modis posse dici incorporeos. *Dicimus, inquit, nos, quod cælestes, (Sol & Luna) non continentur autem inter illa sua corpora, sed divinis suis vitis & operationibus continent ipsa corpora; quod ipsi ad corpora non propendent, sed corpora ad divinam causam adspirent.* Itaque essentiam illam divinam, quæ in ejusmodi corporibus dominatur, quorum sub figura sibi Deos fingeant, immortalem, & proinde æternitatis participem credebant, uti mens nostra incorporea corporis quidem ergastulo inclusa & conjuncta cum corpore hominem componit; sed quatenus divinæ essentiæ particeps, immortalis est & perpetua. Et quamvis non ab infinito tempore existiterit, sed a divino Numine, trino & æterno Deo, rerum omnium visibilium & invisibilium creatore esse suum habeat, æterna tamen, quia immortalis, sumpto eo sensu æternitatis vocabulo, quo significat tempus futurum sine fine, eatenus manebit perpetuo æternumque. Licet nul-

Quo sensu Ethnicis Diis suis æternitatem adscripserint.

la res non ab infinito tempore fuerit, & proinde eo sensu nihil æternum dici queat, excepto triuno omnipotente Deo: nullæ enim creaturæ, ne quidem Angelis æternitas hoc sensu tribui potest; quippe quæ originem & esse suum, uti statim diximus, non a se ipso, sed rerum omnium principio & auctore Deo habent, æternum tamen recte dici potest quidquid in tempore productum ejus tamen naturæ est, ut mortalitatis expers sit, & in perpetuum manebit. Nisi velimus distinguere inter æternum & sempiternum, sempiternum vero Deum dicere, qui semper fuit eritque; æternos homines, qui principium quidem habent, sed tamen animo sunt immortales & perpetui. Verum hæc distinctio non ubique locum sibi vindicat, nec observatur apud auctores; ita ut sempiternus etiam de homine usurpari videamus apud Plautum *Mostel. Sc. 3. Act. 1. v. 63. 69. 90.*

Si tibi sat acceptum est, fore victum tibi sempiternum,

Atque illum amatorem tibi proprium futurum in vita.

Et paulo post:

Si acceptum sat habes, tibi fore illum amicum sempiternum.

Quo sensu res creatæ, æternæ dici possunt?

Nec mihi satisfacere possum, quoties mecum cogito, an non hoc sensu res omnes, quæ productæ ex nihilo, aliquatenus æternæ dici possint, scilicet quatenus ad nihilum nunquam videri possunt reversuræ. Sed in perpetuum manebunt, saltem quoad materiam, non vero omnes quoad formam, quæ quarundam

quarundam rerum corporearum essentiam constitue-
 re atque efficere videtur. Quemadmodum corpus
 nostrum dissolvitur quidem, vel potius redit in
 pulverem unde formatum est, sed non annihilatur;
 ita quidquid umquam productum, interit quidem,
 quatenus in pulverem revertitur, ac ita forma, quæ,
 uti diximus, quarundam rerum essentiam efficit,
 qua a se invicem discernuntur ac distinguuntur, &
 cujus respectu existere dicuntur, annihilatur, quo-
 niam forma mutata, interiisse videntur ejus naturæ
 res, quæ, quamdiu cum forma suæ naturæ propria
 existunt, esse dicuntur, manente tamen materia ex
 qua productæ, sed in partes, & quidem minutissi-
 mas particulas distractæ & dissolutæ, quas oculis
 nec cernere nec distinguere valemus: quamvis per
 se subsistant, nec in rerum natura esse desinant.
 Quatenus autem nostra essentia, non in corporis
 forma, sed anima consistit, quæ immortalitatis ca-
 pax, nullam mutationem patitur, sed semper ma-
 net eadem, & in perpetuum manebit, hominem,
 quamvis vitam cum morte commutaverit, & pro-
 inde corpus in pulverem revertatur, non tamen in-
 teriisse, ut res ceteræ inanimatæ, statuendum;
 quoniam essentia, qua homines sumus, a rebus ce-
 teris distamus, manetque eadem, & sic in perpetuum
 vivere dicimur; corporis enim figura non efformat
 hominem, sed mens & animus. Optimè Romanæ
 eloquentiæ parens Tullius *somn. Scip. Nec enim tu
 es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is
 est quisque; non ea figura, quæ digito demonstrari
 potest.* Nec aliter Lactantius *lib. de Opif. Dei,*

cum inquit : *Errat enim quisquis hominem carne metitur ; nam corpusculum hoc , quo induti sumus , hominis receptaculum est. Nam ipse homo neque tangi , neque aspici , neque comprehendi potest , quia latet intra hoc quod videtur.* Unde alio modo æternitatis particeps homo , quam res ceteræ animatæ vel inanimatæ ; ille nunquam interit , sed manet semper & in perpetuum : hæc interiisse & quasi in nihilum redactæ videntur , quoties cum figuræ ac formæ interitu essentia quasi evanescit , ita ut existere amplius non videantur , licet materia , ex qua productæ & compositæ , in rerum natura esse non desinat : imo æternæ dici possunt eo sensu , quod omnes creaturæ genus conservent suum , & per successionem conservaturæ videantur.

Mundi
interitus
non per
annihila-
tionem.

Non me fugit , Mundum aliquando interiturum , & cum ipso omnes res mundanæ. Verum ejusmodi interitus perperam annihilatio vocaretur ; quippe qui non consistit in annihilatione , sed potius mutatione & renovatione , manente eadem substantia , juxta ea quæ docet Apostolus Petrus 2 *Epist. cap. 3: 12.* ubi testatur , *quod tempore novissimo cæli cum stridore præteribunt , elementa aestuantia solventur , terraque , & quæ in ea sunt opera , exurentur.* Hujus combustionis etiam meminerunt Ethnici , unde canit Ovidius 1. *Metam.*

*Esse quoque in fati reminiscitur adfore tempus
Quo mare , quo tellus , correptaque regia cæli
Ardeat , & mundi moles operosa laboret.*

Et Lucretius *lib. 5.*

*Una dies dabit exitiam , multosque per annos
Sustentata*

*Sustentata ruet moles , & machina mundi ,
Nec me animus fallit , cum res nova mira que
menti*

Accidit , exitium cæli terraque futurum.

Ita ut vetus fuerit traditio etiam inter Ethnicos, præsertim Platonicos & Stoicos, de interitu Mundi non tam per annihilationem, sed alterationem Mundi per ignem, sive conflagrationem. Ita enim Plato in *Timæo* pag. 22. *Eorum, quæ circa terram, vel in cælo volvuntur, existit longorum temporum curriculo commutatio quedam atque evariatio: unde in res terrenas, cælo nimir. subjectas, copiosi ignis impetu immanat vastitas.* Heraclitus etiam, teste Laërtio, adseruit, *Unum esse mundum, eumque conflatum esse ex igne, & in ignem iterum redigendum.* Eandem etiam conflagrationem tenuerunt Stoici. Verum per ejusmodi conflagrationem, non annihilationem, sed summam rerum omnium mutationem & alterationem futuram tenuerunt. Nec alio sensu, quæ de mundi conflagratione tradit Apostolus Petrus, intelligenda. Substantia enim cæli sublunaris & terræ ac ceterarum rerum non magis peritura per ignem, quam olim periit diluvio. Quippe, uti inquit florentissimus Theologus Camppeg. *Vitringa Obs. lib. 4. cap. 16. Substantiam ipsam, sive materiam cæli & terræ per ignem aboleri & destrui non posse, certissimum est, idem quod de omnibus rebus creatis, quod ad earundem materiam, ex qua facta dicendum videtur, mutationem quidem pati certissimum, annihilari autem nequaquam posse dicendum puto.*

Non

Annihi-
lato re-
rum cre-
atarum
nulla.

Non disputamus hic de potentia Dei, quæ im-
mensa & infinita est; de ea enim disputare sacrilegii
instar habeo: verum quid Sacra Scriptura, quid ratio
dicat indagamus. Audiamus Augustinum *de Civ.
Dei lib. 20. cap. 16. Turc*, inquit, *figura hujus mundi*
& *mundanorum ignium conflagratione præteribit*; sic-
ut factum est mundanarum aquarum inundatione Di-
lucium. Illa itaque, ut dixi, conflagratione mun-
dana elementorum corruptibilium qualitates, quæ cor-
poribus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo
penitus interibunt: atque ipsa substantia eas qualita-
tes habebit, quæ corporibus immortalibus mirabili
mutatione conveniant: ut scil. mundus in melius in-
novatus, apte accommodetur hominibus, etiam in
carne melius innovatis. Accidentia itaque interi-
bunt, uti figura corporum & eorundum forma ac
qualitates, manente ipsa substantia. Quod non in-
telligendum de qualitatibus naturalibus, quæ con-
sequuntur ipsorum substantiam, quemadmodum om-
ne corpus habet extensionem, latitudinem & pro-
funditatem, sine ejusmodi qualitatibus corpus nul-
lum concipi nec existere potest. Cujusmodi qua-
litates consequuntur ipsam substantiam, & proinde
ab ea separari nec divelli possunt, sed auferuntur
omnes qualitates extraneæ, quæ præter naturam
sunt, & proinde salva substantia auferri possunt,
ad majorem rei, cui adhærent, perfectionem & or-
natum. Quidquid igitur unquam productum ex
nihilò, nunquam in nihilum reversurum mihi per-
suasum habeo, sed perpetuo duraturum, quantum
unumquodque individuum juxta naturam suam &
qualitates

qualitates æternitatis capax esse potest. Vellem e-
 quidem, ut quis mihi magnus Apollo, posset ide-
 am aliquam ejusmodi annihilationis rei jam exi-
 stentis formare, vel modum describere, quo fieri
 posset: è diametro enim rectæ rationi ea mihi repu-
 gnare videtur. Quemadmodum enim recta dicitur
 ratio, idem eodem tempore non posse simul esse &
 non esse; ita etiam à rectæ sive sanæ rationis dicta-
 mine aliena annihilatio ejus, quod existit: quo-
 niam ejusmodi annihilatio supponit illud contradi-
 ctorium, ut cum Philosophis loquar, quod eadem
 res eodem tempore, & temporis quidem puncto,
 posset esse & non esse: nullum enim temporis inter-
 vallum nec punctum adeo angustum potest conci-
 pi, quin illud, quod annihilandum, non fit dum
 annihilatur. Subjectum enim annihilationis est res
 jam existens; itaque dum annihilatur, revera exi-
 stit, adeoque ipsum illud nihil, ad quod reverte-
 retur, eodem momento sive temporis puncto con-
 cipi absque existentia ejus, quod annihilatur; quin
 absurdum illud delabi oportet illud posse simul esse
 & non esse: quia in ipso annihilandi actu oporteret
 non amplius esse vel existere, quod absurdissimum.
 Referrī enim debet ad objectum sive subjectum
 quod annihilandum, scil. ut rem jam revera exi-
 stentem; actus enim ejusmodi operationis versari ne-
 quit circa illud, quod in rerum natura non est. A-
 ctionis enim objectum sive subjectum debet esse ali-
 quid positivum, & proinde quod existit. Præter-
 quam quod omnis actionis proprium est, sive qua-
 litas naturalis, ut producat effectum, id est, ali-
 P quid

quid positivum operetur; atqui annihilatio non est actus producens effectum, seu aliquid positivum, sed quod jam est ad nihilum reducens. Hinc contradictorium videtur mihi, annihilare quod verbum activum est, & nihil efficere aut producere vel in actum revera deducere annihilando. Revera itaque annihilare esset non agere, nihil agere, nisi quod annihilando quis nihil produceret, quod rem annihilandam absorberet vel consumeret, adeo ut nullæ ejusdem rei partes sive particulæ quamvis minimæ maneat reliquæ. Nihil autem efficere, est nihil agere; ubi autem nihil agitur, qui possit res existens dici annihilata? Præterquam, quod merum nihil concipi nequit tanquam privatio ejus, ut denuo cum Philosophis loquar, quod jam existit. Quod enim non est, agere non potest. Huic etiam accedit, quod ex ejusmodi annihilatione sequeretur, quod Deus posset velle contraria, & voluntatem & decretum divinum esse mutabile; cum tamen omnis mutationis expers divina natura, ejusque attributa & qualitates, quibus nobis hominibus se manifestare voluit. Utpote cui futura non minus quam præsentia nota, *cum ea quæ non sunt, vocet tanquam sint Rom. 4: 17.* & proinde quæ semel decrevit Omnipotens, suum fortiuntur exitum. Quoniam nulli possunt incidere casus, quos non præscivit Deus, & proinde decretum suum mutare necessum haberet. Unde concludo, quoniam decrevit Deus ex nihilo sive ex non præexistente materia totum hoc universum & singulas creaturas producere, ut essent existerentque; scil.

à non

à non esse transfret ad esse , simul decrevisse mihi contradictorium videtur, (salvo Theologorum & Philosophorum quorundam nostræ ætatis perspicacissimo judicio) ut aliquando ab illo ad esse transfret ad non esse, scilicet ut omnia, quæ producta sunt ex nihilo, ad primum illud nihil reverterentur. Hoc enim esset decreti & voluntatis divinæ maxima mutatio. Præterquam quod uno eodemque temporis puncto Deus voluisse videretur (salva sit summa reverentia & veneratio, quam Deo Triuno debemus) ut res esset & non esset. Quippe cum, ut dicere incepimus, omnia futura debent respectu Dei considerari tanquam præsentia, non possumus voluntatem & decretum Dei in rebus producendis concipere cum ejusmodi modificatione, ut jam essent, & aliquando esse desinerent, sive annihilarentur, quin simul concipere necessum sit, idem illud decretum includere rei jam existentis annihilationem: imo quasi eodem momento annihilatam, & sic simul esset & non esset, cum nullum temporis intervallum in Dei decreta cadere possit, ob rationes statim adductas. Præter hæc rationis dictamina, mihi quoque videtur nostræ opinioni sacras paginas adstipulari. Quippe eas evolventibus facile constabit, nullum ex iis adduci testimonium posse, si sano sensu interpretemur, quoties de mundi interitu per conflagrationem fit sermo, quo probari posset ejusmodi futura annihilatio. Non est mihi animus anxie cum illis litigare, qui contrariæ sententiæ fautores se profitentur. Quamobrem nec eorum argumenta & rationes diluere & ponderare

atque examinare, & iisdem respondere animum induxi: verum simpliciter meam opinionem tueri, & eam sacrae Scripturae auctoritate niti, pro ingenii tenuitate demonstrare conabor.

Mundi
interitus
an per
conflagrationem?

Quod Mundi interitus sit futurus per conflagrationem, nemo est qui ambigit. Et testatur idem Apostolus Petrus in loco paulo ante allegato, uti quoque hoc absolute non fuisse ignotum ipsis Ethnicis, demonstravimus. Verum de forma & modo non convenit inter Viros doctos, an per conflagrationem sit annihilandus mundus; an vero instaurandus & renovandus? Nobis probabilior, & solidioribus rationibus subnixta videtur eorum Theologorum sententia, qui per conflagrationem Mundum non penitus interitum ex Sacra Scriptura perspicere posse ita ut nulla ejusdem amplius vestigia superessent, vel in nihilum abiturum, sed renovandum & instaurandum statuunt, manente materia substantiali, forma & qualitates accidentales periturae.

Mundi
mutatio
in statum
melio-
rem.

Probatur haec Mundi mutatio in meliorem statum & conditionem, sive renovatio, *Psalm. 102: 26, 27. Opus manuum tuarum sunt caeli. Ipsi peribunt, & tu persistabis, & omnia ista sicut vestimentum veterascent, veluti pallium mutabis eos, & mutabuntur. Tu autem ipse, & anni tui non deficient.* Quamvis nonnulli velint verbum **אָרָב** indicare interitum talem, ut nihil de substantia reliqua maneat. Rectiorem tamen alii, & sanæ rationi, tum etiam verborum proprietati consentaneam statuunt Theologorum opinionem, qui ex hoc loco inferunt non mundi interitum substantialem, sed mutationem tantum;

tantum; quod patet ex verbo *mutandi*, quod annihilationem vel abolitionem nusquam significare annotarunt Viri docti. Præterquam quod ipsa comparatio satis indicare videtur, subiturum mundum magnam mutationem, & alterationem passurum, instar vestimenti veterascentis, quæ mutationem & instaurationem exigit. In melius itaque Mundus instaurebitur, dum prior forma conversione illa peribit, & meliorem induet. Quamobrem ad hunc locum a Lapide: *Peribunt cæli, non quoad essentiam, sed formam externam & accidentalem, cujusmodi interpretatio convenire videtur significationi verbi* אלהים, *non corruptionem denotantis essentiæ totalis, sed alterationem conditionis & qualitatum.* Nam, ut inquit Musculus, *Mutatio rerum non est omnimoda perditio, sed magis innovatio. Ergo nec cælum, nec terra penitus peribunt, sed mutatione innovabuntur.* Atque huic interpretationi robur conciliatur ex supra allato Petri Apostoli testimonio, 2 Petr. 3: 7. 10: 11, 12. cum inquit, *Adveniet autem dies Domini ut fur; in quo cæli magno impetu transibunt, elementa vero calore solventur, & quæ in ipso sunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, &c. Magno impetu transituri dicuntur, id est, velociter mutabuntur: nempe quoad qualitates; & sic novos cælos exspectamus quoad qualitatem; elementa vero solventur, id est, purgabuntur. Uti quoque hoc sensu illa verba interpretatur in suis ad h. l. commentariis Diodati. *E li elementi diuam pati si dissolveranno: non per esser ridotti al niente: ma par esser cangiati di forma e qualità.* id est, non annihilabuntur*

P 3

elementa,

elementa, sed mutabuntur quoad formam & qualitatem. Manente itaque materia substantiali, forma & qualitas peritura. Cujusmodi renovationem futuram, non annihilationem, ex collatione cum priore mundo, obruto diluvio, perspicimus v. 7. *qui tum erat mundus*. Alius mundus dicitur qui periit, ab eo, qui ex diluvio emerfit, sed non per redactionem in nihilum, sed repurgationem, ut sacrarum litterarum interpretes annotarunt. Unde statim a nobis laudatus Theologus Joh. Diodati: *Per mostrare per la comparatione di questi due mondi, che l'congiamiento, che si farà in quest' ultimo per lo fuoco, sera solo nella forma, e nelle qualità, e non nella sostanza, comme auviene vel primo per l'acqua*. Imo omnia creata, sive omnes creaturas liberationem ex servitute, ideoque status sui, in quo jam collocatæ, mutationem seu renovationem in melius expectare, adeoque non annihilationem subituras, sed suæ præsentis conditionis cum meliore & vetustissimæ integritatis statu commutaturas aperte testari videtur Apostolus Paulus Rom. 8: 19. & seqq. ubi inquit: *Vanitati res creatæ subjectæ sunt, non sua sponte; sed propter eum, qui subjecit, sub spe, quod & ipsæ vindicabuntur ex servitute in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim omnes res creatas unâ suspirare & parturire ad hoc usque tempus, &c.* Ex quibus perspicimus liberandam tantum esse creaturam à vanitate, cui hic subjecta est, ideoque secuturam aliquando ejus liberationem ab hac servitute & corruptione cui subjecta; non vero abolitionem vel annihilationem subituram.

Patrum

Non me fugit, Origenem & alios qui eum sequuntur,

tur, Nazianzenum & Cyrillum, per creaturam hic intelligere Angelos, qui vanitati & servituti non quidem suæ, sed hominum, & maxime quidem electorum serviunt, & ab hac servitute liberandos in hominum resurrectione. Verum merito sanioris doctrinæ Theologis displicet hæc expositio, tanquam à vocis propria significatione & mente Apostoli aliena. Angeli enim, qui summa fruuntur beatitudine, propter hominum vanitatem proprie dici nequeunt ejusdem vanitatis participes vel eidem subjecti, & in ea esse inviti, ab eaque fore liberandi. Quamvis negari non possit, & ipsos Angelos summum aliquando gaudium & voluptatem capturos, quando fideles in futura vita ejusdem gloriæ & beatitudinis jam participes factos intueri ipsis contingeret. Augustinus per creaturam nihil aliud intelligit quam homines: itaque *Omnis creatura*, est omnis homo, qui, ut ajebat Trismegistus, est nodus & vinculum omnis creaturæ, & microcosmus, & mundi miraculum. Quemadmodum creatura videtur accipi Marci *cap. ult. 15. Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Coloss. 1. *quod prædicatum est coram universa creatura, quæ sub cælo est.* Alii Patres, ut Chrysostomus, Ambrosius, vocem *creaturam* in latiori significatione accipiunt, adeo ut statuant, Apostolum sermonem habere de totius mundi machina & omnibus creatis, scilicet *quod omnis creatura aliquando liberanda sit à servitute corruptionis, in qua jam laborat & ingemiscit, requiemque habitura*, uti inquit Ambrosius. Transitura itaque à corruptione ad incorruptionem, existendi modo sive conditione in meliorem mutata, dum à servitute

quorum-
dam opi-
nio con-
futata.

servitute corruptionis liberata vanitati non erit deinceps obnoxia. Huic ergo Apostoli testimonio è diametro repugnat annihilatio. Dicit enim Apostolus, *quod a servitute corruptionis vindicabitur omnis creatura, ut restituatur in libertatem.* Duplex enim, ut inquit Theologi, terminus ponitur vindicationis, à quo nimir. *servitus corruptionis* : & ad quem nimir. *libertas.* Vide Turretin. *insit. Theolog. loc. 20. q. 5.* *Atque ita, inquit, refellitur eorum glossa, qui statuunt sufficere ad vindicationem, si creatura abolita desinat servire impiis hominibus. Κτιστος autem non potest hic designare fideles, ut aliis videtur. Nam præterquam quod insolitum est fideles vocare Κτιστω simpliciter sine ulla additione, Paulus aperte eam a fidelibus & filiis Dei distinguit: hortatur enim fideles, ut æquo animo ferant afflictiones præsentis & dilationem gloriæ futuræ, exemplo creaturæ gementis, quæ avide & exserto capite illam expectans ejusmodi spe sustentari & erigi videatur. Idem est ac si dixisset Apostolus, in imitationem vel ad exemplum libertatis filiorum Dei, ut similem quandam libertatem, stabilitatem & immortalitatem creaturæ aliæ accipiant, qui autem hæc prædicari possunt de re sive creatura, quæ abolitionem subitura est? Alia adhuc sacrarum litterarum testimonia nobis supersunt, quibus probare possemus, ea, quæ ex rationis lumine depromsimus, argumenta, solida veritate niti; sed hæc pauca sufficere mihi videntur, ut nostræ opinioni eorum assensum conciliemus, qui solidam veritatem, falli nesciam, ex sacrarum litterarum cum recta ratione convenientia & consensu merito statuunt,*

tuunt, iis in rebus, quæ cæcam fidem & obedientiam non exigunt. Sunt enim divina quædam mysteria, quæ, licet ratione concipi nequeant, fide tamen amplecti debemus. Alia, quæ huic veritati adstruendæ infervire possent, è sacris litteris petenda argumenta, Theologis examinanda relinquimus.

Alterum Luminare magnum vocatur *Luna*. Cujus corpus densum, solidum, opacum & sphæricum ex sua natura omnis luminis expers; aptum tamen ad Solis lumen sistendum & reflectendum. Proprium itaque lumen non habet, sed mutuato à Sole lumine, reflexo, ejusdem splendore fulget. Tradunt tamen rerum naturalium periti, quod, licet Luna à Sole omne suum lumen primum mutuetur, secundarium tamen aliud lumen in eadem deprehendatur, illudque quidem maxime perduret usque ad sextum conjunctione diem, neque ante 24 diem revertatur. Volunt autem lumen secundarium originem suam trahere à terræ hemisphærio illuminato. Paulo ante notavimus, Hesiodum in *Theogenia* Thiam uti Solis, ita quoque Lunæ & Auroræ matrem, patrem autem Hyperionem fuisse. Alii vero Pallantis cujusdam filiam, inter quos fuit Homerus, prodiderunt, in *Hymno ad Mercurium*. At Euripides in *Phænissis* testatur, alios Solis filiam, at non sororem, credidisse. Alii tradiderunt, Lunam fuisse uxorem Aëris, è quo Korem filium conceperit ac genuerit. Cum vero Lunam à Sole lucem mutuari etiam Ethnici crediderint, quam & Phæben nominarunt, ut Solem Phæbum, & in curru vehi finxerunt. Nec perperam forte sororem

Q

Solis

Solis Lunam vocarunt Ethnici, quasi ab eodem parente Deo nata; vel etiam quod illi Sol tamquam sorori lumen impertiat; vel quod fraterne tempora inter se dividerint, cum Luna noctem, Sol diem moderetur.

Lunæ
piura nomina.

Pleraque autem apud antiquos habuit nomina. Dicebatur enim Lucina, Proserpina & Hecate, & Diana. Cicero 2. de nat. Deor. Luna, inquit, à lucendo nominata sit, eadem enim est Lucina: itaque ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant. Vid. Fulgent. Mythol. cap. 19. Post vero Solem Luna proxime colebatur, eique divinos quoque Ethnici tribuere solebant honores; uti supra de Ægyptiis adnotavimus. Unde Propertius lib. 3. Eclog. 19.

Testes Siderea tota corona Deæ.

Sidera enim Dea est Luna, teste Horatio,
Siderum regina bicornis.

Ægyptii Solem Osirim, Lunam Isim nuncuparunt; quippe Isidem eandem esse cum Luna perspicimus passim ex simulacris. Credita est Isis Ægypti Genius, qui per Sistris motum, quod gerere videbatur dextra, Nili accessum significabat. Hinc in nummis conspicitur Isis cum Sistro adjuncta ciconia, qua Ægyptum expriment. Nefas enim erat Ægyptiis illam occidere. Erat autem Sistrum instrumentum frequens apud Ægyptios ex ære ad sonitum fabrefactum. Unde Propertius:

Romanamque tubam crepitanti pellere Sistro.

Et Statius Sylv. lib. 3. v. 101.

Isi

*Isi Phoroneis quondam stabulata sub antris
Nunc regina Phari, numenque Orientis anbeli
Excipe multifono puppem Mareotida Sistro.*

Invocat hic Isidem numen Ægypti, id est, Lunam, cui peculiariter adscriptum erat hoc instrumentum. Sistrum vero vel motum vel ortum rerum indicabat, teste Plutarcho, vel Nili accessum vel recessum, ex Servio 8. *Æneid.* In sacris Isis adhiberi mos erat Sistrum, quod erat receptaculum æneum, manuque tenebatur & quatiebatur.

Quod vero post Solem proximè colebatur Luna, ratio fuisse videtur, quia non minus humido principio generationis, quam Sol calido præesset, & quæ alternis vicibus mundum hunc regere credebatur. Quæ etiam à Plinio, *terræ familiarissimam sidus, & in tenebrarum remedium à natura reperiuntur*, vocatur. Apud alias gentes alio iterum nomine colebatur, ita ut quot gentes, tot fere nomina huic numini indita. Sic Phœnicibus ac Syris Luna dicta est *Astarte*; cujus simulacrum, quemadmodum etiam apud Ægyptios Isis, muliebri fuit, bubulis præditum cornibus, unde cornua Lunæ innuebantur. Hujus rei testimonium ex antiquo auctore Sanchoniathone adfert Eusebius *de præparat. Evang. lib. 1.* & Herodotus *Euterpe*, Cicero 2. *de nat. Deor.* Hebræis *Astarte* fuit *Astaroth*, 4 Reg. 23: 13. ubi Salomo ædem dicitur ædificasse *Astaroth*, Sidoniorum idolo. Ac similiter templum *Astaroth* vocatur à LXX. Interpp. Ἀστάρθιον 3 Reg. 31: 10. Sic etiam *Jud. 10: 6.* LXX. habent Ἀσάρθ. Hebræi dicunt sic vocari idolum for-

Religiosus Lunæ cultus.

ma ovis, nimir. ea vox *gregem ovium* significat, uti *Deut.* 7: 13. dictum est, inde vero natum, ut putarent, ea etiam voce significari idolum ovis forma. Verum de forma non adeo solliciti sumus. Constat autem *Astaroth* esse Astartem Deam Sidoniorum, de qua 3 Reg. 11: 5. Fuit & quædam Venus, Syria Astarte vocata, quam Cicero 3. *de nat. Deor.* tradit esse eam, quæ Adonidi nupsit, Syriæ & Tyri filiam, nimir. Astartem Sidoniorum. Lucianus *de Dea Syria*, Astartem, ait, esse Lunam, quæ eadem Diana est. Nicetas in Gregorium, Astarte & Chamos Veneris statuæ erant, quas olim Sidonii & Moabitæ religiose colebant, ac divino honore afficiebant. Apulejus *lib. 11. Metam.* vult, quod Diana, Venus, Juno, Minerva, Proserpina, Ceres, Bellona, Hecate & Rhamnusia, Isis eadem sint cum Astarte; cujus numen unicum multiformi specie, ritu vario, nomine multijugo, totus veneratur Orbis. Est rerum natura parens, elementorum omnium domina, seculorum progenies initialis, regina manium, prima cælitum, Deorum, Dearum facies unifornis, quæ cæli luminosa culmina, maris salubria flumina, inferorum deplorata silentia, nutibus suis dispensat. Junonem Astartem vocari, testatur August. *quæst. 16. in Jud.* Juno, inquit, sine dubitatione ab illis (scil. Carthaginensibus) Astarte vocatur.

Astaroth
Dea quæ?

Quoniam vero passim in sacris litteris sæpissime *Baal* conjungitur, vel pari passu ambulat cum *Astaroth* sive *Aserach*, quæ eadem est cum nostra Dea *Astarte*, Viri eruditi inde putant, quod hi Dii quasi

quasi conjugio sibi juncti, juxta Phœnicum Theologiam. Observarunt enim, quod ubique in S. Scriptura, ubi sermo habetur de Baale, etiam mentio fiat Astaroth, & quod hi duo semper eodem conjungantur sermone. Et verisimile videretur quibusdam, quod numen illud, quod Sidonii vocabant Baal, Phœnices appellaverint Jovem; & proinde verisimile esse *Astarte* vel *Astaroth* eandem esse cum Junone, matrimonii vinculo Jovi conjuncta: eadem autem cum Astarte, & Junone Luna. Unde Terentius in Andr. Act. 3. scen. 1.

Juno Lucina fer opem; serva me, obsecro.

Et Catullus:

Tu Lucina dolentibus

Juno dicta puerperis.

Quamobrem Calendæ Junoni sacræ & dicatæ, quia Juno eadem cum Luna: quoniam olim initium mensium ab exortu novilunii incipiebant veteres. Unde Macrobius *Saturnal. lib. 2. 15.* *Ut omnis Idus Jovis, ita omnes Calendas Junoni tributas, & Varronis & Pontificalis confirmat auctoritas, quod etiam Laurenses patriis religionibus servant, qui & cognomen Deæ ex caerimoniis addiderunt, Calendarum Junonem vocantes. Sed & omnibus Calendis à mense Martio ad Decembrem huic Deæ supplicant. Romæ quoque Calendis omnibus Pontifex minor in Curia Calata rem divinam facit Junoni. Etiam regina sacrorum, id est, regis uxor, porcā vel agnam in regia Junoni immolat, A qua etiam Janum Junonium cognominatum diximus, quod illi Deo omnis ingressus, huic Deæ cuncti Calendarum dies videntur.*

Q 3

tur.

*tur adscripti. Cum enim initium mensium majores nostri ab exortu Lunæ servaverint, inde Junoni Calendaras addixerunt; Lunam & Junonem eandem putantes. Diversis itaque nominibus, apud diversas & varias gentes, Luna, sive Juno, vel Astarte, aut Astaroth colebatur. Est autem Astaroth vox proprie pluralis, Hebræis *Over* II nomen urbis. Hinc Eusebius: *Astaroth antiqua civitas Ogi, Regis Basanis, in qua habitaverunt gigantes, quæ postea cecidit in sortem tribus reginos Batunica, & sex milliaribus ab Adar, urbe Arabiæ, separata est. Porro Adar ab Astra viginti quinque milliaribus distat.* R. Salomon: *Hæc est Astaroth Carnajim, id est, bicornis, ubi erant gigantes, quos percussit Amraphel.* Forte hoc nomen inditum urbi à numine ibi culto, adeo ut jam ab antiquissimis temporibus hoc numen cultum fuerit. Dicta itaque hæc urbs à Dea Palæstinorum, quam Græci & Latini Dianam & Junonem vocarunt. Unde, uti statim ex Augustino annotavimus, Punica lingua, quæ ex Hebræa descendit, Juno Astarte vocatur. Diana autem hæc est Luna, diciturque Carnaim, id est, bicornis; unde hæc urbs Astaroth Carnaim, à Dianæ idolo, quod in eo loco colebatur. Diana quippe, eo quod eadem esset Luna, solet fingi ac depingi cum lunula bicorni in fronte, ut ex statuis & nummis perspicimus. Quamvis alii Astartem dici Carnaim putent bicornem eo, quod sita esset urbs cum suo Astartis idolo in bicolli monte. Apud Phænices *Baltis* sive *Baaltis* aut *Beltis* eadem est ac Dione sive Venus vel Luna. Est autem *Baaltis* nomen*

nomen substantivum foemini- num, derivatum à *Baal*, quasi uxor Bahalis sive Jovis; uti *Baal*, Βααλ, teste Augustino, nomen fuerit idoli gentium, quo Tyrii Jovem coluerunt; atque Punicum esse vocabulum, & quidem masculini generis: unde quoque eorum duces id cognomen loco sibi adsumferint, ut Hannibal, Asdrubal, Chaldæis sive Assyriis *Bal* sive *Bel* dictum: unde Græcorum Βήλας, & Latinorum *Belus*; adeo ut hoc nomen videatur viri proprium, & quidem apud Assyrios Sol *Bel* dicebatur, idque ejus nomen erat proprium: quandoque tamen etiam *Molech* vocabatur, quasi dominus cœli; quamvis generali nomine *Baalim*, foemini- num quoque sexum contineri puto; quàmobrem interjecto tempore aliæ gentes idem nomen aliis quoque idolis tribuerint cujuscunque sexus, adeo ut plures fuerint *Baalim*, vel Dii, vel Dæ, aut Domini. 1 C. 8: 5. Quapropter non mirum, quod etiam regina cœli Luna hoc nomine decorabatur, & *Baaltis*, *Baale* dicta. Hoc enim nomen diversis in locis sacrarum litterarum Interpretes foemini- ni sexus faciunt, uti *Jerem.* 19: 5. & 36: 35. 1 *Sam.* 8: 13. Præterquam quod numina Gentilium sæpius utriusque sexus habita; uti Lunus & Luna, aliique plures sic utroque genere veniebant. Ita *Baal* idem quod *Astaroth*, & *Astaroth* quod *Astar- te* sive *Ascherach* vel *Aschera*, 2 *Reg.* 23: 5. & 13. Masculinum ut genus magis dignum includit foemini- num, ita nomine filiorum etiam filix comprehen- duntur. Licet quandoque etiam separentur.

Huic Dæ sacrificabant Ethnici tanquam Regi- Luna
 næ

cur Re-
gina vo-
cata.

næ cœli. Vid. *Jerem.* 7: 18. & 44: 18. Regina autem vocabatur, quia Jovi nupta, qui cœli Dominus sive Rex dicebatur; quamobrem lingua Punicæ *Balsamen* dictus, id est, cœli Dominus sive Rex. Sic quoque Regina cœli Juno sive Luna vel Astarte, dicta *Babalat-samen*, vel secundum Hebræos, *Malecath-samen*, Regina cœli, imperii cœlestis socia, apud Abydenum dicta Βῆλτις vel Βαάλτις apud Philonem Byblium. Seldenus sermonem habet de *Belisama*, cujus in nummis adfert inscriptionem MINERVAE. BELISAMAE. Q. VALERIVS. MONVM. quo nomine Astartem, sive Reginam cœli, quæ & Minerva appellabatur, uti statim annotavimus, designari putat Vir doctissimus; quippe *Belisama*, est vox Hebræa *Belt* sive *Belti-samaim*.

Luna
quo sensu
dicatur
magnum
lumina-
re?

Vocatur autem Luna quoque luminare magna uti Sol; quamvis & magnitudine & qualitate multum inter se differant. Qualitate enim differt, cum, uti diximus, Sol est corpus totum igneum, qui omnis luminis in se massam continet: Luna autem à Sole omne lumen mutuatur; & proinde per se non magis luminare fit, quam speculum aliquod acceptam lucem repercutiens; *Et*, ut inquit Franciscus Burmannus, *inter eam & Solem non minor est differentia, quam inter lucentem candelam, & lapidem lumen ejus reflectentem*. Quamvis alii sentiant, non omnino omni penitus lumine per se Lunam carere. Quippe cum inter luminaria quoque Moses recenset Lunam, & quidem luminare magnum vocet; videtur hæc appellatio minime conveniens, si nullo proprio

proprio gauderet lumine, quod secundarium vocant. Qualitatis tamen ratione eatenus diversa à Sole, quod alia sit claritas Solis, alia Lunæ, & alia aliarum stellarum teste Paulo 1 Cor. 15: 41. Maxime quoque differt à Sole ratione magnitudinis; quippe constat Lunam omnibus astris, excepto Mercurio, esse minorem, tamen citima est & vicinissima terræ, hinc videtur omnibus aliis major, æque ac Sol, qui in se continet totam quantitatem terræ centies & sexagesies; unde à Plinio Sol describitur, *quod sit amplissima magnitudine inter Planetas, lib. 2. cap. 6.* quæ Lunæ quantitatem decies millies continet. Lunam autem minorem esse terræ, Mathematici testantur, dicentes terram tricesies novies majorem esse Luna: uti etiam cetera astra Lunam magnitudine immensum prope modum superant. Ita ut hic Spiritus S. utatur sermone populari, & ex vulgi præjudiciis orto: tum etiam ob maximum quem nobis præstat usum & operationem singularem in hæc inferiora, non incommode magnum luminare vocatur, cum reliquæ stellæ omnes ob nimiam distantiam, nullum usum vix terræ præstent, nisi quod hominem eas contemplantem excitent, ad prædicandam & celebrandam gloriam infinitæ sapientiæ, potentiæ, & benevolentæ Dei, *Psal. 19: 1.*

Præter hæc duo luminaria magna, quibus cœlum exornare Creator voluit, tantam stellarum multitudinem in expanso collocavit Deus, ut innumerabiles sint, teste S. Scriptura, *Gen. 15: 5. 22: 17. 26: 9. Jerem. 33: 22.* ita ut nonnisi à solo Deo nu-

Stellarum creatio, earumque multitudine.

Rumerari

merari possint, *Psalm.* 147: 4. Quæ etiam, uti paulo ante notavimus, non sunt ex nihilo creatæ; quippe eo tempore non erat nihil; sed omnia corporibus repleta; verum ex cœlesti materia factæ, omniaque astra, licet tam ingens eorum multitudo, suo tamen collocavit Omnipotens ordine & loco, & prudentissime disposuit. Quorum tamen numerum ignoramus, &, uti diximus, solus Deus novit. Huc referenda quæ canit Ovidius:

*Tu stellas numeras, quarum tu omnia solus,
Signa, potestates, cursus, loca, tempora nosti.*

Non inficior Astronomorum diligentiam in dinumerandis stellis notabilibus haud aspernandam; verum vix credo, omnes ab illis notatas, & non plures in cœlo reperiri, quas oculis, & ne quidem tubi optici beneficio indagare nec assequi valeamus; & proinde hæcenus ignoramus. Præterquam quod, uti ex adductis S. Scripturæ locis apparet, eæ sint innumerabiles, ita ut quanto quis acutius intueatur, tanto plures in cœlo videat, teste Augustino *de Civit. Dei lib. 16. cap. 23.* Quamobrem si quis temere asserere auderet, universum stellarum numerum se comprehendisse, S. Scripturæ contemnit auctoritatem, sicut Aratus, vel Eudoxus olim jactabant. Igitur cum nonnulli ex Ptolemæo & Astrologis tantum numerent stellas 1022. modò visu insignes & illustres, & quæ splendore suo sese notabiles reddunt, enumerant. Et licet alii hunc numerum multiplicent usque ad 7000. ejusmodi enumeratio magis conjecturis, quam solida veritate & infallibili demonstratione nititur. Præterquam quod

quod promissio divina Abrahæ facta de multiplicando ejus semine instar stellarum, tam angusto circumscripta numero, haud magnum ipsi solamen adtulisset; idque eo magis, quia ipse hujus disciplinæ atque scientiæ peritissimus, imo hujus artis auctorem & inventorem prædicant, & proinde numerum stellarum ignorasse, præsumi nequit; quamobrem si non majorem seminis sui multiplicationem sibi promittere potuisset, haud tantopere tanta cum fiducia hanc promissionem amplexus fuisset. Præterquam quod illa collatio ingentis numeri posterorum, qui ex femine Abrahæ oriundi, cum stellis aut arenæ granis, qua Deus utitur *cap. 13: 16. Genes.* tam angusta interpretatione circumscribi nequit. Optime itaque in hanc promissionem Dei commentatus est Augustinus *dict. loc. Continuo promissus ei heres, non vernaculus ille, sed qui de ipso Abraham fuerat exiturus, rursusque semen innumerabile, non sicut arena terræ, sed sicut stellæ cæli, ubi magis videtur promissa posteritas cæli felicitate sublimis: nam quantum ad multitudinem pertinet, quid sunt stellæ cæli ad arenam terræ, nisi quis istam comparationem in tantum esse similem dicat, in quantum stellæ dinumerari non valent. Quum autem innumerabiles esse stellas noverit, & non magis numerari possint à nobis, quam arena terræ; in illa Dei promissione statim acquievit; haud ignarus, & in Astrologia, uti statim diximus, versatus, ingentis & innumerabilis stellarum multitudinis. Quamobrem Orpheus apud Clementem *lib. 5. Stromatōn*, Abrahamum Astrologum vocat, dum canit:*

R 2

Unus

*Unus præterquam, cui derivatur origo
Chaldæum ex genere; is noscebat sidera cœli,
Illorumque vias, & qua moveatur in orbem
Sphæra.*

Observatum enim est Viam lacteam aliud non esse, quam innumerarum stellarum congeriem, quarum multæ beneficio tubi Optici quidem observatæ fuerunt, verum exactum & adæquatum quis nobis numerum exhibebit? Planetæ quidem septenario antiquitus descripti sunt numero; ast plures stellas erraticas novorum Astrologorum demonstrat solertia. Præterquam quod stellæ fixæ per immensum cœli spatium diffundantur, & velut arenæ in littore maris, ut cum Scriptura loquar, ob multitudinem numerari nequeant; quamobrem Astrologi illas in certas cohortes sive constellationes redegerunt, iisque, ut ita melius distingui discernique possent à se invicem, quasdam imagines sive signa affinxerunt. Itaque operam & oleum perdiderunt, qui eas numerare voluerunt, sive veteres sive novi Astrologi.

Stellarum usus.

Hisce lucidis corporibus exornare cœlum placuit summo Deo, quæ nobis non solum immensam & infinitam potentiam ostendunt; sed etiam ordo, quo adeo concinne collocata & disposita sunt astra, stupendam & numquam satis admirandam Dei sapientiam testatur. Appellamus lucida corpora, quia non verisimile videtur stellas fixas lucem habere à Sole; sunt enim multo altiores, nec etiam ab alio corpore lucido accipiunt; sed de suo lucent, teste Scaligero *adversus Card. exercit.* 69. licet neget Metrodorus apud Plut. *lib. 2. de plac. Philos.*

cap. 17.

cap. 17. Affirmat contra Macrobius *lib. 1. in somn. Scip. cap. 19.* cui adstipulantur Galilæus, Cartesius: quod etiam, uti statim annotavimus, evincitur ex incredibili Solis à stellis intervallo & distantia.

Quemadmodum vero Ethnici Soli & Lunæ, ita ^{Stellarum cultus.} quoque stellis omnibus divinitatem tribuerunt, tum Barbari, tum Græci. Unde Plato in Cratylo: *Qui Græciam primi incoluerunt, videntur mihi illos solum Deos existimasse, quos nunc etiam Barbari multi pro Diis habent, Solem, Lunam, Terram, Astra, Cælum.* Hinc Posidonius apud Stobæum, *Stellam esse, ait, corpus divinum, ex æthere compositum.* ubi ex æthere Jupiter intelligendus. Quamobrem Ennius: *Adspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem.* Partes autem Jovis sidera habita fuisse à Stoicis olim, docet nos Augustinus de civit. Dei *lib. 1. cap. 1. Dicunt (Stoici) omnia sidera partes Jovis esse, & omnia vivere, atque rationales animas habere: & ideo sine controversia Deos esse.* Nec mirum igitur, quod non vitam duntaxat tribuerint, sed & intelligentia & sapientia polleere supra humanam conditionem, opinionis errore seducti, affirmaverint. Vivere autem colligebant, partim ex motu perenni, partim ex perpetuis operationibus in inferiora corpora: & ne viderentur abs ratione vitam hisce lucidis corporibus tribuere, ita argumentabantur: Omne corpus inanimatum quiescit in loco suo naturali ac proprio; Atqui stellæ in eo non quiescunt: uti nec duo illa luminaria magna Sol & Luna; sequitur, Sidera non esse inanima, sed formam habere vitalem, quam animam dicimus,

mus, Gerard. Joan. Vossius *lib. 2. cap. 30. de Idol.* Mentēs enim purissimæ vocantur à Philone *lib. 2. som. Cic.* Imagines divinæ & pulcerrimæ. Quamvis propterea non putaverit esse Deos. Probatissimos quoque Auctores, & Christianorum quidem sacris initiatos, quorum in numero Thomas Aquinas, aliique, quos recenset statim laudatus Gerard. Vossius *dict. loc.* sensisse, *astra vivere*, ibidem videre est; id est, mente & ratione prædita esse; nam hoc sensu etiam homines *vivere* dicuntur, cum *in Deo esse, vivere, & moveri* dicamur. Verum licet ejusdem rationis nobiscum participes statuamus stellas, inde tamen non sequitur, eas divinitatis magis participes quam homines. Quamobrem diviniore mente præditas finxerunt, vel potius, opinionis errore seducti, crediderunt; propterea, quia in æthere agerent, substantia maxime subtili, ut paulo ante notavimus. Nec ambigendum, quin ex subtilissima & purissima materia illa corpora lucida producta sint, & quidem secundum communem tum Theologorum, tum etiam Philosophorum recentiorum sententiam, *ex luce primigenia*: quin etiam sidera esse globos ex igne conflatos, & caloris plenos, auctor est Plato *Epinom. pag. 981.* Alterum animalium genus ponendum, quod etiam gignitur, & cerni potest, & igneæ naturæ plurimum habet; ex quibus esse ea omnia existimandum, quæ cælo continentur. Verum uti testatur Stobæus *Eclog. Phys. lib. 1. pag. 54.* Plato majorem quidem stellarum partem igneas, aliorum tamen etiam elementorum aliquid habentes posuit.

Planeta-

Quibus indigitare videtur, stellas à Planetis secer-
ni,

ni, quod illæ propria luce fulgeant; Planetæ vero ^{rum de-} ^{scriptio.} sint corpora opaca, & lumine emendicato reluceant, uti disserit Theoph. Galé *Philos. lib. 3. cap. 2. sect. 3. §. 3.* Mirum tamen, quod in Deorum numerum non stellæ fixæ relatæ, quæ uti propria luce fulgeant, ita quoque eo magis divinitatis participes & diviniore mente præditæ videri debuissent, sed erraticæ, Planetæ, adscitæ sint. Et cum Sole Lunaque solas eorum sint dignati nominibus, qui *majorum Gentium Dii vel selecti* dicuntur, uti annotavit Vir doctissimus Joh. Ger. Vossius *de Idol. lib. 2. cap. 31.* Perperam vero errantes vocari, videtur Tullio *lib. 2. de nat. Deor.* Nihil enim errat, quod in omni æternitate conservat progressus & regressus, reliquosque motus constantes & ratos. Hujusmodi stellæ solent statui quinque, unde & *Quinque-stellæ* dicuntur.

Inter erraticas primo post Solem & Lunam, culta ^{Luciferi} ^{cultus.} fuit stella matutina & vespertina, ut quæ inter quinque Lictores Solis, *ραβδοφόρος*, uti Ægyptii hæcæ stellas, sive *πλανήτας* vocabant, candore suo maxime in oculos incurrit. Unde Homerus *Iliad. x. v. 318.*

Ἑσπερὸς ἐς Κάλδις ἐν ἔρανῳ ἴσεται ἀσηρ.

Hesperus æthereo longe pulcerrimus orbe.

Hinc quoque apud Græcos *φώσφορος*, apud Romanos *Lucifer* dicta fuit, idem nomen quodque Lunæ inditum fuisse annotavimus supra; propterea quod lucem eximiam afferat nocte. Tandem etiam Venus dicta; ab illa nimir. quæ ex Cælo & Die nata, cujus in Elide delubrum est, Cicero *lib. 3. de nat. Deor.* Antiquissimis temporibus hanc stellam divinos obtinuisse honores ex eo constat, quod Venerem coluerint.

luerint Israëlitæ. Ab his vero eum cultum acceperunt Saraceni. Refert enim Euthymius Zigabenus in *Panoplia*, Saracenos lapidem illum magna devotione osculari, eo quod existiment, esse lapidem, super quo Abraham compressit Agar, vel cui adligavit Camelum, immolaturus filium, esse caput simulacri Veneris. Quem cultum Saraceni tenuere usque ad Cæsaris Heraclii tempora, Stellam illam eorum lingua *Chabar* sive *magnam* vocantes. Nec abludunt Mahumedani, qui, teste Georgio Cedreno in *Chronicis*, stellam Veneris lingua sua absone absurdaque appellant *Cubar*, quod significat *magna*, vocabulo ab Hebræo *cabir* deducto, ut putat Cl. Vossius. Unde Samothracum Dii *Κάβειροι*, q. d. *deos magnos*, *potentes*. Cultum Veneris apud Saracenos viguisse, præter Euthymium & Cedrenum testatur quoque Hieronymus in *vita Hilarionis*: *Vadens in desertum Cades, ad unum de discipulis suis visendum, cum infinito agmine Monachorum pervenit Elusam, eo forte die, quo anniversaria solennitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita est. Idem Auctor in hoc Amos. cap. 5. 26. Portastis vero Siccuth Regem vestrum, & Chijunem imagines vestras, sidus Dei vestri, quæ fecistis vobis*: sidus hoc stellam luciferam interpretatur, quod ætate sua dicit à Saracenis cultum fuisse. Quamvis alii, uti & Aben Ezra, Saturnum intelligant. Vir doctissimus Ludovicus de Dieu, eandem stellam hic denotari putat, atque hunc versum ita posse transferri: *Et portastis tabernaculum Molochi vestri;*

vestri, & Saturnum præcipuam imaginem vestram, stellam Dei vestri, quem (aut quæ) fecistis vobis. Refert enim Vir clariss. Jacobum Golium ex Oriente secum attulisse Etymologicon Persicum Turcicum, in capite primo, ubi enumerantur stellarum nomina, se vidisse recenserī کيوان ۱۳۱۲ pro Saturno. Et in Lexico Arabico, cui nomen Camus كيون ۱۳۲ explicatur رجل ممنوع *vir rigidus & austerus*, proprie prohibitus, ad quem accessus quasi est prohibitus ob morositatē & morum difficultatē, cujusmodi apud Ethnicos depingitur Saturnus.

Neque apud Astrologos Planetarum ullus inclementior Saturno. *Mercurii* stella post *Venerem* ex motu suo circa Solem maxime conspicua, olim culta fuit. Quippe apud omnes in confesso est, Mercurium haud secus ac *Venerem* moveri circa Solem, velut centrum sui motus, quamvis arctiori ambitu. Ex quo fit, uti Astrologiæ periti annotarunt, ut modo infra Solem, modo supra Solem, & quandoque altior sit *Venere*, nonnunquam humilior. Et, si Isidoro habenda fides, Mercurius hinc quoque dictus, quod medius currat, inter Solem scil. & *Venerem*. Ambo autem Solis comites vocantur; quoniam ambo Solem circummeant: sic ut dimidio tempore sint supra eum, dimidio infra eundem, uti ab hujus artis peritissimis ostensum Copernico & Tycho. Neque antiquis hoc temporibus plane ignoratum, ex Vitruvio, qui Augusti Cæsaris ætate floruit, annotavit Joh. Gerard. Vossius *lib. 2. cap. 32. de Idol.* Cultum autem Mer-

Saturni
descrip-
tio, usus,
& cultus
religio-
sus.

S curii

curii ab Oriente esse, inter Viros doctos convenit. Quanti fecerit hanc stellam Julianus Imperator, ex veterum constat monumentis. Sed nec Porphyrius minorem venerationem pro hac stella habuit. Verum, uti annotavit statim laudatus Auctor *dict. loc.* primitus Oriens per Mercurium potius Solem, imo quandoque & Lunam intellexit. Videlicet utriusque λόγος, hoc est, tum rationis, tum orationis, ut videre est apud Eusebium *lib. 3. præparat. Evangel. cap. 11.* ὁ Ἑρμῆς παρασατικός, *Mercurius & exhibitor & repræsentator. Verum Mercurio, ut rationem denotat, sedes data est in Sole: ut autem orationem notat, in Luna.* Hæc ille. Hæc autem stella colebatur apud Orientales, tum præcipue Babylonios, qui eam coluerunt sub nomine *Seches*, teste Hesychio. Et videtur quibusdam ab hoc nomine Σεχῆς derivandum *Sarsékim*, quo nomine appellabatur unus ex illis principibus, qui Regis Babylonis lateri adhærebant, ut videre est apud Jeremiam *cap. 39.* Quippe si eorum comitum nomina appellativa examinemus, perspiciemus derivata vel composita ex nominibus idolorum. Hinc *Nergal Shareetser*, ab idolo *Nergal. Samgar Nebo* a Chaldæorum idolo *Nebo.* Hinc *Nergal* idolum 2 *Reg. 17: 30.* Erat autem hoc idolum forma Galli. Aliud porro nomen apud Orientales Mercurio datum, scilicet *Merkolis*, & deinde *Margenah*; & inter Ægyptios *Theit* vel *Theut*, teste Cicerone *de nat. Deor. lib. 3.* Inter Græcos Ἑρμῆς & Στίλβων, uti statim annotavimus, nominabatur. Sic vero dicitur, ut inquit Vossius, *non quia lumen suum viret,*

bret, prout σακεῖν dicuntur stella fixæ, sed simpliciter quia splendet. Apud Romanos vocabatur Mercurius. Cujus quanta fuerit veneratio, indicat Seneca lib. 4. cap. 7. de benef. ubi ait, Deum & Naturam vocari Mercurium, quia ratio penes illum est, numerusque, ordo, & scientia. Cæsar comment. 6. Bell. Gall. testatur, istam nationem Mercurium maxime colere, hujusque plurima esse simulacra: hunc enim omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Argumentum, cultum Gallorum non multum discrepasse à reliquis nationibus. Ab eo autem quod loquelæ & eloquentiæ præesset: unde Græci Ἑρμῆν dixere: quippe ab ἑρέω, id est, dico, Ἑρμῆς venit; uti annotarunt ejusdem linguæ periti, unde ἑρμηνεύειν, interpretari cogitationes latentes; & exinde finxerunt Mercurium nuntium Deorum. Hinc Horatius lib. 1. Od. 10.

*Mercuri facunde, nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decore*

*More palestra:
Te canam magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæ lyrae parentem.*

Quippe si magni Jovis nuntius, ut ejus placita & mandata adnunciat, oportet ut dicendi polleat facultate, digna tanta majestate, cujus nuntius est vel orator. Atque ob hanc causam λόγιος etiam dictus est. Quamobrem Viri eruditi annotarunt, Veteres non duntaxat Mercurium dixisse λόγιον Ἑρμῆν,

Mercurium facundum, sed etiam λόγιον *facundum*. Huc referendum, cur Lystrenses, cum Paulus & Barnabas claudum sanassent, utrique divinos ferre voluerint honores; Barnabæ ut Jovi, Paulo ut Mercurio; quia dux esset verbi sive sermonis, uti videre est *Act. 14: 9*. Syrus retinet הרמס pro illis ἡγεμῶν & λόγος habet כהלחא חשרא id est, *incipiebat sermonem*. Tremellius vertit *principatum habebat in sermone*.

Casmili
vel Cas-
mili no-
men un-
de?

Forte ob munus & ministerium, quo fungebatur, dictus quoque *Casmilus* vel *Camillus*. Phœnices dicebant *Sumes*. Tusci *Camillum*, teste Macrobio *Saturn. lib. 3. cap. 8*. Statius Tullianus de *vocabulis rerum lib. 1. ait*, dixisse Callimachum Tuscos *Camillum* appellare Mercurium, quo vocabulo significant *præministrum Deum*. Inde Virgilius ait *Metabum Camillam* appellasse filiam, *Dianæ scilicet præministram*. Nam & Pacuvius cum de *Medea* loqueretur,

Cælitum Camilla expectata advenis, salve hospita.

Romani quoque pueros & puellas nobiles & investes *camillos* & *camillas* appellant, *flaminicarum* & *flaminum præministras*. Varro *lib. 6. de ling. Lat.* *Casmilum* etiam appellat Deorum nuntium vel legatum Mercurium. *Casmilus*, inquit, *nominatur in Samothracis mysteriis Deus quidam, administrator Diis magnis*. Verum alii vocant *Cadmilum*: sed cur non & *Cadmilus* & *Casmilus*, juxta scribendi & pronuntiandi modum diversum? Vir doctissimus Bochartus *Geograph. part. 2. lib. 2. cap. 22.* derivat nomen

nomen illud de *Chadama*, quod apud Arabes significat *servire*, & *d'el*, quod Deum interpretatur. Verum Celeb. Vossius deducit à *Kemarim*. Ita enim solebant Syriæ & Phœnicæ populi appellare Deorum ministros & sacerdotes. *Kamarim* transmutat in *Casmarim*, quemadmodum *pœna* dicitur *pœsna*, *Camena*, *Camesna*: ita *Kamar*, *Camillus* per diminutivum, uti *lapis lapillus*. Verum aliis hujus vocis etymologia nimis longe petita videtur. Quamobrem alii nomen hujus Dei derivant sive deducunt de *Casmilla* vel *Casmillum*, uti Vir doctissimus Jurieu *Hist. Crit. part. 4. cap. 3.* cum ait, *Pour moy, je tire ce nom de Mercure de Casmilla ou Casmillum, qui signifie en Hebreu biter les paroles: on ne peut pas mieux nommer celui, qui étoit le Dieu de la parole & l'Ambassadeur de Dieux; Cadmilus vient de Cadem milla קדם הלה, qui signifie faire aller les paroles par devant; ce qui convient encore parfaitement à celui qui parle au nom des Dieux.* Ubi quoque statuit, ab illa denominatione derivari *Camillus* & *Camilla*. *Camilli* enim dicebantur Romæ pueri ingenui, quorum ministerio in sacrificiis utebantur. Talem Ovidius intelligit, cum ait:

Stat puer & manibus lata canistra tenet.

Hinc Lexicographi: *Camillus*, *Sacerdos gentilis, minister sacrorum, præsertim idolorum, fuscis aut nigris vestibus indutus.* Ita illud 2 Reg. 23: 5. *Abolebo Charim, exponunt Sacerdotes, Camillos, tanquam inde sit Camirus, & hinc per diminutionem Camillus.* Verum an sic vocati sint idolorum sacer-

dotes, quia vestibus nigris induti erant, dubitat vehementer Joh. Clericus *Comment. ad h. l.* quamvis *Chamar nigrescere* significet; adducens locum Ciceronis *lib. 2. de LL.* ubi inquit: *Color albus præcipue decorus est Deo, cum in cæteris, tum maxime in textili;* hinc tamen deduci *Camillos & Camillas* à viris doctis ibidem annotat.

Camillorum munus.

Erant itaque Camilli ministri sacerdotum, uti constat ex Macrobio *Saturn. lib. 3. cap. 8.* Servius in 11. *Æneid.* ad verba *Ipsè pater, familiam voveo,* annotavit: *Consecro in tuum ministerium: unde & Camilla dicta est, quasi ministra: ministros enim & ministras impuberes Camillos & Camillas in sacris vocabant; unde Mercurius Etrusca lingua Camillus dicitur, quasi minister Deorum.* Vid. Festum, & ibi Scaligerum, & eundem *conjectan. in Varronem.* Item *castigat. in Propert. lib. 4.* Hoc nomine solebant appellare Romani filios filiasque impuberes nobiles, qui sacerdotibus sacrificantibus ministrabant usque dum pubertatem attigissent, teste Dionysio Halicarn. *lib. 2.* Diximus autem alibi negotiis quoque & quæstui, tum etiam viis præfuisse; & Majis Idibus Mercatorum erat festum, quod eo die Mercurii ædes esset dedicata; quamobrem à Græcis eandem ob causam dictus *αἰγώπαιος*, hoc est *forensis*: statuque illi in foro multis civitatibus erecta; unde quoque à merce *Mercurium* dictum volunt. Hinc apud Plautum in *Sticho*: *Mercurio, qui me in mercimoniis juvit, lucrisque quadruplicavit rem meam.* Ad quem locum notavit Lambinus: *Mercurius mercaturæ præest, & lucra*

lucra adjuvat. Unde ἐρμαῖον κέρδῳ *lucrum lucretum* vocat Arnob. *lib. 4.* Et Aristophanes in *Pluto* ἡμ-
 πολαῖον, id est, *quæstus* & *lucris præsidem*: Non
 quæstui duntaxat, sed viis etiam præfuisse annota-
 vimus Mercurium, cujus in honorem acervum lapi-
 dum ad ejus statuam, quæ plerumque in triviis fuit
 posita, congerere, tum fructuum primitias ponere,
 in gratiam viatorum, solenne fuit, juxta ea quæ
 annotarunt Viri docti. Hinc statuæ viarum dice-
 bantur *Mercurii*, ac pontium, quas *Hermas* Græci
 vocant; item acervi ex lapidibus à prætereuntibus
 ex tempore jactis, qui Mercurio sacri. Salomon
Proverb. 26: 8. sermonem habet de ejusmodi acer-
 vo Mercurii, cum inquit: *Sicut qui mittit lapidem*
in acervum Mercurii, ita qui tribuit insipienti hono-
rem. Isid. in *Gloss. Mercurius lapidum congeries in*
cacumine collium. Drusius autem *Quæst. Ebraic.*
quæst. 66. opinatur, interpretem respexisse ad acer-
 vos lapidum, quos olim Mercurio sacros in itine-
 ribus ambiguis ponebant. Et ei videtur translator
 non tam Regem Salomonem interpretatus esse,
 quam illud, quo usi in declaratione hujus loci ve-
 teres Hebræi *Projicit lapidem in Mercolis.* Nam
 Mercolis, id est, Mercurius, vel potius acervus
 lapidum Mercurio sacer. Hieron. Cum dixit, *in a-*
cervum Mercurii, alludit ad illum morem, quo in
 triviis cumulo lapidum Mercurii statuam impone-
 bant, quasi monstraret iter. Viatores quasi grati
 in eum cumulum projiciebant lapidem. Ergo ut illi
 rem vanam faciebant, sic qui honorant stultum.
 De eo more Emblema nobis exhibet Alciatus 8.

In

*In trivio mons est lapidum, supereminet iii
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.*

Vel ut hac ratione viderentur viam repurgare, ne ad lapides cæteri offenderent viatores. Obtinuit quoque hæc projiciendi lapides in acervum vel cumulum consuetudo apud Indos, Arabes & Saracenos. Solebant enim Indiæ gentes nudi & decalvati, magnisque ululatus personantes simulacra Dæmonum circumire, angulos quoque deosculari, & lapides in acervum projicere, qui quasi pro honore Diis exstruebatur; quod bis faciebant anno, initio Veris & Autumni. Eadem hodie adhuc consuetudo viget apud Muhammedanos; nisi forte Veneri tributus sit honos hic, vel non absimilis: cumque apud Mechem suo tempore in honorem Veneris Mahumed celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cum tamen cetera idololatriæ vestigia abolerit. Sed hæc de stella Mercurii, ejusque fictitii Dei delibasse sufficiant.

Martis
stellæ
cultus re-
ligiosus.

Post Solem, Lunam, Venerem, & Mercurium, Martis stellæ cultus religiosus quoque exhiberi cœptus. Omnes enim hæc stellæ erraticæ, quos Planetas vocamus, uno eodemque tempore in Deorum numerum adscitæ sunt, quia simul innotuerunt Veteribus, vel saltem primoribus seculis non accurata eorum siderum fuit observatio, ut Martis, Jovis, & Saturni cursus omnibus constiterit. Itaque uti animadvertit Eduard. Baro de Herbert in tractatu suo *de relig. Gentil.* Nomina hæc, inquit, *primitus hominibus tributa, stellis hisce, ubi adinventæ fuerint, indebantur: ut tota igitur veteris Saturni, Jovis*

Jovis & Martis historia non mystica, vel divina sit, sed humana & fabulosa; aut si aliquo modo divina vel mystica fuerint nomina hæc, certe non Planetis hisce, (uti jam obtinet) sed Soli tantummodo antiquitus competunt. Tantum enim veterum religio, si-ve adulatio potuit, dum Heroës suos Siderum, Sidera Heroïum nomine donabant. Non diffitear tamen, pergit, ante Saturni, Jovis & Martis sæcula stellas hæcæ cognitas & cultas fuisse, sed sub aliis nominibus. Hæ autem stellæ Mars, Jupiter, Saturnus diversa in Oriente sortitæ sunt nomina. Sufficiet hic adducere insignem locum Achillis Tatii in sua *Isagog. Ægyptiis & Græcis*, inquit, Saturni stella, utcunque obscurissima sit, phænon, hoc est, lucidissima dicitur. Sed Græcis sic quidem boni ominis causa vocatur. Ab Ægyptiis vero Nemesis stella nominatur. Altera est stella Jovis, secundum Græcos Phaëton, Ægyptiis stella Osiris. Tertia est Martis, secundum Græcos Pyroïs, at Ægyptiis Herculis stella. Quarta est Mercurii, quæ Græcis dicitur Stilbon, Ægyptiis stella Apollinis. Quinta est Veneris, Græcis Lucifer. Babylonii stella Martis vocata Θυρίας; indeque nomen hoc accepisse Regem, qui Nino successit in imperio, patet ex Chronico Alexandrino lib. 1. cap. 16. Inter Græcos nomen ejus Ἄρης, & secundum aliquos Πυροïs, uti statim annotavimus. Apud Romanos Mars, quem finxerunt belli Deum gentes à veri Dei cultu alienæ. Unde Varro lib. 4. de Ling. Lat. Mars ab eo, quod maribus in bello præest; aut quod à Sabinis acceptus ibi Mamers. Lycophron quoque habet μά-

T

μῆρϛ

μαρτῶ pro *Marte*. Martem vocari nonnulli volunt, quod magna vertat. Sed Scaliger *de Caus. ling. Lat. Mars Osca dictio fuit, concisa à Mamerte. Mammers enim & Mavors & Mars fortem apud illos significarunt, non quod magna verteret, ut ajunt. Neque enim Latinae voces fuerunt.* Quemadmodum idem Auctor Martem refert ad Ἄρης, & ei voci Syram dat originem. *Arjoth & Arjel pro leone.* Verum alii vocem Martis derivare malunt ex Chaldo *מרם contundens*, quod est participium formæ Kal. Sed de vocis Etymologia hæc satis. Dicitur à Germanis *Hesus*; unde Lucanus *lib. 1.*

- - - *Horrensque feris altaribus Hesus.*

Marti
humanæ
hostiæ
maçtanz.

Victimas enim Germani solebant maçtare ex hostibus bello captis *Heso* sive Marti. Quamobrem Propicius: *Hostiarum illis pulcherrima est homo, quem bello primum ceperint. Hunc vero sacrificant Marti, quoniam illum Deorum censent maximum.* Hic mos ab omni ratione & humanitate alienus apud Gentiles invaluit, quod opinionis errore sibi persuadebant, summum Deum placari non posse, nisi per effusionem humani sanguinis, quod fiebat per immolationem ejusmodi hostiæ humanæ.

Jovis
steilz a-
pud ple-
rasque
Gentes
veneratio
maxima.

Jovi autem proximum, inferiorem orbem hæc stella tenet, quæ *Martis stella* dicitur, eaque quatuor & viginti mensibus, sex forte diebus minus, eundem lustrat orbem. Proxima supra Martem est *Jovis* stella. Fuit hæc in summo cultu & honore apud veteres; forte quia virtute plurimum salutari ac benefica præditam opinabantur; quamobrem *fortuna major* ab Astrologis nominabatur: medius autem

tem Jupiter Planeta inter Martem & Saturnum Planetas naturæ inferiorum plurimum inimicos ad eorum vim exitialem ac maleficam contemperandam gyros suos per cœli ambitum decircinare solet, ut proinde bene à *juvando* dictus credi possit. Unde Poëta,

Utilis adfulget jucundo sidere terris

Jupiter : unde juvans dicitur esse parens.

Regium; uti eum describit Joh. Zahn *Mundi cap. 9. plane sidus*; quia non tantum multiplici, ac vario zonarum, aut fasciarum ornatu præditum, sed etiam aliarum stellarum, veluti satellitum comitatu stipatum hoc nostro primum seculo per tubos opticos observari cœpit, eosque Jovis asseclas primus deprehendit beneficio & ope telescopii Philosophus & Astronomus florentissimus Galilæus Galilæi, Magni quondam Hetruriæ Ducis *Cosmi de Medicæ Mathematicus*; cujus Systema Mundi legi & evolvi meretur ab eruditis & huic disciplinæ operam navantibus viris. *Medicæa sidera* hosce Jovis satellites appellans, quoniam in ditione Medicæorum, Anno Christi 1610, primum cœlo deduxisset; quibus etiam singulis sua indidit nomina, *Saturnus Jovialis, Europa, Ganymedes, Calisto*; ab aliis autem alia acceperunt nomina. Saturni & Opis filium Jovem finxerunt Gentiles; eumque imprimis celebrarunt ut *altitonantem*, sub quo, Saturno tenebroso in Tartara misso, mundus erat; & ad quem Univerſi spectabat regimen.

Multos vero aliosque Joves memorant, teste Varone, *lib. 7. de ling. Lat.* cum inquit: *Alios ca-*

T 2

^{plures Joves.}
sus

sus habent & rectos & obliquos ; alia rectos solum, alia modo obliquos. Habent utrosque, ut Juno Junonis : rectus modo, ut Jupiter, Marspiter : obliquos solum, ut Jovis Jovem. Et Priscianus lib. 6. Opiter Opiteris & Opitris, Marspiter Marspiteris & Marspiteris, Diespiter Diespiteris & Diespiteris. Sic etiam Jupiter Jupiteris & Jupitris, ut Cæsellio Vindici placet, debet declinari. Nam Jovis nominativo quoque casu invenitur. Cæcilius in Epistola : nam novus quidem Deus repertus est Jovis. Aëtius in ἱερὴ λαμπράν, lucifera lampade exurat Jovis Arietem. Ex quo etiam pluralem numerum Plautus protulit in Casina, Repente, ut emoriamur humani Joves. Et Cicero in Cat. Joves plures in Græcorum litteris invenimus. Jovis itaque altitonans per excellentiam appellatur, unde magni tecta tonantis, apud Ovid. 1. Metam. ad denotandum, Jovem Deorum omnium primum atque maximum, cuncta gubernantem, primum atque postremum, Alpha & Omega, ut nos diceremus; qui omnia tempora, quæ umquam fuere, præcessit; & permansurus post cuncta quæ futura sunt, quique supremam mundi partem colit, infimam quoque omnium attingit, totusque ubique est. Hinc confessum sive concilium Deorum describens Ovidius 1. Metam. Jovem, tanquam ejus concilii principem, stipatum à cæteris cælicolis, scil. majorum Gentium Diis, qui ab ejus nutu pendent, penes quem summa majestas & imperium, cæteris obsequii gloria relicta est, inducit. Unde Cæcilius suum Octavium monuit, ipsos Poëtas multorum Deorum auctores & effictores,

res, uni tanquam supremo, Jovi scilicet eminenti atque summo, non tantum in res creatas & totum universum, cœlum terramque, sed & in ipsos Deos imperium deferre. Rationis dictamine edocti vix hujus universi regimen consistere posse, nisi uni tantum reddatur ratio. Unde *Rex superum, superum Rector, vasti Rector Olympi, Pater Rectorque Deum*, & id genus nominibus aliis passim vocari veterum monumenta testantur.

*Est Jupiter omnipotens Regum, Rex ipse, Deusque,
Progenitor, Genitrixque Deum, Deus unus & omnis.*

Hinc Deum unum, qui melius ex Gentibus sapiebant, arbitrabantur: eumque pro variis virtutibus rationibusque varie nuncupari crediderunt, & multitudinem Deorum errore vulgi introductam, qui recte philosophati sunt inter Gentiles, statuisse videntur, ut constat ex Platone, Aristotele, Cicero, & aliis recte ratiocinantibus. Unde omnium rerum originem ad eum referebant, atque earundem existendi causam eum nuncupabant. Is vero nobis est Jehova, Deus noster, æternus ille & omnipotens. Hinc, uti statim dicere incepimus, *pater juvans*, dicebatur, tanquam vitæ auctor; in quo omnia sunt & moventur, ac vitam habent; unde & corporei hujus mundi animus credebatur, qui universam istam molem ex quatuor elementis constructam atque compactam implet & movet, ut inquit Augustinus *de Civit. Dei lib. 4. cap. 11*. Unde Poëta.

T. 3.

- - Deum:

- - - *Deum namque ire per omnes*

Terrasque, tractusque maris cælumque profundum.

Hinc Varro, cum animadverteret Deum supremum à Judæis coli, cui ejusmodi divinitatem adsignabant, & per omnes terrarum tractus, & totam universi machinam sese talem esse probaret, quem rectè inter Gentiles philosophantes supremum Numen prædicabant, cum pro Jove habuit, ut qui nihil censeret interesse, quo nomine nuncupetur, dum eadem res denotetur. Inspiciamus Senecam, Jovem describentem, dum ait: *Sapientes nequaquam Jovem intellexisse, qui in Capitolio aut aliis Templis fulmine armatus cerneretur, sed quoties mentem animumque existimasse omnium custodem, universique administratorem, qui hanc rerum universitatem condiderit, ac eandem nutu suo gubernet; ac propterea divina quoque nomina ei convenire. Itaque optimo jure Fatum appellari posse, ut à quo ordo seriesque causarum inter se aptarum dependeat. Item & Providentiam dicit, quum ipse provideat, ut omnia perpetuo ac perenni quodam cursu, ad finem, ad quem destinata sunt, currant. Naturam quoque nuncupari, ex eo enim cuncta nascuntur, per eumque, quidquid vitæ est particeps, vivit. Mundi quin etiam nomen illi congruere. Quidquid sub aspectum cadit, ipse est, qui se ipso utitur, & omnia ambitu suo complectitur, universaque nomine suo complet. In Actis Apostolorum cap. 14. 11, & 12. mentio fit Jovis, illius gentis Idoli, ubi Syrus Jovem exponit Dominum Deorum. Et apud Minutium Felicem Octavius: *Qui Jovem principem vocant, fallunt in nomine, sed de una potestate consentiunt.**

sentiant. Quamvis & ipsum *Jovis* seu *Διός* nomen etiam vero Deo non indignum esse, Seldenus ostendit *de Diis Syris Synt. 2. cap. 1.* Hæc Gentilium de Jove, tamquam summo Deo, opinio, cui universi nonduntaxat mundi regimen deferebant, sed etiam ipsum omnium rerum causam & auctorem prædicabant, causam præbuit & argumentum Irenæo, ut Valentianos, ejusque hæreses populares, alios Deos, supra Deum, Orbis conditorem, constituentes, peiores Ethnicis ostenderet, & pessimi erroris argueret, ad *Hæres. Valent. 11: 9.* Ubi, inquit, (Ethnici-nempe) *creatura potius, quam creatori servientes, & his, qui non sunt Dii, verum tamen primum Deitatis locum attribuunt fabricatori hujus universitatis, Deo.* Hinc Prudentius contra Sabellianos,

*Et quis in Idolio recubans inter sacra mille
Ridiculosque Deos venerans sale, cespite, thure,
Non putat esse Deum summum, & super omnia
solum.*

*Quamvis Saturnus, Junonibus & Cythereis
Portentisque aliis fumantes consecret aras;
Attamen in cælum, quoties suspexit in Uno
Constituit jus omne Deo, cui serviat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.*

Et paulo post:

*Cum ventum tamen ad noxam rationis & artis,
Turbidulos sensus & litigiosa fragoris
Argumenta modis concludunt Numen in unum
Cujus ad arbitrium sphaera mobilis atque rotunda
Kalvatur, servantque suos vaga sidera cursus.*

Et ut

Et ut inquit Lactantius *divin. instit. lib. 3.* Ita Gen-
tiles rebus creatis Deos plures præfecisse, ut tamen u-
nus sit Rector eximius. Unde Cicero, populares Deos
multos, naturalem unum esse. *de natur. Deor.* Hinc
nomen Jovis à verbo יָהוּ, vel Jah, Jao, appel-
latur; ex quo duplicato verbum Jehovab esse con-
flatum, vult Isidorus *lib. 7. cap. 1.* De Deo Jovo
inter Phænices sermonem habet Philo Byblius, vid.
Eusebium *de præp. Euang. cap. 10.*

Saturni
stiliz fi-
tus &
culus.

Superest ex Planetis Saturnus, altissimus, ut A-
strologi annotarunt, Planetarum, & à terra remotis-
simus, teste Cicerone *de nat. Deor.* Sic dictus, quod
saturetur annis; ac si vox ista Saturnus esset compo-
sita ex satur & annus. Natura sua & effectū cense-
tur esse Planeta maleficus, quamobrem ab Astrolo-
gis Infortuna major appellatur. Et quia à Sole abest
longissime, est frigidissimus. Fr. autem Junius *in elog.*
Hebrææ ling. Saturnum neque à *satu*, neque à *satur*,
neque à סַטְוָן deducendum contendit, sed ab Hebræo
abscondendi verbo: quemadmodum etiam à latendo
Deus Latius, sive Latinus dictus est, & Saturnia se-
des Latium appellatum. Ducit ergo vocem à שָׁטוּ,
id est, *latuit*. Et ante Scaliger ad illud Varronis *lib.*
4. de ling. Lat. Quod cælum principium, ab *satu* est
dictus Saturnus, & quod ignis Saturnalibus, hoc est,
cerei superioribus mittuntur: ad illud annotat,
„ Quod, inquit, principium sit rerum, ab *satu* Sa-
„ turnus dictus: & quod ignis, quem constat gene-
„ rationis principium esse, propterea Saturnalibus
„ ignes, id est, cerei lucentes, dabantur. Nam
„ quod hic mutavit quædam Vetranius, valde falsus
„ est,

est, cum sensum Varronis adsequi non quiret." Porro Saturni nomen Tuscum esse omnes mihi concedent qui sciunt Syriace, & pro certo habent, olim Tuscorum linguam Aramæam fuisse. Saturnus enim Syriace significat latentem. Inde in agro Latino, quasi interpretantes, vocarunt eum Latium: & in pontificalibus indigitamentis dicebatur, LATIA SATURNI. Gell. lib. 13. cap. 21. & ab eo Latium. De Saturno in Italia regnante, cujus tempore aureum Seculum viguisse dicitur, ut inde in Deos relatus fuerit, canunt Poëtæ. Eundem Græci Κρόνον vocaverunt, qui idem est ac *spatium temporis*; idque effigie representabant, quam veluti hominis senis, pannosi, aperto capite, altera manu falcem, altera vero nescio quid panno involutum gestantis, quod in fauces conjicere videretur, quatuorque infantes prope habentis, effingebant. Capite erat aperto, quoniam ea tempestate cum rerum potiebatur, aurea illa ætate, veritas omnibus erat nuda & aperta, nullis fucorum aut mendaciorum involucris, quod postea contigit, & hodie maxime in usu, contacta. Quamobrem eisdem detecto capite olim res sacra fiebat, cum aliis Diis sacrificantes caput obtegere tenerentur. *Saturnia*, verba sunt Festi, *Italia*; & *mons qui nunc est Capitolinus*, *Saturnius appellabatur*, quod in tutela Saturni esse existimatur. *Saturnii quoque dicebantur*, qui castrum in imo clivo Capitolino incolebant, ubi arx dicata ei Deo ante bellum Trojanum videtur, quia apud eum supplicant apertis capitibus. Nam *Italici*, auctore *Ænea*, velant capita. Non solum vero stellæ erraticæ, quas enumeravimus, & descri-

V

psimus,

psimus, sed etiam cæteræ quæ *cælo infixæ* dicuntur à Tullio 1. *de nat. Deor.* honorem divinum fortitæ sunt; easque pro Diis habitas fuisse inter Ethnicos, tota testatur Antiquitas.

Stellæ
nomen
unde?

Stellæ sic dictæ censentur Latinis à stando, quod stare videantur, vel Græcis ἀπὸ τῆς σταθεῖν, quod radios emittant. Alias sidera à *sidendo*, quod vel subsident, id est, occidunt, vel quod eidem semper loco insidant.

Quo sensu
fixæ
dicantur.

Hæ stellæ in firmamento seu octavo cælo, ut loqui amant, licet moveantur, quia tamen ob distantiam non ita percipiuntur moveri, tum etiam quia servant semper eandem distantiam ad invicem, fixæ dicuntur. Quemadmodum aliæ distinctæ propriis orbibus dicuntur erraticæ, à Græcis Planetæ, qui pro varietate motuum diversam inter se observant oppositionem. Quum igitur Gentiles oculos ad cælum attolentes hanc legem, quam movendo observabant, constantissimam in stellis fixis animadverterent, cultum illis detulerunt; uti quæ eorum omnium, quæ in sublunari hoc mundo, uno eodemque modo se habent, causæ essent.

Stellarum
fixarum
cultus.

Nomina & ordo harum stellarum peti possunt ex Plinio *lib. 2. cap. 6.* & Cicerone *ſonn. Scip.* iis enim enumerandis superſedemus, ne in imensum opus excrescat hæc nostra Dissertatio, & excedat cancellos, quibus eam circumscripsimus. Hoc saltem in transitu notabimus, vires & efficaciam, quam Veteres illis tribuerunt, multum ponderis habuisse, ad conciliandam iis divinitatis opinionem. Multi igitur illis fuere Dii, non supremi, sed supremo
Deo

Deo militantes; quamobrem cœli militia & exercitus ab Hebræis vocabantur; & quidem, uti differit Edoard. Baro Herbert de Cherbury *tract. de relig. Gentil. cap. 8. Homini gentili, naturam stellarum accurate speculanti, nihil forsan quod de illis sentiret, apertius occurrere potuit, quam ut stellas fixas Dei legem librumque sempiternum; erraticas ejus Propheticum librum dixerit. Quidni enim, inquit, naturalis legis sue principia tum in Astris, tum in cordibus hominum descripserit summus Deus; quam quaedam se eodem modo habere in omnibus manifestum sit; quidni etiam tum præsentium, tum futurorum rationes quasdam ostenderit idem in stellis erraticis Deus, quam ab earum motu subitarum omnium motus originem trahat? Sunt igitur stella Lex & Prophetæ Dei universales, quæ ut mætae sunt, tanquam horologiorum certissimorum iudices, tamen quod res est, signant. Hasce igitur consulat sapiens; non quidem juxta supersticiosas & vulgares Astrologorum formulas, sed ex eventuum observatione, ubi earum motus, conjunctiones, oppositiones & aspectus varii inter se comparantur.*

Quem autem in finem hisce corporibus lucidis cœlum exornaverit Omnipotens, tradit Moses Gen. 1: 16, 17, 18. ubi quadruplex Astrorum usus adsignatur, I. Ut distinguant inter diem & noctem: fecit enim Deus Luminare magnum in dominationem diei, parvum in dominationem noctis, & stellas. Unde Jerem. 31: 35. *Sic dixit Jehovah, qui dat Solem ad lucem diei, leges Luna & Stellarum ad lucem noctis.* Secundus usus, ut sint in signa:

Finis
creatio-
nis stel-
larum.

V 2 quo

quo indicat Deus, uti sacrarum litterarum interpretes annotarunt, luminaria non tam forma situe, quo elegantissime sunt disposita, adeo ut inde infinita & profunda Creatoris elucescat sapientia, quam quidem usu signa esse, id est, significare aliquid oportere. Signa nim. sunt, quæ aliquid portendunt & significant. Quamobrem, cum hic dicitur, *ut sunt in signa*, intelligendum hic, *sidera sive astra divinitus ordinari in signa*, & quidem nobis: quos nimir. motu, situ, & adspectu suo de multis rebus humanæ societati ac vitæ salutaribus, possunt commonescere, ut inquit doctissimus Theologus Pareus. Signa autem ista triplicia poni solent: *Naturalia*, *Civilia*, & *Spiritualia*. *Naturalia*, ut defectus Solis vel Lunæ, tempestatum variarumque cœli vicissitudinum. Sic ortus Plejadum frigus, Hyadum pluvias, Caniculæ æstus aëris portendit. Sic Dominus in Euangelio dicit, ruborem cœli vespertinum esse signum serenitatis futuræ, matutinum tempestatum. *Matth.* 16: 2. *Civilia*, quæ à naturalibus pendent, & cum nautis, tum agricolis & piscatoribus maximum præbent usum. Ex iisdem enim cognoscunt arandi, seminandi, navigandi & piscandi tempora; è Lunæ enim incrementis & decrementis totius agricolationis rationem pendere ostendit Hesiodus. *Spiritualia*, veluti favoris ac iræ divinæ. Huc etiam suo modo referri posse annotarunt Viri docti, quando figurato sensu caligine Solis & Lunæ aut Stellarum, tanquam signo, magnæ mutationes describuntur, summæ calamitates indicantur & miseritæ, omnia felicia & tristitia.

tristitia depinguntur ; unde apud *Esai. cap. 13: 10.* legimus, *Stellæ cælorum & Orion eorum nequaquam splendere facient lumen suum : obscurabitur Sol , quando egredietur ; Luna nequaquam splendere faciet lumen suum.* Ubi Babylonis excidium prædicatur , quamque horribilis sit dies excidii futurus , & sub ejus typo excidium Orbis & seculi consummatio. Vid. 2 *Reg. 20: 11. Matth. 24: 29. Matth. 27: 45.* quorum tamen significatio cum extraordinaria sit , ex peculiari revelatione pendet. Quippe signa ista naturalia & civilia non aliter consideramus , quam effectus naturales istorum corporum lucidorum , quos juxta leges naturæ , quas Deus ipsis posuit , producant , quibus satisfaciunt & obtemperant , cum ad finem illum , cui inservire debent , tendunt , & huic convenientes producant effectus & operationes : nulla enim res creata , quin ad certum finem determinata sit à summo Deo creatore & conditore hujus Universi , cui dum convenienter operantur , legibus naturæ , ut ita dicam , satisfaciunt , dum respondent decreto divino. Quamobrem *Ivon de jur. nat. reb. creat. à Deo constit. in præfat. Quod universi machina ordine , certaque rationabili dispositione constet : quod omnia sese teneant ; ratisque successibus in nodos suos urgeantur : quod cæli præscriptas habeant amplitudines , stationes , periodos : quod elementa suas sibi servent regiones ; quod ferantur leviora sursum , graviora deorsum ; motuque proprio sibi vindicent , qua vis extrema raperat ; quod dies & nox , hiems & æstas , quies & actio , omne tempus partiantur ; quod activis passiva*

corruptionibus generationes respondeant; quod opposita qualitates mediis concilientur; quod unicuique speciei sit indita vis ad sui conservationem, propagationem, in integrum restitutionem; quod congrua media ducunt ad propositos fines, jus est à Deo natura datum. Divina lex est & ratio toti mundo, & partibus ejus fortiter & suaviter inserta sic perpetua, eo quod imperantis vim omnem prævenit, ultro se subjicientium juncta voluptas.

Astro-
rum vis
& facultas.

Quidquid igitur res inanimatae operantur juxta Dei voluntatem & decretum, id agunt & operantur ex vi & facultate ipsis increata & indita ad illum finem obtinendum, cui servire destinatae sunt ab omnipotente & omnisciente Deo: qualis vis, uti finis determinatus, ita quoque suis cancellis circumscripta, & naturae cujusque rei inanimatae consentanea & conveniens, adeo ut cavendum nobis sit, ne ejusmodi rebus vim aliquam tribuamus, quam naturae earundem nequiquam convenire, vel revelatio, quae in sacra Scriptura manifesta, vel ratio docet, vel saltem non prædicat. Quamobrem ejusmodi effectus, quos modo annotavimus naturales & civiles esse, uti etiam spirituales, cum ratione duce indagare possumus, & ex rerum usu & eventu perspicimus, nequiquam nobis licentiam tribuunt ultra eos, alios cogitare vel fingere, de quibus altum in S. Scriptura silentium, nec rerum usu aut eventu & duce ratione edocti sumus vel experti juxta naturae cujusque rei inditam vim naturalem & propriam, ejusmodi effectus & operationes producere, habilem & idoneam esse: ut si eas produceret,

ceret , leges naturæ transiliret , & à fine aberraret ac devieret , cui inservire debet , juxta divinum decretum ac voluntatem , quæ uti immutabilis , ita quoque finis idem cujusque individui , cui conveniens operari debet , & effectus producere.

Unde temere faciunt Astrologi & Mathematici , qui rerum omnium eventus , atque hominum præcipue fata , ex astris eorum , quæ vel proprio vel infausito positu , deducunt , & cœli veluti consulti eam artem mendacissime venditant , uti differit florentissimus Theologus Franciscus Burmannus *Synops. lib. 1. cap. 42.* Hanc enim vim illis inditam , has naturæ leges ipsis datas , huic fini inserviendi causa condita , nec Scriptura , nec ratio , nec rerum usus perhibet. Imo contrarium docet S. Scriptura , quippe quæ soli Deo , veluti præcipuum ejus decus futurorum notitiam contingentium asserit. Verum cum Deus intimos & reconditos cordis perscrutetur recessus , & humanam ad idololatriam pronam naturam noverit , quoniam magis affici solent homines rebus , quæ in oculos incurrunt & conspiciuntur , quam quæ sensus fugiunt & ratione percipi , seu potius fide amplecti debent , unde sæpius in gravissimos errores incidunt.

Hinc Deus quasi præveniendò hominum errori & idololatriæ , in quam istum astrorum chorum intuentes facile prolapsuros providebat Omnipotens , ne nimis indulgendo ad superstitionem pronæ naturæ , idololatria magis magisque eorum animos inficeret , expressis verbis hunc astrorum metum proscriptit , imprimis ne populus suus eadem superstitione

Fata hominum, rerum, que eventus non ex astris deducenda.

Conjecturæ, Astrologorum, que vanitas explorata.

tione contaminaretur, & iisdem erroribus involve-
retur. Quamobrem edixit *Deut.* 18: 10. *Non in-
venietur in vobis conjector, divinus & omnium ca-
ptator & prestigiator.* Conjector proprie est inter-
pres somniorum, Test. Gloss. *ὄνειροκρίτης*, *conjector
somnia solutor, somniorum interpres, ὄνειροπόλος & som-
niorator.* Unde Quintil. *lib.* 3: 7. *Conjectura est
à conjectu, id est, directione quadam rationis ad ve-
ritatem: unde etiam somniorum atque ominum inter-
pretes, conjectores vocamus.* *Genes.* 41: 8. Conje-
ctores LXX τὰς ἰσαγντὰς, *Expositores* scil. somnio-
rum. Hinc Cicero 2. *de divin.* *Defert ad conje-
ctorem, quidam somniasse se ovum pendere ex fascia
lecti sui cubicularis.* Et idem *de natur. Deor. &
divin.* ubi exponit conjectionem somniorum vim
cernentem & explanantem, quæ a Diis hominibus
significentur in somniis. Hebraice *Kofem*, qui fu-
tura prædicat, quasi Propheta; quo etiam nonnul-
li intelligunt eos, qui ex sorte quid futurum divi-
nare volunt; exemplum ejusmodi divinationis ha-
bemus *Esth.* 3: 7. & 9: 24. ubi ex sortibus explo-
rare vellent diem vel tempus, quo Haman popu-
lum Israëllem internecioni daturum. Erat enim mos
Persarum & vicinarum gentium, sortibus certo mo-
do jactis explorare dies, rei propositæ prosperos
aut adversos; uti in hac re fecit Haman: tandem-
que invenit diem, quem sortes prosperum promit-
tebant. Hinc etiam in textu habetur nomen *Phur*
vel *Pur*, quod *sortem* significat, quod non Hebrai-
cum sed Persicum esse annotarunt Viri docti, vel
proprie *Susianum*, cum Persicum sit *Coura*. He-
bræorum

bræorum magistri statuunt nomen *Conjector*, esse generale ad omne opus quod faciunt ad sciendum futura, comprehendens omnium superstitionum & divinationum genera, Chiromantiam, Augurium, Geomantiam, Magiam, Necromantiam, Sortilegium, Pythiam, Præstigium, & id genus alias Diabolicas artes: ita ut huc etiam pertineant Divinationes in judiciis stellarum, similiter sub hisce divinationibus comprehenditur *Schoël Mahlo*, qui baculum suum consulit & lignum suum interrogat, ut ipsi futurum indicet, metiens baculum suum digito suo, aut manu sua, interrogat an hoc illudve facturus sit vel non; & una vice dicit *Ibo*, altera *Non ibo*. Quod si in fine baculi acciderit *Non ibo*, tum non it. Hoc genus divinationis vocatur *ῥαβδομαντία*. Vid. *Hof.* 4: 12. Sic sortes vel divinationes captare solebant ex virgulis sive per virgas. Hisce divinationibus comprehendendi volunt *Roëbacabed*, qui futura prædicit per inspectionem extorum, sive *jecinoris*, ut Aruspices apud Ethnicos solent. Unde Virgilius *Æneid.* 4. vs. 64.

Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Quapropter Cyrillus, qui in *Oseam*, reprehendens Gentiles, ait, *Aut palpitationes jecinoris speculabantur miseri*. Putabant enim veteres in extis esse aliquam vim, quæ declaret futura, ex eorumque habitu, colore, vel notis pericula vel commoda significari. Hinc Tibull. *lib.* 2. *eleg.* 5. *ad Apollinem*:

- - - *Per te præsentit Haruspex*

Lubrica signavit cum Deus exta notis.

Prohibetur quoque, ne inveniatur Divinus, *Meonen,*

X

nen, Belgice een Quichelaaz: Planetarius, qui è Planetis elicit futura spontanea. Quidam à nube nomen trahunt; quidam à loco, ut astrorum situs fuerit contemplatus, vel auguriis operam impenderit. Unde vertunt *ex nubibus conjicere*. Hanc opinionem sequitur Aben Ezra, *notum enim est*, inquit, *esse impostores, qui considerant nubes, & figuram & motum earum, estque forma חסוכו*. Hanc opinionem sectatur Gerundensis, Meonen, inquit, *est nubium peritus, qui nubium peritiam & scientiam habet*. Apotelesmaticæ Astrologiæ, quæ sita est in observatione astrorum, deditissimos fuisse Orientales, annotavit ex Herodoto *lib. 2. cap. 82.* Joh. Clericus *Comment. in Levit. cap. 19. com. 26.* *Alia insuper sunt ab Ægyptiis excogitata, quis mensis diesve cujus Deorum sit, & quo quis diè genitus, qualia sortiatur, & quam mortem obibit, & qualis erit.* Huc spectat genus divinationis, quod insectatur Jeremias *cap. 10: 2.* ubi vetat Hebræos *signis cæli terreri*, ad exemplar cæterarum gentium vicinarum, quæ iis terrebantur, quasi ab illis omnes eventus rerum humanarum penderent; ne ejusmodi vanis superstitionibus & Astrologorum figmentis fidem habeant; utpote quæ rationi maxime repugnant.

Astro-
rum ope-
ratio
qualis.

Quippe cum astra infinitis spatiis à terra distent, vix aliquam in eam operationem exercere possunt; & si forte aliquam haberent, ea admodum generalis est, non autem particularis in hunc vel illum, si voles, Principem vel Regem potius, quam quemvis alium & è fæce plebis hominem, uti differre summus

summus Theologus Franciscus Burmannus. Quamobrem graviter errant, qui hominum fata, ex astris prædicari posse fingunt. Unde passim hæc Mathematicorum & Astrologorum, naturam & fortunam hominum ex sideribus explorantium impietas & dementia damnatur. Hinc *Esai.* 47: 13, 14. 48: 5, 7. *Stent & servant te speculatores cæli, qui contemplantur stellas, & cognoscere faciant ventura supra te: erunt tanquam stipula. Ignis comburet eos.* Chaldæi adeo erant superstitiosi, ut ex sideribus cæli prænunciare ausi sint quosvis rerum & hominum eventus particulares & fortuitos, & quælibet occulta & hominibus incognita; qua vanitatis superstitione nil est turpius, vel etiam periculosius; quamobrem maxime eam detestari debet homo sana ratione præditus, & imprimis vera Dei notitia imbutus, Christianorumque sacris initiatus. Deploandum tamen etiamnum hodie inter Christianos inveniri ejusmodi Augures atque ventosos Prophetas, qui inspecto themate atque positura Planetarum superiorum & inferiorum, vel animadverso cujuscunque hominis horoscopo, prædicere se posse fingunt Rerumpublicarum incrementa, mutationes, & interitus, vel singulorum hominum fata. Solus enim Deus contingentium futurorum præsciens est; & fata hominum non astris inscripsit, sed vel abscondita in thesauris suis habet, vel in verbo suo revelat. Maxime enim aberrant à sensu, quo Moses *luminaria in signa data* fuisse tradit, qui hisce tanquam bona & mala futura prædicantibus signis abutuntur. Quæ enim naturalia sunt signa, rerum

à voluntate pendentium nec signa nec causa esse possunt; nisi Fatum plusquam adamantinum in natura constituere libet, uti inquit Joh. Henr. Heideggerus *Medul. Theol. loc. 6 §. 40.* Instituta vero ejusmodi rerum esse non possunt, cum Deus hoc potius divinandi genus rejiciat, uti statim annotavimus. Sin in hunc usum à Deo instituta, id sane revelasset. Quoniam numquam Deus signum instituit, quin simul indicaverit, id tale quid significare, uti ex Iride & omnibus Sacramentis patet, ut inquit Braunius *System. Theol. vol. 1. part. 2. cap. 10. §. 25.*

Astrologia judiciaria quo sine excogitata.

Unde vana merito habetur omnis Astrologia Judiciaria & conjecturalis, & ad decipiendos homines & lucri faciendi causa excogitata, dum ipsi, qui hanc artem fatidicam profitentur, mendacia sua, nisi certa mercede conducti, vendant. Apud Augustinum exstat exemplum cujusdam Mathematici, qui ex astris populo prædixerat eventa vitæ, & pœnitentiam in Ecclesia publice fecit sub Augustino, cujus in libris adhuc sermo habetur, quem post concionem habuit ad populum, in quo hæc verba: *Iste dicebat, quia adulterium non faciebat voluntas propria, sed Venus; & homicidium non faciebat voluntas propria, sed Mars; & justum non faciebat Deus, sed Jovis, & multa alia sacrilegia non parva. Quam multis eum putatis Christianis nummos abstulisse? Quam multi ab illo emerunt mandacium?* „Quia, ut venuste inquit Rhenanus, illi „Mercurium, mendaciorum præsidem colunt, & „ne eum offendant, raro verum dicunt.” Merito itaque:

itaque Imperatores genus hoc temerarium & superstitiosum edictis & decretis severioribus coercuerunt, *Cod. de malef. & Mathem. l. 5. & 7.* Verissimum illud Apoll Tyanei apud Philostratum de Astrologastris iudicium: *Homines, inquit, qui legi naturæque serviunt, si nihil arbitrato aut sponte facerent sed aurigantibus stellis, non plane homines, id est, rationalia animantia essent, sed ludicra quædam præstigatorum, & ridenda nervis mobilia simulacra viderentur.* Audiamus ipsum Ciceronem suam de id genus sortilegis opinionem testificantem, *1. de Divinat. Nunc illa testabor, non me sortilegas, neque eos, qui quæstus causa hariolentur: nec Psychomanthia quidem agnoscere. Non habeo denique nauci Marsum augurem: Non vicanos haruspices: non de circo Astrologos: Non Isiacos conjectores, non interpretes somniûm. Non enim sunt ii aut scientia aut arte divini; sed superstitiosi vates, impudentesque harioli; aut inertes aut insani, aut quibus egestas imperat: qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant viam; quibus divitias pollicentur, ab iis drachmam ipsi petunt. De his divitiis sibi deducant drachmam, reddant cetera.*

Quam graviter itaque fallant, & alios decipiant, ex hisce perspiciamus, qui ex Cometarum apparitione, nescio quænam futura mala elici posse, eaque signa non duntaxat esse statuunt magnarum imminentium calamitatum, indeque nasci magnas Rerumpublicarum commotiones, pestes, fames, bella, cruentas terra marique clades, aliaque innumera mala; verum & inde, quasi ab illustri causa,

Comete:
nihil fu-
turi por-
tendunt:
mali.

illustrium virorum, Imperatorum, Regum, & Principum capitibus sævam perniciem, & extremam malorum & ærumnarum molem impendere; adeoque non esse corpora naturalia ex certis causis naturalibus originem habentia; verum signa à Deo instituta ad præsignificanda certa mala certis populis infligenda, nisi respiscant. Nonnulli cœlum quasi Naturæ librum esse statuunt, ibidemque stellas veluti characteres consignatos volunt: adeoque dum Deus mortalibus annunciare cupit bonum vel malum aliquod extraordinarium eventurum, ejusmodi extraordinarias stellas, veluti sunt Cometæ, tanquam in expanso collocare solere, quæ indicent generi humano futurum bonum, ut gaudium concipiat: aut bene operetur, ut imminens malum evitet. Hanc opinionem amplecti videtur Kircherus in *Physiologia nova de Cometarum nat.* ubi inquit: *Altissimus enim sapissime utitur causis naturalibus, ut hieroglyphicis, ut homo in his legat hoc, quod sapientia divina descripserit in Cœlo, terra & elementis, ut si semitas præceptorum divinarum egrediatur, illa homini horrorem incutiant, illamque ad meliorem frugem reducant.* Alii iterum statuunt Cometæ non esse quidem causam Physicam calamitatum, quæ eos solent excipere, sed signum ad placitum Dei utentis Cometa, licet effectu naturali ad terrendos & emendandos alicubi mortales: quomodo usus sit Iride ad fœdus cum genere humano significandum: & licet quidam Cometæ aliquibus fausta fuerint omina: non in hunc tamen finem, sed ad tristiora mitti, infinitumque esse Principum

cupum exitus & calamitates enumerare ac describere. Alii iterum paulo aliter de fine sive efficacia, significatione & effectibus Cometarum; quorum opiniones, si velimus figillatim describere, in magnum volumen excresceret nostra Dissertatio; quam obrem silentio eas præteribimus, cum Viri docti & in bonis artibus & disciplinis versati eas ignorare nequeant.

Videtur hæc doctrina ab Ethnicis quasi per traditionem ad nos pervenisse, atque multorum etiam virorum animos hac opinione imbuisse; *Cometas esse prænuntios calamitatum*, ut ait Cicero. Idem Aristoteles, Seneca, Plinius, Tacitus, Suetonius crediderunt. Et Poëtæ passim minari aut præfagire tempestates, bella, funera Regum, & innumera alia hujusmodi mala portendere declamarunt. Nec defunt S. Patres, qui huic opinioni mordaciter adhærendum volunt. Ita censuit Tertullianus, Cometas esse signa imminentis iræ Dei quoquo modo annuntiandæ, prædicandæ & depredicandæ. Nec aliter Augustinus, dum ait, *Deum per ista ostenta civitates terrere, terrendo emendare, terrendo convertere, terrendo mutare, terrendo mundare, ut fugiant iram Dei futuram*. Quod etiam statuit Claudianus Poëta *de bel. Get. v. arm. 26. vers. 244.*

In cælo nunquam spectatum impune Cometen.

Verum alii Cometarum naturam, qualitates, originem, materiam, & corpora penitus inspicientes & rimantes, à recta ratione maxime alienam hanc opinionem esse credunt, ex ejusmodi naturalibus plane rebus futura mala conjicere ac præfagire, tanquam

Ethnicorum de Cometa futura mala prænuntiantibus opinio refutata.

Cometas ad Mundi ornatum facti.

quam necessariam sequelam , quem in finem apparere vel in expanso collocari , nemo umquam certa cum fiducia affirmare potest. Quippe cum in nos agere non possint , neque operationem in terram habeant , qui inde pestes , bella , Regum ac Principum funera , aliaque futura mala prædici vel oriri affirmare ausus? Ex Sole potius possemus divinare , cum tempore æstatis bene splendeat , uberrimam uvarum copiam fore , & exinde colligere multos fore ebrios , unde rixæ , bella , morbi , aliaque mala exoriuntur. Sunt enim , ut plerique Viri eruditi statuunt , Cometæ res plane naturales , quæ naturalissime , ut ita dicam , contingere , & vel in æria vel ætherea regione ex halitibus terrestribus aut effluviis planetariis exoriri solent : Ergo nequeunt esse signa extraordinariarum calamitatum , ac cladum , aliorumque eventuum specialium , quos Astrologi per Cometæ significari volunt. Imo plerimi putant Cometæ quarto die creatos , uti cetera astra , & quod semper moveantur , & ubi nostrum vorticem attigerint , tum à nobis videri ; ubi vero deflexerint , tum disparere. Quoties itaque appareant , id fit juxta naturalem cursum ac motum , quid mali inde elici vel prædici potest ? Nonne dicendum Cometæ , uti omnia astra , ad mundi ornatum & decorem , rerumque cosmicarum varietatem in cœli expanso collocatos. Itaque Cometæ non magis ac reliquæ stellæ omnes earumque constellationes , conjunctiones ac positiones signa dicenda sunt futuri mali. Ita sensit quoque olim vir summa eruditione florentissimus Joh. Georg. Grævius

Grævius in illustri hoc Athenæo Historiarum & Eloquentiæ Professor dum viveret, celeberrimus in *O-rat. de Cometis*. Scil. Cometas esse stellas perpetuas mundo coævās, & certo sive statō suo tempore conspicuas. Labet hic describere quæ de Cometis disputat Vir clarissimus, tum ob vim argumentorum, tum etiam ob sermonis elegantiam, qua adeo excellebat, ut ei sua ætate nullus fere secundus haberetur. *Quid enim, inquit, stelle hæ crimitæ, quas Græci Cometas dicunt, quam quod ipsa vis nominis ostendit, novæ stellæ, nova cæli decora? Nam stellæ sunt cæli ornamenta; Cometas vero stellas esse consentiunt fere doctissimi & rerum divinarum prudentissimi homines. Quid est cur refugiamus Cometam ornamentum cæli dicere; novum quidem, sed vobis, quorum conspectui se nunc primum offert; antiquum vero & cum omnibus aliis in rerum initio conditum, & orbi suo adfixum, ad quem infirma nostrorum oculorum acies propter immensa spatia & intervalla non pertingit? Cum itaque in stellarum censu & numero sit Cometa, cur nobis timorem incutiat, cur metum afferat, causa nulla est.* Et ut solidioribus adhuc rationibus opinionem suam niti demonstraret, paulo post addit: *Definiti sunt siderum cursus & motus; ordinatæ sunt conversiones hæ ad numerum cadentes, quæ hæc, quæ supra hunc orbem sunt, moventur. Firma ac stabilis est Cæli natura in omni temporum varietate; devincta sunt cælestia æternis naturæ legibus: illaque necessitate coacta fuissent suo defungi cursu & motu, quæ nunc impelluntur. Quæ vero tum bella, quas clades, quæ incendia, quos pestilentes*

Y

lentes annos, quam segetum calamitatem significassent, si nos ab omnibus his incommodis & molestiis liberi & soluti omne tempus exegissemus? Cur ergo nunc trepidamus? Cur expavescimus ad motus horum siderum, cum fatorum mandata peragunt; cum perpetuis istis legibus, quibus tenentur, obtemperant, & quod ordo naturæ illis imposuit, exsequantur. Quis adeo cæcutire potest, qui recta ratione duce in naturam, ortum, & finem Cometarum diligenter inquirat: imo si omnia, quæ à Deo producta sua in specie bona, & ad finem naturæ suæ consentaneum adsequendum determinata, quæ statuere possumus Cometas, sive has crinitas stellas, ordinatas esse, ut causarentur tot calamitates, tot funesta mala, quot earum apparitioni adscribunt, qui contrariam sententiam tuentur, quod à fine & decreto divino maxime deviare. Quis, salva divina bonitate & benevolentia, statuere possit, eos tanquam signa instituta, quæ solent excipere tot hominibus noxiæ calamitates, quæ sunt signa & argumenta divinæ gloriæ & infinitæ potentæ & sapientiæ. Imo rerum primordio primaque ab origine mundi ejusmodi mali prænuntia homini integro & nulla vitiorum labe contaminato, producta, quæ ipsi annuntiarent eventus fatales & funesta mala, ut nisi cum maximo tremore cælum intueri posset, & nullius culpæ sibi conscius, palleceret, Deum tanquam peccati vindicem, cujus erat expers, cum summa animi anxietate & sollicitudine vereretur; quem ut benignum & benevolum sui auctorem & creatorem summo & tenerrimo amplectebatur amore, & cu-

jus

jus in consuetudine delitescere & acquiescere tanquam summo & animi sui & desiderii complemento. Quippe proculdubio, eadem significassent ante lapsum; aut demonstrari deberet, eorum naturam mutatam esse. Magnæ itaque imbecillitatis humanæ argumentum est, ad istiusmodi astrorum apparitionem expavescere, quibuscum res nostræ nihil habent commercii. *Mirum*, inquit Vir doctissimus Petrus Gassendus, *cur saltem DEO non credatur, dum à signis cæli nihil metuendum jubet. Scilicet ipse signa non faciens, ex quibus non expositis, quid futurum sit, cæveri non possit. Nisi autem DEUS Cometam calamitatum signum constituat: undenam esse in Cometa potest aut futurorum notitia, aut effectus significandi? Annon ille suam pergit viam, ut naturalia cætera? Parumque ejus interest, quid humanæ gentes inter se moliantur. Adeoque summam eos cepisse dementia statuit summus Scaliger exercit. 79. sect. 2.* qui existimant à Cometa Regem interfici, everti Provinciam, aliasque ab eo calamitates & innumera proficisci mala. *Imo; inquit, nequidem signa sunt, ut fumus ignis: verum sicuti aliquis effectus est alterius signum, propter coherentiam, veluti signum quod gallina peperit, cantus: nam gallina utriusque & partus & cantus auctor est. Neutrum vero ab altero pendet effectum. Multi itaque sunt à nobis visi Comete, quos nulla umquam tota in Europa subsequuta est pernicies mortalium: & multi clarissimi viri suo fato functi sunt, multi eversi Principatus, pessumdata familie illustres sine ullo Cometarum indicio.* Itaque ejusmodi divinatores magis vanita-

te quam ratione ducti, arbitrarias hominum actiones ad Cometarum apparitionem referunt, & bellorum clades, Principum ac Regum funera, Regnorum ac Rerumpublicarum everfiones, aliosque fatales eventus crinitis ejusmodi stellis adscribunt, tanquam necessariam eorundem sequelam, de qua altum S. in Scriptura silentium. Hujusmodi enim eventus & rerum exitus è libera Dei voluntate pendent, nec certa instituta signa puto, quæ nos certiores facerent, quando & qua tempestate ea, quæ decrevit Deus, exsecuturus, nisi simul indicaverit vel revelaverit in sacro Codice, uti supr. dicere incepimus, uti ejusmodi quædam signa instituisse nos S. Scriptura docet; verum simul quoque indicavit & revelavit, quem in finem ea instituit. Si quis autem mihi è sacris litteris demonstrare potest Cometas esse mali causas, vel tanquam signa instituta futuri mali, erit mihi magnus Apollo; nisi forte in sensum plane à mente Spiritus S. alienum detorquere velit, quæ ad suam adducere conatur opinionem tuendam testimonia, sacris ex litteris petita.

Argu-
menta,
quibus
astra fu-
turorum
esse signa
probare
conan-
tur, refu-
tata.

Non me fugit per stellam Magis nativitatem Christi innotuisse, *Matth. 2: 2.* sed conjunctam cum revelatione divina, quia non stella Christo ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur. *Sic facies illa cæli, quam Pharisei explorarunt, Luc. 12: 2. non fortunarum hominis, sed nature scrutinium fuit*, ut inquit celeberrimus Theologus Joh. Henr. Heideggerus. Merito itaque Gassendus, cujus verba hic describere lubet, *Mirum*, inquit,

inquit, dictu, quanta fascinatio mentibus humanis illudat; profecto si anni steriles non forent, si non invalesceret fames, si non grassaretur pestis, si bella non excitarentur, si exercitus non profigarentur, si Principes non morentur, nisi Cometis præeuntibus, præclare ista circumferrentur. Nunc autem seu præfuerint Cometæ, seu abfuerint; omnia pari modo eveniunt. Ecquid ergo isti effectus referuntur potius in Cometas seu causas, seu signa, seu utrumque dicas, quam in quidvis aliud? Adhæc si Cometæ consisterent, ac uni tantum domui, seu Urbi, seu Regioni impenderent: si unius aciei clades non esset victoria alterius: & quod istis lethale, salutare illis non foret, si Reges soli morentur, superioraque illa tempora Optimates potius viros, quam plebejos respicerent: ratio speciosa obtenderetur. At Cometæ varias regiones, imo totam terram circumeunt, quidquid calamitatum adfert uni seu viro, seu populo, præstat alii emolumentum; mista densantur Principum & subditorum funera, neque naturalibus causis ullus nostri delectus est. Ecquid ergo diros, lethales, timendos dicimus Cometas, potius quam benignos, salutare, amabiles? Terrifici sunt, sed dementia nostra, qua Punicos sibi objicit terrores, ac propriis malis non contenta extranea undique adsciscit. Dices, Cometas divinitus ad aliquid nobis significandum usurpari. At sane id fieri posse non inficio. Sed interim undenam constat re ipsa id fieri? An aliunde, quam ex vanitate, qua miseri turgescimus, dum digni nobis ipsis videmur, propter quos hæc ostenta fiunt? Declaravitne ter Max. DEUS fore, ut si quando Cometa in occasum tendat,

tendat, caveamus ab externis; si in ortum, à domesticis? An Principes admonuit, ut caveant ab iis Cometis, qui matutinum occupant signum factum ipsis horoscopum, aliasque consimiles rugas? id cum applausu excipitur.

Sæpe domi culpa est, nescimus credere cælo.

Neque ego sane, pergit, improbo domestica mala sive Cometarum, sive aliarum quarumvis rerum occasione, emendari. Sed si patienter istos feramus, qui sic speciatim omnia definiunt, sic belle sibi sapiunt, quasi quod agebat Jupiter Opt. Max. admiserit ipsos in concilium Deorum. Citant exempla mille cladum, mille mortium Principum, quæ post Cometas acciderunt. At centies plures prætermittunt quæ acciderunt sine Cometis; neque declarant, qua ratione sinistri casus per Cometas cuique aut innotescere aut declarari valeant.

Astrologorum tributum, veteris stultorum.

Pro vario Cæli positu Cometas faustos esse ipsi Astrologi fatentur. Lunares enim in occasu & Joviales omnia bona, eos vero qui caudam dirigunt in occasum, optimam anni constitutionem prælagire dicunt. Sic Chæremon Stoicus tradidit, Cometarum alios mala, & tristia, alios læta atque felicia significare. Illos nempe qui de Jove & Venere fiant. Sic Cometa, qui in ludis Veneris Genitricis apparuit, salutaris Augusto fuit, teste Plinio lib. 2. cap. 25. Cometes, inquit, in uno totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto iudicatus ab ipso; qui incipiente eo, apparuit ludis; quos faciebat Veneri Genitrici, non multo post obitum patris Casaris, in collegio ab eo instituto. Contra autem

tem qui ex Marte & Saturno, diros existere & infelices, ut Servius ex Avieno annotat. Verum, quid si diligenter hoc observatum fuisset, quoties contrarium non ipsi Ethnici experti fuissent. Nonne ipse Aristoteles tradidit, perpetuo mortalibus aut prosperrimum fortunæ successum, aut summum aliquod detrimentum novum quemvis portendere Cometam? Quid si illa nova stella, quæ apparuit in natali Domini, Cometa fuerit, ut quibusdam placuit? Quamobrem lubrico admodum fundamento nititur illorum opinio, qui mali ominis signa Cometas statuunt. Et proinde vana merito habetur omnis Astrologia judiciaria & conjecturalis. Testatur Suidas, excogitatum & decretum fuisse ab Alexandrinis Ægyptiis, ut Astrologi penderent tributum quodpiam, quod *vectigal stultorum* appellabatur; quoniam non nisi ab insanis & curiosis hominibus consulerentur.

Tertius autem stellarum usus, dictante Mose, consistit in mensurandis temporibus & annis. *Existant luminaria in expanso cælorum ad distinguendam inter diem & noctem, & sint in signa & stata tempora in dies & annos, Genes. 1: 14.* Non intelliguntur itaque hic signa vana judiciariorum, sed naturalia prognostica pluvix, serenitatis, gelu, ventorum, item signa ferendi, plantandi, messis & vindemiarum tempora: item festa, novilunia & Sabbatha ab hisce signis dependent. Unde Augustinus: *Neque enim illa dicit signa, quæ observare vanitatis est, sed utique utilia, & hujus vitæ usibus necessaria: quæ vel nautæ observant in gubernando.*

Ufus stellarum tertius quist

nando, vel omnes homines ad prævidendas aëris qualitates, per æstatem & hiemem, & autumnalem vernalemque temperiem. Et Isidorus orig. lib. 3. Quædam stelle iæcirco signa dicuntur, quia eas nautæ observant in gubernandis navigiis, contemplantes a-ciem fulgoremque earum. Sed & omnes homines intendunt ad prævidendum aëris qualitates per æstatem & hiemem vernalemque temperiem: ortu enim vel occasu suo certis stationibus temporum qualitates significant. Tum quod ad indicanda stata tempora, id est, stata festa; uti in eorundem numero computari solebant, stante Hebræorum Republica, Pascha, Pentecoste, festum Tubarum, festum Expiationum, festum Tabernaculorum, Octava Tabernaculorum. Sunt etiam signa, ad numerandum per illa dies & annos.

Dies naturalis.

Est autem Dies vel naturalis vel civilis. Naturalis dies est, tempus ab oriente Sole ad ejus occasum: cujus contrarium tempus est nox, ab occasu Solis usque ad exortum, Censorin. *de die nat. cap. 23.* Dies itaque proprie est illud tempus, quo Sol nobis lucet. Quamobrem Isidorus *lib. 3. cap. 50.* *Sol oriens diem facit, occidens noctem inducit; nam dies est Sol supra terras, nox est Sol sub terra.* Et *lib. 5. cap. 3.* diem vocat *præsentiam Solis*, scil. tempus quo Sol præsens est. Unde Latinis *Soles sunt dies.* Ungaris *Nap*, est & *Sol* & *dies*. Hinc Dies nihil aliud est quam aër illuminatus à luce sive Sole, hoc est, spatium, sive intervallum illud, quod incipit ab exortu Solis, & durat donec Sol in hemisphærio nostro moram trahit, id est,

id est, donec occidat, & illud relinquat.

Dies autem civilis, (quem *legitimum* Isidorus Dies civilis. vocat) est tempus, juxta Censorinum, quod fit uno cœli circumactu, quo dies verus & nox continetur. Ut cum dicimus aliquem dies triginta tantum vixisse; relinquitur enim etiam noctes intelligere.

Hujuscemodi vero dies quatuor definiuntur modis. Dies civiles quomodo gentes definirint. Quædam nationes à Solis exortu ad exortum ejusdem astri diem statuerunt, uti de Babyloniis tradit Plinius *lib. 2. cap. 77.* & Gellius *lib. 3. cap. 11.* Macrobius *lib. 1. Saturn. cap. 3.* Isidorus *lib. 5. Orig. cap. 30.* Atque eandem hodie computationem observant Baleares & Norimbergenses. Athenienses autem à Solis occasu ad Solem iterum occidentem, omne id medium tempus unum diem esse dicebant, teste Varrone apud Macrobium *dict. loc.* Censorino, Plinio, *locis laudatis.* Judæi quoque *Gen. 1.* & Nomades Libyes. Vid. Stob. *serm. 165.* Sic etiam Galli, teste Cæsare *lib. 6. de bell. Gall.* se omnes à Dite patre prognatos dicunt, idque à Druidibus proditum adferunt. Ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium definiunt: & dies natales & mensium, & annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. Et de Germanis testatur Tacitus *de morib. Germ. Eos nec dierum numerum, ut nos, sed noctium computare. Sic constituunt, sic condicunt, ut nox ducere diem videatur.* Mirum igitur, Isidorum *loc. cit.* tradere, sed quorum auctorum nitatur auctoritate, incertum, diem secundum Ægyptios

Z inchoare

inchoare ab occasu Solis , & secundum Athenienses à sexta hora diei. Hunc Atheniensium dierum computandorum morem hodie servare Austriacos, Polonos, Sinenses, maximeque Italos, unde nomen horis Italicis cuique notum. In Umbria autem à meridie ad meridiem. Vid. Varron. Cenforin. *loc. cit.* Hujus moris causas investigat Plutarchus in *quæst. Rom. pag. 284.* Secuti quoque sunt Arabes, & plerique Astrologiæ periti: unde *horæ Astronomicæ* appellatæ. Alii à media nocte ad mediam noctem, diem existimarunt, ut Romani Sacerdotes, item Ægyptii & Hipparchus. Cenforin. *loc. cit.* Unde Gellius *lib. 3. cap. 2. Diem, quam Romani civilem appellaverunt, à sexta noctis hora oriri,* ait, scil. à media nocte. vid. *l. 8. ff. de feriis. l. 5. ff. Qui test. fac. poss. l. 1. ff. de manumiss.* Dies astronomicus est *naturalis & civilis.* Naturalis, vox *Δημεριὸς*, spatium temporis, quo integer æquinoctialis una cum additamento respondente Solis motus revolvitur ex 24 horis æqualibus. Hujus partes 1^o. *dies artificialis*, (ita dictus, quia diversæ gentes varia discrimina ejus excogitarunt) quo Sol moratur in hemisphærio super terra. 2^o. *nox artificialis*, quo tempore Sol infra horizontem latet. *Civilis*, tempus *ὀρθοδημεριὸν*, prout quæque gens illud solet inchoare & usurpare, uti jam annotavimus.

Annus
solaris &
lunaris.

Existant luminaria in expanso cœlorum, ut sint in signa & stata tempora in dies & annos. *Annus* dicitur tempus à bruma ad brumam, dum Sol redit: quod ut parvi circuli, annuli, sic magni dicebantur

tur anni, unde annus, Varro *de ling. Lat.* Sol ad idem punctum, unde abeundi initium fecit, reversus, annum constituit *solarem*, ut Luna duodecies suo curriculo confecto eum, quem *lunarem* appellant, qualis olim erat annus Judæorum. Non ambigendum, quin Moses hic sermonem habeat de annis, qui constant duodecim mensibus; *quippe*, ut inquit Genebrardus *in Chronol. ad annum Mundi 395. Scriptura nullos alios agnoscit, & annus Diluvii Genes. 7. & 8. dierum fuit 365 à 17 mensis secundi usque ad 27 ejusdem mensis vertentis anni; mensium autem 12 nominato secundo, septimo, decimo primo, iterum secundo, cujus dies vigesimus septimus exprimitur, ne quis cogitet menses paucorum dierum quam nunc.* Non me fugit Ægyptios, Arcarnanas, Lavinios, Arcades, aliter annum computasse, teste Plinio, Censorino, Solino, Macrobio, eorumque annos quatuor, sex & tredecim fuisse mensium, verum cum alibi nobis de hac computandi ratione erit occasio disputandi, eam hic silentio præteribimus. Annus autem vel *Astronomicus* vocatur, vel *Politicus*, *Solaris* vel *Lunaris*; *Lunaris* vel *Communis*, vel *Intercalaris*.

Annus *Astronomicus* vel *sidereus* vel *tropicus* est. *Sidereus*, quo Sol ad eandem fixam stellam redit; Annus astronomicus. & constat diebus 365 horis 6 minuta prima 9. *Tropicus*, quo Sol ab ecliptica ab eodem in idem punctum revertitur, veluti cum numeramus ab Æqui-noctio vel Solstitio.

Politicus est vel *Solaris*; Sole revoluto ab uno Annus politicus. & eodem cœli puncto ad idem punctum, secun-

dum motum proprium, constat diebus 365. horis 5. minutis 49. Annus *Politicus*, quo utimur in distinctione festorum dierum à profestis, habet dies 365. sive duodecim menses, quibus quarto quoque anno dies intercalatur propter horas sex reliquas, quæ post quatuor annorum decursum unum diem naturalem efficiunt, annus vero ille intercalatus bissextus vocatur.

Anni solaris partes.

Partes anni solaris sunt *Ver*, nempe trimestre ab æquinoctio verno ad solstitium æstivum; *Æstas* hinc ad æquinoctium autumnale; *Autumnus* inde ad solstitium hibernum; & *Hiems* ab eo ad æquinoctium verum.

Annus communis.

Lunaris, *communis* est vel *intercalaris*. Communis, quo Sol & Luna duodecies conjunguntur; continet dies 354. horas 8. minuta prima fere 49.

Annus intercalaris.

Intercalaris, cum Sol & Luna tredecies conjunguntur. Annus apud Judæos vel *civilis*, qui & *Ægyptiis* à Tifri; vel *ecclesiasticus* à Nisan, de quo supra nonnulla annotavimus. Hæc de tertio stellarum usu delibasse sufficiant.

Quartus stellarum usus.

Restat quartus earum usus, à primo non multum discrepans, qui ita describitur, ut tamquam lampades in immensis cœli spatiis suspensæ, mortalibus terram incolentibus, lumen præbeant. *Sintque in luminaria in expanso cœli, ad ferendum lucem supra terram. Gen. 1: 15.*

Quinti diei opera, pisces & volucres.

Cœlo sideribus ornato, & absoluto quartæ diei opere, eoque ad summam perfectionem perducto, cum aëri, tum terræ dandi erant incolæ, quorum creationem

creationem Moses describit *Genes.* 1: ψ . 20, 21, 22, 23. Quinti itaque diei prodierunt opera, pisces scil. & volucres.

Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ.

Terra feras cepit, volucres agitabilis ær.

Dixit enim Deus: *Producant aquæ reptile animæ viventis; & aves volent supra terram in superficie expansi cælorum.* Vel ut alii vertunt, *Propullulent aquæ reptilibus animantibus; & avis volitet supra terram versus expansum cælorum.* Quemadmodum ær volucris, ita aquæ piscibus repletæ sunt, genere animalium ut fœcundissimo, ita mole maximo. *Ælian. hist. animal.* 15: 21. *Plin. lib.* 9. 3. 4. *& lib.* 16. 40. Nullum enim animal terrestre cum aquatilibus vel minoribus multitudine fœtus, vel grandioribus magnitudine conferendum, *Job.* 41: 33.

Voluit autem Deus, ut uno eodemque die cum pisces, tum aves producerentur, quæ licet non omnino ejusdem generis & naturæ, haud tamen dissimilis & diversa iis à Deo creatore indita natura. Quamobrem Ambrosius *lib.* 5. *Hex. cap.* 14. *Quæ natandi communia quædam videntur utriusque generis esse consortia, & quod volandi usus species sit natandi: sicut enim aquam natando pisces incidit; ita avis ærem volatu celeri secat.* Hinc eruditi viri annotarunt magnam habitudinem & convenientiam seu cognationem esse inter pisces & aves, etiamsi quoad formam externam diversissima videantur piscium & avium genera. Dixit autem Deus, *producant aquæ, scil. more reptilium, hoc est,*

Piscium
& volu-
crum na-
tura.

est, in magna copia & abundantia, unde Belgice, *Dat de waters ovezbloediglijk voortbrengen*: notat enim verbum פֶּרַח effusionem magna copia & quasi reftificationem. vide *Exod. 8: 3.* & *Exod. 1: 17.* uti quoque piscium foecunditatem prodigiosam esse testatur rerum usus. Unde Commentatores communiter hæc verba exponunt, *Aquæ in magna copia producant vel ebulliant animalia, quæ præ multitudine quasi conglobatis corpusculis ex aqua nascendo scateant.* Vid. *Psal. 104: 25.* *105: 30.* Per *ebullire* melius volunt verti verbum Hebraicum, quam per reftificare, qui eandem piscium & avium constituunt materiam. Late tamen sumpta *rependi* voce, etiam natatum comprehendit: nam usurpatur de avibus, jumentis, reptilibus. *Genes. 8.* de hominibus. & *Genes. 9: 7.* de ramis. Unde R. Salomo וְכָל הַחַיָּוִת inquit, *vocatur omne animans, quæ non admodum supra terram elevatur, ut in avibus muscæ: in reptilibus formicæ, scarabæi, vermes: in bestiis mustela vel felis, mus, limax vel testudo, & omnes pisces.* Vid. *Levit. 11: 10.* Et quemadmodum pisces reperere dicuntur, ita contra aves nare per aëra, & Dædalus remigio alarum insuetum per iter gelidos enavit ad Arctos.

Animæ
virentis
prima
mentio.

Cum vero hic primum *animæ virentis* mentio fiat, inde non obscure colligi posse videtur Commentatoribus, creaturas hæctenus productas, & speciatim cælum & astra, inanimata fuisse. Hic sermo est de animantibus, quæ anima prædita sensitiva; quamobrem animam viventem habere dicuntur, quod de cæteris rebus inanimatis prædicari nequit;

quit ; itaque præter nutriendi crescendique , tum etiam suo modo generandi vim , quam animalia cum stirpibus communem habent , prædita quoque sentiendi facultate , appetendi & loco sese movendi ; quamobrem res sese moventes appellantur. Dormiendi , respirandi , micandique habent quoque facultates cum homine communes ; minus tamen aliarum facultatum , quæ à ratione proficiscuntur , nobiles. Hæ tamen plantis desunt.

Vivere enim proprie animæ est : vivit enim omnis anima ; quamvis idem quoque de plantis aliisque rebus inanimatis dicere solemus , sed improprie. Attamen non nunquam illud *ad vivere* , tanquam animæ ratione præditæ proprium quid tribuitur , eo sensu , uti dicitur , quod *in Deo sumus ; vivimus & movemur*. Quod in Deo sumus , sive à Deo qua creatore essentiam & existentiam nacti sumus , commune habemus cum omnibus individuis & creaturis quæ productæ sunt. Quod movemur , cum animalibus terrestribus & aquatilibus. Quod vivimus in Deo , id de homine proprie prædicatur , qui rationali anima præditus , novit Deum creatorem suum , cui debet honorem & obsequium , qui proinde vivit juxta dictamen , normam , & regulam rationis , conveniens legibus naturæ , quæ ipsi innatæ , & cordi sive conscientiæ inscriptæ ; qui ingenio & judicio pollens ex mentis discursu dijudicandi facultatem habet , quæ faciendæ , quæ fugienda sibi incumbunt. Et hoc sensu *Eva mater* dicitur viventium , id est , hominum viventium vitam rationalem. Hoc sensu nulla creatura , neque etiam

Vivendi
vocabu-
lum
quam la-
te pa-
teat.

etiam bruta vivere dicuntur ; utpote quæ ratione carent, & proinde nec discernendi facultate prædita, rationalem, ut ita dicam, vitam ducere non possunt, quamvis juris naturæ non omnino expertes; & proinde ei consentaneum vivere dicuntur, quoties juxta instinctum naturæ operantur ad illum finem consequendum, per ordinata & insculpta naturæ suæ media, quibus ad eum adsequendum naturæ impetu ducuntur. Latiori itaque significatione hic *vivendi* vocabulum brutis, sive animalibus, quæ ratione destituta sunt, tribuitur à Mose, quatenus prædita ejusmodi facultatibus, quæ non à ratione, sed sensu proficiuntur.

Corpora
vitalia
quæ r

Sunt itaque vitalia corpora, sensu & motu exornata, unde moveant se motione animæ viventis; itaque dicuntur habere animam motabilem, ut ita dicam, præditam hisce facultatibus, quas jam enumeravimus. Sensum itaque habent, id est, sentiendi facultatem. Sentire autem actus, qui notitia quædam est rerum sensibilem, per species earum sive imagines impressas receptasque in sensorio & dijudicatas, cum nutritionis atque salutis, tum in homine contemplationis gratia. Verum huic quæstioni tractandæ non immorabimur, sed acutissimis & subtilissimis quibusdam Philosophis examinandam relinquimus, qui naturæ arcana, & intimos ejus recessus tanta cum fiducia, vel potius arrogantiâ perscrutari & investigare, atque de totius universi fabrica, creaturarum natura & qualitatibus disputare solent, quasi nihil occultum, quod eorum judicium & ingenium fugere posset, daretur;

& à

& à summo hujus universi conditore Deo in consi-
 lium fuissent vocati, dum singulæ creaturæ produ-
 ctæ & formatæ. Non equidem illis invideo, quod
 tanto ingenii acumine, tanta sagacitate præditi
 sint; sed miror magis. Et vereor, ne dum præ
 aliis sapere præ se ferunt, semet decipiant, & ni-
 hil se scire forte nimis sero experiantur.

Aquatilia autem, uti pisces ex aquis, aves &
 Pisces &
Aves un-
de pro-
duci?
 volucres cœli, cæteraque animalia terrestria è terra
 producta censemus. Quippe dicitur, *Aquæ pro-
 ducant reptile animæ viventis, & volet volucris su-
 pra terram.* Dispungitur itaque oratio per accen-
 tum Atnach, ita ut illa productio ex materia aquo-
 sa tantum referri debeat ad pisces. Non me fugit
 quosdam è Veteribus & nostro quoque tempore non-
 nullos eorum vestigia prementes statuisse, aves cre-
 atas esse ex aqua, ut pisces; atque hanc opinio-
 nem suam tuentur testimonio Mosis *Genes. i: 20.*
 & pro materia avium, quam eandem esse, è qua
 pisces creati, statuunt, stare dicunt & verborum
 structuram, & comparisonis elegantiam, & sensus
 veram & genuinam rationem. Illam, quia commo-
 de verti potest textus Hebr. *abunde progignant a-
 quæ reptile animæ viventis & volatile, quod volet
 super terram*, ut non jungantur verba, *volent
 & reptificent*, sed nomina *reptile animæ viventis &
 volatile*, & quidem in casu Accusativo, futuro ver-
 bo *volet*, accepto pro participio, more Orientali-
 bus usitato. Nihil hic distortum, inquirunt, nam
volet pro *volitans* accipi, familiare esse affirmant
 Scriptoribus S. nihil violenter immixtum, nisi re-

A a

lativum,

lativum, quod sæpiuscule in Scripturis per Ellipsin
omissum, complendum, uti disserit Joh. Cunrad.
Dieter. *Antiq. Bibl. Genes. 1. v. 20.* Verum perpe-
ram sensum textus interpretari notarunt, qui nega-
tivam sententiam defendunt. Primo è *συαφία* tex-
tus, quippe ut animadvertit Aug. Pfeifferus, cum
Moses dixisset, *propullulent aquæ, seu abunde pro-
ferant reptilia animantia*, facit magnum segmentum
sensuale per Atnach, & addit, *Et avis volitet super
terra* &c. ubi manifestum est mutari stilum, & *הַיַּי*
avis non esse objectum verbi præcedentis *יִבְרִיחַ* *ebul-
liant*, sed subjectum prædicati sequentis *הַיַּי* *volit-
tet*; adeoque ponendum in Nominativo, non Ac-
cusativo. Concludit itaque aves & pisces hic non
dici productos ex eadem materia; sed potius aves
à piscibus haud obscure secerni, dum volare dicun-
tur non super aquas, sed super terram, quam non
modo naturalem commorandi locum, sed & produ-
ctionis materiam esse innuitur. Præterquam quod
Genes. 2: 19. disertis verbis Moses testatur, *Deum
formasse ex terra omne animal agri, & omnem avem
cæli*; quo nihil videtur clarius.

Materia
piscium
& a-
vium.

Piscium igitur materia est aqua, inquit Gurtle-
rus, *sed limosa. Aves sunt conditæ ex terra, sed
aqua macerata, secus nec ipsarum caro succosa, cor-
porique nostro alendo apta foret.* Sunt itaque pisces
& aves producti, non ex nihilo, ut statuit Pareus,
Hottingerus, & alii qui eorundem opinionem am-
plectuntur; sed ex præexistente materia: nim. pis-
ces ex aqua, ex terra aves cæteraque animantia ter-
restria. *Nam cum materia jam omnia repletet, non
poterat*

poterat nova materia ex nihilo produci sine penetratione dimensionum, uti argumentatur Braunius *System. Theol. vol. 1. p. 2. cap. 10. §. 27.* Ergo creati sunt pisces & aves ex præexistente materia, *Genes. 2: 19.* Unde Anaxagoras apud Laërtium, *Animantes primo ex humore & calore terraque mansisse, postea ex se invicem natas esse, mares à dextris, feminasque à sinistris.* Et quod, eodem Laërtio auctore, Archelaus Atheniensis, *animalia de limo nata aut terra calore*, limum elinquantis docuit. Ex præexistenti itaque materia animantia creata inter Ethnicos Philosophi statuerunt. Speciatim autem inter pisces, quo etiam Zoophyta aquatilia, conchæ, purpuræ, spongix, aliaque id genus aquatilia referenda sunt: meminit Moses vastissimæ molis piscium, qui *Ceti* nominantur, *Genes. 1: 21.* Hebr. *Thanninim.* Et Hebræi quidem *Cetum & Draconem* eodem nomine ob formæ vel molis similitudinem, exprimunt; atque animadvertunt hic Viri eruditi admirandam Dei cum potentiam, tum sapientiam, qui tam prodigiosæ magnitudinis animalia, ut terrestria longe superent, ex aquis produxit, & mare veluti eorum domicilium esse voluit, quod ipsis alimenta præbendo sufficeret; quoniam non sive hominum ac reliquorum animantium terrestrium noxa terram suis premerent vestigiis, ubi vix immensa terrarum spatia, & integri montes ac silvæ sufficerent, unde pastum ac cibum caperent.

Inter Cetos immanes eminent *Leviathan*, *Job. 40.* Leviathan quamquam piscis.
& *41.* *Leviathan* autem, ut Bochartus & alii sentiunt,

tiunt, non Balæna fuit, sed *Crocodylus*, licet dicatur degere in mari: nihil refert, cum constet omnem aquarum congeriem Hebræis mare dici; dici ergo potuit ludere in ripis Nili & fluviorum. Festus eadem esse dicit, Cetum, Balænam & Pistritem. Alii sentiunt, Balænam & Leviathan idem esse. Quidquid sit, nomen Cetus majoribus omnibus marinis piscibus commune, iis præsertim, qui animal pariunt, non ovum: cujusmodi sunt Balæna, Orcæ, Pristes, Thynni; & similes; unde *Cetarii* appellantur, teste Nonio, qui majores in mari pisces capiunt. Plinius tradit immensæ magnitudinis esse Thynnos, qui etiam Balænas superent. Quamvis idem referat auctor in mari Indico inveniri Balænas quaternorum jugerum, id est, pedum nongentorum, vel 320 ulnarum & ducentorum cubitorum. In Septentrionali refert Olaus Magnus, Cetum quendam tam prodigiôsæ magnitudinis habuisse oculos, ut unum vix viginti homines sedendo tegere potuerint.

Piscium
avium-
que
multipli-
candi fa-
cultas ex
benedi-
ctione
Dei.

Quoniam vero omnia, quæ creaverat & produxerat imperante Deo natura, in specie sua bona erant; sic etiam pisces & aves: quamobrem approbavit Deus istud viventium genus; imo non duntaxat adprobavit, sed eorum creationi solennem adjecit benedictionem, ajens: *crescite & multiplicamini*, eaque non verbalis, sed realis, quæ etiam ad animalia sequenti die creata, referri debet. Quippe ut inquit Augustinus, *quod in uno expressum est, in altero simili æque subintelligi debet*. Nulla itaque animalia, sive aquatilia, sive terrestria, excipiunt.

excipiuntur: quod enim de Phœnicie tradunt Veteres, quæ solitaria in suo genere fingitur, multiplicandi sese facultate destituta, aniles magis fabulas redolet, quam vero consentaneum.

Notum enim est, quod prædicarunt Veteres de Phœnicie, scilicet avem esse, quæ juxta quosdam annis trecentis quadraginta, juxta alios sexcentis, vel etiam mille quadringentis & sexaginta annis vivit. Plerique tamen quingentos annos vivere, & sese refeminare tradunt. Unde Seneca *Epistol. 42. Nam ille alter fortasse (sapiens) tanquam Phœnix, semel anno quingentesimo nascitur. Nec est mirum, ex intervallo magna generari. Eximia enim ipsa natura raritate commendat.* Et Ovid. 15. *Met.*

*Una est quæ reparet, seque ipsa refeminet ales,
Assyrii Phœnica vocant, &c.*

Hæc ubi quinque sua complevit secula vitæ.

Et Claudianus sic de Phœnicie:

Hic neque concepto fœtu, nec semine surgit,



Sed pater est prolesque sui, nulloque creante

Emeritis artus fœcunda morte reformat

Et petit alternam totidem per funera vitam.

Vide Plinium *lib. 11. cap. 2.* Tacitum, Dionem, Victorem, Melam, qui & visam quandoque hæc avem tradunt, & ejus nobis descriptionem exhibent. Hinc videmus quibusdam nummis in perpetuam quorundam Romanorum Imperatorum memoriam cussis, qui optime de Republica meriti erant, & multis triumphis ob reportatas victorias & devictas gentes, Tyrannorumque factiones sublatas, condecorati, avis hujus imago impressa, sym-

bolum quasi renovati & instaurati imperii, auspiciis Imperatoris & Cæsaris, cujus in honorem cusi. Sic existat nummus CONSTANTINI MAX. quem nobis exhibet Joseph. Monterchius, & asservatur in Bibliotheca Cardinalis Casp. Carpegne, in cujus adversa parte occurrunt duæ figuræ cum globo, supra autem Phœnix itidem radiatus, cum inscriptione illis temporibus familiari, GLORIA SECVLI VIRTUS CÆSS. cujus iconem quoque exprimi curavit Vir nobilissimus & omni eruditionis genere florentissimus Ezech. Spanhemius in *Dissert. 3. de præstant. & usu numism.* ubi quoque exhibet iconem nummi Constantini Junioris, in quo Phœnix modo supra rupem, modo supra sphæram, ut in sequenti nummo, collocatus cernitur, cum hac inscriptione FEL. TEMP. REPARATIO. Constantinus armis insidens superioris corporis parte denudata, juxta morem Heroum, sinistra hastæ innititur, dextra gerit globum mundi, supra quem est Phœnix, statque juvenis, trophæum humeris innixum altera manu tenens, altera vero Constantinum juvens in globo & avem sustinentem. *Hæc imago, inquit statim laudatus Joseph. Monterchius, pulcherrima & magnificentissima est, & denotat gloriam sæculi hujus Imperatoris, & felicitatem temporis illius, quo imperium Romanum Phœnicis instar renovatum ab eo est, & pristino splendore ex victoriis, quas de Barbaris & Tyrannorum factionibus, quibus Roma, Italia & Provinciæ infestabantur, donatum. Ita ut quasi renasci videretur imperium sub hujus Imperatoris auspiciis. Quod si vere dicuntur, quæ Veteres tradiderunt de Phœnice, præclaram*



elaram imaginem resurrectionis hæc avis refert. Non
 defunt Patres, qui argumenta resurrectionis ab ea du-
 cere solent; ut Tertullianus *de resurrectione cap. 13.*
 Ambrosius *de fide resurrectionis: itemque in Hexaem.*
cap. 23. lib. 6. Zeno Veronensis *de resurrectio-*
ne, & alii. Nec quæ profani Auctores de Phœ-
 nix tradiderunt, omnino rejiciunt tanquam à vero a-
 liena, Viri sanctissimi. Dubitant tamen Gregorius
 Nazian-

Nazianzenus, Origenes contra Celsum, Cyrillus, aliique plures. Inde etiam Phœnices vulgo in cœnotaphiis Martyrum depictas, tanquam resurrectionis symbolum, annotavit stupendæ eruditionis Vir nobilissimus Ezech. Spanhemius *dict. loc.* Verum B. Maximus plane negat lib. ad Petrum Illustrem apud Photium, Vid. & Donati Marcelli *disputatiunculam de hac ave ad 6. annal. Tacit. cap. 33.*

Anima-
lium no-
xiorum,
volu-
crumque
obscœ-
narum
bonitas
naturalis.

Licet vero fœda forte ac noxia animalia, & diræ ac obscœnæ volucres existant; habent tamen naturalem quoque suam bonitatem, nec in statu integritatis homini aliquid detrimenti ab iis metuendum erat. Ista autem verba imperativa, *fructificate & crescite*, ut notat Aben Ezra, habent vim futurorum; ita ut idem valeant, quod *fructificabitis & crescetis*, ut Deut. 32: 50. & *morere in monte*, id est, *morieris*. Ita Poëta

*Nos te maxmoreum pro tempore facimus; at tu,
Cum factura gregem suppleverit, aureus esto.*

id est, *eris*. Coronavit itaque opus solum Deus hac benedictione, & indidit tam piscibus, quam avibus, ceterisque animalibus terrestribus facultatem atque etiam appetitum sive impetum naturæ, quo feruntur ad coeundum & generandum sibi simile, tanquam medium necessarium, quo multiplicatio naturali modo fieri necessum erat; quippe cum ipsa in se individua non possint semper manere, sed vitam cum morte commutare debeant, brevi de genere animalium actum esset, nisi per illam facultatem generandi & propagandi quotidie nova proles succederet in mortuorum locum. Qua ratione revera cujusque generis animalibus

animalibus Deum benedixisse dicimus, quatenus hac ratione consultum voluit animantium generi, ne interiret, sed conservaretur in prolibus, & ita quasi æternitatem quandam haberent: omnis enim res appetit conservationem sui & æternitatem. Revera itaque benefecit Deus animantibus, cum ipsis largiebatur, quod naturæ impetu & appetitu exoptare & rogare videntur.

Absoluto quintæ diei opere, sed nondum perfecta omnium rerum creatione, quas Deus producere decreverat, ut opus creationis absolutum, & ex omnibus suis partibus constaret, adeoque perfectum dici posset, die sexta condidit Deus incolas terræ, animantia bruta & hominem. Unde imperavit Deus, ut *terra produceret animam viventem secundum speciem suam, jumentum & reptile & bestiam terræ secundum speciem suam*, sive quodvis ferum & silvestre animal.

Recensentur itaque tres brutorum classes, *Genes.* ^{Tres brutorum classes: I. Jumentum.} 1: 24. I. כַּהֲמָה *jumentum*, sive animal domesticum & mansuetum, vid. Bochart. *in Hieroz. par. 1. lib. 1. cap. 2.* *Jumentum à juvando videtur deductum*, quod notat pecus domesticum utriusque sexus, seu cicuratum, quod in hominis est potestate. *Isid. lib. 11. orig. cap. 1.* *Jumenta appellantur, quod juvent homines. Sunt enim magnarum virium animalia.* Sic Augustinus *in Quæst. Deut. lib. 5. cap. 38.* *Latine à juvando jumenta dicuntur.* Mercerus ait, inter Hebræos de discrimine inter כַּהֲמָה & חֵיהּ non factis convenire; maxime autem eorum sententiam probat, qui *Behema* animans domesticum & cicur; חֵיהּ ^{autem}

autem feram, seu agreste animal, quod ab hominum consortio remotum est. Monet autem primum vocabulum sive nomen sæpe esse generale, uti & aliterum, ubi sola ponuntur. Genebrardus etiam in *Psal.* 148: 10. ait, *Behemah bestias domesticas & cicures; Chajah autem feras proprie comprehendere.* Quia autem sub nullo horum comprehenduntur *Cervi, & Lepores &c.* Ideo LXX addiderunt generale ^{τετραπόδα} *quadrupedia.*

2. Reptile.

Alterum genus dicitur *רמש* *remesch* *Reptile*, sub quo nomine comprehenditur quodvis animal, quod neque quadrupes aliquantæ molis, neque avis, neque piscis est, vide *Bochart. Hieroz. part. 1. lib. 1. cap. 4.* Reptilium autem tria enumerant Viri docti genera, 1^o *Vermes*, qui se ore fixo trahunt. 2^o *Serpentia*, velut *colubri*, qui se vi costarum rapiunt. 3^o *Reptilia*, pedibus, ut *lacertæ*. Vid. *Die-antig. Bibl. dict. loc.*

3. Quodvis ferum animal.

Tertium genus *חיה* quodvis ferum & silvestre animal comprehendit. *Fera agri Psal. 50 11. à מו moveri*, quia prædabunda vagatur. Quæ Deus creavit secundum speciem suam, naturis haud committis, uti interjecto tempore promiscuo & lege vetito coitu accidit. Hujusmodi animantia nec sexto die producta sunt, nec prædita facultate sese multiplicandi, atque omnis eorum commixtio populo Dei interdicta fuit, uti patet *Levit. 19: 19. Non promiscue coire facies pecus tuum.* De hujus legis sensu alio loco nobis disputandi erit occasio. Putat *Ligtfootius*, bestias mundas creatas esse septenas, tria paria ad gignendam prolem, reliquas singulas Adamo

Adamo datas ad sacrificium post lapsum : immundas autem tantummodo binas ad propagationem generis. Verum cum de eo altum in Scriptura silentium, magis conjectura, quam solida veritate nititur hæc Viri clarissimi opinio.

Minuta autem animalia, quæ ex putredine, sudore, exhalatione, nascuntur, cujus generis Pulices, Mures, aliique vermiculi, quod attinet, non fuerunt hoc sexto die creata formaliter, sed potentialiter, & quasi in feminali ratione : quia scilicet illa animalia hoc die creata sunt, ex quorum certa affectione, hæc naturaliter erant exoritura, ut inquit à Lapide *Comment. in Genes. capite 1.* Quod de *Gryphibus, Pegaso, Basilisco, Draconibus alatis & ignivomis, Unicornu, Salamandra*, aliisque id genus animantibus prodigiosis tradiderunt, admodum incerta sunt & fidei dubiæ, nec ex Scripturis decidi possunt. Præterquam quod, Plinio auctore, est animal fabulosum, *lib. 11. cap. 49.* Quod & aliis plerisque Scriptoris videtur. Quorum in numero Cardanus *de subtil. lib. 17. cap. 97.* Arrianus *lib. 5.* Est autem genus ferarum, quod in Hyperboreis montibus nascitur : omni parte leones sunt, alis & facie aquilis similes, equis vehementer infestæ, & Apollini consecratæ, uti Servius annotavit ad *Virg. Eclog. 8.*

Minuta animalia, quæ ex putredine nascuntur, sexto die creata potentialiter.

Gryps animal fabulosum.

Fungantur jam Gryphes equis.

Mela lib. 2. ait, Esse sævum & pertinax genus ferarum, aurum terra penitus egestum mire amare, mireque custodire, & infestas esse attingentibus. Huc pertinet illud Plauti Aul. act. 4. sc. 8.

B b 2

Picos

*Picos divitiis, qui aureos montes colunt,
Ego solus supero.*

Pici, quippe iidem qui Gryphes, teste Nonio: *Picos veteres esse voluerunt, quos Græci Γρύπες appellunt. Et hi ex montibus Hyperboreis aurum effodere creduntur.*

Pegasus
ficta avis.

Idem Plinius inter aves fabulosas refert *Pegasus*, equino capite, *lib. 10. cap. 49.* ex sanguine capitis Medusæ amputati natum, uti fingunt Poëtæ; Fest. *Pegasus equum alatum fuisse tradunt Poëtæ, cujus quidem ungulam suscitasse fontem, qui Hippocrene dictus est.* Sic dictum, volunt à πηγὴ fons; quod juxta fontes Oceani sit natus. Alii per *Pegasus* navim significari malunt. Hinc Eusebius in *Chron.* *Pegasus equus velocissimus cujusdam mulieris fuit, sive ut Palæphatus affirmat, Bellophorontis navis fuit.*

Basilisci
nulli.

Nec minus forte fabulosa quæ de Basilisco traduntur. *Basiliscus*, inquit Festus, est genus serpentis, vel quod in capite habeat album instar diadematis, vel quod reliqua serpentum genera ejus vim fugiant. Vide Isidorum *lib. 12. cap. 4.* Latine *Regulus*. Nasci eum ex ovo Galli gallinacei novem annorum per rubetam vulgo creditur ac fertur. Negat tamen id Lemnius *lib. 4. de occult. natur. miracul. cap. 12.*

Ut neque
Draconis
alati.

Et fictum quoque videtur, quæ de Draconibus alatis traduntur; de hisce vide Gesnerum *de Serpentibus*, & Scaligerum *exercit. 183.*


Monoce-
ros ani-
mal cre-

De *Monocero* sive Unicornu magna adhuc inter Viros eruditos contentio est, an ejusmodi animal,

mal, quale describitur à Veteribus, in media fronte cornu gerens, in rerum natura sit. Ejus fit mentio *Psalm.* 22: 22. & 29: 6. & 78: 69. & 92: 11. *Esai.* 34: 7. Verum hanc litem nostram non faciemus: vid. Bochart. *Hieroz. part. 1. lib. 3. cap. 27.* Ubi ostendit, nullum esse ejusmodi animal, & omnes aliorum opiniones confutavit, præsertim LXX Interpp. qui *μονοκερά* Unicornu esse putarunt, & τὸ **קַרְנַיִם** *reem* duo fuisse cornu ex *Deut.* 33: 17. & *dicto Psalmo* 22: 22. Cui etiam accedit, quod nomina animantium Hebraica, sicut etiam herbarum, arborum, gemmarum &c. populis occidentalibus admodum incerta sint: ut ex voce **קַרְנַיִם**, quam LXX Interpp. & Vulgatus sæpe *Unicornu* reddunt, apparet, cum in aliis locis aliter de animali bicorni interpretantur. Dicendum videtur, ex Scripturis an Unicornu revera detur, constare non posse; præsertim cum, referentibus auctoribus, septem animalium genera sint, extra hanc controversiam sex, quæ uno cornu armata sunt, uti argumentatur Franciscus Burmannus *Synops. lib. 1. cap. 42.* De *Rhinocerote* eadem quoque inter veteres & recentiores controversia; quorum alii fabulosis eundem annumerarunt: alii vero unum, alii duo cornua, eademque modo in naribus, modo in capite, modo in humeris etiam posita voluerunt, ut Vir illustris Fred. Spanhemius *dissert. 3. de præstant. & usu numism. Romæ hoc animal visum temporibus Flaviorum, teste Plinio, Suetonio, Martiali. Sed propterea omni exceptione majus adducit testimonium Domitiani nummus, ex quo patet luculenter, illud*

ditur fabulofum.

ludis sæcularibus exhibitum , ac in ejus rei memoriam ibi expressum , cum Unicornu è naribus prominente , ut ex sequente ejusdem effigie perspicimus.



Adeoque mirari , inquit , Scriptores , qui cum duobus cornibus in his ipsis Domitiani nummis depictum referunt. Unde patet formam hujus belluæ non fuisse ignotam Romanis : quippe apud quos sæpius sequentibus temporibus in Amphitheatris est visa ; ut liquet ex auctoritatibus Historiæ Augustæ , Capitolino in Pio , ac Lampridio in Eliogabalo. Imo sub Trajano etiam idem animal Romæ conspectum fidem facit nummus ab Occone descriptus , quinto illius Augusti consulatu. Verum quidquid tam veteres quam recentiores tradiderunt de Unicornu , à vero omnino alienum statuit Florentissimus Theologus Franciscus Burmannus , & nil nisi merum figmentum , cujusmodi animal à nemine umquam visum , putat ; verum ejusmodi cornua quæ Monocerotem in media fronte habere nonnulli statuunt , esse balænarum dentes. Quamobrem animal illud , quod Deut. 33: 17. & Psalm. 22: 22. describitur , quodque nostri Interpretes Eenhoorn verterunt , duobus cornibus munitum

nitum depingitur, quamobrem capream bicornem hic intelligit statim laudatus Auctor, quæ in Arabia inveniuntur, candidi coloris, pingues, & corporis mole cervis æquales, inter alias capreas caput extollentes, quæ & caput & aures maxime erigunt; unde nomen *Reem* nactæ. Non omnino tamen quæ Veteres de hoc animali tradiderunt, quasi à vero aliena rejicienda videtur Viro celeberrimo & Theologo florentissimo Salomoni van Till in suis in *Psalms. 22: 22. Commentariis*. Nec obstare videtur, quod isti animali, cujus fit mentio *Deut. 33*. plura tribuantur cornua, & proinde de Unicornu, uti nostri Interpretes vertunt, non habetur sermo, quia numerus singularis loco pluralis ibi occurrit, uti inquit Ainsworth *Comment. in Pentateuch. ad dict. loc.*

Salamandra dicitur in fabulis bestia, quæ in medio ignis degit, neque consumitur; est hæc bestia omnium frigidissima, ejusque natura maxime igni contraria & adversa: luctatur ergo primo, tandem tamen æquè ac alia corpora ab igne consumitur. Fabula itaque hæc videtur orta ab illa luctatione, quod in medio ignis degat. Describit Plinius Salamandram, *animal lacerti figura, stellatum, nunquam nisi magnis imbribus proveniens, & serenitate deficiens. Huic tantus rigor, ut ignem tactum exstinguat, non alio modo quam glacies*. Verum, uti diximus, aliquantisper in igne illæsa quidem consistit ob terræ cutis duritiem: ac tandem tamen comburitur. Atque etiam Matthiolus tradit, se hanc in igne positam brevi tempore combustam vidisse. Nec

Salamandra
quale animal.

Ani-
mantibus
in Para-
diso usus
sermonis
non im-
periturus.

Nec minus à vero aliena & fabulosa, quæ de sermonis usu tradunt quidam, quem Deum creatorem animantibus in Paradiso impertitum fingunt. Sermo enim animi & rationis interpres est, cujus non expertia animalia. Forte hæc fabula orta ex alloquio Serpentis *Genes. 3.* & Asinæ *Num. 22: 2.* Etiam si asina Bileami locuta fuerit, *jumentum tamen mutuum* 2 Petr. 2: 16. appellatur; utpote hominis voce, id est, humanæ simili, à Deo creata, locutum. Hinc nugæ & fabulæ, quæ de colloquiis brutorum cum hominibus nonnulli tradiderunt. Plato apud Eusebium *lib. 12. de præpar. Euang. cap. 9.* ait: *Homines aurei seculi (id est, in statu integritatis, sive innocentie, dum in Paradiso degebant) Saturno imperante, tantæ virtutis & sapientie fuisse, ut & cum bestiis sermonem conferre potuerint.* Et Basilii scribit, *Animalia ante lapsum & audisse inter se, & sensate locuta fuisse.* Notum est, Josephum Judaicæ Antiquitatis Scriptorem dicere, *Serpenti in Paradiso & aliis animantibus sermonem fuisse naturalem.* Huc etiam pertinet quod tradunt Porphyr. *l. c. Callimachus in Lavacro Pallad.* Apollodor. *lib. 3. Biblioth.* Philostrat. *in vita Apollonii,* Gell. *lib. 10.* Tiresiam & Melampum, Helenum & Cassandram, Apollonium Thyæum, Democritum, Ericum Regneri pugilis filium Danum intellexisse sermones, & cum bestiis conferre potuisse. Imo & hac facultate olim bestias præditas fuisse, haud absurdum, & à sana ratione alienum statuere, ipse Augustinus censet. Mirum, quod ejusmodi nugis, Platonicis fabulis similibus adfentiri

adsentiri potuerint Viri saniori doctrina imbuti, cum sermonis omnis, sicut & rationis usus solius hominis prerogativa sit: quæ ad societatem, ad quam colendam cum sui simillimis natus homo, juxta naturæ leges sive rationis dictamina plurimum confert.

Quemadmodum vero natura ab imperfectioribus ad perfectiora procedit, ita Deus *Κοσμοποιος* perfectissimum omnium, quod est homo, qui *μικροκοσμος* & typus & effigies existit mundi, cujus gratia totum hoc amphitheatrum cum omnibus quæ in eo sunt, productum est, ultimo sibi creandum reliquit loco, uti inquit Dieter. *antiq. Bibl. Genes. i. ψ. 24.* Et ut summam erga genus humanum Deus benevolentiam suam testificaretur, ne sibi deesset, quod vel ad victum, vel ad amœnitatem & voluptatem & commodum augendum aliquid adferre posset, priusquam hominem condidit, absolvit omnes mundi partes, omnes creaturas, quæ usui & commodo inservire possent, produxit; hisce itaque absolutis, natus Homo est, cui in omnes creaturas imperium dedit, iisque utendi facultatem concessit pro arbitrio suo. Toti itaque operi pulcherrimum colophonem creatum post cætera omnia Hominem posuit, *in quo*, ut inquit Ambrosius, *principatus esset animantium universorum, & summa quædam universitatis, & omnis mundanæ gratiæ creatura.* Creatura videlicet ratione prædita, cujus vi Deum intelligere, & operum ejus magnitudinem capere, & conditorem æternis laudibus prosequi poterat. Itaque ut canit Poëta:

Creatio
Homi-
nis.

C c

Sanctius

*Sanctius his animal, mentisque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.*
quod suspicere cœlum, contemplarique omnia,
quod prædicare venerarique posset conditorem suum.
*Atque, ut inquit summus Theologus Franciscus
Burmannus, tali creatura in hoc mundo opus erat,
cum sine ea Deus frustra omnia condidisset: nec glo-
riam suam ex rebus conditis accepisset: & cœli ipsi,
ac unversæ creaturæ Dei gloriam prædicassent, Ps.
19: 1. & montibus tantum ac silvis, surdisque saxis
eam narrassent, cum creaturæ rationali, ac creatu-
rarum voces intelligenti, eam testari solum queant.*
Homo igitur coronis operum Dei fuit, in quo Deus
condecorari imprimis voluit: utpote quem fingere
sibi proposuit ad perfectissimum exemplar, imagi-
nem scilicet ac similitudinem sui. In cujus formatio-
ne Deus etiam non eodem quo in cæteris, sed in-
solito more usus est. Scilicet, non voce tantum
imperatoria ut cætera, *fiat*: sed inito quasi consi-
lio & deliberatione habita certa & peculiari, & ac-
cedente consensu communi Sacrosanctæ Trinitatis,
ad indicandam dignitatem operis tam præclari,
quod formare decreverat. Quippe, uti differit
Vir doctissimus Dietericus *dict. loc. Reliquæ crea-
turæ ad solius mundi inhabitationem, Homo vero non
tantum hujus, verum potissimum futuri seculi fu-
turus erat intisus, adeoque Dei οὐρανῶν & hæres vitæ
æternæ.* Quamobrem in formando homine non re-
petit summus rerum Opifex suum *fiat*, per quod
omnem cœli exercitum procreaverat: neque hoc lo-
co usurpavit *producat terra*; sed, - uti dicere ince-
pimus,

pimus, ad præstantiam operis inchoandi demonstrandam, nova formula utitur, quæ indicat, Hominem Sacrosanctæ Trinitatis consilio & consensu creatum esse; tantæ molis erat humanum genus condere. Deus itaque veluti deliberabundus inducitur: *Et dixit Deus, faciamus Hominem; in imagine nostra, secundum similitudinem nostram, Gen. 1. v. 26.* Quæ de tota S. S. Trinitate, propter commune consilium pacis inter germen & Jehovam, Zach. 6: 13. & commune opus Patris & Filii *ὁμοίως similiter* operantis, Joh. 5: 19. intelliguntur. Reliqua omnia solo oris ejus Spiritu creata sunt, & ad vocis ejus imperium ex nihilo emicuerunt; in Homine vero fabricando artificem sensibilem egit: nec tam creasse, quam fecisse Hominem visus est. Non tamen proprie, ut inquit Clariss. Franc. Burmannus, deliberantis ac incerti animi hæc verba sunt; nam extra dubium erat condito mundo etiam Hominem, mundi incolam & Dei operum colophonem, in quem, quidquid fere in cæteris creaturis, pulchrum, venustum & egregium, eleganti compendio Deus conferre decreverat, creandum esse: nec utitur deliberandi formula universi hujus Conditor Deus, *faciemusne Hominem? sed faciamus*, ut sermo potius sit *κατὰ πρόθεσιν*, seque ipsam inhortantis, & velut ad majoris momenti opus excitantis; quo totius Trinitatis in formando homine concursus exprimitur.

Cave enim, ne tibi persuadeas, cum diceret Deus, *faciamus homines*, adlocutum fuisse, ut Rab-
 bini volunt, superiora vel inferiora, scil. Angelos, Deus in creando homine non alloquitur Angelos.
 vel

vel res inferius in terra creatas. Quippe tales alloquitur, ad cujus imaginem crearet: Hominem vero non ad imaginem Angelorum, aliarumque rerum creatarum, efformavit, sed ad unius Dei fictus est effigiem. Neque etiam consilium auxiliumve Angelorum par est adhibuisse Deum in opere maximo. Multo minus adloquitur inferiora: nam, uti recte Basilius, hoc idem fuisset, ac si futor alloqueretur corium, faciamus calceos. Erronea itaque Episcopii opinio, negantis ibi significari S. S. Trinitatem, & statuentis Deum ibi loqui de se ipso numero plurali, ad Regum & Magnatum exemplar. Magnificæ enim Aulicorum formulæ, de uno Principe viro quasi pluribus loquendi honorifice, recentiores eæ sunt, quam ut illi aut linguæ convenient, aut seculo, cum hæc literis sunt consignata. Non patet enim Reges hoc tempore in Oriente hunc loquendi usum observasse; nec Pharaos, nec Nebucadnezar ita locuti sunt. Interjecto quidem tempore, uti hodie quoque, hanc dicendi formulam Reges & sui juris Principes, imo & alii nonnulli Illustres Viri quidem usurpant, ut in Edictis ac placitis inserunt *Nos jubemus* &c. ut videantur cum Senatoribus vel Conciliis consentire: sive potius, quia in sua persona repræsentant universum populi cœtum & civium multitudinem, quidquid jubent, illius nomine jubent, & proinde placita, & edicta, & leges quas ferunt Reges, populi nomine promulgare videntur, ideoque plurali numero de se ipsis loquuntur. Quod neutiquam prædicari potest de Regum Rege, Deo, qui
à se

à se ipſo omne habet imperium independens ſummum & nullis circumſcriptum cancellis. Ideoque perperam argumentatur Epifcopius, ab hac dicendi formula, quam nunc uſurpant Reges, ad illum loquendi modum, quo Deum uſum ſtatuit *diſt. loc.* ſtatim alleg. Auſtor. Præterquam quod *hanc cancellariam, ut ita dicam, Spiritus S. non imitatur, nec agnoſcit Scriptura S. hunc loquendi uſum*, ut inquit Lutherus, *in comment. in Genef.* Nulla quoque ſana ratione nititur eorum opinio, qui volunt, quod, cum dicatur, *faciamus homines ad imaginem noſtram*, apparuerit Deus viſibili forma, & quod ſic ad eam formaverit hominem. Quod opus non fuit; creavit enim ipſum ſola & æterna potentia.

Quod autem materiam attinet, ex qua corpus hominis formatum, eſt terra; itaque non immediate ex nihilo id produxit Deus, ſed efformavit hominem ex pulvere, ex terrâ ſive luto, *Gen. 2: 7. E luto exciſus ſum etiam ego, Job. 33: 6.* Quamobrem corpus hominis *κοινων* *pulverem* *I Cor. 15: 47.* appellatur. *Pulvis es, & in pulverem reverteris, Gen. 3: 19.* Inde & homini vetuſtiſſimo nomen **ΑΔΑΜ** *Adami*, vel quod rubicundus fuit inſtar recens natorum, vel quia *ex terra ruſa ſumptus eſt, Gen. 2: 19.* qualis in Oriente paſſim, præprimis in regione Babylonica, in qua Paradifus, natale Adami ſolum, reperitur. Itaque perperam quidam ſtatuunt, Adami corpus formatum fuiſſe ex quatuor elementis; quia rationi è diametro videtur repugnare, quod ex aëre, qui eſt in perpetuo fluxu particularum, poſſet confici tale corpus. Non

Materia,
ex qua
factus
homo,
qualis.

ambigendum itaque , nisi S. Scripturæ fidem derogare velimus , quin primus homo , & quasi nostri generis antesignanus , è terra sive luto confectus fuerit. Cui convenienter Philosophi , *cum de informatione agunt homines , quæ facta est ex pulvere , terrenum quidem esse corpus sigillatim pronunciant* , teste Clemente Alexandrino *Strom. lib. 5.* Et Arnobius testatur , alios ex Sapientibus dicere , Tellurem esse hominum matrem , Aquam alios. Hæc sententias si jungamus , originis nostræ materiam componemus , scil. *lutum*. Ex pulvere itaque macerato & temperato imbre , ex massa quadam terræ madefacta , vel ex terra opimi affusione liquoris in limum vel argillam quasi coagulata , fictus homo. Quamobrem hominem , ex terra mista fluvialibus undis effectum , canit Ovidius 1. *Metam.* Fingit ibidem Poëta , Prometheus Japeti filium , (qui non alius fuit , quam humani generis conditor , à providentia nomen sortitus ,) terram imbri molliuisse , & ex hac hominem ad effigiem vel imaginem & similitudinem Dei finxisse. Atque hinc apud Platonem *in Polit.* dicitur , priscos homines è terra procreatos , haud vero ex se invicem , uti , teste Laërtio , Zeno Eleates generationem hominum è terra esse credidit. Ita apud Ciceronem *de LL.* traditur , disputari solere , *existisse quandam materiam ferendi generis humani , quod sparsum in terras atque satum , divino auctum sit animorum manere.* Quamobrem terram omnium mortalium dixit matrem Livius *lib. 1. cap. 56.* Atque huc referri potest illud Deucalionis apud Ovidium , post deletum

letum aquis humanum genus, ad reparandum illud votum:

O utinam possem populos reparare paternis

Artibus, atque animas formatae infundere terræ.

Hinc itaque primus homo *Adam* appellatus, ut originis suæ admoneretur, quia ex terra vel pulvere humore adsperso vel macerato sumtus erat fictusque. Congestum autem eum ex pulvere, ut humillimæ originis suæ memor, demissius de se in posterum sentiret, *Eccles. 12: 7. Job. 4: 19.* Ita quoque Latinis *Homo* dictus, quia fictus ex *humo*, ut nihil haberet quod fastidire posset. Eo tamen nihil detrahitur præstantiæ & dignitati & decori corporis sui, quo Deus illum circumdedit. Insignis enim humani corporis à Deo conditi præcellentia est.

Structura ejus mirabilis est, & summam Conditoris sapientiam refert, & sui generis præ cæteris animantibus præstantiam. Quippe, ut canit Ovidius,

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,

Os homini sublime dedit; cælumque tueri

Fussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Itaque externa corporis figura à reliquis animantibus discrevit, dum illud erectum cælum versus formavit, ut non nisi extrema duntaxat parte humum calcans, terram, ceu subsidentem longe infra votum & dignitatem suam calcet; quo cœlestis originis perpetuo memor, ad cœlestia, & cœli gloriam se conditum perspiceret. Nudum etiam & inerme illud esse summo rerum placuit Opifici; ut sola ratione se censere adsuesceret, illamque in consilium.

Mirabilis
hominis
fabrica.

filium adhibere, nec in exornando corpore excederet modum, primæ nuditatis sibi conscius. Verum enim vero nonne obstupescimus, quoties inter tot hominum myriades vix duos invenimus forma faciei sibi similes; summam Creatoris sapientiam ex hac varietate perspicimus, utpote qua effectum, ne oris similitudo confusionem pareret, sed ordini & honestati locus esset. Taceo stupendam & admirabilem corporis structuram & fabricam, & partium symmetriam, quæ cum nullius animalis corpore comparanda. Quæ omnes tanta arte & mirabili convenientia inter se dispositæ, ut nullo humano ingenio ejusmodi partium œconomia vel fingi vel excogitari potuisset: ita ut nulla pars, nullum membrum, nullæ nequidem minimæ fibræ, quæ innumeræ sunt, frustra factæ, sed in certum usum, & quidem exigente corporis conservatione, fabricatæ; adeo ut singulæ partes, & unumquodque membrum suo fini inserviant; omnes vero conspirant & collimant ad unum eundemque finem; scilicet ut communi ope & auxilio corporis compagem tueantur & conservent in eo statu, in quo à Deo formatum, donec iterum Creatoris placito in cineres resolvendum. Sive enim exteriora membra, sive interiores corporis partes spectemus, ubique sese prodit admirabilis Opificis sapientia. Si à capite ad calcem intueamur hominem, in tres partes corpus dividi posse videtur: cujus superior pars est caput; media truncus corporis, & ligamenta, quibus quasi tot vinculis corpori alligatur, tam crura, quam brachia, ut corporis servitio essent, & necessitatibus

cessitatibus prompte inservire possent, & ubique circumferrent. Corporis truncus intus omnes vitales complectitur partes, cor, pulmonem & hepar, quæ millenis minusculis venis & arteriis circumdata, suntque tot meatus, per quos sanguis ad omnes corporis partes descendit. Mirum vero, quod tot venarum & arteriarum labyrinthus nullam confusio- nem & perturbationem pariat. Et quamvis cor inter illas partes quasi summum obtineat imperium, nullum, ut ita dicam, superiorem agnoscens, non declinat tamen in societatem imperii hepar admit- tere, ut junctis viribus & mutuo auxilio, eo ma- jori cum effectu, naturalis iste calor, ceteræque virtutes, quibus prædita, vim suam in alimenta corporis exferere possent. Inde vero innumeræ ve- næ & arteriæ originem trahunt, quæ mirabili arte inter se optimam & subtilissimam chyli partem sibi vindicant in nutrimentum, densiorem & crassiorem exonerant, quæ opportuno temporis intervallo se ad intestina deferunt; jecore interim sanguinem & humores distribuyente, dum cor spiritus vitales per omnes diffundit venas & arterias: ne autem nimis effervesceret, & plus caloris, quam oportet, con- traheret, pulmo, viscus spongiosum & humidum, follis modo spiritum attrahens, eundemque reddens cordi, calorem moderatur & leniter refrigerat per justa temporum intervalla, ita ut, dum pulsu agi- tatur, per venas arteriasque recipiat optimam san- guinis partem, suavissimum sibi alimentum. Quod restat, ad cerebrum defertur, summum structuræ hujus mirabilis fastigium: pelle & crinibus tectum,

D d

intus

intus superior pars cerebri cranio & matre dura tecta. In hujus arcis quasi loco fortissimo & munitissimo spiritus formantur animales, qui sensibus nostris inserviunt: spiritus, ut ita dicam, ignei, qui radiorum instar dissoluti & à se invicem separati per visum sese emittunt, quasi fulgura & sidera, quæ ipso etiam meridie sua luce nos adficiunt. Taceo cæterorum organorum, musculorum & nervorum mirabilem dispositionem & fabricam, adeo ut merito corpus humanum tam mirifice ædificatum tanquam prodigium naturæ habeatur; quod profundam Dei sapientiam prodit, quæ in hoc videtur experta quid efficere potuit, sive potius voluit. Merito itaque in ipso artificio corporis attonitus hæsit Medicorum princeps Galenus *lib. 3. de usu partium*. Et miratur eximium hoc opus, quamvis non eodem decore venustate & pulcritudine, quo recens è manibus Creatoris veniens ornatum, M. Tullius *1. de Legg. Animal*, ait, *hoc providum, sagax, multiplex, memor, plenum rationis & consilii, præclara quadam conditione à supremo Deo est generatum.*

Qua ætate sit creatus primus mortali-um.

Creatus autem vetustissimus mortalium ætate illa, quæ perfectissima est, quæ terrarum dominio, cujus infans capax esse nequit scil. actu, ac gentis humanæ parenti ac conditori conveniens erat; qualis juvenilis vel virilis est; quamobrem ætatis flos *vir* dici solet, ut inquit sæpius laudatus Theologus Francisc. Burmannus *dicit. loc.* Quis enim sanæ mentis sibi persuadere posset, cum immediate juxta decretum Dei multiplicari debuerit genus humanum

manum per viri & mulieris conjunctionem , Adamum ea ætate creatum fuisse , ut tam longum temporis intervallum intercedere debuisset , quale intercessisse statuendum , si infans ac puer ad generandum planè inhabilis in mundi scenam prodiiisset. Fuit itaque , ut alia cuncta naturæ ætatis , annorumque quasi circiter 60 vir , ut opinatur Vir doctiss. Hug. Robinson *annal. mund. lib. 1.* Quippe ea ætate minorem neminem liberos generasse in primo seculo legimus. Præterquam quod non ambigendum , quin ab omni parte perfectus ac beatus fuerit ; atqui ejusmodi beatitudo maxime posita erat in cognitione Creatoris sui , cujus ad imaginem conditus , oportet ea ingenii capacitatè creatum fuisse , qua agnoscere poterat & Conditorem suum , & ejus imaginem cujus particeps ; cujusmodi judicii & ingenii vim in infantem haud cadere rerum usus docet. Cui etiam accedit , si perfectus ab omni parte fuerit , tum quod ad animum , tum etiam quod ad corpus , quia illa vox totum hominem complectitur ex animo & corpore constantem , oportebat eum creatum esse non solum omnibus animi dotibus præditum , quæ imagini , ad quam conditus erat , conveniebant , sed etiam nihil deesse corpori debuit ; adeoque statura Adamo fuit justa & decens. Quippe cum recens è manu Dei veniret , & secutorum hominum foret exemplar , insignem habitum ac dignitatem habuisse , non ambigendum ; adeoque non puerilem , sed virilem. Non tamen cum veterum quibusdam , & præcipue Thalmudicis , ex Adamo gigas faciendus ; vel interjecto tem-

pore integros Gigantum populos introducendos esse monet statim allegatus Auctor Franciscus Burmannus *dict. loc. Filii Dei*, quorum concubitus cum *filibus hominum* describitur, fuere, ut Viri eruditi annotarunt, vel *posteri Sethi*, cum Caini posteris se commiscentes; vel *fili Magistralium*, potentia parentum abutentes. Gigantes inde nati non statura, sed potentia vasti; Angelos enim filiorum Dei nomine non posse intelligi, uti Augustinus censet *lib. 15. cap. 23. de civit. Dei.* in natura eorum claret, quæ non apta nec habilis ad generandum. Joh. Becman. *analect. sacr.* Sicut etiam mera figmenta sunt, quæ traduntur de gente Pygmæa. Cum nunquam tales gentes exstiterint, sed homines quidem particulares tales fuerunt, ita nominati, primo quia una gens altera statura procerior erat, uti nostris etiamnum temporibus, cum Germani Gallos statura & corporis proceritate superant; quis autem Germanos gigantes, Gallos pygmæos ideo appellabit.

Spiritus
hominis
qua in re
consistat.

Verum corpus quantovis artificio ædificatum sine spiritu mortuum est, & statuæ instar, *Jac. 2: 16.* Ideo Deus *inspiravit in nares Adami halitum seu spiraculum vitarum*, atque ita ille *factus est in animam viventem*, *Gen. 2: 7.* Utraque enim vox *נשמה* & *שנ* proprie halitum seu flatum significat, ut linguæ Hebrææ periti annotarunt; quem sic Deus in nares Adami inflavit, ut inflando simul respirare fecerit, & corpus animale, *1 Cor. 15: 45.* esse cœperit. Spiritus vitalis, qui naribus inest, proprie quidem halitum significat, verum cum in solo halitu vita sita non sit, videntur Metonymice cætera omnia ad vitam pertinentia,

tinentia, ne exclusa quidem cogitandi facultate, si-
 gnare, ut inquit Joh. Clericus *comment. in Genes. cap.*
2: 7. Ita ut simul eidem spiritum sapientem & velut
 ex Deo genitum impertitus fuerit. Cum spiritu sive
 halitu seu flatu illo animæ rationalis, creatio pari
 passu ambulavit; quia spiraculum illud in nares Ada-
 mi inspiratum non simpliciter *vitæ*, sed *uitarum*,
 hoc est, vitæ & corporis & animæ spiraculum dicitur,
 & per inspiratum illum homo in animam viventem,
 qualis homo *luxurians* animalis est, & imago Dei dici-
 tur. Vid. Heidegg. *Medull. loc. 6. §. 49.* Itaque ut
 terra fieret corpus vivum, Deus in faciem vel nares
 inspiravit spiraculum vitæ, sive, ut inquit Calvinus
institut. lib. 1. cap. 15. §. 3. & lib. 2. cap. 12. §. 6.
 aliquam sanguinis portionem agitando & tenuiorem
 reddendo animam fecit; simulque indidit mentem in-
 tellectu & voluntate præditam ac pollentem, qua A-
 damus & animalis & hominis vitam viveret. *Non*
enim, uti inquit Franciscus Burmannus, anima flatus
quidam est vel halitus, multo minus accidens vel cra-
sis, harmonia, aut motus corporis. Cum sit substan-
tia corpore distinctissima, spiritus videl. immaterialis
ac immortalis, cujus tota natura in cogitatione consi-
stitit. Unde Aristoteles *lib. quem de anima scripsit,*
dicit; solam mentem extrinsecus advenire, divinam
esse solam, neque cum ejus actione actionem corpus
nullam habere communionem.

Sunt qui animam concipiunt, ut divinæ particulam
 auræ, & aliquod subtile; sed perperam: cum subtile
 esse, corporis sit, & si alicui corpori adsimulando
 foret, non flatui, qui valde instabilis est, sed multo

Anima
 hominis
 quid?

D d 3 potius

potius saxo aut adamanti, quæ corpora sunt stabilia; sed utraque non conveniunt substantiæ spirituali. Anima est res cogitans, ab hac omnia corporea removenda. Huic adest semper cogitatio tanquam aliquid inseparabile, quia destrueretur ejus essentia. Quamobrem dicendum, cogitationem animæ esse attributum radicale, quod ei semper adesse debet: talis enim animæ dispositio, quæ consistit in potentia cogitandi nihil est; quid enim foret si ipso actu non cogitet; si vero ejus essentiam ponas in rationalitate, nimis restringis animæ essentiam; non enim semper ratiocinatur: ratiocinari est imperfectio, præsupponit enim nos discurrere à noto ad ignotum, quo minus ergo ratiocinamur, eo perfectiores sumus; ideo non ratiocinatur Deus. Necessario animæ debemus adscribere cogitationem actualem; nunquam enim esse potest sine voluntate, quæ semper vel ad bonum vel ad malum prona est & inclinatur; quod autem voluntas sit cogitatio, omnes concedere debent.

Anima corporis ergastulo liberata, an sit orbitata actuali cogitatione.

Verum objiciunt, quod, quando alto sopore oppressi sumus, cogitationum non sumus conscii. Quid inde, an ex eo inferendum, ergo non habeo, vel anima non cogitat; cogitationes ergo sunt, licet forte earundem cogitationum nulla sibi somno soluto supersint vestigia. Dicant mihi, quid futura anima vita cum morte commutata, si cogitatio posset abesse. Cum *Psal. 6: 6.* dicatur, *an in morte cogitatio tua?* perperam concludunt, quasi anima corporis ergastulo soluta & liberata omni actuali cogitatione esset orbitata, ita ut perinde hominem atque pecus, non corpore modo, sed & anima emori illo temporis intervallo,

lo, quod intercedit, usque ad resurrectionem statuere videantur; ejusmodi interpretatio maxime à sensu & mente Psalmistæ aliena. Loquitur hic Propheta non de eo, quid spiritus post mortem in alio seculo faciant, vel non, verum quid facere desinit homo mortuus in hac vita inter mortales, pius tamen ex animo facere cupiat: id est, in hominum consortio & societate bonitatem & majestatem celebrare, prædicare ejus laudem & beneficia. Jehovam itaque adorat Propheta Regius, ut velit eripere animam suam de mortis faucibus, ut possit beneficia Dei prædicare inter mortales; quod facere nequiret, si Jehova se vellet præmatura morte intercipere. Cum Propheta inquit, *an in morte cogitatio sive memoria tui?* referendum ad illum actum, prædicandi gloriam & beneficia Dei inter mortales, quod nisi inter vivos & à viventibus peragi vel præstari potest. Vide Cl. Theologum Salomon. van Till *Comment. in Psalm. 6: 6.*

Quoties animam concipio tanquam substantiam oppositam substantiæ corporeæ, vel omnino ab ea diversam & natura & attributis concipere debeo, utpote quæ tota quanta, est spiritus, & proinde immaterialis, cujus essentia consistit in motu & perpetuo actu; quippe nullam formare spiritus ideam, vel spiritum tanquam substantiam omnino incorpoream concipere possum, nisi se continuo absque ullo temporis vel minimo quidem intervallo moventem, cujusmodi motus est essentia entis mere spiritualis, ideoque etiam continuus actus, id est, determinatio ejusmodi entis versus aliquod objectum, ita ut cessante motu vel actu ipsum illudens cujus essentia in agendo consistit,

Essentia
animæ.

consistit, agere vel movere sese desinens, esset non ens. Cum itaque anima sit ens totum spirituale, & proinde continuo sese movens, cujusmodi motus & actus entis sive animæ continuus & perpetuus, sequitur, quod anima nihil agens non sit anima, quia absque hoc existere, concipi nequit. Actus autem sive motus, quem animæ tanquam substantiæ spirituali adscribimus, debet convenire ejus naturæ, ut ita dicam, sive essentiæ & qualitati naturali, quæ cum est rationalis intellectu & voluntate prædita, qua objecta, quæ vel per ideas innatas, vel per sensus repræsentantur, concipere & intelligere valet, & per mentis discursum examinare, & ita velle & appetere, sequi mihi videtur, animam concipi non posse absque cogitatione, quia ejus essentia consistit in motu sive actu perpetuo; actus autem iste conformis est rationali, ut ita dicam, naturæ: rationis autem attributum necessarium, proprium, & inseparabile intelligere & velle; intelligere autem & velle necessario præsupponit mentis discursum; mentis vero discursus objecta, quæ vel per innatas ideas, vel per sensus sibi repræsentantur, ut optima vel utilissima, posset eligere. Quemadmodum itaque mens sive anima nunquam potest esse sine ejusmodi objectis, quæ vel intus, vel aliunde, dum cum corpore conjuncta est sibi repræsentantur, concipi nequeat, ita nunquam sine cogitatione; ita ut actus sive motus iste rationalis, ut ita dicam, animæ substantia, sit cogitare; & cogitando agere. Itaque dum existit, agit; dum agit, cogitat, nullo intercedente temporis intervallo; quippe minimum temporis interstitium perimeret animam, quoniam est

est privatio motus sive actus, & proinde privatio substantiæ spiritualis, sine qua existere non posset; hinc quoque immortalis. Unde cogitare, est mente agitare, in actu esse; & cogitatio, mentis agitatio, animi motus. Nunquam itaque spiritus sine motu tanquam essentiali ejus attributo; unde die Pentecostes, cum Apostoli Spiritu S. donarentur, factus est repente de cælo sonus, tanquam ruentis flatus violenti, qui replevit totam domum. Sic etiam flatus Spiritus Dei ferebatur super aquas; ubi flatus, ibi ventus, vehemens motus; ipse enim flatus motus est, sic etiam Spiritus nunquam sine motu: quia ejus essentialis & naturalis qualitas. Hinc Nonius *cap. 4. animam* etiam *ventum* interpretatur, per comparisonem motus, qui Spiritibus essentialis. *Isid. lib. II. Orig. Anima à ventis nomen accepit: unde deducitur ab ἀνεμος ventus, qui est spiritus spirans in aere. Unde etiam motus facultatum vegetantis & intelligentis est spirationi similis, ideo & illas animas dixerunt.* Videtur quoque imperitum & rude vulgus animam tanquam substantiam spiritualementem eodem modo concipere, scilicet tanquam perpetuum aliquod mobile, uti flatus & ventus, qui dempto motu evanescit; quemadmodum absque motu non possumus concipere ventum, ita nec animam sive spiritum hominis. Quamobrem ejusmodi homines, qui semper sunt in actu & motu, quorum nunquam quiescit mens, qui omnibus se intermiscunt negotiis, & nihil bene gestum putant, nisi ipsi negotiorum gestores, qui magnam de ingenii sui facultate habent fiduciam, forte majorem quam in illa est, sibi Orbis vindicarent imperium,

E c

ut

ut per mare per terras activitatis suæ, ut ita dicam, dare possint documenta, qui de omni scibili disputant, cum nullum scibile sapiant. Hos, inquam, propter molestam aliis activitatem, ut ita dicam, Belgico sermone merito *Doelwaters* & *Windbuplen* appellare solet vulgus: quasi vento pleni & tumidi nunquam quietem capere soleant, sed venti & aquarum vorticum instar huc illuc vagando, vel rebus ad se non pertinentibus sese intermiscendo, vel mira loquacitate aliis molesti, nunquam otiosi nec quieti esse possunt. Testatur id rerum usus, quid opus igitur verbis, ubi rerum testimonia adsunt, & id genus hominum nostra abunde fert ætas.

Animæ
definitio.

Cum itaque natura Spiritus absque motu concipi nequeat, & motus debeat esse conveniens substantiæ & naturæ Spiritus, qui rationalis est, sequitur istum animæ actum sive motum nihil aliud esse quam cogitationem, & proinde anima recte definitur *res cogitans*, cujus essentia, ut ita dicam, est actus cogitandi, uti dicere incepimus, huic semper debet adesse cogitatio, quin destrueretur ejus essentia. Unde forte per flatum in nares Spiritus infusus dicitur, qui fit per motum, ita ut anima quasi per flatum sive motum, sive per illum actum, qui movendo perficitur vel effectum sortitur, anima quasi generata vel producta, ut ita dicam, significans animam esse Spiritum, cujus essentia in motu consistit, sive cujus essentia est motus continuus. Quippe quanquam directe illa vox Spiritum istum immortalem non designet, animam tamen rationalem quoque comprehendere, ex totius sententiæ

tix complexionem patet. Quippe ut inquit sæpius laudatus Theologus Francisc. Burmannus, *Cum reliqua animantia ex terra & aqua unico velut jussu, producta sint, hominis vero corpus ex terra primum formatum, tum vero infuso halitu à Deo animatum legatur, patet alium longe spiritum homini inditum esse quam bestiis: atque illum non ex materia aliqua, sed ex Dei ipsius immediata operatione processisse manifestum est. Præsertim cum addatur, hominem ad imaginem Dei conditum: quod reliquis animantibus non tribuitur.* Præterquam, uti supra dicere incepimus, quod vox Hebraica *halitus*, hic vertatur *spiraculum vitarum*, plurali numero, ad denotandum omnem vitæ gradum, quæ ad hominis perfectionem pertinet, & proinde non vitam corpoream duntaxat, quam cum brutis animantibus communem habet, quæ consistit in motu spirituum & sanguinis, ut *Genes. 7: 22.* verum etiam vitam animæ, sive animam ipsam viventem rationalem, quæ consistit in motu & actu rationali ab anima proficiscente, imo animam efficiente. Quod duplex in homine sit vita, & à se mutuo distincta, vel exinde probari potest, quia posset esse, quod arctissimum illud vinculum, quod animam cum corpore necit & copulat, jam disruptum ac dissolutum foret, & anima ex corpore excessisset, & quod adhuc corpori motus quidam inesse possent, qui motus automatici forent; non hoc magis repugnat, quod absente jam à corpore anima, corpus adhuc moveri posset, non qua corpus, sed per quosdam, qui corpori adhuc insunt, spiritus animales, ac si quis

mortuo & absente jam nauclero , ex naufragio partem puppis videret , ut differunt Viri docti.

Anima
quo tem-
pore cre-
ata.

Apparet autem ex iis , quæ de animæ creatione disputavimus , tum etiam definitione temporis , quo perhibet Moses Deum insufflasse naribus primi hominis spiraculum vitæ , corpori scil. jam formato extrinsecus indidisse ; aliter atque in animantibus , quorum animæ simul cum ipsis ex terra & aquaeductæ sunt. Hanc doctrinam maxime tuetur Augustinus *tract. qu. vet. ac nov. test. quest. 33.* ubi haud levibus utitur argumentis ad probandum , corpori jam formato animam infundi , adeoque extrinsecus advenire , & corpori insinuari. *Propheta* , inquit , *Zacharias cap. 12: 1. inter cætera , Qui plasmavit* , inquit , *hominis animam in eum. Nec Esaias cap. 44: 24. ab his dissentiens ; sic dicit dominus Deus , qui fecit te , & finxit te in utero. Si ergo in utero fingitur , jam formato corpori tribuitur. Ibid. dicit : Quod quidem Moses manifestius tradidit , dicens : si quis percusserit mulierem in utero habentem , & abortiverit , si formatum fuerit , det animam pro anima. Itaque si jam formato corpori datur , non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Mirum quod idem ille alio loco censeat , animæ originem esse dubiam & incertam. Improprie autem hæc verba sumenda ; non enim Deus flavit in naribus , sed dicitur ita , quia flatus ille in naribus omnium primo apparuit : uti quoque ultimo apparet in naribus. Non quod localiter exeat naribus , juxta quorundam opinionem. Anima itaque non ante , aut extra corpus , sed una cum corpore*

corpore creata fuit, eo temporis momento, quo hæc inspiratio facta fuit.

Perperam itaque Judæi opinabantur in prima creatione conditas esse omnes animas, & conservari omnes in loco vel theca quadam: imo illas animas jam omnino vel masculis vel fœmellis destinatas esse. Judæorum opinio, animas omnes in creatione conditas, refutata.

Quam opinionem inter veteres quoque tuebatur Origines: sed mera figmenta esse quis non expertus, cum adhuc quotidie creentur? non ex pulvere aut elementis, sed extrinsecus advenit; quippe formasse hominem dicitur de pulvere terræ: formato autem corpori inspirasse spiraculum vitarum. Opponuntur itaque sibi hæc duæ creandi rationes, alia origo corporis, alia animæ: nec alia hodie; quod enim de Adamo prædicatur, de omnium hominum deinceps nascentium animabus intelligendum, quæ à Deo immediate creantur & corporibus infunduntur. *Creando infunditur, & infundendo creatur*, ut inquit Augustinus. Unde *Deus spirituum omnis carnis*, Num. 16: 22. & *cap. 27: 16.* & *Pater spirituum*, Hebr. 12: 9, Zach. 12. & ut alia S. Scripturæ testimonia omittam. Clare autem imprimis *Eccl. 12: 7. pulvis redire in terram* dicitur, *Spiritus autem redire ad Deum, qui dederat illum*: ut ex reditu animarum ad Deum peculiaris earum origo, voce dandi expressa, arguatur. Vid. Burman. *dict. loc.* Hinc Theseus apud Euripid. *Supplic. act. 2.*

*Jam finite terræ mortuos gremio tegi.
Res unde quæque sumserat primordium,
Eo recipitur: Spiritus cælo redit,
Corpus terræ.*

E e 3

Et

Et apud Plutarchum Epicharmus in eundem sensum, *Consol. ad Apoll. Concretum fuit & discretum est, rediitque unde venerat, terra deorsum, spiritus sursum. Animarum originem manare à cælo, recte philosophantium indubitatum esse sententiam, observat Macrobius Somn. Scip. lib. i. cap. 8. Unde Plato in Timæo pag. 69. Divinorum vero ipse est opifex, mortalium rerum generationem Diis à se genitis efficiendam demandavit. Illi igitur suum parentem imitantes, accepto immortalis animæ primordio, deinceps mortale ipsi circumdonarunt. Quibus docet, Deum per se mentem immortalem atque divinam creare, at corpus mortale Diis à se genitis nimir. causis secundis efficiendum demandasse. Genus humanum, inquit Orpheus, a Deo ipso formatum fuit ex terra, & ab eo animam rationalem accepit. Factum itaque corpus ex humo, quam fumsit artifex, & formam inde effinxit humanam. Anima vero ex nulla re creata, sed ex Patre atque Rectore omnium rerum. Quod non de solo Adamo, ut dicere incepimus, sed universi generis humani mentibus intelligendum, cum ex locis è S. Scriptura adductis, tum etiam Ethnicorum testimoniis liquet.*

Anima
non tra-
ducitur
ex pa-
rentibus.

In Adamo, cujus anima non ex materia aliqua corporea & visibili vel palpabili creata est, sed immediate à Deo efformata; itaque in primo homine specimen edidit, quid in aliis hominibus facturum erat. Unde patet, animam non ex parentibus traduci, sed à Deo creatore infundi, quamvis teste-

an

an vero à Deo creetur & nascentibus insinuetur. Novimus Tertullianum Apollinarem statuisse, sicut corpus ex corpore, ita animam ex anima nasci, & simili cum brutis animantibus modo subsistere. Verum contrariam opinionem saniori doctrina imbuti tuentur Hieronymus, Hilarius, Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, aliique Patres; & ipse Augustinus dicit *ex traduce* esse corpus, non animam. Homo hominem quidem generat, verum non opus est, ut ipsum ad omnes partes generet, non enim homo hominis causa totalis esse potest. Producit quidem aliquid in substantia, non vero totam efficit substantiam. Si S. Scripturam & rationem consulamus, ambo animæ originem plane cœlestem & à Deo formari immediate evincunt. Mentem humanam non esse ex traduce, sed à Deo creari, diserte testatur *Psalm. 33: 15. Formator pariter cordis eorum.* לָב apud Hebræos *mentem humanam* significare, à Viris ejus linguæ peritis vix in dubium vocatur: quamvis tamen nonnulli opposuerint, quod לָב significet particulam carnis, ideoque opus non esse immediata creatione. Cor enim mediate producitur, quamobrem putarunt *h. l.* creationem mediatam innui. Vid. Hacspan. *Comment. in Psalm. 33: 6.* Verum *h. l.* nihil aliud significatur, nisi anima; cujus creationem soli Deo adscribit Psalter, dum *formatorem cordis* eum appellat, qui animam sive mentem nostram finxit, LXX. ὁ πλάτης. Optimam quidem rationem reddit infinitæ & profundæ, quam nemo ingenio suo dimetiri vel concipere potest, sapientiæ Dei: Deus finxit

finxit hominum corda; ergo intimos cordis recessus penetrare potest, ita ut nihil in hominum cordibus reconditum esse possit, quod Deum lateat, *Psalms.* 94: 9.

Animæ
creatio
immediata, so-
lus Dei
opus.

Quamobrem omnes cogitationes nostræ coram eo nudæ sunt atque apertæ. Addit יְהוָה *pariter, simul.* KXX κατὰ μόνας, *sólus*, uti *Eph. 4: & Marc. 4: 10.* accipi videtur; id est, sine parentum concursu vel alterius cujuscunque ope & auxilio, eorum finxit animas, & procreavit: ita ut à quibusdam textus translatus sit, *Deus format sólus animas eorum*, id est, creat; non concurrente patre vel matre. Quod adeo verum statuebat Hieronymus, ut anathema dicat iis, qui traducem defendunt, cum in hoc loco expresse dicatur, *Deus sólus creat animas.* Ita quoque Ezra vocem יְהוָה pro אֱלֹהִים *unus* interpretatur, ut Viri docti annotarunt. Hoc itaque sensu formator unus ac solus est, adeoque intelligit omnia hominum opera. Verum cum particula יְהוָה significet proprie *pariter, una, simul*, tam hic quam alibi, aptius ad *corda*, seu *cor eorum*, quam ad verbum *fingit* referendam censent Viri docti; ita ut sensus sit: Deus omnes mentes format pariter, id est, ad unam omnes, nulla excepta. Voluit Origines ex hoc loco inferre, omnes animas ab initio à Deo cum Angelis creatas; (ejus opinionem paulo ante notavimus) quia dicitur, *Deus creat simul*, quasi vox *simul* collectionem temporis denotaret. Verum alii hoc loco vocem *simul* collectionem specierum notare statuunt, ut sensus sit, quod *Deus omnes pariter animas creavit*, non eodem tempore simul.

simul. Notandum, inquit statim allegatus auctor Theod. Hackspan *d. loc. simultatem esse duplicem*, temporis, & specierum & rerum, in diversis temporibus existentium. Hoc vero loco ad collectionem specierum referendam vocem *simul* statuit. Unde *Pater Spirituum* dicitur, & *patres carnis nostræ* sibi opponuntur, *Hebr. 12: 9.* vide loca paulo ante ex sacra Scriptura adducta. Idem quoque evincitur *Esai. 57: 16.* *nam Spiritus à conspectu meo & animæ quas ego feci.* Sibi soli Deus vindicavit creationem immediatam animæ. Adde locum *Ecles. 12: 7.* supr. adductum.

Idem etiam ex rationis dictamine evincitur. Quippe ut argumentantur Viri docti, *qualis genesis, talis analysis*: id est, quidquid generatur, corruptioni obnoxium: Atqui mens humana omnis corruptionis expers; Ergo concludendum per generationem non propagari, ut genus hominum, vel bruta animantia. Rationis lumine edocti Ethnici perspicere potuerunt, necessum esse animam ingenerabilem, ut ita dicam, & incorruptibilem esse, uti disputat Plato *in Phæd. 245.* *Si generatio corporis est causa quod anima sit, corruptio corporis erit causa quod anima esse desinat*, inquit Aquin. *contra Gent. lib. 2. cap. 86.* Quippe propter arctissimum vinculum & unionem inter causam & causatum, quod ab ea procedit & proficiscitur mediante generatione, ut ejusdem naturæ & conditionis fiat particeps, sequeretur, si anima procedat à corpore tanquam causa suæ essentiæ, etiam ejusdem erit naturæ; & proinde corruptio causæ ejusque interitus erit etiam

F f

corruptio

Anima
est inge-
nerabilis.

corruptio & interitus animæ : unumquodque enim
 producit sui simile ; & sic si anima generetur à cor-
 pore, ejusdem corruptionis & interitus erit partici-
 peps , quod naturæ Spiritus, qualis anima, adeo
 repugnat, ut non amplius sit Spiritus, sed corpus ;
 adeoque idea, quam de Spiritu habere necessum est,
 omnino corpori conveniet ; unde Spiritus in corpus
 mutatur. Itaque si à corpore procedat Spiritus, cor-
 ruptioni obnoxius ; si corruptioni obnoxius, cor-
 pus erit, non Spiritus : si autem corruptioni non sit
 obnoxius, aliunde habet originem ; atqui absurdum,
 Spiritum, sive animam, corruptioni obnoxium sta-
 tuere, nisi duas sibi contrarias & oppositas substan-
 tias, unam eandemque substantiam esse statuamus ;
 ergo concludendum, animam à corpore tanquam
 causa sua essentia non generari. Idque eo magis sta-
 tuendum, quia omne genitum est corporeum. Quod
 itaque incorporeum est, genitum dici nequit ; At-
 qui mens nostra incorporea ; Ergo non generatur,
 & quia non generatur, corruptionis quoque expers :
 uti ex præmissis concludimus, si incorruptibilis Spi-
 ritus, non corpus ; si non corpus, non per genera-
 tionem propagatur, sed à summo Numine infundi-
 tur & creatur. Atque hoc sensu Deus dicitur crea-
 re cor, sive mentem vel animam nostram, & qui-
 dem immediate : nullam enim aliam creationem,
 quam immediatam intelligere possumus, quoties S.
 Scriptura testatur, Deum cor sive Spiritum forma-
 re vel creare, & per ejusmodi creationem *Pater*
spirituum nuncupatur. Quippe si mediata creatio in-
 telligi debeat, quodnam esset illud medium, quo
 crearetur .

crearetur anima? An parentes? Atqui parentes animam proxime producere nequeunt. An semen? Atqui semen non potest producere Spiritum, alias causa toto genere non esset præstantior, sed deterior suo effectu. Præterquam quod corporeum non potest incorporeum producere; non potest enim dare vel transferre quod non habet. An anima igitur parentis, quippe rationi convenit, ut unumquodque sui simile producat. Verum qua ratione anima parentis animam filii? an ex aliquo, an ex nihilo? si ex aliquo, sequitur non esse Spiritum. Restat ergo ex nihilo; atqui ex nihilo aliquid producere, soli Deo competit. Theodor. Hackspan. *dict. loc.* Ergo dicendum, si per mediatam creationem ob rationes adductas Deus dici nequeat creare cor sive hominis animam, ergo mentem humanam non traduci ex parentibus, sed per immediatam creationem à Deo animam nostram creari, & proinde Spiritum esse incorporeum, immaterialem, & sic quoque nulli corruptioni obnoxium vel unquam perituum, sed immortalem esse, cujusmodi creatio convenit animæ ejusque omnibus prædicationibus, cum è contrario mediata creatio illis è diametro repugnet. Materia enim feminis non potest concursu passivo tribuere esse animæ rationali: nulla enim vis activa agit ultra suum genus, id est, non potest agendo producere illam rem, quæ est excellentioris naturæ & superioris ordinis: sed anima excedit totum genus naturæ, ut statim diximus, cum sit substantia spiritualis, ergo. Verum huic argumento reponunt, qui mediatam animæ creationem

defendunt ; vim materialem in semine existentem per se quidem nullam habere efficaciam ad producendam spiritualem animæ substantiam , posse tamen virtute illius substantiæ spiritualis , cujus est instrumentum , id est , virtute animæ hominis generantis elevari ultra suam speciem ad producendum Spiritum. Verum hæc responsio satisfacere nequit. Quippe fieri non potest , ut agens creatum opera instrumenti pure materialis , aliquid immateriale producat : facultatem autem prolificam in semine existentem pure materialem esse negari nequit , quamobrem inhabilis ad producendam animam , quæ spiritualis , & proinde immaterialis est , uti disserit Baronius *Philosôph. ancill. exercit. 2. act. 3.* referente Theophil. Galeo *de ort. & progress. Philosôph. lib. 3. cap. 2.* Ubi & alia adfert argumenta , quibus animam ex parentibus traduci non posse , demonstrat.

Deus licet immediate creet animam , non tamen auctor peccati.

Verum objiciunt qui contrariam sententiam tuentur , quod si immediata creatio sit intelligenda , sequeretur Deum esse causam peccati. Quippe si Deus immediate creat animam , oporteret animam nulla peccati labe esse contaminatam vel adpersam ; atqui contrarium manifestum est , & ratio docet , unde igitur illa macula accessit ? Si à Deo immediate producta , ergo Deus erit causa peccati : quippe illa propagatio peccati originalis , & labe animæ inhærens videtur , unde originalis. Verum dicendum , Deum creare animam ab omni peccati labe puram atque intaminatam : infusam autem corpori , cumque eo unum aliquid constituentem ,

tem, propter illud arctissimum cum corpore vinculum, etiam simul à corpore affici; & hinc labes illa accedit. Unde itaque erit causa? Responderi potest, quod peccatum est effectus, ideoque ubi est subjectum aptum natum, ibi si habitus abest, adest privatio. Refertur itaque causa hujus rei ad primos parentes, qui causa sunt, non quidem physice producendo effectum, sed moraliter, uti differit Theodor. Hackspan. *d. l.*

Cum anima, mox ac creata est, tabido isto sinu excipitur ac immergatur: recensque adhuc, nec ullo cogitationum usu firmata, cognati corporis motus ac impetus sentiat, atque ab illis in tenera ista ætate vix ullas cogitationes formet, hinc patet quantopere ipsa à corpore corrumpatur, ejusque tandem ferva evadat, ut inquit Francisc. Burmannus. Hanc immediatam creationem animæ nostræ non S. duntaxat Scriptura testatur, sed & inter Ethnicos saniori doctrina imbuti Philosophi statuerunt; imo tota ferme Antiquitas literata mentem humanam immediate à Deo absque parentum concursu creatam esse testatur. Hinc Plato in *Timæo*: *De præstantissima igitur animæ nostræ specie ita sentiendum est: Hanc Deus ut dæmonem nostrum, cuique tribuit. Hanc in summa corporis arce sedem habere dicimus, atque ad cæli cognitionem à terra nos tollere, tanquam animalia cælesti potius quam terreno semine nata.* Quamobrem Philo Judæus vult mentem humanam esse *quid abstractum aut irradiatum à Deo.* Quod intelligendum de mentis humanæ creatione. Quoniam anima non à semine substantiam accipit,

Anima
corporis
ferva.

sed à Deo : nec in aliam de anima opinionem adductus fuit Aristoteles. Ita enim Joan. Grammaticus in Aristot. *de anima proæm. Dixit, inquit, Aristoteles, mens videtur extrinsecus advenire, & divina esse: operatio enim ejus incorporea est.*

Anima
immor-
talis.

Spiritualis autem cum sit anima, & aliunde suam habeat originem, scil. immediate à Deo infundatur corpori, & extrinsecus adveniat, nullo modo à corpore dependens, ita rupto corporis commercio, ab eodem rursus separabilis & immortalis est, quatenus nec à se, nec ab aliis causis secundis destrui, & mori potest. Itaque corpore moriente haud etiam Spiritus moritur, sed *redit ad Deum qui eum dedit, Eccl. 12: 7.* Omni enim modo distat à corpore, est tantum hospes in corpore, cur pereunte domo, hospes à domo diversus periret? Potest enim semper substantia realis ab alia separari. Corpus est jam tantum quo vestitur anima & circumfertur, abjecta vero veste anima est nuda, & à corpore, ejusque imbecillitatibus libera; cur ergo nobilis illa substantia, ubi ipsum corpus non perit, sed figura tantum corporis, periret? Et si omnino periret, non morte id fieret, cum mors non ipsam substantiam, sed figuram duntaxat mutat; & cum anima figuram non habeat, annihilari omnino deberet; quod Deus nunquam de ullo opere creato fecit, nec etiam facturum ulla ratione concipere possumus, ut alibi annotavimus.

Anima
post inter-
itum
corporis
statue.

Constat ergo animam post mortem permanere; & in eo fere omnes Philosophi conveniunt, præter vilem aliquam turbam, quam ipsi minusculos Philosophos propterea nominarunt. Docet Augustinus *in lib.*

lib. de Eccl. dogm. cap. 18. Anima humana non cum carne moritur; quia non cum carne, ut superius diximus, seminatur: sed formato in ventre matris corpore, Dei judicio creatur & infunditur. Animæ itaque humanæ omnis corruptionis expertes naturæ suæ privilegio citra miraculi beneficium supremo supersunt funeri: itaque mortuo corpore immortalitatis participes, æternitatem adsequuntur. Unde Cicero lib. 1. Tuscul. Nihil est, inquit, in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil aut humidum, aut stabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia: quæ sola divina sunt, nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possunt nisi à Deo. Et ibidem: Quidquid est, illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cæleste & divinum est, ob eamque rem æternum sit, necesse est.

Argumentum autem hujus immortalitatis ex ipsa animæ natura efficacissimum deduci potest; quippe cum ea sit simplex & pura, nullis ex partibus composita vel coalita, quarum discessu veluti discerperetur & interiret: sed in sola cogitatione consistens, quam cum sine corpore obire possit, & magnam partem obeat, & quidem perfectiori modo à corpore liberata, etiam extra corpus subsistere posse illustre & omni exceptione majus testimonium est. Unde Plato in *Phædro*. *Animus è corporis sensibus & subducere potest, & apud se esse, ac tam pura simplici que intelligentiæ intelligere. Corpore itaque destructo, dis-*
cerpto,

Anima
subsistit
extra
corpus.

cerpto , & extincto manet substantia cogitans. Cum enim substantia sit, existere debet: cum Spiritus sit, existentia ejus à corpore nec produci, nec fulciri potest. Et si phantasmata in cerebro volitantia nihil aliud demum sint, quam signa, quibus anima in rerum exteriorum notitiam perducitur, manifestum est, quod, licet forte absque eorum ministerio cogitatio exerceri non posset, eadem tamen anima, idem cogitans iis omnibus deletis adhuc maneret; ut proin nec cerebrum, nec cætera organa, quæ animæ operationibus dum conjuncta cum corpore ejus servitio utitur, ad existentiam animæ necessaria sit, utpote quod non aliud quam scena quædam, in qua phantasmata, rerum fluxarum mimum suum peragunt, est, uti differit Heideggerus *Medull. Theol. loc. 6. §. 51.*

Anima dum corpori juncta ad actiones exsequendas, indiget organis.

Negari quidem nequit, animam dum hic agit, organis non indigere, sed ad ordinarias actiones ejus exsequendas opus esse non tantum symmetria quadam & commoda organorum dispositione, sed etiam crassi & temperie operationibus idonea. Non ita tamen quasi hæc carnis moles visibilisque structura instrumentum sit, & corpus animæ proprium, sed sensus potius, id est, manus rationis, quibus, dum cum corpore unita, utitur, adeo ut deletis hisce organis, distracto & extincto corpore, maneat tamen anima, & ab ejusmodi distractione sive separatione nullam patiatur anima mutationem, sed maneat eadem substantia cogitans, quæ extra nos esse & existere potest, & post nos supererit. Anima enim corpus tanquam domicilium suum inhabitat, ipsa vero per se subsistit, & cum sit substantia, incorporea, nihil cum

cum eo commune habet, quod corpori qua tali, proprium est. Nam corpus hoc animi pondus ac pœna est; premente illo urgetur, in vinculis est, nisi accessit Philosophia, & illum respirare rerum naturæ spectaculo iussit, & à terrenis dimisit ad divina. Hæc libertas ejus est, hæc evagatio; subducit interim se custodiæ, qua tenetur, & cœlo reficitur, quod suum domicilium futurum, unde originem habet, & quo revertetur, liberatis corporis vinculis. Hæc sedes exspectat anima, soluta legibus servitutis humanæ, uti disputat Seneca *Epist.* 65. *Major enim sum, inquit, & ad majora genitus, quam ut mancipium sim corporis mei, quod equidem, non aliter adspicio, quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.*

Itaque absurdissima & ab omni sana ratione aliena est eorum opinio, qui statuunt animam cum corpore interire; quorum in numero nonnulli veteres Philosophi, Sadducæi, Arabici, & Pontifices nonnulli, Servetus, Cremoninus, Socinus, Hobbesius. Mirum Christianos in tanta literarum divinarum luce adeo cæcutire potuisse! Gentilibus ejusmodi erronea posset condonari opinio, utpote apud quos literarum sacrarum non pervenerat notitia, quamvis ex rationis dictamine atque principiis peti possint argumenta asserendæ sententiæ de animæ immortalitate idonea; quamobrem *animæ immortalitatem natura notam esse* dicebat Tertullianus. Verum Christianos in absurdissimum hunc errorem prolapsos, vix tolerandum; idque eo magis, cum animæ immortalitas religionis ac divini cultus fun-

Anima non interit cum corpore.

G g

damen-

damentum sit plane unicum; oportet itaque eos omnem religionis ac cultus divini sensum ex animo suo delevisse, qui animæ immortalitatem negant. Quam illos exoptare nullus dubito, qui scelerum & criminum suorum conscii, aliquando, si non in hac vita, in futuro seculo se pœnas daturus metuunt, ac reformidant. Si Sacram Scripturam inspiciamus & evolvamus, tot exceptione majora testimonia nobis suppeditat, quæ animæ immortalitatem probant & demonstrant, ut assensum quoque invitis extorqueant. Unde *Psalm. 49: 16. Deus redimet animam meam ex manu inferni: quum assumet me. Redit pulvis in terram, ut fuerat: & Spiritus redit ad Deum, qui dedit eum. Eccles. 12: 7. Jehova, Deus mi, revertatur, quæso, anima pueri hujus in medium ejus. 1 Reg. 17: 21.* Et ipse Christus hanc veritatem professus est, *Luc. 23: 43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Quis aliqua ratione negare possit, hisce verbis indigitari felicitatem, qua piæ mentes à corpore separatæ fruuntur, cujus post hanc vitam mortalem participes fieret facinorosus ille, ad quem Christus sermonem dirigebat, statim atque anima sua à corpore separata esset, & secum in Paradisum intromitteretur. *Gratum est nobis potius abesse è corpore, & adeste apud Deum, 2 Cor. 5: 8.* Animæ itaque beatorum è corpore liberatæ, evolant ad Deum, ibique manent superstites, donec die novissimo cum corpore suo denuo conjungentur: atque ita in æternum conjunctim ineffabili fruuntur gaudio & beatitudine. Hujus immortalitalis & æternæ beatitudinis;

titudinis, & ut jam ejus fieret particeps conscius sibi Apostolus, testatur se habere cupiditatem ad discedendum, ut cum Christo esset, quod multis partibus melius est. *Phil. 1: 23. In quo, spiritus iis qui in carcere sunt, spiritibus profectus predicavit, 1 Petr. 3: 19. Invenimus Phil. 1: 23. vocem ἀναλύειν, quod explicant dissolvere, Belgice, Ik heb lust om ontbonden te zijn: non proprie est dissolvere, sed redire, adeoque est Metaphora defumta à navibus, quæ solvunt è portu ad redeundum in patriam; sic etiam Apostolus cupit redire ad patriam unde primo venerat. Hisce addere possumus demonstrationem Christi contra Sadducæos: Ego sum Deus Abrahami, Isaaci & Jacobi: non est Deus, Deus mortuorum, sed viventium, Matth. 22: 32. Plus enim est alicujus Deum esse, quam ut, competere in eum possit, qui mortuus in morte manet. Et *Exod. 3: 6. Et dixit: ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham &c. Item Genes. 17: 7. Erigam fœdus meum inter me & te, ut sim tibi in Deum & semini tuo post te. Et clarissima verba Christi ad Apostolos Matth. 10: 28. Et ne timete vobis ab iis qui trucidant corpus, animam autem non possunt trucidare. In corpus animadvertere, illud cruciatibus & tormentis afficere ac subjicere, & morti tradere atque emancipare possunt judices; in animam vero, quoniam immortalis, à corpore independens, nullum habet imperium Magistratus; solius in illam imperium est Dei, imo in utrumque. Quemadmodum itaque corpus, ita etiam spiritum ἀπολέσαι potest Deus perdere in gehenna, id est, beatitudine**

titudine privare & cruciare. Annihilare vero & extinguere non vult: mortalitatis enim expers spiritalis animæ substantia, ita creata & producta, & proinde nec annihilare aut extinguere vult Deus; quoniam ejusmodi voluntas repugnaret decreto suo; contraria autem velle nequit. Animam itaque aperte distinguit Christus à corpore, quia & origine & natura atque substantia toto cœlo differunt, & proinde illius vitam tolli posse affirmat, hujus autem negat.

Hæreticorum animæ mortalitatem afferentium, opinio confutata.

Frigidæ & nullius momenti sunt rationes, quas Servetus, Socinus, aliique contrariæ sententiæ patroni adferunt ex sacra Scriptura petitas, quibus animæ mortalitatem adstruere conantur. Jobus enim dicens: *De arbore spes est, si præcisa fuerit, adhuc pullulabit. At homo moritur, & exciditur, & ubi est?* Job. 14: 7. 10. non de spiritu, sed de corpore sermonem habet, & de corpore mortuo prædicat ad vitam post fata revocari non posse. Itaque non spiritus, sed corporis ad præsentem vitam non redituri mortem adferit. Quamobrem Celeb. Theologus ad h. l. Joh. Diodat. illa verba, *ubi est*, intelligenda de corpore & de vita humana sive corporali, inquit, *ove è eli? quant' è al corpo, ed alla vita corporale: per cioche Job ha fermamente creduto l'immortalità dell' anima, e la resurrettione della carne: vers. 12. & cap. 19: 26.* Nec majoris est ponderis argumentum, quod petunt adversarii ex illo Salomonis locò *Eccles. 3. 28: 21. ubi inquit, dixi corde meo: contingens filiorum hominis, est etiam contingens pecudum. Sicut moritur illud, moritur istud, & spiritus*

ritus unus est omnibus. Utrumque abit in locum unum, in pulverem redit &c. Quippe secundum corporis qualitatem nihil pecus differre videtur ab homine, cum sit eadem nascendi utriusque conditio, fors una moriendi, similiter ad lucem procedimus, æque videmur dissolvi in pulverem, uniformis in omnibus flatus est & respiratio similis, eadem aura vescimur, & omnia pergunt ad unum locum, quod corpus nostrum cum brutis animantibus commune habet, ut in pulverem revertatur: cum itaque spiritum omnibus unum tribuat, non spiritum hominis rationalem, sed halitum bestiarum spiritui æquat. Si veterum monumenta percurramus, non me fugit in Ethnicorum scriptis multa absurdæ hujus opinionis vestigia occurrere: verum, uti diximus, iis condonari magis potest, quod opinionis errore sibi persuaferint, mortem individuum nexum esse corpori, nec parcere animæ, uti inquit Seneca *Troad. Act. 2. scen. ult.* Et quidquid natum sit, interire: nasci autem animos; cuius sententiæ Panætium fuisse tradit Cicero *Tuscul. quest. 1.* Quippe cum divinarum litterarum luce orbati in tenebris obambulant, non adeo mirum, quod in ejusmodi errores prolapsi, licet ratione duce hanc veritatem investigare potuisse negari nequeat: attamen quia omnibus non eadem rationis vis inest, facile ad devia delabimur à recta ratione, si forte non recta & certa principia & fundamenta jacta, ex quibus rationes formari & deduci possunt, cum quibus mentis nostræ dictamina conferre, & ex convenientia eorundem cum ejusmodi

principiis dijudicare possumus, rectene an male ratiocinemur. Hoc nobis Christianorum sacris initiatis fundamentum est S. Scripturæ auctoritas & revelatio in ea tradita, ad quam tanquam Lydium lapidem examinare possumus & debemus, antequam fidem habeamus dictamini rationis, an verum vel falsum quæ nobis dictat ratio, ex ejus cum S. Scriptura convenientia vel disconvenientia.

Ethnicorum plurimi animæ statuerunt immortalitatem.

Itaque cum ea animæ immortalitatem plurimis locis aperte testetur, haud tolerandum est, Christianos, uti paulo ante diximus, tam misere hic cæcutire. Imo eo Ethnicis pejores, quod inter illos præstantioris notæ tum Philosophi, tum alii, vel saltem non omnino negarunt animæ immortalitatem, vel rectiorem sententiam secuti, ratione atque ingenio forte magis pollentes, eam adfirmarunt: pauci autem omnino negarunt. Tradit Xenophon, Cyrum supremum diem obiturum, ad amicos, præfertim filios, cum de perenni animæ vita quædam dixisset, subjecisse: *Quare si hæc ita sunt, sic me colitote ut Deum: sin interiturus una est animus cum corpore, vos tamen &c.* Et Seneca de provid. cap. 6. *Contemnite mortem, quæ vos aut finit, aut transfert.* Et Epist. 65. *Mors quid est? aut finis est, aut transitus.* Et idem Epist. 63. *Et fortasse (si modo Sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periisse, præmissus est.* Et Epist. 76. *Quod si modo solutæ corporibus animæ manent, felicior illis status restat.* In hunc sensum Atticus ad Ciceronem de materia hac disputantem: *Expone igitur, nisi molestum est., primum animas, si potes,*

si potes manere post mortem ; tum si minus id obtinebis , est enim arduum , docebis , carere omni malo mortem. Huc referri debent , quæ paulo ante habentur ; ubi Cicero , postquam recensuisset diversas diverforum de animorum essentia opiniones , Reliquorum , ait , sententiæ spem afferunt , si te forte hoc delectat , posse animos , cum è corporibus excesserunt , in cœlum quasi in domicilium suum pervenire. ATT. *Me vero delectat , idque primum ita esse , deinde etiamsi non sit , mihi tamen persuadere velim.* M. *Quid tibi ergo opera nostra opus est ? num Platonem eloquentia superare possumus ? Evolve diligenter ejus librum , qui est de Anima , amplius quod desideres , nihil erit.* A. *Feci mehercule , & quidem sapius . Sed nescio quomodo , dum lego , assentior , cum posui librum , & mecum ipse de anima immortalitate cœpi cogitare , assensio omnis illa elabatur.* Dubitarunt quidem hi viri inter Ethnicos summi & illustres ingenio , eruditione , & morali quadam integritate morum & vitæ conspicui ; optabant tamen ad illam felicitatem se grassari atque pervenire posse , tanquam summum & exoptatum humani generis statum. Quamobrem mortem non expavescebant , si animi in cœlum tanquam domicilium aliquando perventuri ; ubi omnibus soluti ærumnis , quibus in terra degentes obnoxii , perpetua beatitudine fruerentur.

Non me fugit , Ethnicos exoptasse quoque mortem , quia omnium malorum finis , quibuscum hic conflictari necessum habebant , & proinde æternam ejusmodi quietem præferre vita multis malis & incommodis

Quo fine
Ethnici
exoptarint mor-
tem ?

commodis exposita. Verum multo tamen beatiorē esse existimabant ejusmodi è vita ad feliciorē statum animæ transitum; quamobrem quanquam dubius hærebat animus, & fides de immortalitate animæ dubia, persuadere tamen eam sibi volebant, ne, utcunque res haberet, mortem jamjam adituri, solatio carerent, & eo magis intrepidi vitam cum morte commutarent: sperabant tamen quid beatius, scil. immortalitatem, atque ita transitum ex hac vita ad feliciorē statum; unde apud Ciceronem Cato: *Quod si in hoc erro, inquit, quod animas hominum immortales credam, quod delector, dum vivo, extorqueri volo.* Audiamus apud Platonem Socratem, qui inter Ethnicos de rebus divinis rectius sensit, de hac quæstione differentem: *Mors enim necessum est, sit alterum è duobus, ut aut sensus omnino mors omnes auferat, quemadmodum dicitur, & in alium locum ex his locis morte migretur. Quamobrem sive sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem adfert. Dii boni, quid lucri est emori? Reor equidem, si quem oporteat, ad eam noctem, quam tanta transigit quiete, ut ne insomnium quidem nullum videret, alias noctes diesque vitæ totius conferre atque dicere, quas ipse noctes atque dies in vita melius dulciusque peregerit, reor, inquam, nedum privatum aliquem, sed nec magnum quidem Regem aliquas numerare posse. Si ergo tale quiddam est mori, lucrum esse equidem dico. Si vera sunt quæ dicunt, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui è vita excesserunt, incolunt,*

incolunt, id multo jam beatius est. Verum cum hæc fides & persuasio nuda tantum ratione nitetur, quam in multis falli posse experti, dubia manebat, nec huic persuasioni omnino adsentiri poterant. Exoptabant tamen vera esse, quæ de animæ immortalitate alii inter eos Sapientes disputabant, & hac persuasione & spe jucunda animum, dum vivebant, permulcebant, & supremum obituri diem tanquam solatio utebantur. Nos vero Christiani non admodum lubrico rationis nitimur fundamento, verum Sacræ Scripturæ auctoritas nostram fidem certam reddit, & rationis dictamen firmat: quam ob rem merito eo pejores Ethnicis illi, qui ore tenus Christianos sese dicentes, hanc animæ immortalitatem obstinate negant, consolandi impii non sui spiritus ergo; dum huic veritati tam necessariæ & pretiosæ, in qua humani generis summum decus & nobilitas, & præ ceteris creaturis & brutis animantibus præstantia consistit, quæque omnis consolationis ac beatitudinis origo est ac radix, omnia suffragari perspiciunt, scripturam rationem, & ipsius animæ conditæ Historia: ut ad certissimam ejus fidem jam nihil desideretur, nec nisi cum summa impietate ea negari possit, ut inquit Francisc. Burmannus.

Imo eo deteriores & magis impii, quod etiam inter Ethnicos fuere Philosophi, qui non dubiam, sed certam de animæ immortalitate fidem se habere verbis ac literis professi sunt, ut de Thalete refert Laërtius ex Choerilo Poëta. Idem de Pythagora, cujus inter dogmata primo loco ponit *Animæ immortalitatem*. Quam opinionem etiam amplexus fuit Plato. Utrumque

Philosophorum inter gentiles de immortalitate animæ opinio.

H h

au-

autem ab Ægyptiis hausisse vult Clemens Alexandr. *Strom. lib. 6.* Inde ex Pythagoræ sententia Ovidius *Metam. lib. 15.*

Morte carent animæ. —

Plutarchus quoque tradit Pythagoram & Platonem *interitus inexpertem animam* statuisse, *de placit. Philosoph. lib. 5. cap. 7.* Et Laërtius *de Pythag.* tradit, eum docuisse, *partem quidem prudentiæ capacem, esse immortalem, cætera vero mortalia.* Neque temere in hanc iverunt sententiam, sed adhibito mentis discursu & rationis dictamine fidem & assensum huic opinioni & Sapientum doctrinæ præbuerunt. Adfirmabant quidem Pythagoras & Plato, *ratione præditam non interire: brutam esse obnoxiam interitus.* Ratio autem, cur id opinabantur, in eo fundabatur, quod anima esset res per se mobilis, adeoque principium agendi in se habeat, unde & absque corpore a principio isto moveatur. Ita enim argumentatur Plato in *Phædro*: *Quod motum adfert alicui, quodque ipsum agitur aliunde, quando finem habet motus, vivendi finem habeat necesse est. Solum igitur quod se ipsum movet, quia nunquam deseritur a se, nunquam ne moveri quidem desinit: quin etiam cæteris, quæ moventur, hic fons, hoc principium est movendi. Atqui anima movendi principium in se habet, & per se mobilis est; ergo omnis anima immortalis. Cum igitur appareat, inquit, immortale esse quod se ipsum movet, Animæ vero substantiam & rationem hanc ipsam qui dixerit, non erubescet. Omne enim corpus, cui motus extrinsecus incidit, inanime est. Cui vero intus ex se ipso id inest, tanquam hæc animæ natura sit. Quod*
si

si ita est, ut non sit aliud quidquam, quod se ipsum moveat præter animam, necessario immortalis est anima. Unde Cato apud Ciceronem de Senect. Sic sentio: cum animus semper agitetur, nec principium motus habeat, quia ipse se moveat, nec finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus. Eodem fere argumento utitur Athanasius Orat. contr. Gent. ad animæ immortalitatem probandam. Si anima, inquit, corpus movet, nec ab alio movetur: consequens est ipsam a se moveri, & postquam corpus terræ inhumatum est, ipsam rursus a se ipsa moveri. Non enim anima est quæ moritur, sed ob ejus discessum, corpus moritur. Si igitur illa a corpore moveretur, consequens est, discedente motore, ipsam mori. Quod si anima movet corpus, multo magis necessarium est, sibi seipsam motricem esse: & quia a se movetur, necessarium est, eam post mortem corporis vivere ac superstitem esse. Motus enim animæ nihil aliud est, quam vita ipsius, ut omnino corpus vivere dicitur, quum movetur, tumque in morte esse, cum a motu conquiescit. Huic argumento & alia accedebant, a natura animæ spiritali, de qua supr. quædam annotavimus, & animorum dotibus, & ratiocinandi, tum etiam spiritalia intelligendi facultate petita. Sic mihi, inquit Cato apud Ciceronem d. l. persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas sit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot scientiæ, tot inventa; non posse eam naturam, quæ res eas continet, mortalem esse. Et statim adductus auctor Athanasius fere in eundem sensum, quo Gentilium Sa-

pientes, differens, animæ immortalitatem adserit eo, quod immortalia & sempiterna ratiocinatur & intelligit. *Nam, inquit, ut corpus mortale, mortalia suis sensibus contemplatur: ita quoque immortalia contemplantem cogitantemque animam necessum est & ipsam immortalem esse & perpetuo vivere.* Superfedemus plures ratiocinationes, quibus immortalitatem animæ Ethnici adseruerunt, ex eorum scriptis describere; ex iis quæ adduximus, satis perspiciamus, si nonnulli de ea dubitarint, & in infirma ista rationis luce suspensionem quandam, non vero certam fidem habere ostenderint, quanquam in partem saniolem magis propenderent, tamen non deuisse, qui rationis dictamine convicti, animam immortalem esse crediderunt, & invictis argumentis hanc immortalitatem tueri summa ope nisi fuerunt.

Immortalitas animæ magnam nobis paræ consolationem.

Hæc animæ nostræ immortalitas nobis Christianis, ut dicere incepimus, maxima adversus omnia mala & omnes ærumnas, quibus obnoxii sumus, & quibuscum conflictamur, donec corporis vinculis anima detinetur, & unica consolatio: dum meliora speramus, & ad feliciorum statum ex hac terrena vita millenis malis exposita transitum exoptamus; hisce enim cogitationibus refocillamur adversus terribile mortis nomen, nec eam reformidamus; cum nihil aliud esse nobis conscii sumus, & fide amplectimur, quam melioris vitæ & status cum præsentis fragili & caduco corpore commutationem. Ethnico, si mortem reformidet, ignosci potest, utpote qui certa illa fidei suæ nec rationis habet fundamenta, quibus nos nitimur; quamvis tamen nec illi omnes mortem
re-

reformidarent, ut veterum monumenta testantur, & minus quam nos ipsi; persuasi se ad feliciorum statum transituros; ita ut emori lucrum esse existimarent, uti statim annotavimus. At Christianus quicumque hic expavescit, in hoc dilemma necessario incidit: Aut nimio hujus vitæ desiderio tenetur, forte quia vacillat fides, aut spe futuræ vitæ omnino destituitur: nobis enim est *hereditas in altera vita, quæ neque corrumpi, neque contaminari, neque marcescere potest; quia certa fide amplectimur, nos ibi habituros coronam incorruptam* 1 Cor. 9: 25. *Quia ibi reformabitur corpus nostræ humilitatis, ac configurabitur corpori charitatis suæ.* Phil. 3: 21. Quippe ibi nostra immortalitas adhuc erit absolutior, quam Adami fuit in Paradiso. *Nulli potest secunda vita contingere, qui de producenda vita nimis cogitat, qui inter magna bona multos Consules numerat,* inquit Seneca *Epist.* 4. Cur itaque ad mortis nomen expavescimus, cum bene viventibus sit vita, & ejus vitæ principium, quæ omnis doloris atque calamitatis, omnis metus, & invidiæ expers est!

Corpore itaque animaque a summo rerum Opifice productis atque unitis, factus est homo *in animam viventem*, juxta illud *Genes.* 2: 7. seu *animal vivens*, 1 Cor. 15: 45. id est, unita cum corpore anima, non amplius erat statua vel signum mortuum, uti, antequam illa unio facta, fuerat: sed persona vivens, movens se, & intelligendi ac loquendi facultate prædita. Mirabilis sane hæc animæ & corporis unio, qualis unionis non datur exemplum in tota natura. Unitur quidem corpus cum corpore, non vero spiritus

Unio
mentis
cum cor-
pore qua
ratione
facta.

H h 3

cum

cum corpore ; unum etiam afficitur ab alio , habet etiam mens relationem ad totum corpus , & unita est corpori. Probat Onuph. *de anim. tract. i. disp. 2. quest. 2.* unionem formaliter nihil aliud esse nisi relationem , qua anima dicitur unita corpori , quæ est transcendentalis : atque exinde vel substantia , vel accidens , ratione fundamenti : distinguitur tamen ab actu secundo non realiter , sed formaliter ; & ex hac immediate sequitur compositum per se unum.

An quædam inter animam & spiritum distinctio.

Nonnulli unionem mentis cum corpore hoc modo fieri concipiunt ; quod mens humana corpori animato , mediante animæ corporeæ nexu & fœdere conjugali unitur : unde hominem tanquam in tres partes distributum considerant , juxta ea quæ tradit Moses , *Gen. 2: 7.* ubi tres illas partes videtur enumerare , *Corpus, Animam, & Spiritum.* *Corpus* enim dicitur formatum esse *e pulvere terræ* ; *Anima corporea* , principium vitæ animalis , quam bruta animantia quoque participant ; *Spiritus* autem , id est , anima rationalis , a Deo infusus & creatus. Sic *Deuter. 6: 5.* *Ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex totis viribus.* לֵב cor phraseologia Hebraica , mentem humanam , נֶפֶשׁ animam corpoream , & vires , vehementiamque corporis indigitare ejusdem linguæ periti tradunt. Unde quando præcipitur , *Diliges Deum tuam ex tota anima* , eo hominem devinctum dicunt , ut si causa requirat , non trepidet pro eo exponere animam , id est , vitam corporalem. Ex iisdem partibus hominem constare ad Moses & Hebræorum mentem videtur innuere & confirmare Paulus i *Theff. 5: 23.* *Integer vester spiritus, & anima & corpus.* Mentem Apostolus appellatione

ne

ne spiritus significat *ψυμμονικόν*, in quo præcipuam inesse labem sapius dixerat: *Animæ* vero nomine *animam corpoream*; *Corporis* denique notione mentis animæ, quam corporeæ domicilium Paulum indigitare quidam affirmant. Corporis animi domicilium significare haud ambigendum. Sic Marcus Eremita, *triplex hypostasis, corporis, spiritus, & animæ*. Verum an animæ appellatione *animam corpoream* denotare voluerit, atque ita quasi duæ animæ, una spiritualis, altera corporea, sensitiva & mortalis anima, huic domicilio inessent, aliis forte non arrideret. Per *animam* hic denotare Paulum voluisse censent reliquas inferiores animi facultates, non quasi duæ essent animæ, sed quod suo more Paulus functiones unius ejusdemque animæ distribuat. Hæc anima corporea a Mose dicitur *anima vivens*; quippe vitæ animalis principium, & unionis inter corpus animatum & mentem humanam vinculum. Unde hæc anima corporea cum in Veteri, tum Novo Testamento pro ipsa vita poni observant; uti *Genes.* 9: 4. *Levit.* 17: 11. & *Ἰωχὴ Matth.* 6: 25-10: 39. & 20: 38. *Marci* 3: 4. & 8: 35. *Luc.* 6: 9. *Joh.* 10: 11, 15, 17. *Actor.* 15: 26. *Rom.* 11: 2; Quibus in locis, ut ajunt, anima corporea pro vita ponitur, utpote quæ vitæ sensitivæ principium & fœderis conjugalis sive unionis inter mentem humanam & corpus animatum vinculum est. Unde Plato in *Timæo* fingit hominem esse quasi *animal Amphibiuræ*, sive mediæ naturæ ac ordinis, ex *immortali & mortali* conflatum. Pars hominis mortalis ex corpore animato, animaque corporea componitur. Qualem trimembrem hominis distributionem nec Patribus displicuisse,

cuiffe, sed eam agnoviffe ex Irenæo perspicimus *lib. 5. c. 9.* ubi inquit: *sunt tria, ex quibus perfectus homo constat, Caro, Anima, Spiritus. Anima est quidem inter hæc duo, aliquando subsequens spiritum elevatur ab eo, aliquando autem consentiens carni, decedit in terrenas concupiscentias.*

Anima
corporea
& sen-
sitiva in
homine
quid?

Animam autem corpoream & sensitivam in homine non esse facultatem sive potentiam accidentalem, sed revera animam substantialem a mente realiter distinctam atque diversam Gassendus testatur *Phys. sect. 3. l. 9. c. 11.* Hoc jacto fundamento, modum & rationem, qua mens humana corpori animato unitur mediante anima corporea, ita concipiunt. Tria in homine considerata volunt, ut dicere incepimus, *Divinam & intelligibilem partem* scil. spiritum, sive animam spiritualement illam substantiam, quæ intellectu & voluntate prædita est; *Corpoream & divisibilem*, in qua vis quædam sensibilis inest: tertio id quod ex duabus hisce partibus conflatur. Quod hominem componit, cujus fabrica ex mente & corpore perficitur mediante anima corporea, quæ unionem illam inter mentem sive animum & corpus producit atque efficit. Hæc itaque pars corporea est causa a qua ejusmodi unio proficiscitur, illa unam alligat alteri, & producit illam harmoniam & societatem sive fœdus illud quasi conjugale, quo sibi uniuntur. Hac ratione unionem illam inter animam & corpus effeci, demonstrare quoque videtur Plato *in Timæo*, cum inquit: „ Ex substantia, quæ individua est, & quæ semper uniusmodi, sui, que similis, & ex ea quæ corporibus dividua gignitur, tertium substantiæ genus ex duobus in medium ad-

„ admiscuit, quod esset ejusmodi naturæ & quod al-
 „ terius; Ea quum tria sumisset, unam in speciem
 „ temperavit omnia. Ad hanc vero fœderalem con-
 sociationem inter mentem, & corpus animatum cla-
 rius demonstrandam, considerant animam corpo-
 ream esse quasi mediæ naturæ ac ordinis inter utra-
 que extrema; scil. animam & corpus animatum:
 eamque substantiam igneam & ætheream, ideoque
 subtilissimam & tenuissimam definiunt. Quam ob
 rem quamvis corporea sit, corpus tamen, notione
 strictiori, non est: quia crassioribus forte particulis
 caret, e quibus cætera corpora constant; & proin-
 de proxima spiritui, quamvis spiritus non sit. Quem-
 admodum itaque omne vinculum unionis quid me-
 dium esse debeat inter extrema, cujus interventu &
 ope unita, eodem modo anima corporea quid me-
 dium non solum ratione officii, sed & naturæ suæ
 videtur esse inter corpus mentemque hominis; ut
 facilius attingat utrumque extremum, & hac ratio-
 ne fœdus illud conjugale perficiat. Nec necessum
 est, ut tota anima corporea a tota mente occupare-
 tur; sed ut princeps illius facultas, sc. phantasia sit
 hujus regia seu sedes primaria: atque ita mens hu-
 mana, quasi regina, sedem suam habet in capite
 tanquam in arce vel throno, unde suam vim infe-
 rioribus partibus communicat; ita enim Gassen-
 dus *Phys. sect. 3. memb. post. l. 9. cap. 11. Sicut Rex,*
inquit, haud necesse habet toti regno adesse, sed tan-
tum regie, ad quam deferuntur quæcunque in regno
contingunt: ita phantasia regia intellectus est, ad quam
referrî possunt, quæcunque spontaneo & nobis consciis.

in toto corpore geruntur. Hæ sunt rationes, quibus unionem hanc explicat Theoph. Galeus *Philosoph. General. lib. 3. cap. 11. sect. 10. §. 2.* Alii animam corpori sociari sola Dei voluntate, adeoque immediate unitam statuunt; nec Deum indiguiffe medio velut glutine quodam, quo utrumque connecteret. Quale medium animam sensitivam perperam nonnullos facere putant: nihil enim præter corpus, & quæ corporis sunt, nec non mentem, & functiones ejus animo concipi, quod in censu verorum entium esse potest. Sicut enim corpus & anima hominis, atque operationes utriusque, indivulso nexu sociatæ licet, diversissimæ tamen sunt: ita corporis & animæ rationalis vita disparata est. Illa enim sanguinis & spirituum motu constans, materialis, solubilis, mortalis: Hæc intelligentia & cogitatione mera constans spiritualis, indissolubilis, immortalis est. Anima illa sensitiva sive corporea, est tantum facultas animæ rationalis, nec essentia ab ipsa anima rationali differt, sed continetur sub ipsa non aliter ac in pentagono tetragonus, trigonus angulus; item in quinario quaternarius & ternarius. Hinc Moses *Genes. 2: 7.* Et inspiravit Deus in nares hominis *spiraculum vitarum*, id est, vitam sensitivam & rationalem: adeoque anima sensitiva tanquam realiter a mente humana sive anima rationali distincta concipi nequit. Sic quoque veteres Philosophi in partes quidem diviserunt animam, vere duntaxat juxta varias ejus facultates & operationes; verum non eo sensu, quatenus plures animæ a se diversæ. Ita dixerunt hoc sensu animam esse vegetativam, sensitivam,

tivam, & rationalem, pro variis ejus facultatibus ab una eademque anima veluti prima causa proficiscentibus. De anima itaque vegetativa sermonem habentes, vix videntur per eam aliud quid intelligere voluisse, quam ipsam rationalem animam, corpus perficientem, & quæ generandi appetitum parit, & nutritioni præsidet. In quantum vero sentit, & proinde spiritus ad appetendum vel fugiendum inducit, vocarunt *sensitivam*. Quatenus autem ratiocinandi prædita est facultate, *rationalem*. Facultates itaque mentis variæ, prout illas Philosophi veteres interpretabantur, fecerunt ut mentem, quæ vere una est, & quam ipsi quoque illi ut *unam* conceperunt, in tres quasi vel plures dividerunt partes, juxta diversas facultates sive animæ operationes, uti observavit Celeb. Theologus Campeg. Vitringa *lib. 3. cap. 4. sacr. observ.* Ita quoque nostri Commentatores marginales ad Gen. 2: 7. *Et fuit homo in animam viventem*, Belgice, *Alsoo werd den mensche tot een levendige ziele*; annotarunt, *Tot een schepzel dat met leven begaast is / bestaande uit een lighaam / en een redelyke onsterffelyke ziele / makende t'zamen den mensche*. Id est, formavit Deus hominem in animam viventem, in creaturam viventem, sive vivendi facultate vel vita præditam, formatam ex corpore & rationali ac immortalis anima, ex duabus hisce partibus homo compositus.

Una itaque anima, sed diversæ ejus facultates & operationes, & inde quoque denominationes varias sortita. Unde observat statim allegatus Theologus *d. loc.* quod veteres hanc meliorem & nobiliorem

li' 2

ho-

Una anima, sed diversæ ejus facultates & operationes.

hominis partem distinxerunt in *animum* & *animam*; per *animum* intelligentes id quod alias *vñ* *mentem* vocarunt, quo intelligendi & rationes ferendi facultatem habet: per *animam* eandem illam mentem, qua sentit atque incrementi & variarum sanguinis mutationum & motuum capax est. Illud demonstrant eleganti Lucretii loco *lib. 3. vs. 137.* ubi ita canit:

*Nunc animum atque animam dico conjuncta teneri
Inter se, atque unam naturam conficere ex se:
Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto
Consilium, quod nos animum mentemque vocamus,
Idque situm media regione in pectoris hæret.
Hic exsultat enim pavor ac metus. Hæc loca circum
Lætitiæ mulcent. Hic ergo mens animusque est.
Cætera pars animæ per totum diffusa corpus,
Paret.*

Anima igitur & vis illa animi, qua corpus adfici-
tur, quæ per totum corpus diffusa vitale reddit, &
aptum & idoneum efficit varias operationes edere.
Nullæ itaque partes aliæ quæ hominem componunt,
nisi hæ duæ, corpus & anima. Itaque harmonia
& unio, quæ intercedit corpori cum anima, non
ab alia aliqua parte substantiali a mente humana rea-
liter distincta, interveniente tanquam medio pro-
ficiscitur vel efficitur, sed a Deo in unum sola e-
jus voluntate immediate efficitur; ita ut quamvis
sint duæ substantiæ, tota natura & omnibus at-
tributis diversæ, nihilominus Deus novit eas ita u-
nire, ut unum hominem componerent, absque ullo
medio, quo connecterentur; ideoque nec animam
sen-

fenſitivam ſive corpoream realiter diſtinctam a mente humana, qua tanquam medio anima corpori uni-
retur, fingere mihi videtur neceſſum.

Sunt tantum duo, quæ ſibi oppoſita concipimus Corpus & Anima, entia ſibi oppoſita. entia, *corpus* & *anima*, tum natura, tum attributis diverſa. Anima corporea anima dici nequit, quamvis eam ſubtiliſſimæ ac tenuiſſimæ ſingas materiæ, ita ut ſpiritui proxima ſit, manet tamen corporea, ideoque oppoſita ſubſtantiæ ſpiritualis animæ: quam ob rem nec video quid magis poſſet adferre ad illam unionem corporis cum anima efficiendam, quam ſi corpus ipſum ſibi illam unionem & hoc fœdus conjugale, quod inter duas tantum perſonas, marem & fœminam intercedere oportet, conciliandi facultatem habere ſtatuamus. Quippe quod anima illa corporea magis vel minus particeps ſit craſſitiei illarum particularum, ex quibus corpus noſtrum compoſitum, non facit illam magis capacem unionis iſtius animæ attingendæ, & communicandæ corpori: quippe per illam concipio corpori illam unionem conciliari, quia illa jam ejus particeps valet corpori ad illam quoque admittere per communicationem, dum quaſi vinculum & quaſi medium unionis, unde inter duo illa extrema quaſi intercedit, & quia nec proprie corpus nec ſpiritus fingitur, ſed ſpiritui proxima, eo facilius ſe poteſt tum ſpiritui, tum corpori inſinuare, & eſſe medium, quo hæc duo extrema conjungi ac uniri poſſunt. Itaque concipio hanc animam corpoream, quia fœdus illud conjugale inter animam & corpus feliciter perficitur, tanquam medium quo operationes & facultates

cultates animæ corpori communicantur, quæ per animam corpoream receptæ ad corpus ejusque membra transferuntur, & a corpore iterum ad animam proficiscuntur. Verum ejusmodi medium, quod tertius aliquis esset modus, sive interposita substantia, quæ attingit utrumque extremum, ut esset vinculum unionis, atque ita ejusmodi unio esset res quædam extensa, nullum; quippe cum illam substantiam utrumque extremum attingere statuunt, concipere debent illam unionem, quæ hac ratione inter corpus & animam perficitur tanquam extensum quid, quod utrumque extremum attingens copulat atque unit. Sin autem sit res extensa, quomodo potest cum mente jungi, quæ omnis prorsus extensionis experta est? Et si sit res extensa, uti est, quia corporea, licet subtilissima & tenuissima substantia; tamen participat naturam & qualitates cum corpore, unde etiam extensa, quamobrem igitur majori facilitate cum corpore hanc qualitatem sive hoc medium mentem uniri posse concipiunt quam mentem, si neutra esset extensa? aut cur majorem inveniunt, difficultatem in comprehendenda immediata conjunctione mentis cum corpore, quam cum hac substantia, si ea non minus extensa quam corpus. Si autem esset qualitas non extensa, quomodo potest cum mente jungi; itaque quaecumque illud medium naturæ sit, vel extensum vel non, nequit esse vinculum & gluten mentis & corporis. Unde merito Ludovicus de la Forge tract. de ment. human. cap. 13. §. 5. inquit, *Frustra ad banc recurri putatitiam unionem, quæ tantum abest, ut difficultates tollat, ut novas insuper etiam*

etiam adducat. Verum enim vero quidquid de hac unione disputant Philosophi, nihil certum, sed potius in conjecturis, & rationibus lubrico admodum fundamento subnixis, consistit. Quantum enim est quod nescimus de ejusmodi naturæ rebus. Quam ob rem merito Ger. Joh. Vossius *de idololat. lib. 3. cap. 40. in fin.* de hac unione diversas Philosophorum opiniones referens, *Nec tamen otiosè, inquit, de eo contendero cum quoquam, gnarus quam difficulter in hisce mentis humanæ angustiis anima nostra se ipsam intelligit.* Sunt alii, qui animam ita sociari volunt, ut tota sit in toto corpore, & tota in qualibet ejus parte. Alii potius dicendum statuunt, ut secundum præcipuam suam perfectionem, hoc est, quatenus est rationalis, in cerebro sit, aut corde.

In corde animam habere sedem, sacræ Scripturæ ^{Sedes} quidam putant convenientius; tum etiam quod ibi ^{animæ} omnes sint affectus. Alii hic iterum suam ignorantiam fatentur. Qui in corde animam collocant, nituntur auctoritate sacræ Scripturæ, quia *Matth. 9. Quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Et *Rom. 10. Corde creditur ad justitiam.* Et *Matth. 15. De corde exeunt cogitationes pravae.* Ad quæ verba Hieronymus, *Ex hoc loco probatur, inquit, animæ principale, non, secundum Platonem, in cerebro; sed juxta Christum, in corde esse.* Medici eam in cerebro constituerunt: in cerebro enim insunt spiritus & instrumenta quasi cogitandi; unde etiam cum serio quid perpendere volumus, capiti & cerebro manum admovemus. Præterquam quod non videtur credibile hanc ^{ubi?} ^C ^{sedem}

sedem esse in corde, quod corporis quasi culina & balneum est, non etiam affectus oriuntur in corde, sed nervus aliquis descendit a cerebro usque ad cor, & ubi prius anima in cerebro commota fuit, etiam per nervum istum descendantem cor movetur.

Anima
quomo-
do tota
in toto
corpore
& in
qualibet
ejus par-
te?

Verum alii nulla certa parte corporis animam collocandam putant; sed totam esse in toto corpore & qualibet ejus parte. Est enim anima, uti diximus, spiritus incorporeus; & proinde longe alia illius, quam corporis est ratio. Corpus siquidem in loco est secundum dimensiones, quæ sunt longitudo, latitudo & profunditas. At dimensionum anima omnino expers, cum tota quanta sit spiritus, & proinde immaterialis: quomodo igitur erit circumscripta certo quodam loco? quomodo etiam non tam in hepate erit, aut ventriculo, quam vel in cerebro vel in corde? Quandoquidem si uno esset certo loco, magis in illo, quam in alio esset efficax. Verum non minus efficax est in hepate, quam in corde; non minus in minimo digito, quam in capite. Ergo non secundum certum locum corpori sociatur anima; verum, uti dicere incepimus, tota est in toto corpore & qualibet ejus parte, nec minus in una, quam altera parte præsens. Quippe ut inquit Augustinus *cap. 14. de magnitudine animæ*, „Spiritus est ubi exercet suas functiones; atqui anima in „singulis partibus & membris exercet suum officium, „dicendum videtur, quod in singulis partibus etiam „sit præsens. Quemadmodum enim lux per totum aërem diffusa, adeoque omne circumfusum spatium æqualiter collustrat, nec minus in uno, quam alio lucet

lucet loco: ita quoque anima, quæ & ipsa illuminat corpus; non minus in una parte corporis lucet, quam in altera; sed ubique ejus essentia in corpore vere est præsens. Id exinde magis constat, quod cum anima in partes nequeat dividi, cum ex partibus non sit composita substantia, quamvis improprie anima rationalis tota appelletur, scil. sensu negativo magis quam positivo; ergo ubicunque anima præsens, tota præsens esse debet. Quippe quod partes non habet, illud secundum totum est, ubicunque est: Atqui anima nullas partes habet; Ergo ubicunque est, tota præsens est. Unde concluditur, si anima secundum totum est, ubicunque est, sequitur, quod tota debeat esse in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis. Quod inde patet, quia animam in toto corpore, nec non in singulis corporis partibus operari testatur rerum usus. Quippe omnis motus, omnes actus, omnes operationes ab anima duntaxat proficiscuntur; præsentia itaque operationum indicat præsentiam principii, a quo operationes produci necesse est, & proinde præsentiam animæ in parte operante vel sese movente & agente: quia nulla operationis alia causa excogitari potest. Huic etiam accedit, quia anima, cujus substantia spiritualis, omnis extensionis & divisionis expers natura sua, secundum partes suas alicubi esse nequit; quippe si secundum partes suas posset alicubi esse, haberet partes extra partes, easque divisibiles. Huic rationi addi & altera potest desumpta ab animæ, ut loqui amant, illocalitate; quippe cum sua natura debeat esse illocalis, quia spiritualis, sive ni-

K k

hil

hil nisi spiritus, nullo loco includi vel circumscribi posse videtur; certo autem loco includitur, & proinde localem animam statueremus, nisi animam dicamus totam esse in singulis corporis partibus; quoniam localitas ab illocalitate in eo distinguitur, quod illa neget præsentiam totius in qualibet spatii parte, hæc illam ponit, uti argumentari solent, qui statuunt mentem totam esse in toto corpore, & totam in qualibet ejus parte, & quidem essentiali & potestativa, & non modo κατ' ἐπέχειαν & actualiter, sed κατ' ὅλαν subjective & originaliter.

Anima
nullam
divisio-
nem pa-
titur.

Verum difficile perceptu alii objiciunt, quomodo anima secundum principalem suum gradum tota etiam sit in genu & digitis pedum? *Longe difficilium*, inquit Joh. Ger. Vossius *de idol. lib. 3. cap. 40. quomodo hæc opinio non involvat contradictionem, cum sic sequi videatur, unum idemque tota sua essentia eodem temporis puncto quiescere & moveri; moverique antrorsum, retrorsum, dextrorsum & sinistrorsum. Ut si sedens vel stans pandam brachia versus meridiem, in sinistra manu anima tota feretur versus orientem: in dextra, tota versus occidentem, totaque nihil minus in reliquo quiescet corpore. Sic si sedens surgam, anima tota in poplitibus, & capite ac lumbis antrorsum proferetur, tota in coxendice & natalibus retrorsum. Et si anima sit tota in manu vel pede vel ceteris membris; sequeretur, abscissa illa parte, abscindi animam. Deinde si tota anima est in una parte, sequitur eam non esse totam in altera. Sed respondent, quoniam anima est spiritus, nec abscindi potest, nec divisionem patitur: unde*

reci-

recisis membris, iis non amplius inest, sed eo ipso temporis puncto, quo membrum abscinditur, membrum illud unice deserit, postmodum truncatum corpus inhabitans, sine tamen sui duplicatione vel triplicatione, non secus atque Angeli sine omni quantitatis incremento vel decremento se per totum conclave potest diffundere, & libere iterum se totum in puncti *σδενότητα* contrahere. Ad hoc respondent, distinguendo inter totam animam & totum animæ. De hoc concedunt, quod non sit in hac vel illa parte: de illa vero negant consequentiam.

Tot de animæ cum corpore unione ac diversæ hominum vel Philosophorum sententiæ satis indicant, omnia quæ de illa disputant eruditi, lubrico admodum niti fundamento; nec mirum, cum, uti paulo ante ex Vossio annotavimus, in hisce mentis humanæ angustiis, vix anima nostra se ipsam intelligat; ita ut qui ratione se percipere contendunt, quomodo hæc dux substantiæ tota natura & omnibus attributis diversæ, tam arctissimo vinculo sibi unitæ sunt, uti ex operationibus perspicimus, nullam rationem adferre possint, quæ nobis claram & distinctam ejus ideam imprimere valet: unde opinionum tanta varietas. Tutissimum itaque, ne nosmet decipiamus, nostram hic fateri ignorantiam, & ad causam nostri sapientissimam & potentissimam; Deum, referre, qui duas hæc substantias adeo diversas unire novit, ut unum componerent hominem. Optime itaque summus Theologus Salomon Tillius SS. Theol. D. & ejusdem Facultatis in Academia Lugduno-Batava Professor, *Compend. Theol.*

Unio animæ corpore cognitu difficilissima.

natural. & revelat. cap. 3. §. 2. num. 2. inquit: E-
docti sumus nos corpus habere menti junctum. Ita ut
illud nostrum corpus mentem multis modis afficiat, vo-
lentem nolentem: & contra multimodum in illud cor-
pus exerceat imperium. Interim nemo hominum est,
qui modum unionis inter mentem & corpus explicare
queat; dum intelligit cogitationem cum extensione e-
jusque motu nihil commune habere, & vicissim. Hæc
cogunt nos agnoscere intervenientem Deum, scil. caus-
sam nostri sapientissimam, in cujus potestate sumus
per singula momenta. Ipsi etiam subtilissimi illi Phi-
losophi, qui omnem operam omnesque cogitationes
conferunt in rem adeo obscuram, fateri necesse ha-
bent hanc unionem adeo mirabilem esse, ut in natu-
rali rerum serie quidquam esse negent, quod majore
dignum sit admiratione, & magnitudinem potentæ &
sapientiæ clarius demonstrat: fateri tamen nolunt mo-
dum hujus unionis adeo natura sua intellectu esse dif-
ficilem, quin mentis acie investigari atque concipi
possit. Quamobrem difficultatem, quæ plurimis oc-
currit in concipiendâ unionem mentis cum corpore, non
tam ex natura rei, quam ex hominibus ipsis, & mo-
do, quo eam secundum principia Peripatetica consi-
derare tenentur, putat Ludovicus de la Forge de
ment. human. cap. 13. Cui non adsentior; quippe,
ut statim diximus, difficultas & ignorantia oritur ex
mentis nostræ incapacitate & imbecillitate ingenii, cu-
jus vi non penetrare, nec cognoscere possumus om-
nium rerum causas, & vias Jehovæ; sed potius mi-
ramur infinitam divinam cum sapientiam tum poten-
tiam. Attamen nec sacrilegii instar habeo, quantum
rationis

rationis participes sumus, ut in causas rerum naturalium inquiramus, easque investigare summa ope nitamur, quæ licet difficulter admodum investigari, nec inventas mathematice veras esse demonstrari possunt; attamen nec inutilis plane & injucunda earundem cognitio, quamvis probabili duntaxat ratione nitatur. In naturalibus, moralibus & cujuscunque generis disciplinis, etiam Theologicis, rerum occultarum & admirabilium cognitio & investigatio non est licita duntaxat, sed hominem ratione præditum decet, an forte veram earundem causam possit invenire & è tenebris in lucem protrahere. Verum cavendum, ne ultra vires ingenii & revelationem in divinis litteris traditam sapere velimus, & incognita pro cognitis habeamus, & aliis tanquam veritatem falli nesciam obtrudere & persuadere conemur. *Imprimis, inquit Cicero I. Offic. hominis est propria veri inquisitio & investigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis, curisque vacui, tum avemus aliquid videre, audire, addiscere, cognitionemque rerum aut occultarum aut admirabilium ad beate vivendum necessarium ducimus. Cavendum tamen idem vult, ne nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras & difficiles conferamus, neve incognita pro cognitis habeamus, & opinionis errore forte seducti ea certa fide amplectamur; id genus multa sunt, quæ tantum in ratione, quæ multis erroribus obnoxia, fundantur nec mathematice vera esse demonstrari possunt, sed probabilia tantum natura sua videntur. Hujus naturæ illa mihi quoque videtur inter Philosophos disputatio de unione corporis cum anima, quæ, quomodo fit,*

fit, à nemine hominum explicari, nec certa cum veritatis fiducia definiri potest. Si rationibus & conjecturis certandum, uti nostra in quæstione necessum, videtur mihi eorum opinio solidioribus rationibus & argumentis niti, qui unionem corporis cum anima per attributa relativa, per actiones & passiones concipiunt. Cum unionem inter corpus & animam ex operationibus utriusque quæ sibi invicem respondent, perspicimus luce clarius, de ea nulla dubitatio reliqua: verum de modo & ratione, qua hæc unio perficitur, omnis futura nostra disputatio.

In unione corporis & animæ nulla præsentia localis.

Supra annotavimus, corpus & animam duas esse substantias cum natura, tum attributis omnimodo diversas: ea tamen impedimento esse nequit, quin Deus, cujus infinita est potentia & sapientia, eas unire noverit, &, uti diximus, easdem unitas rerum usus docet. Ita ut ejusmodi unionem qui negaret, eum mente captum diceremus. Verum hæc unio non est concipienda per præsentiam localem, quasi mens corpori esset coëxtensa, & eundem cum corpore occuparet vel haberet locum: quomodo concipimus vinum junctum cum aqua in eodem dolio; quippe hæc esset confusio & mixtio, non autem unio, uti inquit Vir clariss. Joh. Braunius *System. Theol. vol. I. part. 2. cap. 14. loc. 7.* Cui etiam accedit, quod ejusmodi unio perficeretur per id ipsum, per quod maxime à se distant, cum mentis natura consistat in eo quod non sit extensa; corporis autem, quod extensum, quod fieri posset unio per illud, quod causa est ejusmodi distantie, nisi unius natura mutaretur in naturam alterius, non extensum fieret extensum, & vice versa?

fa? & ita ex duabus fieret una eademque substantia, cujusmodi metamorphosis cum sit impossibilis, nec comprehendi possit; ita quoque unio tam diversæ substantiæ per hoc medium sive præsentiam localem impossibilis. Quippe nullo alio pacto concipere possumus, quomodo localiter præsens esse possit substantiæ alicui extensæ mens nostra, nisi ipsam etiam extensam concipiamus, uti inquit Ludovicus de le Forge *de ment. human. cap. 13.* Et, ut inquit statim allegatus Auctor, ipsa corpora & res extensæ non possunt uniri per coëxtensionem & præsentiam localem: sic enim deberent immeare quoad totam substantiam, adeoque daretur penetratio dimensionum.

Nec tollitur hæc difficultas distinguendo inter extensionem realem & virtuales, quasi mens non esset extensa realiter, sed virtualiter; eaque extensio virtualis sufficeret ut sit coëxtensa, ut loqui amant, & localiter præsens corpori, quod extensionem habet realem. Ejusmodi enim distinctio verbis quidem eloqui, mente vero haud concipi potest: cum sanæ rationi repugnare videtur. Quippe cujus natura omnis extensionis expers, adeo ut nullam possit pati extensionem, quin simul in aliam & plane diversam naturam mutari necessum esset, quoniam hoc essenziale quiddam est naturæ sive substantiæ spiritualis, quod inextensa esse debeat, qui fingi vel concipi potest virtualiter extensa? Atqui ab omni prorsus extensione abhorret anima; sequitur ne quidem virtualiter extensam concipi posse. Quippe quod virtualiter extensum est, licet ipso quidem actu extensum non sit, extendi tamen potest; & proinde ejus natura non omnino expers

Anima
ne qui-
dem vir-
tualiter
extensa.

pers est extensionis, sive inhabilis natura sua ejusmodi attributum recipiendi: atqui demonstravimus, ipsique etiam contrariæ sententiæ patroni concedunt, mentem nostram natura sua esse substantiam omnino spiritualem, & proinde inextensam; sequitur animam nulla ratione extensionis capacem esse. Non multum enim differt extensum actu esse, vel extendi posse; quoniam ejusmodi habitudo animæ, ut ita dicam, præsupponit ejus esse naturæ & substantiæ, quæ extendi potest; Atqui nihil extendi potest quod incorporeum; Ergo, quatenus virtualiter anima extensa, etiam corporea est; ergo non spiritualis substantia; si non spiritualis, ergo anima non est anima. Quemadmodum figura rotunda, qua rotunda, ne quidem virtualiter quadrata concipi potest, quoniam una figura est alterius privatio, atque ita se mutuo, ut ita dicam, absorbent vel tollunt; ita anima qua anima nequidem virtualiter extensa dici potest, quin dices animam non esse animam, sed corpus, quia extensibilis, ut ita dicam, esse nequit, nisi habeat habitudinem ad extensionem idoneam, cujusmodi habitudo nullius substantiæ propria, nisi corporeæ; quod itaque aptum ad recipiendam extensionem, corporeum; si corporeum, non erit spiritualis; unum negat alterum. Uti figura rotunda est privatio vel negatio figuræ quadratæ. *Imo, ut inquit Braunius d. loc. ad illud absurdum illa distinctio nos delabi efficiet, ut statuere necessum haberemus, corpus vel extensionem esse virtualiter cogitantem; voluntatem esse virtualiter oblongam, quadratam, rubram, albam. Futile quoque est, inquit, quod anima quibusdam dicatur cœxtensa:*

tensa: non magis enim ita dici potest, quam extensio concogitans: præterquam quod id, quod est coëxtensum, revera sit extensum, adeoque corporeum. Itaque ex hisce perspicimus, ejusmodi unionem per præsentiam localem, quasi mens corpori esset coëxtensa, & eundem cum corpore haberet vel occuparet locum, concipi posse, nulla habita distinctione inter extensionem realem vel virtuaalem, cujus nullus est sanus sensus. Sed concedamus, inquit statim laudatus Auctor Ludovicus de la Forge d. loc. ipsos admodum clare comprehendere, quid sit extensio virtualis, etiam necessum est id mihi concedant, nulum genus extensionis nos posse concipere, quin eodem tempore plures partes concipiantur, quarum una est extra aliam; simulac autem una pars extra aliam percipitur, eadem opera cernitur duas esse partes, quarum una sine alia concipi potest, & per consequens separatim existere; atque ita est realis extensio, suntque partes reales, quas menti tribuunt, cum putant se ei nisi extensiones partesque virtuales concedere.

Qualis igitur unio omnium substantiarum, talis quoque concipi debet inter corpus & mentem, uti inquit statim alleg. Theologus Braunius. *Union- tur autem omnes substantie, inquit, non per præsentiam localem, aut per aliquam extensionem, aut confusionem; sed per aliquam connexionem, sive certam aliquam relationem, dependentiam vel similitudinem, cujus ratione consideramus duo tanquam unum compositum fieri aliquo modo. Nunc autem res aliqua, uti differit de la Forge, potest relationem habere, aut per sua attributa essentialia & absoluta,*

An unio corporis & animæ per relationem aliquam dependentiam, vel similitudinem.

L I aut

aut per attributa sua relativa: atqui manifestum est, similitudinem, quæ inter duas res est secundum illa attributa quæ sunt essentialia, non esse relationem, quæ eas uniat: quippe oporteret, hoc posito, omnia quæ habent eandem essentiam, unita esse, & proinde omnia corpora, quia in eo sunt similia, quod sint extensa, figurata & mobilia, in se esse unita, & sic quoque omnes spiritus bonos & malos unitos esse; atqui contrarium manifestum. Ergo dicendum unionem in omnibus, quæ uniuntur, effici per attributa relativa vel respectiva, per actiones & passionem, quæ in omni generis rebus & unionibus locum habent, per quas hæc substantia in aliam operatur, aut ab ea patitur. Sic amor est vinculum spirituum, hac ratione, & hoc amoris arctissimo vinculo uniuntur Angeli inter se, & Beati, eodemque sibi mutuo devincti Fideles, & ejusdem amoris intercessione perficitur unio inter Deum & electos ejus. Conjunctio localis est vinculum, quo corpora uniuntur, quæ ea reddit capacia agendi & patiendi dependenter à se mutuo.

Unio animæ
cum corpore
per voluntatem.

Voluntas autem parit unionem, quæ est inter mentem & corpus; quatenus hæc voluntas procedit extra suum subjectum per suas operationes; quoties scilicet corpus suo motu adficit mentem, & in ea excitat aliquam ideam; & ab altera parte, quoties mens sua voluntate efficit, ut corpus moveat; cum omnem motum à mente, tanquam principio & prima origine procedere, & corpori communicari, & per omnes ejus partes quasi diffundi, manifestum sit. Unde describit, vel definit statim laudatus Theolo-

Theologus unionem mentis cum corpore *nihil aliud esse, quam certum quendam nexum, & leges, quas Deus menti & corpori fixit, ut per attributa quædam relativa in se mutuo agant, & à se patiantur.* Hic itaque perficitur nexus per illam dependentiam, ut actiones mentis ac corporis à se mutuo dependeant; id est, ut actiones corporis faciant mentem pati, & vice versa functiones mentis faciant corpus pati; atque ita non tantum prima species relationis, quæ est similitudinis, sed etiam tertia, quæ est causæ & effecti, simul inveniri debent ad formandam unionem, ut inquit Ludovicus de la Forge *dicto loco.*

Ita ut hæc unio duntaxat consistat in dependentia mutua, quæ inter utrumque est respectu aliquarum suarum actionum & passionum: ita ut quoties in tali corpore fiat talis motus, in hac mente possit excitari talis idea: & quotiescunque hæc mens vult, ut fiat in tali corpore hic vel ille motus, statim etiam ille motus fieri possit. Ejusmodi vero unio non requirit ut mens & corpus semper actu in se agant, verum ut in se semper agere possint necessitate exigente. Quippe res mere spirituales, quæ non tam corporis cum anima conjuncti & uniti, quatenus hisce degit in terris, quam mentis objecta sunt, circa quæ versatur cum relatione ad semetipsam, & quæ proinde non tam corpus, quam mentem afficiunt, non requirunt, ut semper in corpus actu agat; verum quandoque ad altiora resurgit, & non terrena, sed cœlestia meditatatur, quæ corpus nostrum non adeo afficiunt quam mentem.

Et mutua inter utrumque dependentiam.

L 1 2

IIIa

Unionis
corporis
cum ani-
ma finis.

Illā enim unio, quæ inter mentem & corpus est, eo potissimum collimat, ut anima, quasi regina, ejus necessitatibus, & conservacioni tuendæ inserviat, quæ cum intellectu & voluntate prædita novit media, quæ huic fini inservire possunt, & adhiberi debent, ad illam unionem tuendam, dum etiam quæ nocitura intelligit, & ad illa declinanda & avertenda vel fugienda media quoque suppeditat, atque hac ratione ne hæc unio interrumpatur, oportet ut corpus afficiat mentem, & vice versa, ut mens afficiat corpus. Verum cum ad altiora adspiramus, utpote cœlesti origine nati, non semper meditatur ea quæ unioni inter corpus & animam tuendæ inserviunt, dum in terris hisce degimus: hæc enim sunt infra originis nostræ præstantiam, quamobrem in hisce acquiescere non possumus, sed in cœlum quandoque evolat mens nostra, unde suam habet originem, & quasi ergastulo corporis jam libera, nullum aliud objectum intuetur quam illud, quod substantiæ spirituali convenientissimum, id est, sui auctorem Deum, summum mentis nostræ bonum, in cujus fruitione acquiescere potest.

Corpus
& mens
non semper
per actum
agunt
in se.

Ejusmodi cogitationes corpus nostrum non adficiunt, cum etiam absque illa unione inter mentem & corpus ejusmodi cogitationes, quæ ad corpus nullam habent relationem, nec ratione conservacionis, nec alterius cujusvis actus corporei, animæ duntaxat propriæ & quidem privative, ut ita dicam: quamobrem nec opus est, ut mens & corpus semper actu in se agant; cum enim anima sit res sive substantia cogitans, & eadem maneat, corpore licet

licet distraeto, dissoluto & extincto, cur nec etiam dum corpore circumdata, possemus animam tanquam ejusmodi substantiam concipere, quæ etiam sæpe habet cogitationes, quæ corpus nostrum non adficiunt; quia ad illud nullam habent relationem, & proinde verissimum esse; quamvis diximus unionem mentis cum corpore esse certum quendam nexum & leges, quas Deus menti & corpori fixit, ut per attributa relativa in se mutuo agant & à se patiantur, cujusmodi actiones & passionem supponunt, ut se mutuo afficere possint, tamen non esse necessum, ut anima & corpus actu semper in se agant, sed mens nostra salva ista unione agere possit, id est, cogitare, vel ejusmodi habere cogitationes, quæ corpus nostrum non adficiunt, & proinde non agat mens in corpus nostrum; id genus cogitationes quas habet de Deo, de se ipsa & aliis rebus ad corpus nullam relationem habentibus. Quemadmodum nec corpus semper & omni suo motu agit in mentem. *Quippe varii in eo fiunt motus, quos mens non percipit, ut circulatio sanguinis, omniaque quæ vitam vegetativam spectant. Oportet etiam ut organa sint bene disposita in homine sano & vigili. Ita enim fit, ut ager, ob defectum spirituum animalium, non possit corpus movere, nec forte brachium extendere, etiamsi vel maxime vellet. Ergo unio inter mentem & corpus consistit in hoc, quod remotis omnibus obstaculis, & positis ponendis, in se agere possit & agat: durante tali nexu, durat unio, adeoque vita animalis; isto autem nexu rupto, rum-pitur vita, adeoque mors est, uti differit Vir cla-*

riff. Braunius *d. l.* Mutua igitur illa correspondentia, ut ita dicam, rationem unionis, quæ est inter mentem & corpus, constituit.

An intercessio-
ne organo-
rum
mens
percipiat
motus
corporis.

Huic autem maxime inserviunt organa bene disposita, & sensus externi, quatenus anima cum corpore conjuncta illud agere & operari efficit, cujusmodi operationes, quia mediantibus organis perficiuntur, & in actum deducuntur, operationes organice & materiales hominis dicuntur: intercessione enim organorum mens percipit & sentit varios motus corporis, quo anima adficitur, & statim hanc vel illam, juxta objectum, quod sibi per sensus representatur, format ideam, & in ejus pervenit notitiam. Quod non eo sensu interpretandum, quasi organa sive sensus menti imprimerem hanc vel illam ideam, verum quod ei dederunt occasionem ad hanc vel illam ideam per innatam sibi facultatem hoc tempore potius quam alio efformandam.

Motuum
figura-
rumque
ideæ no-
bis inna-
tæ.

Quippe uti ajunt Philosophi, nihil ab objectis eatenus ad mentem nostram per organa sensuum accedit, præter motus quosdam corporeos: imo nequidem ipsi motus, nec figuræ ex iis ortæ, à nobis concipiuntur, quales in organis sensuum fiunt; unde sequitur, ipsas motuum & figurarum ideas nobis innatas esse. Ita ut clausis oculis, vel obturatis auribus & naribus, nullum colorem, figuram, sonum, vel odorem percipimus: quia non adficiuntur ista organa, vel istæ fibræ, quæ illorum sensum ad mentem perferre debent, & hac ratione mentem afficere; è contra vero auribus, naribus, & oculis apertis ea omnia statim percipimus. Nexus enim

enim ille , qui menti cum corpore intercedit , efficit , ut moto corpore hoc vel illo modo , mens habeat hanc vel illam ideam. Quod hisce exemplis illustrent Philosophi , ut si moveantur nervi optici , mens habeat ideam rei , quam vocamus sonum. Si moveantur nervi odoratus , gustus , tactus , mens habeat perceptionem odoris , saporis , calidi & frigidi. *Et ut uno verbo* , inquit doctissimus Braunius , *absolvam* , *tota unio mentis & corporis nostri in hoc consistit* , *quod Deus istas duas substantias ita creaverit* , *aut potius quod eterna & efficacissima sua volitione voluerit* , *ut non tantum duæ istæ substantiæ existerent* , *sed ut etiam mens existeret cum talibus ideis sive cogitationibus* , *quotiescunque tales sunt motus in corpore* : *& ab altera parte* , *ut corpus existeret cum tali motu* , *quotiescunque mens haberet tales cogitationes.* Hinc , pergit , *facile colligi potest* , *in corporibus nihil esse præter extensionem* , *figuram* , *situm* , *motum & quietem* : *nullos autem colores* , *nec sapes* , *odores* , *sonos* , *nullum album* , *nigrum* , *rubrum* , *nec frigus* , *nec nullas* , *uti vocantur* , *qualitates* ; *sed ejusmodi ideas in sola nostra mente excitari per varios motus in corpore nostro.* Ex quibus perspicimus , non esse fingendum , animam solum corpori adesse , uti nauta suæ navi præsens est , aut lector suo equo , sed illi intime esse unitam , adeo ut unum compositum cum illo faciat. Hæ enim & aliæ unionis species ab hac ipsa valde differunt ; & quidem primo in eo , quod gubernator plerumque voluntarie cum sua navi unitur ; secundo clare cognoscit bonum vel malum quod ei accidit ; tertio lætitia

lætitia & tristitia , quam inde percipit , plane diversa est à sensu famis , sitis , doloris & titillationis , quibus mens humana obnoxia est ob naturalem nexum cum corpore.

Quomodo anima tota in toto corpore , & tota in singulis partibus.

Si hoc modo unio inter mentem & corpus concipiatur , uti demonstravimus , juxta quorundam Philosophorum mentem , facile perspiciamus , quomodo intelligendum sit illud inter Philosophos , *Animam totam in toto corpore ; & totam in singulis ejus partibus esse.* Hoc enim à veritate non alienum esse videtur ; non quod anima positive & per veram extensionem , in singulis partibus corporis inveniat ; id enim substantiæ , quæ omnis materiæ expers est , qualem esse mentem humanam ostendimus , repugnat. Verum quatenus unionem hanc concipimus per ejusmodi attributa relativa , per mutuam & reciprocam scilicet actionem & passionem animæ in corpus : & vice versa corporis in animam. Quippe cum anima in partes dividi nequeat , quia spiritus , & proinde partibus caret , absque partibus quoque concipi debet ; unde animæ aliam ideam haberi non posse , sana dicat ratio , quam quidquid agit , vult , cogitat , id ab integra semper anima proficisci oportere. Concipi enim nequit pars intellectus , judicii , voluntatis ; unde sequitur , quod tota anima agat in corpus , & in quamlibet ejus partem : tota enim movet totum corpus , etiam minimam ejus partem ac membrum. Et sic quoque percipit tota anima motum totius corporis & cujusque partis vel membri. Ergo hoc sensu est tota in toto corpore , & tota in qualibet parte

parte corporis. Verum si unionem mentis & corporis concipiamus per præsentiam localem, per co-
 extensionem, aut confusionem cum corpore, neutiquam dici potest tota in toto, & tota in qualibet parte totius. Quia, ut supra annotavimus, conciperemus partem animæ extra partem, ita ut pars animæ quæ est in digito, non possit esse in pede, & quæ in talo, non possit esse in capite. Ergo non est tota in qualibet parte totius. Cui etiam accedit, quod hoc sensu anima necessario concipitur figurata & circumscripta; haberet enim eandem figuram & limites ac corpus, quocumque modo te explicare coneris, ut inquit Vir clariss. Braunius *dict. loc.*

Cum enim mens sit actus substantialis cogitandi, Mens actus est substantialis cogitandi. nunquam potest concipi tanquam loco aliquo circumscripta, sive in loco aliquo esse, repugnat naturæ substantiæ spiritualis illud prædicatum, quod sit in loco; quoniam in loco esse, de re nulla potest prædicari, quam corporea; Ubi ergo non est corpus, ibi non est locus: Atqui anima est spiritus, sive substantia spiritualis, & proinde incorporea; Ergo nullo indiget loco, nec in loco esse dici vel concipi potest, quin haberemus de ea conceptum corporeum, qualis conceptus substantiam illam spirituales converteret in corpoream; & proinde anima non erit anima sive spiritus, sed corpus. *Nec admittenda distinctio*, uti inquit statim laudatus Auctor, *esse in loco*, repletive, & circumscriptive & definitive; *quia ista distinctio est nova, & nulla: quoniam quidquid in loco est definitive, id ibi etiam*

M m est

est repletive & circumscriptive. Deberet enim esse in loco per omnem suam extensionem, non tantum tanquam per lineam, aut tantum per latitudinem, sed per trinam dimensionem, longum, latum, & profundum. Quidquid enim in loco est, id tali modo in loco esse debet. Et quidquid hoc modo est in loco, id necessario locum replet & occupat, eodemque loco circumscribitur, quocumque conatu contradicendi id aliquis vellet negare. Ratione tamen operationis ad extra potest dici anima esse in loco, scil. respectu corporis in quo operatur, & cui unita est: ita quoque post mortem recte dicitur in cœlo apud Christum, quia ibi tantum operatur, non autem amplius in terra aut in corpore humano.

Sedes animæ ubi?

Quamvis autem anima toti corpori sit nexa, dari tamen in corpore aliquod membrum, statuunt quidam Philosophi & Medici, in quo sedem & domicilium anima habet, nec rationi repugnare videtur, licet mens habeat relationem ad totum corpus, & corpori toti unita sit; tamen illam intimius & immediatius, ut ita dicam, uni parti corporis unitam esse, quam alteri. Sicut Deus, licet per totum univèrsum diffundatur, & per suam potentiam omnia loca repleat, peculiari tamen ratione in cœlo esse dicitur, ex quo omnia nutu suo regit & administrat, uti inquit Anton. le Grand *princip. Philosoph. part. 9.*

An in cerebro vel corde?

Olim Medici & Philosophi disputarunt inter se, ubinam sedes ista esset? Medici recte eam in cerebro constituisse videntur: Philosophi vero Stoici & Aristotelici statuebant in corde: ibi enim sunt omnes affectus,

affectus, uti supra annotavimus, & rationem allegavimus, cur non verisimile videatur, animæ sedem in corde esse. Rectius itaque illam constituisse videntur Medici in cerebro, ubi tanquam regina in supremo corporis parte sedem habens anima, velut in arce residet. Non tamen promiscue in omnibus ejus partibus, sed præsertim in quadam glandula, ab Anatomicis *conarion* nuncupata, sedem suam habere animam volunt; cujus officium est spiritus animales excipere, & imagines ab organis corporis venientes, in se unire, uti inquit statim allegatus Auctor. Verum hanc quæstionem Medicis & Philosophis decidendam relinquimus; nobis saltem non videtur à ratione alienum, mentem immediate uniri isti cerebri parti, in qua organa sensuum coeunt, & originem suam fortiuntur, & proinde ibi quoque immediate residere. Vid. Malebranche *de inquir. verit. lib. 1. cap. 6.*

Quamvis hanc primi hominis originem sacram & cœlestem fuisse referat S. Scriptura, inveniuntur tamen, qui Christianum nomen quidem profitentur, sed veritatem Christianæ religionis oppugnantes, & fidem divinæ Scripturæ debitam, suis commentis ab omni ratione alienis, ex piorum hominum animis eradicare summa ope nitentes, hanc Scripturæ revelationem de origine primi hominis & ab omnibus omnino Christianis communi consensu receptam opinionem, utpote quæ veritate divinæ Scripturæ nititur, impugnarunt; uti præterito seculo inventus est Auctor anonymus, qui figmentum hoc seu fabulam, mundo obtrudere non erubuit, & im-

Prædamitarum auctor, ejusque profana opinio.

piam hanc suam assertionem obnixè tueri conatus est. Et si divinare licet, quidam Gallus Borboniæ Principi Condæo olim familiaris, Peirerius appellatus, ejus figmenti auctor est. Qui in exercitatione & parte primâ Systematis Theologici demonstrandum sibi sumit, *primos homines ante Adamum conditos fuisse. & Adamum, saltem Judæorum, non autem omnium hominum simpliciter primum ac patrem fuisse.* Hanc assertionem, nulla ratione subnixam, sed novum & nunquam antea auditum commentum esse, invictis argumentis Viri eruditi demonstrarunt; imo adeo ab omni ratione alienam eam existimarunt, ut vix refutatione & responsione dignam duxerint. Attamen cum hæc controversia, non studiosæ saltem juventutis, ut plurimum incautæ, & ad nova amplectenda pronæ, etiam Principum & quorundam doctorum Virorum animos in hujus opinionis errorem trahere summa ope nixus fuerit Anonymus, atque huc omnem eruditionem speciose contulisse videatur, eam refutare susceperunt nonnulli Viri docti, ne ingenii sui somniis & commentis aliis irretitos teneret. Quamobrem cum ante nos hunc susceperint laborem, huic examinandæ controversiæ non immorabimur, sed paucis hanc quæstionem attingemus, & unum vel alterum argumentum adducemus, ut commenti hujus vanitas non modo, sed etiam falsitas omnium in oculos incurrat. Et quamvis Anonymus præ se ferat, nomen suum reticere ex verecundia, non mali facti conscientia. *Vereor, inquit, ne tam nobile & tam illustre argumentum culpa ingenii, & tenuitate*

tate orationis detrivero, neve omnino infra sit, quid-
 quid super hac subtili materia elaborare & concinnare
 studuero. Persuasum tamen habeo, se nomen suum
 reticere voluisse, quia opinionem tueri & disseminare
 animum induxerat, quæ non ab omni ratione dunta-
 xat, sed etiam auctoritate divinæ Scripturæ & fide,
 quam omnes, qui recte de ea sentiunt, divinis litte-
 ris habendam, unanimi consensu statuunt, maxime a-
 lienam animadverteret, neque eam divulgasse, quia
 vero consentaneam conscientia sibi dictabat, quam a-
 liquid novi in vulgus disseminandi studio abreptum
 puto: ut scil. petulantis ingenii daret aliquod do-
 cumentum. Qua ratione sibi acerrimos & strenuos
 veritatis defensores excitaturum facile prævidere po-
 terat, tanta mentis acie præditus. Quamobrem sa-
 tius duxit in tenebris digladiari, quam aperto Marte
 in prælium descendere. Si ratione certare velit, nul-
 lum argumentum mihi videtur ex ejus dictamine de-
 promi posse, quo opinionem suam adeo absurdam
 tueri potest. Sane si ratio dictat, ut etiam inter Gen-
 tiles ratione duce disputarunt Philosophi; id pro ve-
 ro habendum, quod omnibus tale videtur, de quo
 omnes idem sentiunt, quod unanimi consensu omnes
 tanquam verum amplectuntur, quod apud multos u-
 num invenitur, non est erratum, sed traditum, in-
 quit Tertullianus. *Veræ historiæ indicium est, si de
 iisdem omnes eadem dicant atque conscribant*, ait Jo-
 sephus contra Apionem lib. 1. Sic veritatis criterium
 est, si de eadem re omnes idem sentiant.

Verissimum existimari nos oportet illud, quod ex
 illo protoplasto uno omnes mortales originem du-
 xerint,

M m 3

xerint,

HA
 dr
 um
 amum

hemi-
nem fuisse,
Gen-
tium
consen-
sus.

xerint, quoniam hactenus omnes pene dixerim mortales, Christiani, Judæi, Mohammedani, hanc veritatem nunquam in dubium vocarunt. Saltem de Ecclesia Catholica (populoque omni Christiano nulum plane est dubium, cujus unanimis sensus atque constans opinio semper fuit, & ad novissimum procul dubio perduratura diem, Adam fuisse omnium hominum & totius humani generis parentem; nulla habita distinctione ficta & excogitata auctoris nostri Anonymi, vel Gentilium vel Judæorum, quasi Adamus horum, non vero illorum esset, parens, utpote genere & origine diversi à Judæis; hi enim ab Adamo progeneriti, filii inde Adam vocantur, quia eorum primus pater. Quis unquam cerebrinam hanc auctoris distinctionem & diversam mortalium originem vel in profanis vel Ecclesiasticis Scriptoribus invenit; multo minus in divinis litteris ullum ejus occurrit vestigium, nisi figmentis auctoris habeamus fidem, & absurdam interpretationem amplecti velimus, qua nonnullos S. S. locos in sensum plane à mente Spiritus S. & sana ratione alienum detorquet. Audiamus Augustinum de origine humani generis disputantem *lib. 16. de Civit. Dei cap. 8.* *Quisquis, inquit, uspiam homo nascitur, id est, animal rationale mortale, quamlibet nostris inusitatam sensibus gerat corporis formam, seu colorem, sive motum, sive sonum, sive quamlibet vim, qualibet parte, qualibet qualitate naturæ, ex illo protoplasto uno originem ducere; nullus fidelium dubitaverit.* Quamobrem annotarunt Viri docti, omnes omnium terrarum & nationum Christianos, non in Occidente duntaxat, Germanos, Gallos, Italos, Hispanos,

Hispanos, aliasque nationes, verum etiam in Oriente Arabes, Palæstinos, Græcos, recentiores juxta primos & antiquissimos, mediæque ætatis catholico consensu illud affirmasse & defendisse, atque ad nostra usque tempora idem sentire; adeo ut nequidem nec in veterum monumentis, nec recentioris ætatis Auctoris alicujus scriptis inveniatur aliquid dictum vel scriptum, quod Anonymi hujus opinionem redolet.

Quippe nullus dubito, si tale quid in veterum sive recentiorum auctorum scriptis invenisset, quin eorum testimonia & auctoritatem allegasset, ut opinioni suæ majorem fidem & auctoritatem conciliaret, eamque non omnino novam & inauditam, ac proinde quasi ab omni ratione prorsus alienam esse demonstraret. Verum nihil quiddam in medium profert scriptum vel dictum unquam vel à profano vel Ecclesiastico aliquo scriptore, quod aliquam speciem præ se fert, se idem cum Auctore nostro de primi hominis origine sentire. Evolvamus quotquot sunt Christianorum Patrum sive primitivorum sive sequentium temporum scripta, nullum hujus doctrinæ vel controversiæ reperiemus vestigium; argumentum sane, quod non inter Christianos duntaxat, verum ne quidem inter alias Hæreticorum sectas, quibuscum sapius super fidei & religionis Christianæ controversiis contendere necessum habuere, de origine primi hominis quæstio suborta fuerit; quasi non totius humani generis à vetustissimo mortalium Adamo esset deducenda origo; nec etiam ab antiquissimis temporibus eam motam fuisse meminerint; cujus ignari non fuissent, utpote cum in omni disciplinarum genere versati, & tam sacrarum quam humanarum:

Prædicatorum
dogma
Antiquis
ignotum.

narum rerum, tum etiam omnium linguarum peritissimi, ac mentis acie & iudicii acumine florentissimi, haud præsumendum, illos hanc controversiam latere potuisse. Quamobrem merito dicendum, nostrum Anonymum tulisse honorem, ut hujus novæ & inauditæ opinionis auctor & inventor sit. Verum quam alienam ab omni ratione, atque doctrina ab universa Ecclesia Christiana per Orientem & Occidentem dispersa recepta, ex iis quæ annotavimus, patet; cuius unanimis consensus & constans de humani generis origine opinio, veritatis *κρίτηριον* est; saltem nulla ratio apparet, cur tot hominum ac nationum, tot tantisque & omnibus bonis artibus ac disciplinis instructissimis Viris noster Anonymus præferri debeat. Cui etiam accedit & altera ratio, quod non duntaxat Viri Christianorum sacris initiati eruditione, ingenio & iudicio florentissimi, sed etiam Judæi Anonymi opinionem, tanquam novam, falsam, & nulla ratione, multo minus S. Scripturæ auctoritate subnixam existimant, utpote qui unanimi consensu Adamum primum hominem, uti Moses testatur, nuncupant. Verum enim vero nec Mohammedani aliter credunt; quamobrem Adamum, teste Hottingero *lib. 1. histor. cap. 3.* in libris suis tum *radicem hominum*, tum iterum *patrem hominum* appellant. Imo nec ipsi Ethnici, si non omnes, saltem nationes nonnullæ, Adamum gentis suæ celebrarunt originem. Testatur enim Tacitus *de mor. Germ. cap. 2.* veteres Germanos Tuistonem & filium Mannum originem gentis conditoremque nuncupasse. *Manni* vocabulo ipsissimum Adami nomen exprimendo, uti Jqan. Ger. Vossius observavit *lib. 1. cap. 38.*

cap. 38. de Idolol. Per Tuisionem vero Deum, Adami & Evæ conditorem intelligit. Neque etiam sapientes inter Gentiles humani generis originem, nisi à primo isto homine, quasi nostri generis antesignano deduxêre, quamvis de nomine non conveniant. Soli itaque huic Anonymo sapere datum est, qui asserere non erubescit, quod nequidem tot seculorum Christiani, Judæi, Mahummedani, imo nulla natio nec gens aliqua affirmavit. Quamobrem nullum adfert testimonium ex eorundem scriptis, quo suam opinionem aliquo modo tueri potest. Jam vero uti paulo ante dicere incepimus, juxta illud Hesiodi,

*Non etenim penitus vana est sententia multi
Quam populi celebrant. - - -*

Quippe, uti ajebat Heraclitus, *Quæ communiter ita videntur, fida sunt.* Et teste Aristotele, *potentissima probatio est, si in id quod dicimus, omnes consentiant.* Quamobrem Quintilianus, *Pro certis habemus ea, in quæ communi opinione consensum est. Argumentum quoque veritatis est aliquid omnibus videre,* ut inquit Seneca. Si igitur à contrario argumentari licet, ab omni profus veritate aliena Anonymi nostri sententia, quia nec gentium consensu, nec Scripturæ Sacræ auctoritate nititur. Verum quoniam ille se Christianum esse profitetur, ad Sacræ Scripturæ tamen auctoritatem recurrit, ut in ea suam assertionem fundatam demonstrat, ne videatur ei fidem detrahendo Religionis & fidei fundamenta evertere, & ad Atheismum viam sternere. Non induximus animum argumenta Anonymi adducere, eaque omnia duluere, illud nobis haud jucundum

N n

cundum esset, & lectori forte etiam tædium pareret; præterquam quod ante nos, uti statim annotavimus, Viri docti ea refutarunt.

Argu-
menta
quibus
opinio-
nem
suam af-
ferere,
student
Præda-
mitæ,
confuta-
ta.

Notandum tantum Auctorem anonymum Exercitationis hanc conclusionem suscepisse demonstrandam, & quidem ex divina Scriptura, cujus sensum pro captu ingenii sui interpretatur, prout opinioni suæ tuendæ inservire posse judicat; *Primos homines ante Adamum fuisse conditos*: ita ut Epochæ Orbis conditi & rerum ab hominibus gestarum multo altius, quam ab Adamo sit repetenda. Fingit enim Anonymus, Adamum, cujus creatio refertur *Genes. 2.* fuisse patrem tantum Judæorum, non vero totius humani generis, & diversam fuisse ejus formationem à creatione hominis, quæ narratur *cap. 1.* à qua statuit Gentiles ortum ducere, ita ut inter Adamum & ceteros illos homines, multa præterlapsa sint secula, & jam ante Adamum multæ hominum myriades diversas mundi plagas incoluerint. Miror, quod idem Auctor, non plures etiam Mundos finxerit, quos illi, qui à creatione hominis, quæ *Genes. 1.* narratur, originem duxere, incoluerint. Basis ac fundamentum, quo totius systematis nostri Auctoris fabrica nititur, sunt *versus 12, 13, & 14. capituli 5. Epistolæ Pauli ad Romanos*, ubi inquit Apostolus: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in Mundum, & per peccatum mors: ita etiam in omnes homines mors pervasit, in quo omnes peccaverunt. Nam usque ad legem peccatum erat in mundo. Peccatum vero non imputabatur, non existente lege. Regnavit autem mors ab Adamo usque ad Mo-*
sem:

sem: in eos etiam qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adami; qui est typus futuri. Hoc Pauli effatum interpretatur, ut facile quisque possit conjecturis assequi, eo sensu, quem opinioni suæ adstruendæ potissimum inservire posse putat; verum à sano sensu & mente Apostoli maxime alieno. Quomodo hunc locum Anonymus intelligit, patescit ex sequentibus.

Primo itaque intelligit hunc locum de lege Adamo lata. *De lege Dei Adamo data, intelligenda sunt, inquit, verba hæc Apostoli, usque ad legem: intellige legem Dei datam uni illi homini Adamo. Voluit scilicet. Apostolus peccatum & mortem fuisse in mundo usque ad legem Dei, sive usque ad transgressionem legis illius divinæ, quam unus homo ille Adamus violavit.* Et paulo post subjungit: *Usque ad legem, intellige legem Dei datam Adamo.* Hoc sensu nititur magna Systematis Theolog. pars, & ex eodem ita argumentatur: *Vel lex illa intelligenda erat de lege data Mosi, vel de lege data Adamo, statuendum erat, peccatum fuisse in mundo ante Adamum, & usque ad Adamum: peccatum vero ante Adamum non fuisse imputatum, ponendi ergo erant alii homines ante Adamum.* Et alibi: *Si legem Adamicam, non Mosaicam intellexit hoc loco Apostolus: peccatum erat in mundo usque ad legem Adamicam, per eundem Apostolum. Ergo & ante legem Adamicam.* Et incidant in meam hypothesis necesse est, homines illi, qui peccaverant ante legem Adamicam, vel ante Adamum, quod idem est. Huc ferre redeunt ejus ratiocinationes, quas plurimas

Per legem Adamo latam, quod Pierius intelligat.

mas adfert, quasque silentio præteribimus. De lege autem Adami intelligenda esse verba hæc Apostoli: *usque ad legem peccatum erat in mundo*, ex eo fatis manifeste patescere putat: quia lex illa, quæ Adamo data, princeps fuit legum omnium. Quæ lex legum & per excellentiam lex simpliciter dici debuit. *Usque ad legem*, intellige legem Dei Adamo latam, quæ lex mundi, & lex simpliciter, & sola dici potuit; & vult *legem Mosaicam subaudiendam esse*, ubi agitur de peccato illo originali, quod transit in omnes homines Judæos & Gentiles ex peccato Adami. Atqui egit hoc loco Apostolus de peccato illo originali. Ergo intellexit hoc loco legem Adamicam, non Mosaicam. Verum perperam Anonymus ex v. 14. ubi inquit Apostolus *peccatum fuisse in mundo usque ad legem*, illam deducit consequentiam, ergo exstiterunt homines peccatores ante mortalium vetustissimum Adamum. Falso enim supponit per *legem* Apostolum denotare *legem Adamicam*, scil. legem quæ Adamo lata in Paradiso, qua ipsi interdictum ne comederet de arbore scientiæ boni & mali; addita pœna mortis, si aliquando legem hanc transgrederetur; quippe non desunt rationes, quæ probant Apostolum sermonem habere de lege Mosaica. Quod 1^o patet ex eo, quod Paulo ista duo æquipollent, *usque ad Mosén*, &, *usque ad legem*: nam uti dicit peccatum fuisse *in mundo usque ad legem*, scil. promulgationem legis Mosaicæ; ita dicit *mortem regnasse ab Adamo usque ad Mosén*. Quamobrem particula *usque* notat tempus ab Adamo usque ad Legislatorem. Vult enim Apostolus,

Apostolus, peccatum fuisse ante legem, adeoque non coepisse à quo lex per Mosen data fuit, sed ab Adamo usque ad legem scil. Mosaicam, in mundo fuisse. Cui etiam accedit, quoniam Apostolus in tota Epistola demonstrare conatur, perperam Judæos urgere justificationem per legem; quis inficiari potest, Paulum habere sermonem de lege Mosaica, quoties legis occurrit vox; quia eo mentis aciem intendit, ut ostendat, neminem per legem justificari, uti opinionis errore sibi persuaderent Judæi, quod non ad aliam, quam Mosaicam referri potest. Præterquam quod ea de lege loquitur, quæ transgressionem Adami excepit, adeoque de lege Mosaica, non vero quæ eam præcessit, quia dicit *γ. 20. legem subintrasse, ut abundaret peccatum.* Et ut Viri docti animadvertunt, nihil usitatius & frequentius est Apostolo, quam voce legis simpliciter posita Mosaicam denotare, imo hanc vocis illius absolute & sine ulla adjectione positæ primariam significationem esse, manifestius est, quam ut ulteriori indagatione egeat. Unde nec à ratione alienum cuiquam videri debet, si in hoc difficili & controverso loco, illam explicationem præ ceteris eligendam statuamus, quam præcipua dictionis illius, à Paulo toties usurpatæ, significatio suppeditat. Præterquam, licet lex Adamo in statu integro lata fuerit omnium legum prima, propterea tamen *κατ' ἑξοχήν* lex simpliciter dici nequit, cum ea fuerit mere positiva. Quamobrem in divino Codice nusquam eam legis nomine insigniri perspicimus, quod de lege Mosaica passim dicitur. Nec etiam

de lege naturali intelligi debet, quippe in statu integro leges naturales proprie dictas locum non habuisse olim disputavimus, & in altera Dissertationis nostræ parte, volente Deo, hanc nostram opinionem, nec à ratione, nec à vera & orthodoxa religione alienam demonstraturi.

Ex loco
Pauli ad
Rom.
cap. 5. fa-
nior fen-
sus erui-
tur con-
tra Præa-
damitas.

Quod vero à Paulo additur de iis, qui non peccarunt *ad similitudinem transgressionis Adami*, *ψ. 14.* non potest extendi ad Præadamitas; sed ad infantes referri debet, qui non quidem actualiter ad instar Adami peccata commiserunt, sed labe originali contaminati & infecti, quæ eos eidem poenæ & damnationi & morti reddit obnoxios. Quamobrem licet ejusdem criminis vel peccati admissi rei dicantur, at tamen actu nequeunt dici peccasse, & ut loquuntur Theologi, ad ejus similitudinem, non modo *specifice*, quo sensu nemo etiam adultorum peccare potest, ad similitudinem peccati Adami, quod illi proprium fuit, sed etiam *generice*, quo pacto omnia peccata actuali illi sunt similia. Huic etiam accedit, quod Paulus non tantum, sed etiam reliqui Scriptores sacri, atque hoc secuti Chaldæi, Syri, Rabbinii, Talmudistæ, Samaritani & Arabes voce *legis nar' i'foxiv* Mosaicam intelligunt, non eam quæ Adamo lata. Præterquam quod nemo unquam sanæ mentis hoc paradoxum cogitasse Apostolum sibi, excepto Anonymo nostro, persuasisse, nec ex veterum nec recentiorum tam profanorum quam sacrorum Scriptorum scriptis perspiciamus. Quis ergo ejusmodi interpretationem huic Apostoli ratiocinationi & argumentationi attribuamus, quæ & sanæ
rationi

rationi & S. Scripturæ auctoritati repugnat; utpote qui divino Spiritu afflatus, quidquid scripsit vero omnino consentaneum scripsisse, statui debet. Quæso annon ipse Apostolus 1 Cor. 15: 45. testatur, *primum hominem factum in animam viventem*. Et *ψ. 47. primum hominem è terra terrenum*. An non mulieri ex costa viri ædificatæ nomen Evæ datum, propterea, *quia fuit mater omnium viventium*, Gen. 3: 20. Si omnium viventium mater, qui populi, quæ gentes, quænam nationes excipiuntur, quas ab eadem originem suam ducere negari posset; si gens Judaica duntaxat ab ea prodiit, perperam omnium Gentium mater diceretur: qui enim omne dicit, nihil excludit; ita si omnium viventium totius quoque humani generis matrem esse loquendi formula perhibet & denotat. Huc etiam pertinet illud Act. 17: 26. ubi asserit idem Apostolus, *Deum totum genus humanum fecisse ex uno sanguine, super universam faciem terræ*. Qui vero dici potest ex uno sanguine oriundum, si Judæi & Gentiles diversam statuatur Anonymus originem habuisse, nec ad eundem sanguinem, eundemque parentem referat. Quamobrem Hieronymus, *Omnes homines ex uno patre nati*. Et Lactantius *lib. 6. cap. 10. Ab uno homine quem Deus finxit, omnes gignimur*. Et post: *Unus homo à Deo factus est, ab eoque uno omnis terra humano genere complexa est*. Et Augustinus *de civit. Dei lib. 12. cap. 9. Ex uno homine quem primum Deus condidit, genus humanum sumit exordium, secundum S. Scripturæ fidem, quæ mirabilem auctoritatem non immerito habet in Orbe terrarum*.

rarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cetera quæ dixit, vera divinitate prædixit. Ex uno enim sanguine cum dicit Paulus humanum genus oriundum, idem est ac si diceret, ex uno homine exordium sumfisse, quippe hoc sensu vox *sanguinis* etiam usurpatur in sacro Codice. Unde *Psalm 94: 21. turmatim coeunt in animam justì, & sanguinem innocentem condemnant.* Eodem sensu usurpatur *Prov. cap. 11. Insidiamur sanguini, & abscondamus nos contra innocentem.* Et *Matth. 27: 4.* Judas dicit, *peccavi, tradens sanguinem innoxium.* Ita quoque apud Virgilium,

Sic genus amborum se sanguine findit ab uno.

Adamus
primus
homo,
non duntaxat re-
late ad
Christum, sed
ad universum
hominum ge-
nus.

Huic reponitur frustra, Adamum primum posse vocari hominem relatè ad Christum, verum exinde non sequi, quod sit primus sive vetustissimus omnium hominum, uti Christus *secundus Adamus* vocatur, & *novissimus* 1 *Cor. 15: 47.* licet nec secundus sit ab Adamo, nec ultimus. Quippe qui diligenter textum examinat, facile perspiciet, Apostolum Adamum vocare primum, non duntaxat relatè ad Christum, quia illum præcessit, sed etiam quoad universum genus humanum, & ceteros homines, qui ejus ex lumbis omnes originem trahentes, ejus quoque imaginis participes esse deberent, adeoque qualis terrenus est, tales etiam debent esse terreni, uti patet ex *ψ. 48.* ubi Apostolus sermonem habet de materia, ex qua Adami corpus formatum, scilicet è terra, & propterea terrenus; unde concludit, indubium esse in præsentì vita nos, qui ex Adamo terreno trahimus originem, terrena corpora gestare.

Unde

Unde patet Apostolum Adamum, quem *Genes. 1: 2*. Moses describit è pulvere terræ productum, omnium hominum fuisse primum pronuntiare. Vocatur à Paulo Christus *secundus*, non eo quod fuerit secundum individuum generis humani, verum, uti dicunt Theologi, ratione *communicationis & originis*, quia fuit secunda radix, stirps ac principium hominum, in quo spirituales omnes tanquam principio comprehenduntur: sicut animales in illo priore, cui nomen fuit Adam. Fit enim oppositio inter Adamum & Christum, tanquam inter duo capita, quorum prius communicat suis vitam animale, & cum ea peccatum & mortem in eosdem propagat. Posterius vero in omnes suos transfundit vitam spiritualem & æternam. *Sicut enim*, inquit, *in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Quemadmodum itaque Adam est auctor & principium mortis, ita Christus radix est & principium & auctor vitæ. Sicut itaque omnes homines per primam, hoc est, per carnalem generationem pertinent ad Adam: ita omnes homines ad secundam, id est, spiritualem regenerationem veniunt, quicumque ad Christum perveniunt. Nec perperam quoque ab Apostolo *novissimum* dici, inquit Scripturæ divinæ interpretes, non eo quod ultimus nasci debuerit, verum quia Adamo posterior, cujus typus erat prior Adam, uti dixerat *Rom. 5: 14*. Et prior fuit Adam ex limo creatus, quam Christus ex virgine natus; quamvis divinitatis ratione prior; tum etiam novissimus bene dicitur, quia nemo post eum eandem

Oo

dem

dem capitis rationem sustinere potest , qui suis vitam spiritualem & æternam cum iustitia sua imperatur. Et frustra Anonymus huic reponit, quasi Adamus diceretur primus & pater omnium hominum, quatenus omnes homines in illo peccaverunt, & proinde primus & pater est omnium peccatorum. Quippe ex verbis Apostoli facile perspicimus, Adamum non duntaxat primum dici in ordine peccandi, sed etiam in ordine nascendi sive essendi, quatenus fuit radix, stirps & principium hominum, à quo quod terrenum & animale est, habemus; scil. hoc corpus, idque non nudum, sed cum infirmitate & corruptione conjunctum. Verum quam lubrico nitatur fundamento Anonymi nostri opinio, & ab omni penitus ratione aliena sit, vel exinde quoque constare potest, quod Deus sex dierum intervallo omnes omnino creaturas condidisse dicitur *Gen. 11: 1, 2, 3. Et perfecti sunt cæli & terra & omnis exercitus eorum, & perfecit Deus in die septimo opus suum quod fecerat, & requievit in die septimo ab omni opere suo quod fecerat. Et benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit illum, quia in eo requievit ab omni opere suo, quod creaverat Deus ut faceret. Exod. 20: 11. Sex diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ sunt in eis, & requievit in die septimo.* Unde manifeste constat, & absque ulla contradictione patet, Deum in principio sex dierum spatio totum creationis opus perfecisse & absolvisse; adeoque nihil reliquum fuisse, quod produceret hujus Universi Conditor. Si omnia producta, nullos ergo alios homines.

mines creatos fuisse, sed masculum & foemellam, uti ceterorum omnium animalium, quæ ratione carent, ita quoque ratione præditorum mortalium die sexto conditos fuisse, & omnium hominum existisse vetustissimos sive primos, manifeste evincitur. Marem autem illum & foeminam, Adamum & Evam fuisse, de quibus agitur *Genes. 2.* vel exinde luce clarius constat, quod Servator noster *Marc. 10: 6.* ipse testatur: *ab initio creationis masculum & foeminam Deum creasse, & dixisse: propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Ex quo perspicimus, hujus universi conditorem & omnium rerum opificem Deum, ab initio sive primordio creationis, fecisse unum masculum & unam foeminam; respiciens Christus procul dubio ad *Genes. 1: 27.* tum etiam quod illis mortalium primis mari & foeminæ imperaverit & injunxerit in exordio mundi & rerum omnium principio, ut homo, vir, maritus uxori suæ adhæreat, utpote indissolubili vinculo matrimonio sibi devincti, adeo ut qui duo erant, una fiant caro, & quasi in unum idemque corpus coalescant, qua conjunctione nulla arctior fingi nec excogitari potest. Unde inferitur, ad quoscunque Deus ab initio creationis verba statim memorata dixit, illi sunt homines primo omnium creati, per *Marc. cap. 10: 6.* Atqui juxta ea quæ tradit Moses *Gen. 2: 24.* ad Adamum & Evam verba illa dicta sunt. Ergo oportet Adamum & Evam primos illos homines fuisse, qui primi omnium creati sunt. Neque ullam verisimilem rationem adfert Anonymus, cur mas & foemina, qui

dicuntur creati die sexto *Genes. 1.* non essent iidem illi, qui *cap. 2.* vocantur Adam & Eva: ubi non refert Moses, vel scriptor ille quisquis fuerit, sive compilator divino Spiritu afflatus ductusque novam aliorum hominum, præter illos, quorum meminit *cap. 1.* creationem, verum magis distincte describit originem humani generis, quam præcedente capite brevius tractaverat. Præterquam quod frequens in sacro Codice ejusdem rei sive argumenti repetitio. vid. P. Simon. *comment. in vet. Testam.* Sic quoque *cap. 2: 1, 2, 3. Gen.* fit recapitulatio sive repetitio primævæ creationis cœli & terræ, de qua actum fuit *cap. 1.* cujusmodi repetitiones in Pentateucho plures factas annotare non esset difficile, nec latere possunt eos, qui libros Moysi evolvunt. Eadem itaque repetitio facta historiæ creationis hominis, quæ *cap. 1.* descripta fuit, sed magis exactè & distinctè *cap. 2.* refertur. Id ipsum clarius patet ex descriptione originis ejusdem Adami, quia idem nomen, & eadem nominis ratio recurrit, nimir. ex terra sive limo, vel terra madefacta productio, quod de duobus diversis haud prædicari posset, saltem si aliquod de eo dubium maneret reliquum, pro nostra sententia vehemens militaret præsumptio, probabili admodum ratione subnixâ, imo divinæ Scripturæ auctoritate satis munita; pro altera nisi nisi mera conjectura, sive potius figmentum omni prorsus ratione verisimili & auctoritate S. Scripturæ omnino destitutum.

Lex de
connu-
bio, Ada-

Præterquam si non de uno eodemque Adamo intelligenda forent, quæ separatim 1. & 2. *cap. Gen.* de

de creatione seu productione primi hominis prædicantur vel describuntur, magnam inde absurditatem & paradoxum statuendum necessum foret: scil. si duo mo & Evæ, primis mortalium, laza. Adami intelligendi essent, vel de secundo non constabit, quod sit factus ad divinæ imaginis exemplar, quia de eo nihil dicitur *cap. 2.* vel de primo non liquet præditum esse anima rationali, quia nihil traditur de insufflatione animæ in nares ejus, quod demum *cap. 2.* traditur, uti argumentatur Theologus celeberr. Franc. Turretin. *instit. Theol. l. 5. q. 8.* Præterquam, ut inquit statim allegatus Theologus, sequeretur, primis hominibus, quibus dictum est, *crecite & multiplicamini*, nullam tamen conjugii legem esse positam, quæ demum *cap. 2.* legitur, contra expressa Christi verba *Matth. 19: 4, 5.* qui ab initio Deum marem & sceminam creasse asserit, illisque hanc statuisset legem, *ut propterea relinquat homo patrem & matrem, ut adhæreat uxori suæ sive conjugii, & qui duo erunt in carne una.* Ex quibus manifeste patet, uti paulo ante notavimus, primam maris & sceminæ creationem factam ab initio, fuisse Adami & Evæ productionem, quibus lex illa connubii posita, ne promiscue brutorum instar multiplicaretur humanum genus, verum sanctius hoc animal ratione præditum, & ad Dei imaginem conditum homo ordinè & rationis dictamini conveniens sui simile propagaret, interveniente matrimonii vinculo, quo sibi tam artificissime devincirentur, quasi ex duobus unum fieret corpus, una caro. Frustra enim reponeret Anonymus, hanc legem Adamo quidem & Evæ positam, tanquam radici ac stirpi gentis Judaicæ, quam in peculiariter

culiarem Deus sibi populum aliquando adsciscere destinaverat, cui sua jura daturus, quibus à ceteris gentibus distingueretur. Quippe hanc legem non mere positivam statuo, sed moralem, & proinde omnibus gentibus latam, quamobrem ab omni ævo apud Gentes omnes saltem moratiores, & usu & moribus receptam, uti hanc controversiam latius tractavimus in nostris *Commentariis in Grotium de Jur. Bell. ac Pac.* Sin autem ab initio, id est, mundi primordio, hæc lex connubialis posita mari & fœminæ, eamque demum *cap. 2. Genes.* Adamo & Evæ promulgatam invenimus, ergo iidem illi primi fuere homines quorum Moses meminit *cap. 1.* Quippe si à mundi primordio lata hæc conjugii lex, & posita quidem Adamo & Evæ, uti ex textu patet, sequitur ab initio sive mundi exordio simul quasi cum Adamo & Eva natam hanc legem, & proinde ullos ante Adamum homines fuisse vel exstitisse fingi nequit; quippe si ab initio mundi lex illa posita, posita autem fuerit Adamo & Evæ, ergo à mundi exordio nec mas nec fœmina, nisi hoc par conjugum Adam & Eva; quippe si alii ante Adamum exstitere homines, quibus eadem lex lata, quia moralis, id est, ex Dei profluens voluntate & justitia; ergo ab initio non fuit Adamo lata; atqui contrarium patet ex collatione unius loci eum altero. Ergo &c. Deinde constat primis hominibus datum fuisse imperium in animantia *cap. 1: 28.* quod confirmatum *cap. 2: 19.* ubi tradit Moses, Deum adduxisse Adamo cuncta animalia, ut suo arbitratu illis nomina imponeret, atque ita adducendo omnia ejus dominio atque imperio subjiceret; imo offert, ut omnia
sponte

sponte se homini submitterent, dominumque recognoscere. Præterea dantur ipsis in cibum fructus arborum, herbæ, olera, quæ sponte dabat initio terra, postea opera, cura & cultura quærenda, *cap. 1: 29.* eandem legem repetitam perspicimus *cap. 2: 16.* argumentum, de iisdem hominibus utrobique sermonem haberi. Huic etiam accedit, quod claris verbis ante Adamum creatum terrarum Orbem cultoribus vacuum fuisse traditur *Genes. 2: 5. Et homo non erat ad colendam terram.* Si nullus dum dicitur fuisse homo ad colendam terram, ubinam Præadamitæ? Notandum quoque Paulum Apostolum *dict. loc.* quem paulo ante citavimus, docere, *Per unum hominem peccatum in mundum intrasse, & per peccatum mortem, & sic mortem transisse in omnes.*

Neminem autem Sacrarum litterarum interpretem monstraturum credo Præadamitam, cui unquam venit in mentem, per unum illum hominem Apostolum alium intelligere, quam Adamum, in quo omnes mori dicuntur *1 Cor. 15: 22.* Non me fugit Hieronymum & Ambrosium illam Apostoli doctrinam exponere de Eva, de muliere scilicet non de viro. Verum reliqui exponunt de viro Adamo, propterea quod successio & propagatio in Scripturis non ad mulierem, sed ad virum pertineat. Quam rationem assignat Origines; licet enim Eva prima peccaverit, juxta illud *Eccles. 25.* unde & Tertullianus *de habitu muliebri*, mulierem vocat primam legis divinæ desertricem, vitæ arboris resignatricem, & Diaboli januam; tamen Adam primaria fuit causa, uti & generationis. Nisi enim vir divinum præceptum transgressus esset, seductio.

Unus
homo, de
quo lo-
quitur
Paulus,
ipse A-
damus.

seductio Evæ posteritatem hac peccati labe non commaculasset, quamobrem, non mulieri, sed viro dicitur *Genes. 3. Quia comedisti de ligno, ex quo preceperam tibi ne comederes &c.* Transgressio legis consistebat in actu illo contrario ab Adamo commisso, scil. in comedendo de fructu arboris vetitæ. Quamobrem uti annotarunt divinorum oraculorum interpretes, circumcisionis symbolum masculino sexui datum est, & ei membro, quod generis humani propagationi inservit, ad declarandum, immunditiam generis humani esse ex viri semine. Verum quidquid sit, sive per unum hominem Adamum sive Evam intelligamus, illud tamen firmum manet, Apostolum de alterutro primorum illorum hominum sermonem habere, à quibus genus humanum propagatum, scil. Adamo & Eva. Sive itaque per Adamum, sive per Evam peccatum in mundum intraverit, manifestum est, quod ille debeat censerī primus homo, à quo peccatum, & mors in omnes homines transit. Atqui peccatum intravit per unum hominem scil. Adamum; ergo merito primus censetur homo. Per quem enim peccatum intravit in mundum, ille est auctor & causa peccati: Atqui per Adamum intravit peccatum; Ergo auctor est & causa peccati. Qui autem alicujus facti auctor & causa est, ille necessario primus est: quippe nulla alia ratione causa & auctor dici potest, nisi quod ab eo ceperit rei, cujus auctor est, initium & principium: qui autem principium est, ille & primus esse debet, alioqui non posset dici principium. Contradictionem quippe implicaret alicujus facti vel rei principium haberi vel auctorem, & simul non esse primum à quo factum illud profectum.

Quem-

Quemadmodum autem peccati auctor & causa Adamus, ita quoque mediata causa mortis, quæ peccati sequela, & sic etiam causa causati. Utriusque itaque auctor & causa Adamus, & proinde primus omnium, *per quem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic mors transit in omnes*, ut inquit Apostolus. Et proinde quoque regnavit mors ab Adam usque ad legem, usque ad Moysen, quia scilicet auctor peccati, id est, primus qui peccatum commisit, ideo quoque mors, peccati sequela, cum peccato simul ad omnes intravit, & ad omnes transit. Ubinam vero Præadamitæ, sane, uti cæteri mortales, quos ab Adamo fingit Præadamita, originem duxisse, vitam cum morte commutarunt. Cur autem, quippe mors regnare incepit ab Adamo; oportet ergo vel Adamum fuisse primum hominem, à quo peccati initium petendum, & mortem regnare incepisse dicendum; vel sacram nos fallere Scripturam, & commentum esse quod tradit Apostolus, cum dicit, *per unum hominem peccatum in mundum intrasse, & regnare incepisse ab Adamo*. Quippe à quo incepit regnare mors, necesse est ab eo quoque causam peccati derivandam, vel illum mortis esse causam, qui auctor peccati. Peccati vero causa prima, quia auctor transgressionis legis sibi latæ, cujus poena erat mors, id est, privatio vitæ, non duntaxat terrenæ, sed etiam æternæ; unde comminatio illa hisce verbis legis transgressioni adjecta, *Quo die de eo comederis, morte morieris*, vernaculo sermone, *zult gy den dood steyden* id est, duplicem subibis mortem, quæ non tantum

Adamus,
utriusque
peccati,
ita quo-
que causa
mortis.

P p con-

consisteret in privatione hujus vitæ, sed etiam æternæ. Quippe si homo in statu integritatis sive innocentia perstitisset, nunquam moriturum fuisse mihi persuadeo, cum mors sit pœna & sequela admisi peccati. Verum hanc controversiam alio loco, volente Deo, latius examinandi nobis erit occasio.

Vana
Præadamitarum
transgressio-
nis, &
mortalis
naturalis
& legalis
distinctio.

Frustra itaque Præadamita distinguit inter *transgressionem* & *mortem naturalem* & *legalem*, quasi hæc per Adamum introducta sit, istius vero natalia multis seculis præcesserit in Gentilibus præadamitis, qui obnoxii fuerint peccato & morti naturali, ex innata sibi natura corruptibili & mortali. Qui enim peccatum naturale dici potest, absque impio de Naturæ auctore Deo sensu, quasi Deus hominem finxisset natura primum ad vitia. Ita quoque nec mors naturalis dici potest, quia homo moriturus necessario fuisset, etiamsi non peccasset (in quam opinionem adducti Gentiles, unde Seneca, & cum eo Philosophi, *Mors homini natura est, non pœna.*) Quod absurdum, & à sana ratione non duntaxat alienum, sed Pauli doctrinæ omnino repugnat, *Rom. 6: 23.* Ubi disertè docet, *stipendium peccati esse mortem.* Item *stimulum peccati esse mortiferum*, i *Cor. 15.* Præterquam quod etiam perperam à Præadamita fingitur aliquod peccatum, quod non sit contra legem. Quid enim peccatum aliud est, quam *iniquitas* legis transgressio seu violatio i *Joh. 3: 4.* Hæc peccati ratio forma & definitio est, quamobrem ne quidem peccatum fingi potest, nisi existente lege quæ peccando violatur. *Ubi enim lex non est, ibi nec*

nec prævaricatio est, ut inquit Apostolus *Rom. 4: 15.* Atqui ex transgressione legis mors transit in omnes, tanquam pœna legi adjecta: Ergo peccatam statuit Auctor, mortem dari quæ non sit legalis, ideoque mors homini pœna est non natura.

Sed, quæso, si ante Adamum innumeri existierint homines, qui per omnes terrarum oras dispersi terram incolebant, cur opus fuisset iterum ex terræ pulvere novum genus hominum excitare, cum naturalis propagandi & multiplicandi homini concessa & innata facultas, sufficere potuisset. Si tot homines ante Adamum conditi, cur solus fuisse dicitur, *ÿ. 18.* Cur ex ejus costa Eva ædificata, ut ipsi esset in adjutorium, ut viro esset præsens & socia in solitudinis remedium & solatium, & ad prolis propagationem operam præstaret simul cum viro, si jam tot mulierum myriades existissent. Cur denique Deus adduxit animalia ad Adam, ut ipsis congrua inderet nomina, si multis ante seculis Præadamitæ existierint, qui procul dubio animalibus imposuissent nomina. Huic quoque accedit, quod si ante Adamum alii homines existierint; Ergo non solum novus mundus, sed & nova ecclesia, novaque salutis adipiscendæ ratio, pro novis istis hominibus excogitanda ac effingenda erit, cum tota salutis humanæ œconomia ad Adami posteros, non ad gentem Præadamitarum pertineat, uti argumentantur sacrorum oraculorum interpretes.

Forte quis rogabit, si Præadamitæ non fuerint, cur timuerit Cain in exilium missus & profugus à facie Creatoris sui, ne quivis, in quem incideret,

Ante Adamum homines non existisse, argu-
mentis probatur.

Extimore Cain, inferri nequit, existisse

ante A-
damum
homines.

se occideret, *Gen. 4: 14.* Verum Resp. vel timuis ab iis qui adhuc nascituri forent, vel potius ab illis jam modo existentibus; quippe non additur hujus historię præcisum tempus: procul dubio multi jam omnino nati erant homines, multi enim alii Adami liberi, multi quoque filii & nepotes ipsius Abelis jam centenario majoris quum supremum obiit diem, quos tanquam tot vindices paterni sanguinis tum metuere poterat. Perspicimus itaque ex rationibus, quas ad absurdam & omni prorsus ratione destitutam Præadamitæ opinionem refutandam adduximus, non solum Mosis historię, sed universæ Scripturæ, & rectæ rationi, adeoque etiam Gentium omnium consensui refragari; quamobrem vix ullos invenit patronos.

Humani
generis
propaga-
tio.

Huc usque de primi hominis origine sacra & cœlesti. Verum crescere & multiplicare debebat humanum genus, idque naturali modo, ut cæteræ res creatæ, per propagationem & generationem, juxta facultatem cuique speciei inditam & innatam. Quippe omnium rerum conditor & auctor Deus, non decreverat mundum, & omnes, quæ in eo sunt, creaturas creare & producere, ut momento existerent, & post exiguum temporis intervallum perirent ac evanescerent; verum ut ad perennem Domini Deique laudem & gloriam, unumquodque individuum in sua specie existeret in perpetuum, scilicet per propagationem & generationem: hac enim ratione unaquæque species ab interitu vindicatur. Ejusmodi propagatio consistit quidem in producendo sui simile, verum non eodem modo in actum dedu-

deducitur: quippe alio modo res inanimæ, alio res animatæ sibi simile producant.

Quod res animatas attinet, earundem propagatio fit per conjunctionem duorum ejusdem quidem generis, sed diversi sexus corporum, scil. maris & foeminæ. Absque ejusmodi interveniente conjunctione sive commixtione nulla sæcunditas, nulla propagatio. Quamobrem omnium animalium & bestiarum binæ creatæ, mas & foemina, quemadmodum quæque ex bestiis, tum mundis tum immundis, & ex volucris omnibusque quæ reptant super terram, mas & foemina, imminente diluvio, uti Deus præceperat Noacho, ad conservandum in vita semen eorum, ne penitus interiret animantium aliqua species, in arcam ingressi sunt, ut se suamque speciem conservarent ac propagarent juxta benedictionem, quam Jehova mundi primordio edixerat. Licet autem homo sanctius hisce, de quibus nobis jam sermo, animal, propagatio tamen humani generis non alio, quam cæterorum animantium fit modo, scil. per conjunctionem sive commixtionem maris & foeminæ, nisi quod cum bruta animantia per vagum, ut ita dicam coeundi modum, genus suum propagent; homo, rationis particeps, per justum matrimonium & solennes nuptias: quas describit Imperator Justinianus, viri & mulieris conjunctionem, individuum vitæ consuetudinem continentem, se suamque speciem conservantem atque propagantem.

Quamobrem præceperat quoque Jehova, ut perpetuo adhæresceret vir uxori suæ, ob arctissimam illam

Rerum animatarum propagatio quomodo se habeat.

Propagatio hominis per.

justum
matri-
monium.

conjunctionem quæ viro intercedit cum uxore, tum etiam honestatem, & ordinem, quem ratio præcipit in omni vitæ parte observandum; oportet enim hominem rationis participem, juxta ejus dictamen, quidquid agit, vel agendum animum induxit, perficere, & in actum deducere. Nihil autem magis repugnaret rectæ rationis dictamini, & ordini, quem in societate humana servare decet, quam confusio prolium, quæ ex ejusmodi vago & incerto concubitu proficisceretur. Quamobrem voluit Deus, qui est Deus ordinis, ut inter duos, marem & foeminam, conjugium subsisteret, donec mors illud arctissimum vinculum dissolveret; & hoc modo humanum genus propagaretur. Eumque in finem cum Adamus jam primo loco creatus, solus erat, & proinde juxta Dei benedictionem crescere nec multiplicari humanum genus posset, adjutorium sibi simile fecisse Deum tradit Moses *cap. 2: 18*. Quippe solus si fuisset Adam, species humana brevi in eo interisset. Ad sobolis itaque procreationem, & proinde propagationem generis humani creavit Deus mulierem Evam, tradiditque, & in auxilium adjunxit viro cum ad liberorum procreationem, cum œconomiam, societatem dolorum laborumque levamen, & omnem matrimonii usum. Creata igitur mulier ex viri indigentia; si creata fuisset cum Adamo, non adeo forte ipsi chara fuisset; defectum vero hunc maxime didicit primus mortalium, cum omnia animalia juxta paria accederent ad ipsum, cum jam hanc indigentiam suam supplevisset Deus, tanta major ei debebatur gratia.

Quemad-

Quemadmodum autem Moses descripsit creationem Adami ex luto sive pulvere terræ factam : ita quoque describit creationem mulieris ex costa Adami, *Genes. 2: 21.* Atque tradit dominum Deum immis-^{Eva ex Adami costa facta.} se altum soporem , sive profundum somnum , seu *thardema* Hebraice , in Adam , & tulisse unam de costis ejus , & inclusisse carnem pro illa , ex qua formavit vel ædificavit Evam. LXX Interpp. vocem *thardema* ἔκασιν vertunt. Symmachus καρὸν, Aquila καταφορῶν habent, quæ duo vocabula gravissimum soporem denotant. Non naturalem, sed supernaturalem soporem præter ordinariam Dei operationem immisum Adamo nonnulli putant Interpretes, idemque indicare nomen *thardema* , quod significat profundum somnum , quasi lethargum , uti quidam hic statuunt , & proinde LXX Interpp. reddiderunt ἔκασιν, id est, raptum extra se. Adeo ut mens ejus non tantum naturali modo soluta & libera erat à corporis & sensuum actionibus; sed & divinitus ita elevabatur, ut videret ea quæ gerebantur , & spiritu prophetico cognosceret mysterium per ea significatum ; videretque mentis oculis costam sibi eximi , & ex ea Evam formari ; atque per hoc significari matrimonium tum suum naturale cum Eva , tum mysticum Christi cum Ecclesia, atque hoc intendere verba Adæ ꝑ. 23: *Genes. 2.* & Pauli ad *Ephes. 5: 32.* uti vult a Lapide. *Primus vates Adam, inquit Hieron, de Christo hoc prophetavit, quod scil. Christus reliquerit patrem suum Deum, & matrem suam cælestem Jerusalem, & venerit ad terras propter suum corpus (ecclesiam) & de suo oam latere fabricatus sit, & propter illam verbum*

bum caro factum est. Non placuit Deo, ut Adam curiosus esset spectator operis admirandi, sed potius operis peracti fidelis admirator. Adam omnia opera creata invenit in mundo, sed nullius creationem ipse vidit; tum etiam nudato latere ac ingenti vulnere aperto inamœno visu nimium offenderetur, cujusmodi adspectu forte tenerimus ille amor & propensa voluntas, qua uxorem prosequi & amplecti tanquam propriam carnem, ex qua ædificata erat, oportebat, frigescere & diminui potuisset. Quamobrem immisso somno à spectaculo isto, omnique doloris sensu Deus ipsum avertit, atque evigilanti Evam, tanquam amabilissimam sponsam, ante oculos stitit; quam esse carnem de carne sua in somno fortasse per ecstasin, divinitus admonitus pronuntiavit, ut inquit Francisc. Burmannus *Synops. lib. 1. cap. 92.*

Fabula
de primo
homine
androgyno.

Ex Adami itaque in altum soporem dimissi costa Deus formavit, sive ædificavit Evam: quamobrem *mulier dicitur esse ex viro*, 1 Cor. 11: 8. Et eodem sensu *ex uno sanguine humanum genus esse compositum*, Act. 17: 26. Notandum Hebraicum *עלל tzelah* uti *costam*, ita quoque *latus* significare; quamobrem Judæi inter se contendunt, & quidnam Adamo Deus sustulerit, *costam*, an vero alteram partem, quam *latus* vocare amant? Hinc enata, quam Platoni alias adscribunt, sententia, qui vult in Symposio, primum hominem duplicem & biformem, nempe Androgynum, à fronte marem, à tergo foeminam, fuisse conditum. Vid. Euseb. *præparat. Evang. lib. 12. cap. 12.* Et mirum cum hanc fabulam apud Platonem fortasse legissent Rabbini, hanc sententiam etiam suam fecisse, uti

uti Menasse Ben Israël *in Concil. super Genes. quæst. 8.* Quare R. Samuel B. Nachman, exponens hanc sententiam, dicit mulierem primitus conjunctim cum Adamo creatam, ac quasi pice adglutinatum scapulis ejus, ita ut à fronte Adamus, à tergo Eva esset. Simul itaque creati, ita ut in lateribus conjuncti essent, postea vero separati. Unde Plato *dict. loc.* ubi inquit, *partitione facta, jussit Apollinem (scil. Jupiter) cujusque vultum cervicisque dimidium in eam partem, qua sæctus erat, verteret, ut scissionem suam considerans, modestior fieret, & reliqua curaret.* Imo nec etiam è Christianis deesse nonnullos, qui portentosam hanc opinionem amplectuntur, annotarunt Viri eruditi contra S. Scripturæ auctoritatem, quæ Adamum in Edene solitarium memorat, atque ex illa solitudine occasionem mulieris creandæ sumptam dicit. Atque Evam non separatam ab Adamo, sed totam ex Adæ costa productam esse docet, cum scil. illam ab eo tulit, id est, separavit Deus; Ergo non conjunctim, nec simul creavit Deus masculum & fœminam, ut perperam colligere volunt ex eo, quod *cap. 1; Genes. habetur, masculum & fœminam creavit eos:* sed separatim, intervallo temporis intercedente, & quidem primo loco Adamum, deinde ex ejus costa mulierem. Quamobrem Paulus Apostolus *I Cor. 11: 8.* inquit, *Virum non esse è muliere, sed mulierem è viro.* Quod si Adam conditus biformis, æque statuendum virum productum ex muliere, quam hanc ex illo quasi enatam, vel potius neutrum ex altero productum. Quod si enim conjunctim uno eodemque temporis momento ambo producti sive crea-

Q 9 ti,

ti, non fuisset nova productio, sed diversi sexus, uno corpore constantis, separatio. Et quí tandem Adam prior diceretur conditus, deinde Eva, si eodem momento & temporis puncto Ἀνδρόγονος creatus esset? ut inquit Theod. Hacsplan *in not. in Genes. cap. 2.* ubi latius hanc quæstionem tractat.

Tzelah
vox non
latus, sed
costam
significat.

Tulit itaque Deus unam ex Adami costis, ex qua ædificata Eva; quippe vocem *tzelah* proprie *costam* significare, & non nisi metaphoricè pro *latere* accipi, annotarunt Viri ejus linguæ periti. Quamobrem rectius & verius nostri locum hunc exponunt, qui vocem *tzelah* pro *costa* accipiunt, quibus Maimonides & alii nonnulli veterum Hebræorum magistri adstipulantur, & quorum rationes videndæ apud statim laudatum Auctorem.

Costa, ex
qua crea-
ta Eva,
ex utro
latere de-
sumpta?

Solent Judæi & Scholastici indagare satis inutiliter, ex utro latere costa desumpta? tum etiam an ex veris an nothis costis fuerit? An fuerit necessaria an supervacanea? Nonnulli putant ex sinistro latere costam detractam, ubi cor, & vir & uxor essent *καρδία πατὴρ*: & cur non ex loco cordi proximo Deum eduxisse dicendum, ut inde perspiceret Adam, quam tenero amore uxorem ex se natam amplecti & prosequi teneretur. Licet autem Scriptura tantum dicat Evam ex viri costa formatam, tamen verum est, quod costæ caro adhæserit, & proinde cum dicatur iste locus, unde costa desumpta, carne repletus, subintellegitur talis caro, quæ costam circumcingebat, & sic novam carnem, & forte etiam costam, qualem de Adamo tulerat, de quo nobis non est anxie inquirendum, accepit. Quidquid sit, Anatomici etiamnum

in.

in utroque viri latere ostendunt duodenas costas.

Ergo videtur in Adamo una redundasse, ex qua Dempta
hac co-
sta, an
Adam
mutilus,
aut im-
perfe-
ctus? Eva formata. Unde argumentantur nonnulli, quasi imperfectus natus Adam; quod adversaretur doctrinæ Mosis, qui testatur omnia valde bona fuisse Dei opera, & proinde perfecta fuisse oportet, quibus nihil vel deesset quod adesse, nec adesset quod deesse deberet. Præterquam quod ab Ente summe perfecto nihil proficisci vel produci potuerit, quin ab omni parte perfectum esse debuerit. Unde etiam sapientes Judæorum omnia opera creationis perfecta creata esse adseverant, & proinde in Adamo superfluum fuisse. Verum, quid si dicamus, Adamum solum habuisse costas sibi necessarias cum produceretur, eo non tollitur omnis difficultas; quippe si necessarias saltem habuerit costas, post eam ablatam remansit mancus & sua costa mutilus; quæ altera objectio est. Sunt qui respondent, Deum pro hac costa Adamo cum carne aliam costam restituisse. Alii respondent, hanc costam fuisse instar seminis, quod individuo superfluum quidem est, sed ad propagationem prolis necessarium. Pari modo costa hæc Adæ, ut privatæ personæ superfluum erat, verum quatenus erat caput naturæ & totius generis humani, quod ex ejus lumbis originem traheret & multiplicaretur, & proinde seminarium omnium hominum, ex quo tam Eva, quam ceteri homines producerentur, eadem costa illi erat necessaria. Eva enim non poterat naturali propagandi modo, ut proles jam per semen produci. Solus enim adhuc Adam absque adjutorio sibi simili, absque socia cum qua congredi poterat. Quam ob rem statuit Deus ut ex costa Adæ ædificaretur. Qq 2 Sed

Eva, cur
ex costa
Adami,
& non
ex luto
facta.

Sed cur non ex pulvere terræ, aut ex nihilo mulierem condidit Deus? Quippe quemadmodum ex luto fluvialibus undis misto, ut canit Poeta, finxerat Adamum, ita quoque ex eadem materia formare Evam potuisset Omnipotens, quam ob rem aliqua debet subesse ratio, cur placuit summo rerum Opifici non ex pulvere terræ, sed costa viri formare mulierem; scil. ut non naturæ duntaxat similitudine, sed etiam cognationis affectu primi conjuges quam arctissime sibi mutuo devincirentur, & tenerrimo se invicem amore prosequerentur, idemque amoris effectus in omnes diffunderetur conjuges. Cujusmodi amor non ex naturali impetu provenit, sed etiam tanquam officium sibi mutuo præstandum conjugibus incumbit; idque distat ratio, voluntatem Dei in formanda muliere rimando. Quam ob rem Apostolus *Ephes. 5: 28. Debent viri uxores amare.* Non ex pulvere formavit, ne Adamo aliena esset. Non etiam fecit ex pede, ne sic eam ut imparerem, & se longe inferiorem dedignaretur & conculcaret. Nec ex capite, ne viro imperitaret, cui obsequium debebat tanquam familiæ capiti & principi, & etiam ob sexus præstantiam. *Sed e media corporis parte, ex latere ejus, ut mediocri dignatione apud virum haberetur, ut vitæ socia.* Unde Thomas, conveniens, inquit, fuit, mulierem formari de costa viri. *Primo quidem, ad significandum, quod inter virum ac mulierem debet esse socialis conjunctio. Neque mulier debet dominari in virum; & ideo non est formata de capite: neque debet a viro despici, tanquam serviliter subjecta; & ideo non est formata de pedibus.* Hinc apud Lombardum 4. dist. cap. 28. *Ego accipio,*

te in meam, non dominam, nec ancillam, sed conjugem.

Indagari quoque solet, an eodem loco quo creatus Adamus, etiam Eva producta sit? Quod negandum videtur: verosimile enim est, Evam conditam esse in Paradiso, favet enim hic historia & series Scripturæ. Adam non in Paradiso, sed extra creatus, videtur tamen non longo post intervallo a creatione sua translatus fuisse in Paradisum, & deinde ex ejus costâ Eva formata. Quamobrem Moses post migrationem Adami ex natali solo in hortum Eden, subnectit formationem Evæ ex Adami costâ. Exinde tamen non sequitur, Evam eodem cum viro die sexto formatam esse quo vir creatus. Maris ac foeminae creationem conjungit quidem Moses *Gen. 1: 27.* quasi in eundem incidisset diem, verum sunt inter eruditos, qui statuunt, rectius illud per anticipationem intelligi oportere, ut significetur, quod voluerit Deus, ut de homine suo tempore fieret, & qualis futurus esset, masculus nimir. & foemina. Quamobrem Evam intra sex creationis dies, sed post *ἔξήμερον* creatam esse statuunt, idque historię seriẽm, & processum in creatione foeminae observatum satis evincere putant. Vid. *Gen. 2: 8, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22.* Sunt nonnulli, qui tot magnifica & admiranda Dei opera dimetiuntur per horas, & quasi ipsi interfuissent, definire sapiunt horam, qua primus mortalium singulis animalibus sua nomina imposuit, qua hora creata Eva, qua hora lapsi, qua dicta promissio, & sic deinceps qua omnia peracta sunt. Verum nulla ratio subesse videtur, cur tam

augu-

An Eva
eodem,
quo A-
danius,
condita
loco?

augusta, & varia divina opera tam parvo tempore perfecta statuamus; primo creatus est homo, & postea in Paradisum introductus est; inter creationem vero hominis, & introductionem in Paradisum aliquod temporis intervallum intercessisse non ambigendum videtur: deinde omnia animalia ad ipsum adducit, hoc autem non magis unius diei opus videtur, quam cum interjecto tempore adducerentur ad Noachum. Verum ponamus, quod statim & brevi se coram eo constiterint, quod omnibus illis animalibus nomina indiderit, hoc longum videtur exegisse tempus; recenset enim vir doctissimus Borchartus trecenta esse animalium genera; tot igitur nomina ingerere debuit: quod non temere absque animi deliberatione patravit: verum antequam nomen imponeret, attendit serio ad actiones, naturam & genium animalium. Ex. gr. Camelum vocavit כַּמֶּלֶךְ, quod a כָּמַר *rependere*, quia Camelus est animal vindicativum, quod si quis ei mali quid intulerit, diu meminit, & tandem rependit. Hujus ergo & aliorum animalium naturam Adamus explorare debuit; ut ei conveniens nomen daret; & hoc quidem longo temporis intervallo, antequam cuique animali justum potuit tribuere nomen. Accedit jam, quod Deus soporem immiserit, creaverit foeminam, lapsi sint; quod impossibile videtur concipere unius diei spatio factum esse.

Institutio
Conjugii.

Mulierem ædificatam adduxit Deus ad Adamum, ut eam quasi e manu hujus universi Conditoris & Creatoris sui in conjugem acciperet. Finis enim conditæ mulieris fuit, ut honeste, decore; & re-
ctæ

Etæ rationi, cujus præ cæteris animalibus homo particeps est, conveniens, hoc par hominum, humanum genus propagaret: unde à Deo sic à mundi primordio conjugium institutum, subsistens inter marem & fœminam, unde conjunctio maris & fœminæ & consortium omnis vitæ, describitur. Adducendo itaque Deus eam ad Adamum dedit ei in conjugem, & Adamus eam quasi è manu Dei accipiendo testatur consensum suum & approbationem divini ordinis. Adduxit Deus, & in conjugem dedit, ut summum imperium & eminens dominium Jehovæ in hoc universum & omnes creaturas agnosceret primus mortalium, ne suo jure vindicaret mulierem, quasi ex ossibus & carne & ita re sua factam, sed tanquam Dei donum acciperet. Quamobrem non rapuit mulierem, sed accepit à Deo adductam. Adduxit Deus mulierem, ne absque ordine, & quadam solennitate matrimonium celebraretur, ut conjugii auctorem se Jehova, & ordinis Deum esse testaretur. Quamobrem nec accurrit Eva ad Adamum, sed exspectavit donec à Deo adduceretur, atque ita utriusque consensu interveniente, sibi mutuo indissolubili matrimonii vinculo devinciuntur. Consensus enim, non concubitus, nuptias facit, juxta illud Jctorum axioma.

Gratulatur itaque sibi Adamus de Creatoris sui erga se benevolentia, qui sibi comparem adduxerat uxorem; quam summa animi voluptate in uxorem, sociam, & adjutorium adsumit, atque propensam suam erga sponsam voluntatem, & tenerimum amorem, quo eam amplectebatur, testificatur,

tur, cum inquit : *Hæc nunc est os ex ossibus meis ; & caro de carne mea. Hæc vocabitur vira vel virago, quoniam de viro sumpta est : quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ ; eruntque in carnem unam.* Videtur Adamus ad primum adspectum uxoris quasi in admirationem raptus, in hæc verba prorupisse. Quippe cum omnia in suo genere perfecta creata fuerint, non ambigendum, quin Eva & animi & corporis virtutibus ornatissima, forma ad invidiam eleganti fuerit producta, in quam Adamus oculos convertens, & summa admiratione intuens, exclamat, *Hæc nunc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea*, atque ita lætatur hanc sibi Deum in uxorem dedisse, cujus ad adspectum quasi totus in flammis abierat, & toto urebatur pectore. Quamobrem dum in semetipso experiretur, quam tenero & casto amore erga uxorem affectus erat, pro qua ne vitam quidem profundere, necessitate exigente, se recusaturum, ex amoris impetu, quo agitabatur animus, perspicuens, verbis testificatur, omnes affectus conjugum amorem superare, adeo ut nullus amor huic æquiparari possit. *Quamobrem relinquet, inquit, homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.*

Conjugii
vinculum
nun-
quam
dissol-
vendum.

Nec rationi repugnat hoc Adami effatum, propter arctissimam illam conjunctionem, qua sibi devinciuntur conjuges, ita ut in unum quasi corpus coalescant, & una fiant caro : nullum enim inter humanas necessitudines arctius vinculum quam illud, quo sibi conjuges devincti. Quamobrem nulla ratione dissolvi oportet, nisi morte interveniente.

Hoc

Hoc naturalis ratio docuit etiam Gentiles, uti exempla, quæ ex profanis Scriptoribus peti possunt, confirmant. Unde Theogenam uxorem Agathoclis Regis Siciliæ, recusantem se divelli ab ægro marito, dixisse ferunt: *Nubendo se non prosperæ tantum, sed omnis fortunæ societatem iniisse, nec invitam sui spiritus periculo emturam, ut extremos vitæ spiritus exciperet.* Hinc apud Propertium *lib. 2. cap. 15.*

*Atque utinam hærentes sic nos vincire catena
Vellet, ut nunquam solveret una dies.*

*Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ
Masculus & tutum fœmina conjugium.*

Et Deucalion, apud Ovidium 1 *Metam.* ita affatur Pyrrham uxorem:

*Namque ego (crede mihi) si te modo pontus haberet,
Te sequerer, conjux, & me quoque pontus haberet.*

Quo tenerrimum amorem suum erga conjugem testatur. Si tu, inquit, in mare decidisses ac undis fuisses submersa: Ego quoque, cujus in te amor summus est, in mare me præcipitem dedissem.

Et, quamvis inter patrem & filium sit maxima conjunctio, adeo ut filius non solum portio corporis paterni censeatur, sed eadem cum patre persona, uti Jcti argumentantur ex §. *si quis alii vers. vero inst. de inutil. stipul. l. ult. C. de impub. & alius subst.* tamen præ uxore jubemur relinquere parentes; verum eo non minus quemque oportet æstimare parentes, quippe quoad honorem plus debemus iis quam uxori & liberis; quoad amorem vero plus debet quis uxori & liberis, ac ipsis parentibus. Itaque hanc matrimonii legem interpretari debemus,

Rr

ne

ne rationis dictamini repugnet: deferere, exigente necessitate, tenetur patrem & matrem conjux conjugis causa, sed ita ne simul deserat pietatis, honoris & reverentiæ officia, quæ parentibus præstanda dictat ratio: utpote quæ ex jure perpetuo, id est, naturali sive morali profluunt, & proinde, quamdiu morte non dissolutum illud inter parentes & liberos ex jure generationis profluens, conjunctionis vinculum, liberi devincti manent parentibus præstare debita naturæ officia: nulla enim conditionis vel status mutatio hac necessitate liberos solvere potest. Quinimo pari casu famis vel alterius necessitatis, potius patri & matri, quasi auctoribus, quam conjugi esse subveniendum docet Thom. *p. 2. q. 26.* Cujus opinioni non subscriberem, propterea quod nullum arctius vel amoris vel necessitudinis vinculum excogitari vel fingi possit, atque illud quod conjugum cum conjugum intercedit, adeo ut una fiant caro, in unum quasi corpus coalescant, & pro una eademque persona habeantur: quemadmodum itaque amor bene ordinatus, id est, conveniens rationis dictamini debeat incipere a se ipso, ita quoque conservatio sui ipsius præferenda conservationi proximi, in quocunque gradu mihi vel consanguinitatis vel affinitatis devinctus sit: dictat quidem lex naturæ, uti quoque divina moralis, quam legem naturæ voco, proximum diligendum ut se ipsum, verum non præ se ipso; & quemadmodum natura quemque sibi maxime commendat, ita quoque dictat in præstandis officiis, quæ lex naturæ sive moralis præstanda dictat, commendat, ut prius nobis

bis consulamus, deinde aliis, ut hoc latius disputamus in nostris *Commentariis in Hug. Grotium de Jur. Bell. & Pac.* Quo autem arctius vinculum conjunctionis, eo quoque major obligatio, qua devincimur, præstare ea naturæ officia, quæ societas, amor, & conjunctio, quæ homini cum homine intercedit, præstanda dicitur naturalis ratio. Uti sunt gradus conjunctionis, ita quoque sunt gradus obligationis & necessitatis, qua tenemur dictamen rationis in actum deducere, juxta conjunctionis mensuram & gradum accrescit vel diminuitur præstandorum officiorum necessitas & obligatio.

Prima eaque arctissima conjunctio est in conjugio, & amori conjugali nullus amor æquiparandus, adeo ut dicantur sibi conjuges conglutinari, ut una quasi caro fiant, una eademque persona. Quamobrem eodem amore quo vir erga semetipsum affectus, eodem quoque uxorem complecti debet, cum qua arctissimo amoris & societatis vinculo conjunctus est, & versa vice; & proinde illa adhæsiō imponit marito necessitatem, qua tenetur maritus tenerrimo amore, id est, amore conjugali uxorem tanquam os & carnem suam complecti, fovere, & nutrire, ut habet Apostolus *ad Ephes. Epist. 5.* Si una caro, una eademque persona uxor & maritus, eadem, quæ sibi debet, etiam præstanda conjugii officia; & proinde quemadmodum quisque sibi proximus, ita quoque primo loco sibi debet consulere, & suæ conservationi inservire; atqui conjuges una eademque caro & persona: ergo si contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum officii,

ficii, principes sunt conjuges, deinde parentes, liberi, totaque domus.

In præ-
statis
vitæ ne-
cessariis
uxor
præfe-
renda
paren-
tibus.

Quamobrem in pari casu famis, contra Thomam, statuerem, necessaria vitæ præsidia præstanda primo loco conjugii, deinde parentibus; quia arctissima illa conjunctio, & societas, cui nulla comparanda, etiam in officiis præstandis & impertiendis, ut ordine præcedant conjuges alii, deinde propinqui secundum consanguinitatis gradum nobis conjuncti, dicitur ratio. *Optime*, inquit Cicero 1 *Off. societas hominum conjunctioque servabitur, si ut quisque erit conjunctissimus, ita in eum benignitatis plurimum conferatur.* Atqui nulla arctior societas atque conjunctio, ita etiam rationi convenit, ut in se invicem præ aliis plurima benignitatis & amoris officia conferant. Hinc individuum conjugale vinculum, quod cuique conjugum tueri debet, non secus atque propriam vitam corpusque; quamobrem sibi invicem præstare primo loco ea officia, quæ ad conservandam hanc conjunctionem & consuetudinem pertinent. Adhærere enim debet uxori suæ, donec mors illam solverit, & proinde omnem quisque conjugum operam conferre debet & præstare, quæ utriusque conservationi tuendæ plurimum inservire posse judicant. Relinquere itaque oportet homo patrem & matrem, & adhærere uxori suæ, omni in casu; quemadmodum individua societas, & individuum vitæ consortium conjugium exigit; ita quoque individuum amoris conjugalis præstationem nulla temporis necessitas, nullus casus hoc officium tollit, ita ut quæ conjux conjugii debet officia, ex necessitate morali pro-

provenit, & proinde individua obligatione, scil. quod nullus possit casus incidere, quo conjux illa officia, quæ conjugi suo debet, potius alii, quam illi præstanda diceret ratio. Quemadmodum causa obligationis semper eadem & perpetua, ita quoque necessitas, quæ obligationem illam naturalem præstandam dicit, nullam admittit dispensationem, nullam mutationem, vel temporis, vel personæ, vel conditionis; individua illa obligatio, unas easdemque personas sibi mutuo ad unam eandemque præstationem, eodem casu, tempore, loco, necessitate exigente, obligans; eadem enim causa eundem producit effectum. Quamdiu ita subsistit conjugium, utrique conjugi incumbit necessitas, qua devinciuntur sibi invicem, præstare officia, quæ vi arctissimæ hujus conjunctionis & amoris conjugalis cuique debentur. Officia enim sunt ea, quæ fiunt, ut decet & convenit, quæ dictamini rationis consentanea sunt. Quemadmodum itaque perpetuo maritus adhærere debet uxori, & vice versa; ita quoque illa adhærendi necessitas conjuges obligat sibi mutuo præ aliis cujuscunque generis officia præstare, & proinde nunquam ejusmodi casus incidere potest, quo facultatem haberet maritus alii præstare officium, cujus præstationem uxor quoque posset exigere tanquam arctiori conjunctionis vinculo ipsi devincta, uti in casu supr. allegato. Quin adhæresceret magis patri quam uxori; dum enim in pari casu famis patri vel matri potius subvenire voluerit, quam uxori, derelinquere uxorem videtur, & parentibus adhærescere. Quippe verbum adhærere non simpliciter significat domum pa-

rentum relinquere, & domesticam consuetudinem cum patre & matre intermittere, sed amore conjugali eam complecti tanquam os & carnem suam, & proinde magis diligere quam liberos & parentes amare decet.

Verba,
vir ad-
hærebit
uxori
sua, &c.
utrum
Mosis
sint, an
vero A-
dami?

Inquirunt Viri docti, an hæc sint verba Mosis? Quidam hæc accipiunt ut verba Mosis, ex doctoris officio inserentis legem de indissolubili conjugii vinculo. Facundissimus Theologus Calvinus vult, hæc verba non Mosis esse, sed Adæ, vel potius Dei, qui Adæ verba confirmat, ex iisque matrimonii legem elicit, eamque decreto suo sancit. Deo enim hæc verba tribuit Christus *Matth.* 19: 5. Potius itaque videtur continuatio sermonis Adami, qui declaravit idem spectare ad alios viros & uxores, illosque invicem sibi, ut carni uni, conjunctos debere manere, donec mors arctissimum hoc conjugii vinculum solverit. Christus vero hæc verba tribuit Deo, quia Deus per Adamum protulit. Adam spiritu prophetico afflatus ductusque, legem perpetuam futuris sancit conjugibus. Nec est simplex prophetia de eo, quod futurum sit: sed & lex de eo, quod Deus fieri velit, uti patet ex verbis, *relinquet, adhærebit, erunt*; quæ non futura duntaxat sunt, sed præceptiva, & mandatum Dei includunt. Ratio autem legis in eo consistit, quia uxor sumpta est de carne & ossibus viri, idcirco vir ei potius quam parentibus adhærebit, idque perpetuo & indissolubiliter, uti caro & ossa cum homine indissolubiliter unita & conjuncta manent, donec vita cum morte commutata redeat in pulverem,

rem, & corpus hac ratione ejusque membra dissolvantur. Una enim caro sunt, caro autem lacerari non debet. Quamobrem quod Deus conjungit, homo non separet. Lex Dei non subest dispositioni hominis. Itaque legis hujus vinculum conjugii ratum manere debet, & indissolubile, usque ad extremum vitæ halitum, atque maritum obligat, ut uxori sibi divinitus datæ in matrimonium adhæreat, potius quam omnibus rebus charissimis, etiam parentibus, quibus alioquin charius esse nihil debet. Parentalis ordo hic cedit conjugali, ita ut vir citius parentes, quam uxorem derelinquendam dicat ratio. Hoc lex conjugii, & societas, ac amor conjugalis exigit, idque conveniens rationis dictamini, & adhæsiō, quippe illa perpetua & indissolubilis, id ipsum postulat.

Dum autem hæc verba protulit Adam, vix credo eo animo enunciaſſe, ut legem figeret, vel promulgaret tanquam legem connubialem a Deo sibi revelatam, qua talis. Quamvis enim vim legis habeat hoc Adami effatum, quod per Adamum dixit summus Legislator Jehovah, dicendum tamen mihi videtur eo animo hæc verba non fuisse ab Adamo prolata, ut vim legis haberent, sumpta legis voce eo sensu, quo significat regulam actionum moralium obligantem ad id quod rectum & justum atque honestum est, cujus partes sunt, jubere, vetare, & permittere; & proinde subjectum, sive objectum, circa quod versatur, bonum & malum, justum atque injustum. Quamobrem Chryſippus, Stoicæ disciplinæ princeps, legem definit *Præſidentem*

Adami hæc verba, an vim legis habeant?

dem bonis atque malis ; principem atque ducem ; & secundum hoc justorum & injustorum præceptricem faciendorum & prohibetricem non faciendorum. Ejusmodi ideam legis non habuisse mihi videtur primus mortalium ; quoniam non habuit in statu integritatis sive innocentiae ideam boni & mali , quatenus ex oppositione utriusque natura cognoscitur & elucescit , ut suo loco latius , volente Deo , demonstrabimus. Sentiebat vetustissimus mortalium terrimum amorem erga uxorem , ita ut naturæ impetu ferebatur cum ea quam arctissime conjungi & in unam carnem coalescere. Et cum naturam ducem sequens , semper ferebatur ad id , quod rectum & justum erat , omnia animi desideria bene disposita erant , ita ut nihil cuperet , quam quod integræ naturæ conveniens , & proinde quod justum & rectum erat , eundem semper amorem , eandem inclinationem & propensam erga uxorem voluntatem animo circumferebat , omnes animi motus huic conveniebant , itaque nihil suadebat ratio , nec naturæ impetus , quod animum ab hoc amore revocare , vel a conjuge abalienare poterat ; & proinde semetipsum ejusmodi amore & vehementi naturæ impetu erga uxorem adfectum sentiens , nihil sibi optabilius testatur , quam cum ea conjungi , & in unum quasi corpus coalescere , non pro tempore , sed in perpetuum. Unde prorumpit in hæc verba , *Relinquet homo patrem & matrem , & adhærebit uxori suæ.* Hoc desiderabat , hoc optabat , eo collimabat votum suum , & omnes idem velle conjuges , quia ejusdem naturæ participes ;

pes, animo præſagiebat. Hæc igitur verba non protulit ſenſu imperativo, ut ita dicam, ſed indicativo, ut amorem erga uxorem indicaret, & votum ſuum ac animi deſiderium, tum & quid in animum induxerat, explicaret; ſcil. patrem & matrem ſe potius relicturum, quam uxorem, cujus perpetua conſuetudine, & omnis vitæ conſortio ſe fruitorum vehementer optabat, nihil ſibi fore optabilius, quam ei adhæreſcere uſque ad extremum vitæ halitum teſtificabatur. Non inficior tamen ſenſu quoque imperativo, & proinde vim legis habente hæc verba concipi poſſe: verum eo ſenſu ab Adamo prolata negamus. Quippe multa Deum per Prophetas prædixiſſe, quorum ſenſum & veritatem ipſi haud intellexerint, ambigendum mihi non videtur. Ita quidem protulit Adam verba legis vim habentia & futuris conjugibus pro lege obſervanda; ipſe vero vitæ integer ſclerisque purus eo ſenſu eadem non pronuntiavit.

Si autem hanc Adami orationem ut legem velimus interpretari, uti revera per ſe lex eſt, dicto ſenſu tria continebit. I. Ut vir adhæreat uxori præ omnibus rebus quæ in mundo, *Matth. 19: 5. προσκολληθήσεται, adglutinabitur*; quaſi tabulæ conglutinatæ indiffolubiliter cohærebunt. II. Ut conjugium ſit unius viri & unius ſœminæ. III. Ut vinculum conjugii ratum maneat & indiffolubile, & quidem inter duos tantum. Unde *erunt in carnem unam*. Caro autem una, uti paulo ante diximus, lacerari non debet. Quemadmodum autem Deus voluit, ut genus humanum propagaretur; ita etiam voluit, ut

Ss certo

Finis
verborum
Adami.

certo propagaretur modo, id est, ut ordo sanctitati Dei conveniens observaretur: adeoque non per incertum & vagum concubitum, sed justum matrimonium propagari voluit; unde primum hujus præcepti membrum interpretari oportet de ineundo conjugio, de cohabitatione, & copula carnali; damnat vero truculentiam & perfidiam conjugum, & imprimis adulterium; quoniam adulter non adhæret uxori, sed scorto, docente Apostolo 1 Cor. 6: 16. De his tribus capitibus singulatim disputare quædam animum induximus.

Primæ
legis con-
nubialis
caput
primum,
ut vir ad-
hæreat
uxori
præ om-
nibus
quæ sunt
in mun-
do.

Cum homo sit animal ratione præditum, cujus vi justum ab injusto, honestum ab inhonesto secer- nere valet, ipsique incumbat in totius vitæ cursu, quod honestum & decorum est, sequi, quod turpe est, fugere. Quippe rationis particeps est, ut juxta rationis dictamen vitam agat, & omnes, quæ ab ipso proficiuntur, actiones rectæ rationi sive juri naturali convenient & consentaneæ sint. Itaque ratio, qua præ cæteris animalibus præditus homo, eum obligat, ne quid agat, quod rationis dictamini repugnat, ne brutorum instar magis instinctum naturæ, quam rationis dictamen pro vivendi norma habeat; atque ita præstantiam generis sui, quæ potissimum in usu rationis consistit, obfuscare & obliterare videatur, dum naturæ impetum magis quam rationis usum, qui multum differunt, & in diversum tendunt, pro vivendi regula & norma amplectitur. Alterum enim cum Diis, alterum cum brutis nobis commune est. Quo major itaque nostrarum actionum cum rectæ rationis dictamine est
discon-

disconvenientia, eo magis nosmet brutis animantibus reddimus similes; quo magis autem in omnibus actionibus elucescit rationis lumen, & ad normam & regulam, id est, dictamen rectæ rationis, qua à brutis potissimum distinguimur, compositæ sunt, eique respondent, eo majora damus documenta, qua sumus origine nati. Quoniam vero nihil rationi convenit, nisi quod rectum, justum, honestum & decorum est, facile patet, si rationi obtemperare, & juxta ejus dictamen vivere velimus, summa ope annitendum cuique nostrum incumbere, ne quid suspiciamus, vel agamus, vel eloquamur, quod indecorum, injustum, & honestati contrarium sit. Necessitas enim, qua adstringimur ad rationis dictamen vitæ instituendæ & agendæ modum componere, nos quoque devincit, ut in totius vitæ cursu ratio naturalis, qua præditi sumus, nobis sit regula & norma agendorum, obligans ad id, quod rectum, decorum, & honestum est, & vetans quod ab eo recedit.

Ex hisce præmissis perspicimus, propagationem per vagum concubitus è diametro repugnare juri naturali. Concubitus vagus illiciti. Quia institutioni divinæ repugnat, & omnem ordinem, quem in societate humana, tum etiam civili, & singulis familiis, observandum dictat ratio, evertit. Præterquam quod vagus iste concubitus nullum alium finem habere videatur, præter obscænam titillationem, cujusmodi libidines juri naturali haud congruunt. Quamobrem quo acriores sunt stimuli, quibus in Venerem sollicitantur homines; eo magis, legi naturali curæ est, ne per istos decorus ordo, qui agendorum & vitæ instituendæ norma ac regula mortalibus

talibus esse debet, ne quid detrimenti capiat societas humana, turbetur; proinde pronam in Venerem hominis naturam legibus quibusdam adligavit Omnipotens, & circumscripsit, ut per regularem sexus commixtionem non voluptatis duntaxat, sed etiam iusto & legitimo modo sobolis propagandæ causa, ideoque non ex impetu naturæ, sed etiam duce ratione mortale genus propagaretur. Huc referenda lex connubialis, quæ à prima origine mundi lata. Cui natura duce obtemperavit mortalium primus Adam, dum in uxorem sibi adsumsit Evam, eique perpetuo & ad mortem usque se adhærescere velle testatur; ut per regularem sexus commixtionem posteris daret exemplum, quo modo mortale genus propagandum, id est, per maris & fœminæ conjunctionem, & quidem ejusmodi conjunctionem, quæ continet individuum vitæ consuetudinem & totius vitæ consortium; qualem conjunctionem matrimonium sive conjugium definiunt Jcti, quod in unitate sive conjunctione non corporum duntaxat, sed etiam animorum consistit; nec dissolvi debet, nisi morte, quæ solvit omnia. Individuum esse hoc conjugale vinculum, rationis dictamen docuit Gentiles; quamobrem Horatius i *Carm.*

13.

Felices ter & amplius

Quos irrupta tenet copula, nec malis

Divulsis querimoniis

Suprema citius solvet amor die.

Gentium
quarum-
dam de-
pravati
mores.

Fateor, apud quasdam Gentes promiscuam libidinem & vagos concubitus, matrimonium vero haud in usu fuisse. Tradit Diodorus Siculus & Plinius, Troglodytas,

glodytas, Nomades, Garamantas, & in Æthiopia Ichthyophagos, Holophagos, atque Spermatophagos ^{circa} ^{conju-} ^{gum-} fœminis promiscue uti. De Atheniensibus quoque testatur Athenæus, iis ante Cecropem nullas certas nuptias, sed vagos tantum concubitus fuisse. Ex quo concubitu si quam prolem susceperat, eam offerebat, cui placeret ex illis, qui cum ipsa consueverant. Quam barbariem Cecrops deinde abrogavit, unde dictus biformis, dictis legibus connubialibus; quod cum antea nemo nisi matrem, quæ semper certa est, suam nosset, jam & patrem allegare posset; vel quod matrimonii vinculo duos velut in unum corpus coalescere fecisset; unde Athenæus *lib. 13. cap. 1. Cecrops Athenis unam uni conjunxit in matrimonium, cum turpes prius fierent congressus, minusque honestæ communes nuptiæ. Quamobrem visus est nonnullis ancipitis naturæ (διφύης)*. Hujus generis & Platoniam uxorum communionem fuisse censeo. Sic & Garamantici & Æthiopes, uti statim annotavimus, matrimonia privatim nesciunt, sed omnibus vulgo in Venerem ruere licet, teste Solino *cap. 30.* Unde est, quod filii matres tantum agnoscant, paterni nominis nulla sit reverentia. Et idem de incolis Thyles testatur, quod fœminis utantur vulgo, certum matrimonium nulli. Et de Hebridarum incolis traditur, nullam ibi propriam dari fœminam, sed per vicissitudines, in quamcumque commotus fuerit, usurariam sumit. Verum si quid juris naturalis vel gentium esse probare velimus, non oportet quarundam Gentium depravatos mores spectare, & tanquam testimonium adducere, sed quid apud omnes, vel plerasque saltem mo-

ratiores observatur, & duce recta ratione usus introduxit. Quod quasdam Gentes hic sua ratio deseruerit, nihil sanæ & rectæ rationis dictamini præjudicat. Jus enim naturæ sive Gentium non prave sentientium moribus metimur; neque inde humanæ naturæ convitium faciendum. Quippe, uti inquit Aristoteles 1 *Polit. cap. 5. quid naturale, in his quæ bene secundum naturam se habent, non in depravatis spectari oportet.* Optime Gregorius Nazianzenus *Orat. 3. de se ipso. Num terra, inquit, vertigine correptis stare videtur, aut temulentis sobrii esse videntur, qui sobrii sunt, ac non potius in caput incedere, vel circumagitari? An non mel amarum esse quidam putant interdum homines morbo laborantes, & adfecti male. Non tamen idcirco sic ipsæ res comparatæ sunt, ut adfectis hoc modo videntur.* Sic etiam quarundum gentium depravati mores, legi tamen naturæ sua manet vis, quam obliterare licet quidam velint, vel negligere ei fatis robur suum asserunt, qui præcepta sequuntur & tuentur.

Concubitus vagi à moratioribus Gentibus damnati.

Quamobrem Gentes pleræque, saltem moratioribus, duce ratione vagos ejusmodi concubitus damnarunt, tanquam ordini illo, qui in sobole propaganda observari debet, dictante ratione, plane contrarios: tum etiam charitatem, qua se invicem amplecti debent qui in mutuos amplexus ruunt, omnino tollunt. *Quomodo, inquit Lactantius, servari potest charitas, ubi nihil certum est quod ametur.* Quamobrem Vir Amplif. Lambertus Velthufius statuit nobiscum, *in tract. de Conjug. Seminasse in natura Deum principia legum matrimonii: ita ut homines, qui se recte introspicere & per-*

& pertractare velint, neque illa legum primordia extinxerint, sua sponte judicent de natura matrimonii, ejusque legibus. Tum dicat iis ratio, scortationem sive copulam aut concubitum, qui non importat vinculum conjugale, esse vitium aut peccatum, & inconcessos amores esse, qui corpora coëuntium non faciunt unum, nisi ad tempus. Testatur Tacitus de mor. Germ. cap. 19. Sic unum accipere maritum, quomodo unum corpus, unam vitam: ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed matrimonium ament. Quemadmodum autem vagus concubitus maxime repugnat institutioni conjugii, quæ propagandæ sobolis unica atque legitima ratio, ita quoque non minus ei adversatur adulterium; utpote quod tenerrimi & perpetui amoris vinculum dissolvit, individuanam vitæ consuetudinem interrumpit, arctissimam illam, non corporum duntaxat coalitionem, conjunctionem & adhæSIONem & copulationem, illam animorum concordiam, quasi dissecat, & à se invicem alienat. Ut taceam de fidei teterrima violatione; verum cum illa copula, quam fides interposita produxit, magis ex solennitate, qua interjecto tempore celebrari nuptiæ cœperunt inter Gentes, quam ex sensu legis nostræ proficiscatur; (quippe, quamvis dicat naturalis ratio fidem datam servandam, non dicat tamen, neque ex natura matrimonii profluit, vel tanquam essentialia ejus requisitum institutio conjugii postulat, ut ejusmodi solennis fidei datio vel mutua interpositio intercedat) ejusmodi violatio fidei allegari nequit, quasi legis ratio, cur adulterium damnaret, neque etiam interposita ejusmodi fides

matri-

matrimonii vinculum, vel conjunctionem, vel copulam conjugalem arctiorem reddit, quam lex nostra, quæ jubet, ut homo relinquat patrem & matrem, & adhærescat uxori suæ, atque ambo coalescant in unum corpus, unaque caro fiant.

Crimen
adulterii.

Nobis non est animus adulterii hic tractare crimen, quod alibi fecimus, verum ut paucis demonstramus ex legis hujus interpretatione & verborum sensu, adulterium damnari. Quod patet, uti diximus, ex verborum sensu, illa enim verba *adhærebit uxori suæ & erunt in unam carnem*, necessitatem & obligationem imponunt conjugibus, qua tenentur patrem & matrem relinquere, & sibi invicem perpetuo adhærere, id est, conjugali amore adeo se invicem amplecti & prosequi, ut nunquam se divelli patiantur, nec tertius quisquam ejusdem amoris fiat particeps: quippe cum una fiant caro, & in unum corpus coalescant, unum idemque amoris debet esse objectum, se mutuo amare debent, ut quis amare solet semetipsum, quia unam eandemque constituunt personam. Quamobrem masculum & fœminam unius אדם *adam*, seu *hominis* nomine Moses expressit *Gen. 1: 27*. Et ceu in unam carnem ejusdem naturæ consortem, cohærere declaravit.

Primæ
legis con-
nubialis
caput se-
cundum,
ut conju-
gium sit
unius vi-
ri, & u-
nius fœ-
minæ.

Ex matrimonii itaque natura & essentia resultat ejusmodi conjunctio & adhæsiō, & amor, qui individuus est, ut individua persona hominis, imo ut individuum τὸ unum. Caro hic est arctissima consuetudo & necessitudo, quæ nullam divisionem vel separationem admittit, quin concidat & matrimonium. Quod unum est natura sua, divisionem non recipit: Atqui
qui

qui matrimonio junguntur , una fiunt caro , in unum coalescunt corpus , una eadem proinde fiunt persona , sibi adeo adhærescere debent & corpore & animo , ut neuter conjugum alii adhærere possit , quin divellantur ; atque hac ratione matrimonii substantiali requisito sublato , concidere ipsum matrimonium quoque oportet. Quemadmodum ex diversarum partium unitate totum efficitur , quod per singularem numerum percipitur , ita illa arctissima conjugum conjunctio & necessitudo , quæ matrimonio contrahitur , ex duobus corporibus , atque etiam animis unum , id est , totum aliquod efficit , quod conjugium repræsentat , & sine qua unitate concipi nequit. Sublata itaque animorum & corporum unitate , tollitur & conjugium ; at posito conjugio , ponitur & unitas , vel totum aliquod , ex duobus compositum conjugii constituendi partibus necessariis. Unde sequitur , quemadmodum totum in partes divisum , ex quibus constat & compositum atque coalitum , non potest manere idem , quod fuit , sic etiam unitate illa corporum & animorum sublata , conjugium non potest dici conjugium ; quamobrem qui matrimonium vult celebrare atque inire , etiam tanquam necessarium consequens & substantiale ac essentiale requisitum conjugii censetur voluisse , ut adeo arcte copularetur & coagularet cum conjuge , ut nulla ratione ab ea divellatur. Quippe secuta divisione vel separatione corporum vel animorum , unitas concidit , & conjugii nomen evanescit. Hanc vero propter unitatem conjugium imponit necessitatem & obligationem

T t nem

nem conjugatis ut sibi invicem adhærescant, quamdiu status conjugii manet. Nulla quippe unitas sine adhæsione partium inter se, ex quibus componitur. Ex hisce facile perspicimus, legem hanc connubialem omnino vetare adulterium, dum exigit à conjugibus, ut sibi mutuo adhærescant, quasi una caro, & in unum quasi corpus coaliti essent. Jam vero adulter sive adultera non manet unum corpus cum conjugate, sed potius in tot partes dissipatur, quot habet scorta. *Adulter enim non adhæret uxori, sed scorto*, ut inquit Apostolus 1 Cor. 6: 16. vel adhæret utrique, & sic non manet unum corpus cum conjugate, nec perpetuo uxori adhæret, ac individuum cum ea habet consuetudinem. Huc pertinet illud Lactantii *lib. 6. inst. cap. 23. Lex ita duos in unum matrimonium, quod est unum corpus, pari jugo conjungit, ut adulter habeatur, qui compagem corporis in diversa distraxerit.*

Polygamiz species.

Ex ejusdem legis sensu & interpretatione colligimus, matrimonium tantum oportere contrahi inter virum & foeminam, non foeminas, & proinde vetari quoque, ne quis plures uxores sibi simul matrimonio copulet; verba enim illa, *adhærebit uxori suæ*, satis indicant, quod matrimonium debeat esse conjunctio unius viri & unius mulieris, juxta legem connubialem à Deo datam. Prohibetur itaque Polygamia, sive uxorum pluralitas atque multiplicatio, uti quoque vetitum eadem lege, ut una foemina nubat simul pluribus viris, ut de Sabæis testatur Strabo *lib. 16.* ubi inquit: *Quæ possident, omnibus consanguineis sunt communia, sed natu grandior*

dior dominus est. Una omnibus uxor est, qui prior ingreditur, posito ante januam baculo, cum ea congregitur; ea tamen cum grandiore pernoctat: quapropter omnes omnium sunt fratres. Adulterii supplicium est mors. Is autem adulter censetur, qui ex alio genere est.

Hæc autem Polygamix species non multum dif-
 fert à vago illo concubitu & Platonica uxorum com-
 munionem, de qua paulo ante disputavimus. Nul-
 lum enim hic juris vinculum, nulla cum certis per-
 sonis conjunctio. Quamobrem omnino vetitam, &
 naturali ac divino, tum necessario, tum jure posi-
 tivo censemus; ideoque nunquam fuisse licitam at-
 que permissam, merito statuendum. Quippe non
 duntaxat rationi repugnat, quæ dicitur in omnibus
 rebus & factis ordinem observandum; verum etiam
 evertit finem matrimonii, qui est propagatio & mul-
 tiplicatio generis humani; atqui seminis varietas
 maxime generationem & conceptionem impedit;
 proinde hæc Polygamix species tanquam fini pri-
 mario matrimonii contraria, vetita jure morali sive
 divino necessario. Tum etiam, quia tollit ordi-
 nem societatis humanæ, propterea quod cognationem,
 affinitatem, omniaque alia necessitudinis vo-
 cabula & gradus, juxta quos homines sibi invicem
 devincti præstare pietatis, & humanitatis officia,
 hac confusione abolentur: ipsa itaque reclamante
 natura perit hæc Polygamix species. Quamobrem
 eam tanquam omni jure prohibitam rejicimus ac im-
 probamus, nec de ea disputatio nostra futura; ve-
 rum sermonem habemus de ea Polygamix specie,
 T t 2 quæ

Polyga-
 mia, qua
 una scē-
 mina
 pluribus
 nubit vi-
 ris, pro-
 hibita.

quæ primo loco paulo ante à nobis descripta, scilicet cum plures foeminae uni jungantur viro, quæ propagationi & multiplicationi humani generis magis favere, quam nocere videtur: nec etiam ordini, quem in propagando observandum edixit summus Legislator Deus, intervertere videtur.

Non
item, si
plures
foeminas
ducat
vir.

Quippe ut matrimonium subsisteret tantum inter duos, marem & foeminam, est juris divini positivi, adeoque plures foeminae eodem matrimonii vinculo uni viro conglutinari, & quasi in unum corpus coalescere cum viro potuissent, si ita placuisset summo rerum Opifici. Uti plura membra uni corpori conglutinata, unum tamen totum quoddam efficiunt. Præterquam quod ex uxorum ejusmodi pluralitate non oritur prolium incertitudo, nec seminis confusio, unde sterilitas; quamobrem fini matrimonii regularis neququam repugnare videtur hæc Polygamia species; & proinde egregie falluntur, qui juri naturali eam vetitam statuunt, quasi summus rerum Opifex salva sanctitate sua vetustissimo mortalium, & sexus masculini principi Adamo, non potuisset plures in matrimonium jungere uxores, & propterea unam duntaxat ædificaverit foeminam, quæ ipsi esset adjutorium, cum ad propagandum mortale genus, tum etiam vitam tuendam. Quemadmodum enim à libera Dei pendebat voluntate rerum primordio tot ex terræ pulvere utriusque sexus formare homines, quot ipsi placuisset producere, ita quoque nulla moralis necessitas, quæ ex divina sanctitate proflebat, exigebat, ne plures, quam una foemina ad propagandam

dam sobolem viro adjungerentur. Verum uti modus propagandi per matrimonium sive legitimam conjunctionem viri & mulieris, ita quoque à mero Dei pendeat beneplacito, quot foeminae Adamo ad multiplicandum & propagandum genus humanum adjungerentur: certo enim foeminarum numero neququam erat alligata divina voluntas; quia salva sanctitate sua fonte juris moralis, quod immutabile est, hæc omnia determinare potuisset, nisi pro infinita sua sapientia aliter disponere circa conjugium ineundum voluisset summus rerum arbiter.

Ita prima illa lex connubialis circa matrimonium ineundum Adamo ejusque posteris lata, mere positiva est, quatenus eam statuimus Polygamiam prohibere, scilicet ejusmodi conjugium, quo plures uxores simul uni junguntur viro; & proinde nullam continere moralem necessitatem sive obligationem, quæ nec dispensationem admitteret, nec mutationem pateretur. Jus enim morale, sive quod vocamus jus divinum necessarium, quatenus opponitur juri divino voluntario & positivo, omnis mutationis expers est, quamobrem perpetuam & immutabilem obligationem parit; quia immediatè dimanat atque descendit ex natura & sanctitate divina, & quidem antecedenter ad omnem voluntatem, & proinde immutabile, uti omnis mutationis expers est causa & origo ac fons, unde profluit & dimanat. Ejusmodi enim mutatio involveret imperfectionem, cui obnoxium esse nequit Ens perfectissimum, uti alibi latius disputavimus. Atqui illam legem connubialem, quatenus Polygamiam, de qua disputamus,

Lex connubialis, Adamo lata, mere positiva.

T t 3 prohibet,

prohibet, aliquando mutationem passam fuisse constat, ergo dicendum, quoad illam prohibitionem, eam non continere moralem necessitatem sive obligationem immutabilem.

Hebræi's
plures u-
xores du-
cere licitum.

Ex sacris enim litteris perspicimus, placuisse summo Legislatore circa conjugii institutionem dispensare, dum ex veteris Testamenti tabulis patet, Hebræo populo fuisse permissum plures simul eodem tempore uxores habere. Dicendum igitur potius esse juris voluntarii, quod Deus propagari humanum genus voluerit per conjunctionem maris & unius fœminæ. Vide *Deuteronom.* 21: 15. & 17: 16, 17. Sic Samuel 12: 8. Deus Davidi tanquam propensæ suæ voluntatis testimonium & insigne beneficium imputat, quod ei plures uxores, & quidem illustres dederit. Et si fides habenda Seldeno, in eam Hebræi adducti erant opinionem, ut sibi persuaderent, permissum tot ducere uxores, quot vellent; modo quisque sat erat paratus ab iis rebus, quæ ad sustentanda matrimonii onera, & tuendam plurium fœminarum ac liberorum, quos ex iis suscepturus, vitam necessaria, & ad debitum conjugale præstandum vires sufficerent. Ad vitanda autem incommoda, quæ ex multitudine uxorum non raro provenire solent, istius populi sapientes monebant, ne quis quaternarium, excepto Rege, excederet. Qui contra faciebat imprudens, & quasi mentis non sat compos, & majorum institutis inobediens habebatur. Eandem vero licentiam circa uxorum pluralitatem Pontifici denegabant; verum non nisi unam eodem tempore habendam crede-

credebant ; & si priore dimissa aut mortua , alteram ducere non prohibebatur. Rex vero , quemadmodum dignitate eminentior , ita quoque ampliore habebat facultatem circa uxorum numerum multiplicandum ; interdictum tamen putabant Regi supra 18 ducere , ob præceptum *Deuteronom. 17: 17.* Quod si vero Hebræi alieno in territorio domicilium constituissent , ubi forte Monogamia tantum in usu esset , utique ab ipsis Hebræis non nisi unam ducendam volebant. Argumentum quod illam legem connubialem , quatenus connubium inter plures quam virum & uxorem , adeoque duas duntaxat personas contrahere vetat , nisi mere civilem & positivam existimabant , à qua & ipsi regressi , usu & consuetudine , in alieno tamen territorio necessum habebant obtemperare legibus connubialibus , quæ ibidem latæ atque fixæ , & mores ac consuetudines circa ineunda & contrahenda matrimonia istius regionis , quæ obtinent vim legis , sequi ; & proinde si Monogamia tantum ibidem esset in usu , nec ipsis nisi unam ducendam credebant : sicut in ditione Romana Judæis ibidem degentibus interdicta est Polygamia *l. 8. C. de Judæis & cælicolis.* Hebræi itaque in eam adducti erant opinionem , legem Hebræam ipsis concedere , ut binas vel plures simul uxores habere possent , vel saltem ita interpretabantur *Deuteronom. 17: 16, 17. & 21: 15. 2 Sam. 12: 8. & Chrysostomus ad 1 Cor. 11. August. de doctrina Christiana lib. 3. cap. 12. Unde Josephus Antiquit. 16. Mos nobis patrius eodem tempore plures habere uxores. Nec pluralitatem uxo-*

FUNE

rum prohibet jus Gentium, sive mores & usus; scil. jus illud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes, saltem moratiores, custoditur: inter Paganos enim paucæ gentes una uxore contentæ fuere, ut Germani & Romani. Unde Tacitus de antiquis Germanis, *prope soli barbarorum singulis uxoribus contenti sunt, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem plurimis nuptiis ambiuntur.* Ne quidem Græci, utut regulariter essent monogami. Rationis tamen dictamini sive juri naturali repugnare credebant uxorum pluralitatem. Quamobrem, exigente necessitate à ratione non existimabant alienum cuivis permittere plures eodem tempore habere uxores. Unde, teste Laërtio, apud Athenienses exstabat Plebiscitum, ut propter defectum virorum, & ut multitudo hominum gliscat, ducere liceat civem, liberos autem tollere etiam ex alia. Et ipsi quidem Romani, quamvis plerumque monogami, ut patet *l. 2. C. de incest. nupt. l. 18. C. ad L. Jul. de adult.* si fides habenda Suetonio, qui de Julio Cæsare refert, cum animum induxisse legem ferre, ut uxores liberorum quærendorum causa, quas & quot vellent, ducere liceret. Et testatur Socrates *Hist. Eccles. lib. 4. cap. 26.* Imperatorem Valentinum legem, quam Cæsar ferre voluisset, ipso facto tulisse, uxorum pluralitate circumscripta duarum numero; adeoque in omnibus civitatibus promulgasse legem, qua cuique permissum, *duas legitimas habere uxores.* Cur autem tot Gentes, quarum mores & vivendi norma cum dictamine rationis exactè
fatis

satis convenire solebant (unde quoque & earundem leges æquitate & ratione tanquam basi ac fundamento suo nitebantur, adeo ut & ad earum exemplar suas quoque aliæ moratiores Gentes componerent, quarum in numero Atheniensium leges) Polygamiam permisissent, nisi quod uxorum pluralitatem, sive hanc Polygamix speciem rationis dictamini non repugnare, verum fini matrimonii primario, scil. propagationi humani generis, magis favere, quam obesse perspicerent. Nec alia dari potest ratio, cur summus Legislator circa primam illam legem connubialem dispensavit, dum in Veteri Testamento permixtum fuit Patribus plures uxores uno eodemque tempore habere, non lasciviendi, sed piæ procreandæ sobolis gratia, scil. propter promissionem de multiplicatione feminis. Quemadmodum autem hæc ratio peculiaris est, ideo non debet trahi ad consequentias, quasi idem nobis quoque esset permixtum, vel circa primam conjugii institutionem summo magistratui aliter disponendi facultas competeret. Quamobrem omnes istos populos, qui uxorum pluralitatem concessere, & apud quos Polygamia fuit in usu, licet non tam legis naturalis, divinæ tamen legis positivæ transgressores pronuntiare non veremur. Cessante enim causa dispensationis, evanescit quoque & corrumpit ipsa dispensatio. Præterquam quod ea nec generalis, sed ob illam promissionem populo Hebræo factam peculiariter concessa. Quamobrem alias nationes ligat jus pristinum & divina voluntas circa conjugium in ipsa primæva ejus institutione, eique addita copulationis forma manifestata.

V v

Non

Polyga-
miz primæ-
væ exempla
nobis
non imi-
tanda.

Non me fugit summum Grotium *lib. 2. cap. 5. §. 9. de Jur. Bell. & Pac.* statuere primævam illam conjugii institutionem nobis quidem esse exemplar ad imitandum; verum non imponere necessitatem legalem, à qua recedere nefas esset, nisi Christi accederet novæ legis promulgatio. Hanc enim opinionem alibi refutavimus *nostris in Commentariis ad Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 1. cap. 2.* Nam Christus nos revocat ad primævam conjugii institutionem, tanquam voluntatis divinæ, de ordine & modo circa propagationem generis humani observando, declarationem & revelationem. Christus, qui juxta divinam naturam ipse hujus institutionis auctor, primæ legis connubialis lator, declarat sensum & rationem legis, *Matth. 19: 4.* Conveniebat Christi responsio interrogationi Phariseorum: iis enim interrogantibus, an licitum esset homini dimittere uxorem? respondet, legis opificem ab initio fecisse masculum & fœminam, ut una essent caro, sibi indissolubili conjuncti essent vinculo. A Christo tentabant intelligere Pharisei, num aliqua extaret lex divina, quæ prohiberet uxorem dimittere, adeoque Mosis doctrinæ contraria? Interrogatus autem de legis vetantis divortium promulgatione, respondet, existere: quippe eo ipse, quod summus rerum Opifex mundi primordio creavit marem & fœminam, ut essent una caro, atque arctissimo & quidem individuo vinculo sibi invicem conjuncti, prohibuisse, ne homo separaret quod Deus conjunxit. Cujusmodi prohibitio, habens vim legis, emanabat quasi ex ipsa hominis creatione, viri scil.

scil. atque mulieris. Præterquam quod illa verba , quæ elocutus Jehova , *ut homo patrem juxta & matrem derelinqueret , & adglutinaretur vel adhereret uxori suæ , essetque illud par hominum una caro ,* sanctionem legis continent , uti paulo ante disputavimus. Cui accedit , quod summus Legislator Jehovah certum generis humani propagandi modum constituerit , scil. per viri & mulieris conjunctionem ac copulationem , quamobrem etiam ipso facto certum definivit eorundem numerum , qui legitimo modo , scil. individuo matrimonii vinculo sibi conjuncti soboli procreandæ operam darent , & hac ratione sibi mutuo præstarent auxilium , & adjutorium esset alter alteri. Hisce itaque verbis , *Erunt duo in carne una* , ipsa conjugii natura ex primæva institutione explicatur. Concedimus quod loco statim citato Christus non videtur habere sermonem destinatò de hac Polygamiz specie , sed de repudio seu divortio. Commodè tamen Christi responsum ad illam trahi posse mihi videtur ; quoniam uni altera quæstio inest. Quippe si repudium vetitum , quia distrahit corporis compagem in diversa ; sic etiam qui plures sibi uxores conjungit vetante lege primæva connubiali , personarum auget numerum , quarum conjunctione perfici conjugium Deus voluit , quod illicitum jure divino positivo. Illa quippe adjunctio revera animorum & corporum distractio est , & quodammodo divortium : quia matrimonium , quod duobus , masculo & scemina , constare debet , pluribus communicatur , atque hac ratione fidem & debitum conjugale pluribus solvendo atque præstando , separatio inducitur , & unitas tum

corporum tum animorum dissolvitur : quod enim alteri præstatur, alteri aufertur; & quoties vir sese pluribus conjungit, toties divertit. Optime Vir doctissimus Lambertus Velthufius *tract. de conjug. & polygam.* Verum equidem est, locis citatis, Christum non destinatum tractare quæstionem de Polygamia, sed de repudio; mihi tamen videtur, per occasionem propositæ sibi quæstionis, ostendere, ex prima conjugii institutione obtinere debere, primum matrimonium esse indissolubile; nec conjuges ullis legibus, instituto, aut pactis à se invicem divelli aut separari posse, quam adulterio; hominem tamen contra illam legem indissolubilitatis matrimonii sese ab uxore ipso facto separare & divortium facere, eamque deserere, licet etiam momentaneè: (præstat quippe vir duabus vel pluribus, quod uni duntaxat debetur, & hac ratione dissolvit vinculum matrimonii) sibi secundam aut tertiam mulierem adjungendo, quia tunc non adhæret uxori suæ; docetque disertè Christus Luc. 16. illum, qui priori uxori secundam aut tertiam adjungit, committere adulterium: quia ipso facto se separat ab uxore, & secundæ agglutinatur. Secundum, inquit, argumentum est, quod vir debeat, juxta primum matrimonii institutum adhærere uxori suæ; & quod duo tantum debeant esse in unam carnem, manifesto posterioribus hisce verbis docens, vinculum matrimoniale subsistere non posse, quando maritus, priori uxore superstite, sibi aliam adsciscit, quia committit adulterium, & separat quod Deus conjunxit, nec paret primis matrimonii institutis, quæ jubent ut duo & non plures sint in carnem unam. Nec video, pergit, quomodo vi & significat-

Significationi verborum satisfiat, quando plures uxores junctæ uni viro, coalescunt cum viro in unam carnem: nam quamvis mulier nupta videatur fieri una caro cum viro, non fit tamen vir, qui plures duxit uxores, una caro cum mulieribus, quas duxit.

Eadem itaque lex utrumque ligat sexum; quia eadem ratio in viro quæ in muliere obtinet, idem ^{Utriusque sexus ligatio.} jus constituit. Sic & ipsa vox conjugii Græce συζυγίας binorum arctam conjunctionem, nec diffusam in plures consuetudinem & cohabitationem denotat, quam neutri conjugum dissolvere licitum. Huc pertinet muliercularum querimonia apud Plautum in *Mercat. Act. 4. Scen. 6.*

*Ecastor lege dura vivunt mulieres,
Multo iniquiore misera, quam viri;
Nam si vir scortum duxit, clam uxorem suam,
Id si rescivit uxor, impune est viro;
Uxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Utinam lex est eadem, quæ uxori est, viro,
Qui minus vir una uxore contentus fiet?*

Optime ergo Christiani observant primam conjugii legem, ut, scil. animus ab uxore in solidum marito datus, æquali retributione pensetur, rectius procedat sub una præside domesticum regimen; ne diversæ matres discordiam liberis inferant, uti differit summus Grotius *de veritat. relig. Christ. lib. 2. §. 13.* Quamobrem Euripides *Andromache*: *Nunquam geminos lætos laudabo mortalium, neque liberos, qui habent diversas matres, litem ædium & tristes dolores. Maritus in nuptiis mihi sit contentus*

uno lecto viri non communicato. Bene quoque Sallustius Jugurthino: *Apud eos, qui plures uxores habent, levis ista ducitur necessitudo, quod animus multitudine distractus nullam pro socia obtinet, omnes pariter viles sunt.* Et ut optime inquit Ammianus Marcellinus *de Persis lib. 23. Per libidines varias caritas dispersa torpescit.* Illud sane patet, inquit Pufendorfius *de Jur. Nat. & Gent. lib. 6. cap. I. §. 19.* optimum & maxime decorum simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse, unum una vivere contentum; adcoque hoc matrimonii genus sine dubio perfectissimum habendum; cujus leges non minus marito, quam uxori sanctissime observandæ.

- - - - - *Connubia mille:*

*Non illis generis nexus, non pignora curæ,
Sed numero languet pietas.*

uti canit Claudianus *bello Gildonico.* Vid. Isocrat. *Nicoch.*

Binas vel
plures uxores sibi
adjungere, nefas.

Concludimus itaque ex iis quæ de Polygamia disputavimus, illicitum prorsus esse omnibus nationibus, atque interdictum, binas vel plures uxores sibi eodemque tempore adjungere; tum etiam rationem docere, optimum & decorum maxime, & paci atque concordie accommodatissimum esse unâ vivere contentum, & proinde primam illam legem connubialem dignitati & præstantiæ humani generis maxime convenientem etiamnum hodie necessitatem imponere universo humano generi, qua tenetur ad ejus normam & dictamen matrimonium contrahere,

- - - - - *Non enim honestum est*

*Unum virum habere imperium duarum mulierum;
Sed*

Sed intuens in unam lecti sociam venerem

Est contentus, quicumque non vult male habitare.

Euripides *Andromache*.

Tertium primæ connubialis legis caput esse diximus, ut conjugii vinculum semel firmatum, maneat ratum & indissolubile, & proinde prohibet divortium; id mirum, quod extra causam scortationis & malitosæ desertionis fit. Est enim officium conjugum juxta legem primam connubialem, ut vir uxori suæ adhærescat, & uxor viro suo præsto sit, non ad certum tempus, quod ab alterius penderet arbitrio, sed usque ad extremum vitæ halitum.

Connubialis primæ legis caput tertium, vinculum indissolubile.

Quamobrem definitur matrimonium, *quod sit viri & mulieris conjunctio, inducens individuum vitæ consuetudinem, & totius sive omnis vitæ consortium.*

Matrimonii definitio.

Eapropter non jure civili, sed etiam morali & necessario divino vir & uxor tam arctissima sibi invicem copula devinciuntur, ut, casibus istis exceptis, neuter facultatem habeat, individuum hoc societatis vinculum dissolvere. Diximus jure morali sive divino necessario hanc necessitatem imponi conjugibus; quia decorum juxta & honestum est, tum etiam recto ordini, quem in totius vitæ cursu observandum dicit ratio, convenit, ut semel inter virum & uxorem contractum conjugium ratum maneat, & indissolubile sit; quamobrem jus morale sive divinum necessarium, quod rationis dictamini repugnare nequit, hoc obligationis vinculum parit. Deus enim est Deus ordinis, & fons omnis decori & honesti; quamobrem quod dicit ratio honestum & decorum, idem præcipit jus morale sive divinum necessarium tanquam agendorum regulam

regulam & normam observandum. Quod si autem ab hominis penderet libero arbitrio matrimonii vinculum dissolvere pro lubitu, quid inde sequeretur aliud, quam summa confusio, & impuræ libidinis vagus concubitus. Cum enim hominis natura ad quæcunque vitia admittenda prona, & maxime proclivis ad venerem, varietateque ejusdem delectari summopere soleat; non ambigendum, quin sæpius repudii causam excogitaret & inveniret maritus, si à libero ejus arbitrio penderet facultas ab uxore divertendi. Atque hac ratione naturæ stimulis agitated, in quamcunque commotus fuerit, brutorum instar, congressum ambiret, & pro tempore donec placuerit, cum ea conjunctus maneret. Quamdiu itaque appetitus cum ea congregiendi duraturus est, tam diu forte staret matrimonium.

An admittendum Divortium?

Fortè quis reponet, divortium absque justa causa non admitti, quæ plures esse, possunt: supposita autem justa repudii causa, ipsum divortium nec juri divino, nec naturali prohibitum videri. Verum nos hic potissimum sermonem habemus cum de sensu & ratione legis primæ connubialis, tum etiam de statu hominis naturali, in quo quisque sui juris nulli imperio obtemperare subjectus, suo quoque, non alieno, vivit arbitrio, pro lege & norma agendorum conscientia sive rationis dictamen habens, quod sæpius errare potest, non quidem per se, sed corrupto præjudiciiis judicio, falsas quandoque homines illationes ex pravo mentis discursu componunt, vel erroneam legis interpretationem excogitant, quæ in statu naturæ cuique competit. Quamobrem summus Legislator Jehova, ne
quis

quis sibi in statu primævo sive naturali, in quo mundi primordio homines vitam traducebant, ampliorē, quam fas erat, facultatem arrogaret circa divortium, quam rationis dictamen concedit, edixit, *Uxori perpetuo adhærescendum*, conveniens juri naturali sive morali, quia repugnat honestati & recto ordini ejusmodi repudium, quod ex libidine & impuro amore sæpius quam justa causa procederet. Quippe, quoties quis in propria causa judex, mens suam sæpe non facit officium, verum amore erga semetipsum obcæcatur; & propter male composita multorum hominum desideria, non quid honestum & rectum est, examinari solet, sed quod pravæ & corruptæ naturæ suæ stimulis convenit: amplectitur. Ideoque, licet meliora videat probetque, deteriora tamen sequitur, duce natura multis vitiis inquinata & flagitiis dedita. Unde apud plerosque sæpius leve ducitur, quod naturalis dictat ratio grave crimen esse & atrox facinus. Quemadmodum vero fidem fallere grave est in omnibus negotiis & contractibus, qui inter homines celebrantur, sic gravius est in contractu matrimonii, quo nullum arctius potest excogitari obligationis vinculum. Verendum erat ne opinionis errore seducti, vel pravæ naturæ stimulis agitati mortales in statu libertatis sive naturali quisque pro suo arbitrio & captu rationis dictamen sive naturalem legem connubialem interpretaretur, & uxorem pertæsus ab ea divertendi causas pro arbitrio suo excogitaret, atque hac ratione fidem, quæ marito intercedit cum uxore, quoties lubet, falleret, & pactum illud mutuum, quo

Xx

sibi

fibi devincti conjuges, illuderetur; quamobrem edixit summus Legislator, *Ut quis relinqueret patrem & matrem, & adheresceret uxori suæ, & in unam carnem coalescerent ambo.* Ea enim lege, eaque mente alter alteri corpus suum mancipat, ut caro unius sit caro alterius, & in unum corpus coalescant; quamobrem alter in alterius corpus idem jus acquirit, quod habet in proprium.

Conjuges
ex mu-
tuo pacto
sibi indif-
solubili
vinculo
devincti.

Hoc mutuum pactum tacite inest contractui matrimonii, hanc obligationem parit conjugium, ut sibi indissolubili vinculo devinciantur conjuges. Hoc sibi invicem tacite pollicentur contrahendo matrimonium; quia illud contrahunt juxta legem primam connubialem, cui renuntiare nequeunt, nec efficere, ne illa in hoc actu sive contractu locum habeat. Si solvi nequeat, necessum est, ut alter alteri perpetuo adherescat, & proinde omni alia conjunctione abstinere non duntaxat obligati ambo, cum maritus, tum uxor, verum etiam ne dissolvant conjugale vinculum, quod ex proposito & voto contrahentium non duntaxat perpetuum atque individuum est, sed etiam vi legis connubialis, quæ absque ulla limitatione conjuges sibi adherescere præcipit, & ne unitas distrahatur, fides fallatur, jus lædatur, quod alteri in alterius corpus quæsitum, divortium vetitum. Quippe, ut inquit Apostolus *1 ad Corinthios, Uxor proprii corporis jus non habet, sed maritus. Similiter & maritus proprii corporis jus non habet, sed uxor; ne fraudetis vos invicem,* &c. id est, ne fidem, quam secuti estis, violetis, qua alter alteri juxta matrimonii re-

quisita.

quisita & leges, sese perpetua consuetudine vitæ tradit.

Quamobrem nulli conjugum facultas, ut possit alteri cuiquam se conjugere, utpote quod pacto matrimoniali, quod corporum unitati & coalitioni, quod fidei datæ, quod Dei præcepto repugnaret: Nam ut inquit Lactantius, *Quis aut vir mulierem aut virum mulier diligit, nisi habitaverint semper una? nisi devota mens & servata invicem fides individuam fecerit charitatem.* His conveniunt quæ habet Augustinus lib. de bono conjugal. *Semel initum conjugium in civitate Dei nostri, ubi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo potest, nisi alicujus morte dissolvi. Manet enim vinculum nuptiarum: etiam si proles, cujus causa initum est, manifesta sterilitate non subsequatur, ita ut jam scientibus conjugibus non se filios habituros, separare se tamen vel ipsa causa filiorum atque aliis copulare non liceat. Quod si fecerint, cum eis, quibus se copulaverint, adulterium committunt, ipsi autem conjuges manent.*

Etiam ob sterilitatem conjugum manet indissolubile.

Neque hæc obligatio, quæ procedit ex conjugii primæva institutione, & matrimonii legibus nobis Christianorum sacris initiatis, innotescunt ex Sacra Scriptura, quæ Dei voluntatem & placita circa in eundem matrimonium revelat, sed & in ipsa naturali ratione fundata videtur; quamobrem in omnes fere gentes, saltem moratiores, hanc legem connubialem, qua prima conjugii institutio nititur, & unde formam suam recipit, vim suam diffudisse perspiciamus, uti erudite & diligenter de natura conjugii

Obligatio ex conjugii primæva institutione nobis naturali ratione innotescit.

jugii disputans Vir Ampliff. Lambertus Velthufius in tract. de conjug. statuit nobiscum. Cujus rationes licet alibi descripsimus, hic tamen repetere placeat. *Seminasse, inquit, in natura Deum principia legum matrimonii: ita ut homines, qui se recte introspicere & pertractare velint, neque illa legum primordia & simulacra virtutis exstinxerint, sua sponte judicent de natura matrimonii ejusque legibus. Harum legum prima & princeps est, quod omne conjugium individuum vitæ consuetudinem complectitur: & quibus argumentis probavimus scortationem sive copulam aut concubitum, qui non importat vinculum conjugale, esse vitium aut peccatum, iisdem probamus, inconcessos amores esse, qui corpora coëuntium non faciunt unum, nisi ad tempus: & qui ea lege atque conditione consentiunt, in coitum atque cohabitationem, ut post aliquot dies, menses aut annos sit desitura, facile intelligunt ejusmodi pactum aliquid de dignitate viri, & præsertim mulieris, diripere: non enim magnopere refert, sive pro multis mensibus, sive pro paucis diebus, mulier paciscitur de noctibus.* Paulo vero post: *Et cum inter omnes gentes omni ævo discrimen sit habitum inter conjugem & usum mulieris extra conjugium, etiam comperiemus discriminis causam in eo semper positam fuisse, quod conjugium contractum fuerit animo perseverandi in eo, usque ad ultimum vitæ spiritum. Et inferius: Ita ut, quemadmodum sine coëundi intentione nullum inter virum & mulierem potest contrahi conjugium, quia vis & causa, qua duo fiunt una caro (quæ est copula) deest; ita omnis contractus, qui copulam includit,*

nec

nec tamen perpetuam vitæ consuetudinem intendit, conjugii dignitatem attingere non potest; quia vis copulæ ex natura sua illam perpetuam vitæ consuetudinem involvit. Est illius usus à natura alienus, quoties sub illa conditione expetitur. Ita, pergit, liquet legum matrimonialium, quæ produntur in Scriptura, sparsa esse in natura: ita ut, quemadmodum homines sponte, nec recondita ratione judicant inter scortum & honestam matronam, ita illis in promptu est discernere inter conjugium & inter consuetudinem viri & mulieris, quæ illa dignitate caret. Nonne, ut alibi annotavimus, naturali ratione edocti individuum hoc conjugale vinculum prætexit Horat. I Carm. 13.

Felices ter & amplius,

Quos irrupta tenet copula, nec malis

Divulsus querimoniis

Suprema citius solvet amor die.

In hac perpetua conjunctione & vitæ consuetudine Germanos perstitisse, testatur Tacitus *de mor. Germ. cap. 19.* ut alibi annotavimus. Tradit quoque Valerius Max. *lib. 2. cap. 1.* apud Romanos repudium inter uxorem & virum à condita Urbe usque ad centesimum & quinquagesimum annum, nullum intercessisse. Idem Dionysius Halicarn. licet de annorum numero dissestiat, testatur; Plinius quoque *lib. 7. cap. 9.* & Tertullianus *in Apologet.* affirmant. Hoc sensu definit Modestinus JCrus, qui Imp. Alexandri temporibus vixit, *l. I. ff. de rit. nupt. Nuptias esse conjunctionem maris & femine, consortium omnis vitæ, divini & humani juris communica-*

X x 3

tionem:.

*tionem: id est, totius vitæ consortium, & interrup-
ptam consuetudinem. Usque adeo individuum est in-
ter sic conjunctos totius vitæ consortium, ut maritus
sui corporis dominus non sit; ac vicissim jus uxorii
corporis penes maritum resideat. Neque vero dum
coeunt conjugia, quisquam velit ominari divortium.
Nemo enim contrahit matrimonium, nisi eo animo,
ut sit perpetuum. Catiuncula paraph. in inst. lib. 1.
tit. 9. Hinc Dionysius Halicarn. commendat in-
stitutum Romuli, quo matrimonii per confarreatio-
nem contracti vinculum jussit indissolubile esse. Ita
hæc lex, inquit, mulieres nuptas, quippe quæ non
haberent aliud, quo se converterent, refugium, cog-
ebat solius mariti se attemperare moribus: viros
item sic habere uxorem, ut rem necessariam, nulloque
divellendam modo. Et notat Seneca illam interje-
cto tempore morum Romanorum corruptelam, tan-
quam rationi & matrimonii legibus, fidei datæ, re-
pugnantem, quod ita levibus aut nullis de causis
divortia passim frequentata. Numquid, inquit, jam
nulla repudiis erubescit, postquam illustres quædam ac
nobiles fœminæ, non Consulum numero, sed marito-
rum annos suos computant & exeunt, matrimonii cau-
sa, nubunt repudiis. Quippe olim apud eos tanta
matrimonii verecundiâ valuit, ut saltem fœminis,
etiam post mariti fata, alii jungi turpe duceretur,
Tacit. de mor. Germ. cap. 19. Imo Romæ, quæ
uñ contentæ matrimonio fuerant, corona pudici-
tiæ honorabantur. Tantum abest, ut licentiam con-
cederent conjugibus à se invicem divertendi, & ma-
trimonium semel rite contractum solvendi haberent
potesta-*

potestatem conjuges, ut nequidem morte alterius vinculo soluto, ad secunda vota transire honestum judicarent, quasi in perpetuum, usque ad utriusque conjugis mortem illo vinculo alligati essent vir mulierque. *Existimabant enim, inquit Valerius Max. lib. 4. cap. 3. qui post depositæ virginitatis cubile in publicum egredi nesciret: multorum matrimoniorum experientiam quasi legitimæ intemperantiæ signum esse credentes.* Unde Imperator *Cod. de secund. nupt. Pudica matrona, nunquam, præterquam semel, nubit.* Atque eam post fata quoque conjugis defuncti, fidei constantiam etiam antiquæ Ecclesiæ hominibus perquam placuisse, non uno documento probari potest & demonstrari ex Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, aliisque Patribus. Celebrat Hieronymus Didonem, quæ mortuo Sichæo marito, à Iarba Rege Libyæ frustra expetita, suprema, quam isti extruxerat, pyra, quam alieni amoris igne ardere maluit. Rodogunen Darii filiam, nutricem, ob consilium de iterando matrimonio morte multantem. Et ceteris omnibus admirabiliorem Demotionis, Arcopagitarum principis filiam, quæ cognita Leosthenis, ne mariti quidem, sed sponsi tantum, morte, sibi ipsæ manus intulit, ne, si alterum accipere cogeretur, quasi secundum acciperet, cum priori jam mente nupsisset. *Habent locum maledicti crebræ nuptiæ. Mulier quæ nubit multis, multis non placet, inquit Publius Syrus.* Tantum igitur abest jus Gentium, quod naturalis ratio inter gentes constituit, divortium permittere, ut ne quidem mortuo altero
 conjuge,

conjuges, superstites ad secunda vota transire decorum esse existimaverint, quasi adeo firmum & insolubile esset semel legitime contracti matrimonii & fidei datæ vinculum post mortem alligare, & proinde ad secunda vota transiens divortium facere, & fidem datam fallere videretur.

Judæorum de divortio permittendo errores.

Verum videamus quid jus divinum constituat. Ebræi sive Judæi opinionis errore sibi persuadebant divortia lege divina *Deut. 29.* non permittenda solum, sed & præcepta fuisse, ubi marito uxor displicuerit: imo ob sterilitatem debuisse aliquem uxorem dimittere, ut colligere possumus ex Philone Judæo *de specialibus legibus. Qui puellas duxerunt incerti de futura fecunditate, si sterilitate tandem deprehensa non eis renuntiant, & res suas habere sibi agereque simunt, merentur veniam, quia victi diuturna consuetudine, amoreque mutuo non valent vim inferre suis affectibus, impressis jam dudum in animis. Qui autem fœminas compertæ sterilitatis expetunt ad conjugium, suum hircorumque more quærentes solam venerem, in impiorum album adscribantur, ut Deo repugnantes, cui hominum genitura curæ est. Neque ambigendum, quin eadem isti genti frequentata fuerint multa per secula, & quidem quacunque de causa; quamvis in historia ejusdem sacra & profana per annos plusquam septingentos nulla fere, vel rarissima, ejus rei exempla memorentur. Ante Jesaiam Prophetam nomen ejus in historia sacra non occurrit, scilicet non ante septingentos à lege de eo lata amplius elapsos annos. Vid. *Jes. cap. 50.* Sub centesimum abinde annum apud Jeremiam *cap. 3.* mentione*

mentionem legis repudii, velut quæ in ore hominum volitabat, primo habita. *Quemadmodum vero, inquit Seldenus, similitudines, parabola, monita, in utroque fœdere à rebus ac moribus in usum receptis sumi solent, ita proculdubio à Prophetis hisce mentio adhibetur libelli repudii, veluti rei, quæ in usu aliquo erat, atque inde vulgo non tantum ex ipsa de eo sanctione sacra satis nota.* Quamobrem Josephus *archæol. lib. 15. cap. 9.* tanquam inusitatum & à jure communi discrepans annotat, quod Salome libellum repudii miserit Costobaro marito suo, Iudææ & Gazæ Præfecto; cum alias moribus Judæorum non liceret mulieri sponte à viro divertere, nisi ab eo dimissæ: excepto, si quis uxorem à se in primo concubitu virginem non deprehensam fuisset calumniatus. Huic liberum erat abire an manere vellet apud virum; etsi marito, si ipsa vellet, eam retinere necessarium erat, uti annotavit Pufendorfius ex Philone Judæo *de specialibus legibus.*

Itaque discrimen erat hac in re inter mores Hebræorum & aliarum gentium, teste Josepho *Antiq. Jud. lib. 15. cap. 11.* *Viro quidem, inquit, licet apud nos hoc facere, (scil. repudiare uxorem) mulieri vero ne quidem separata & seorsim viventi nubere licet, nisi postquam eam prior vir dimiserit.* Nec etiam apud Romanos, uxor & maritus æquo jure utebantur. Si legem primævam connubialem respiciamus, ea non duntaxat omne divortium prohibet, quia generaliter edixit Deus, uxori adhærescendum; verum etiam omnis permissionis suspensionem tollit; ita ut nemini, cujus status &

Discrimen Judæos inter & alias Gentes quoad divortia.

Y y

condi-

conditionis esse potuisset, licitum sit ab uxore divertere, vel eam dimittere. Verba enim legis generaliter enuntiata, nullos excipiunt subiectos, sed omnes æquo juris vinculo alligant. Nec enim ratio aliqua dari posset, cur non lex illa omnes cujuscunque sexus & conditionis homines obligaret eodem juris vinculo. Eadem ratio idem jus inducit, eadem causa eosdem producit effectus. Profluit enim ex natura matrimonii insolubile illud vinculum, ut perpetua viro cum uxore intercedat vitæ consuetudo, dicitur hoc honestas & naturalis ratio. Ubi itaque contractum matrimonium, ibi contrahentibus, nulla habita personarum vel sexus differentia, imponitur necessitas, ut perpetuam illam consuetudinem, & vitæ consortium individuum tueantur & colant. Cui cum è diametro repugnet divortium, omnino prohibitum censei debet. Uti uxori maritus, ita marito uxor adhærescere debet. Illa correlativa qualitas, ut ita dicam, quæ matrimonium contrahentibus imponitur, nunquam cessare potest; quia iste actus reduceretur ad eum casum, à quo incipere non potest. Quod hic factum, infectum fieri nequit. Qualitas illa semel acquisita tolli nequit, ita ut uxor semel facta, uxor esse desineret, & vice versa.

Qualitas correlativa, imposita matrimonium contrahentibus, tolli nequit.

Si itaque uxori adhærescere teneatur maritus, & vicissim uxor marito, quæ ulla separationis permissio ex illa lege posset deduci stante matrimonio? id est, dum ambo conjuges vivunt, manet illa qualitas; manente illa qualitate, durat etiam obligationis vinculum, quo sibi adhærescere devincti conjuges. Atqui illa qualitas non tollitur; ergo nec etiam matrimonium,

monium, nisi suprema die solvi potest. Est hæc qualitas quasi ossibus conjugum inhærens, & proinde vinculum conjugale, & illa mutua obligatio, quæ vi hujus correlativæ qualitatis, venia sit verbo, sibi invicem adhærescere conjuges devinciuntur una cum illa qualitate evanescit & cessat, & proinde suprema die pereunte illa qualitate, dissolvitur una matrimonii vinculum. Præterquam quod ea lege & ea mente coeunt conjuges & in unum corpus coalescunt, eo animo in fœdus conjugale consentiunt, & ex mutuo consensu nascitur quoque individuum & insolubile conjugii vinculum. Hoc contrahentium unicum votum

*Atque utinam hærentes sic nos vincire catena
Vellet, ut nunquam solveret ulla dies.*

Hæc quoque summi Legislatoris voluntas, ut una caro fiant, & in unum corpus coalescant. Eo colimat legis connubialis sanctio: quæ itaque divortium permitti posset? quod matrimonii vinculum solvit, & arctissimam illam societatem, quæ viro cum uxore intercedit, distrahit dirimitque. Quis hæc duo sibi adeo contraria velle potuisse summam Legislatorem affirmare audeat? nisi omnis divinitatis sensum ex animo deleverit. Quod eo magis suspicari nemo potest, quia si in statu naturali, in quo homines mundi primordio vitam traducerent, soli conjugum conscientia res tanti momenti permessa fuisset, non modo primæ institutioni contraria, sed summopere humanæ societati noxia fuisset. Quis enim non videt ditiorum præsertim libidini apertam fuisse latissimam fenestram, cum repudiare

Y y 2 uxores

uxores possent, quotiescunque vellent? Quis non intelligit sequiorem sexum injuriæ virorum obnoxium-ita fuisse? Quis non animadvertit, hac licentia, liberis occasionem præbitam violandi præcepti de honorandis parentibus? Quis enim animus debuit esse liberorum, qui videbant matrem à patre levi aut nulla de causa dimitti? ut optime differit Joh. Clericus in suis commentariis ad *Deut. cap. 24.*

Divortium in foro soli quidem concessum, exigente necessitate, majoris mali evitandi causa.

Cum hæc incommoda & mala pareret dimittendæ uxoris licentia; quæ & ordini, honestati, & rationis dictamini repugnant, quis divortium lege connubiali omnino vetitum à summo Legislatore negabit? Verum si hæc mala jure naturæ vetita divertendi licentia pariat, & proinde in causa fuerint, cur lege connubiali prohibitum omnino divortium statuamus, quæ permittit deinde Moses, voluntatis divinæ nuncius & interpret, & Judæis licentiam divertendi ab uxore concedere potuerit, cujusmodi divertendi libera facultas adeo repugnat primæ legi connubiali. & naturæ contractus matrimonialis, fidemque fallit, & proinde juri naturali adversatur, attamen permisit Mosen Judæis dimittere uxorem, si non invenit gratiam in oculis mariti, constat *Deut. 24.* Verum egregie fallitur, qui hanc permissionem dispensationem legis primæ connubialis statueret, & rem per se illicitam, uti divortium, licitam faceret: illaque permissio extorta magis, quam data; & necessitate exigente majoris scil. evitandi mali causa, quod per se illicitum, concedit Moses: concedit in foro soli, manente tamen, qui justa absque causa uxorem dimiserat, legis connubialis transgressæ reo in foro poli sive conscientia.

scientiæ. Ex duobus malis aliquando minimum eligendum dicitur ratio, & suadet prudentis consilium. Hujus permissionis causam & rationem tradit Christus, divinæ legis & voluntatis falli nescius interpret; nimirum, cordis durities in causa fuit, cur Moses populo Hebræo uxorem dimittere permisit. Quippe, uti respondet Christus Pharisæis interrogantibus, an liceret viro uxorem dimittere, pro duritia, vel ob duritiam cordis vestri permisit Moses libellum abscessionis scribere, & dimittere uxorem, à principio vero creationis, sive instituti conjugii permillum non fuit, cum lex prima conjugalis vetuerit omnino divortium, & argumentum petit ab ipsa creatione masculi & femine, & institutione conjugii, sive lege connubiali, quæ dicitur & jubet, ut relinquat homo patrem & matrem, & adglutinetur uxori suæ, adeo, ut qui duo fuerant, in unam carnem coalescant; quod ergo Deus conjunxit, homo ne sejungat; legis connubialis sensum interpretatur Christus, & quid vetabat, edicit, nimirum, ne homo separet, quod Deus conjunxit. Hæc nunquam abrogata lex, nunquam mutationem passa, sed perpetua, si non in foro soli, saltem in conscientiam vim suam exserit & in foro poli homines alligat, etiam Judæos, non obstante illa permissione, quæ potius civilis; quamobrem legem primam connubialem, quæ honestate & recto ordine tanquam basi & fundamento suo nititur, tollere nequit.

Verum forte reponet quis, non absque injuria statui posse, Deum permillum quod per se illicitum, quia sanctitati & justitiæ divinæ ejusmodi permillio re-

Divortium est, non præcepti, sed permisionis.

Y. y. 3

pugnat.

pugna. Resp. Deum divortium permisisse, ut statim dicere incepimus, ob duritiam cordis, quam imputat Christus populo Hebræo; & proinde impunitum quidem hoc facinus voluit in foro soli, sive Republica Hebræorum, neutiquam vero in foro poli. Solvit hæc permissio criminis hujus reum necessitate luendi pœnas, quas iudex secularis ipsi imponere potuisset; quia transgressus fuerat legem connubialem à Deo mundi primordio cum institutione conjugii simul latam; sed non absolvit à pœnis, quas daturus, cum se coram divino tribunali sisturus aliquando reus. Perperam itaque interpretati sunt hanc legem Judæi, quasi permissa non tantum divortia, lege Mosaica, sed etiam præcepta fuisse calumniabantur; & proinde impune in utroque foro diverti ab uxore pro lubitu cuique legem permittere falso credebant. Optime summus Theologus Pareus, *Divortium non esse præcepti, ut calumniabantur Pharisei Matth. 19: 8. sed tantum permissionis testatur Christus. Cum respondet, Moses Permisit vobis dimittere uxores propter duritiam cordis vestri: nempe tanquam rem per se illicitam quidem, utpote pugnantem cum ordine semel à Deo sancito. Erunt duo in carne una. Sed tamen ad evitanda graviora mala, permissam fieri in politia Mosaica, sine pœna civili. Multa enim in magnis Rebuspublicis toleranda sunt bona, ut majora mala & confusiones evitentur: sic Deus permittebat libidinosis polygamiam, morosis divortium propter formæ vel corporis, vel morum aliquod vitium; quia metuendum erat, ne mariti duræ cervicis, id est, petulantes, morosi, & inhumani uxores invisis tyrannice tractarent.*

rent. Itaque miseris mulieribus hac permissione consulere voluit.

Concessit itaque quidem Moses viro dare libellum repudii, verum non extra reprehensionem, argumentum quod erat convenienter duritici cordis ipsorum, & proinde ipsum divortium per se manebat illicitum; nec in foro poli impunitum. Intermissit Moses punire hanc transgressionem primæ legis connubialis divinæ, & non statuit pœnam in transgressorem, à magistratu civili infligendam in foro soli; neutiquam vero absolvit à pœna coram tribunali divino, quasi per ejusmodi concessionem impune in utroque foro cuique viro, stante Republica Hebræorum, ab uxore pro arbitrio divertendi facultas quæsitæ. Verum quemadmodum causa hujus concessionis peculiaris fuit, nimirum durities cordis, quæ licet omnibus gentibus quidem communis, attamen peculiariter ea tribuitur Judæis; ita quoque hæc lex mere civilis huic soli genti, nequaquam ad Christianos pertinet; adeoque non licet hodie facere divortia extra casum adulterii ex declaratione & præcepto Christi *Marc. 5: 23. Matth. 19.* Rationem supra annotavimus, scil. quia conjugium à Deo sic est institutum, ut sit vinculum indissolubile: quod nefas esset solvi, nisi adulterio vel morte.

Quod non ita intelligendum, quasi lex aliqua divina positiva necessitatem imponeret personæ innocenti, qua teneretur, adulterum vel adulteram repudiare, uti inter Patres statuit Hieronymus *Comment. in Matth. cap. 19.* hisce motus rationibus: I. quia adultera ex mandato divino lapidibus deberet obrui, *Deut. 22: 22.* unde infert, quod si adultera mandan-

Lex, de libello repudii, ad Judæos solos pertinet, nimirum Christianos.

Lex divina positiva necessitatem imponere non videtur personæ innocenti qua tenetur ad-

tc

alterum
vel adul-
teram re-
pudiare.

te Deo lapidibus obrui debeat, ergo non debuit in gratiam recipi, ac ita retineri adulterii convicta. Verum, uti Viri docti respondent, hic quæstio est de officio privati, quid illi ratione conscientiae facere incumbat, si magistratus suo desit officio. Pœnæ enim executio, quam lex illa statuit in adulterii criminis reos, pertinet ad magistratum, cui, si innotescat crimen, incumbit in criminis auctores animadvertere; atque hæc puniendi necessitas alligat conscientiam judicis, ut e medio tollat fontes, & proinde quoque hæc lex divina stante Republica Hebræorum, alligabat magistratum hac pœna adulterii crimen vindicare, & adulteras hujus criminis convictas lapidibus obruere. Verum non valet hic consequentia à magistratu ad privatum sive civem vel subjectum, quasi persona innocens non haberet facultatem retinendi nocentem sive maritum sive uxorem hujus criminis convictam, quia juxta legem statim allegatam morti mancipata & tradita è medio tolli debet, cum qua nulla societas, nulla consuetudo haberi potest. Quænam vero hæc est consequentia sive illatio, magistratui incumbit in adulterii crimen ex mandato divino inquirere, ejusdemque reos lapidibus obruere, ergo privatus quisque tenetur maritus ab uxore adultera, vel uxor à marito adultero discedere & divertere. Alia vindicta publica, alia privata, nemo, etsi vindictæ justam causam habeat, eam exercere tenetur, imo laudem meretur, quisquis injuriam sibi illatam condonat. Miscentur itaque hic duæ quæstiones diversæ, & sic conchylia rurdis, ut inquit Havemannus *tract. de jur. connub. lib. 3. tit. 6.*

Alterum

Alterum argumentum est, quod repudiata, si ab altero viro, morte vel alio modo, fuerit liberata, à priore marito dimittente duci non debeat, quia polluta est. Ergo nec adultera, *Dent. 24: 2.* eadem hic ratio, idem jus parit. Verum negamus eandem hic subesse rationem. Maritus quippe injuste uxorem dimittens, quod apud Judæos non erat insolens, utpote quibus ob leves quascunque causas uxores dimittere nulla erat religio, ipsemet repudiatæ ansam dedit, ut se adulterii crimine pollueret. Verum maritus adulteræ non præbuit causam, ut se adulterio alligaret. De repudiata non ducenda, expressa exstat prohibitio. De adultera nullo modo retinenda, nusquam in sacris litteris occurrit legis vetantis vel prohibentis aliquod vestigium. Non inficior Josephum justum pronunciarum *Matth. cap. 1: 19.* quando cogitat Mariam dimittere. Verum quid inde aliud inferendum, nisi hoc, quod nulla jura vetant, nec divinum sive necessarium sive positivum, nec rationi naturali repugnat sponsam ab alio devirginatam vel compressam repudiare, vel adulteram deserere sive dimittere. Verum, uti respondent Viri docti, non excluditur *ἠτιμία*, quasi quis, summo jure sepulto, non debeat dolenti ac poenitenti personæ condonare, eamque retinere. Ipse Josephus, inquit statim allegatus auctor, radios misericordiæ satis prominulos ostendit, quando non vult *παραδειγματισαί* Mariam; tegere vult mala, quæ ipsemet finxerat, mysteriorum tam sublimium ea tempestate adhuc nescius ac rudis. Infamare Virginem non vult, quam com-

De adultera, nullo modo retinenda nusquam in sacris occurrit legis vel vetantis vel prohibentis vestigium.

pressam esse, utut falso, attamen certo opinionis errore sibi persuaserat.

Denique objiciunt, quod, teste Apostolo Paulo *Rom. cap. 1: 32.* Deus æque irascitur iis, qui male facientibus consentiunt, quam qui mala admittunt. Verum quis non videt toto cœlo distare inter se, consentire in adulterium, & adulteram respicientem & pœnitentem retinere.

Ob adulterium commissum nulla lex, quæ divortium præcipiat, in sacris extat.

Hæc tantum annotare volumus, ut probemus nullam legem divinam positivam extare, quæ divortium præcipit ob admissum adulterium; imo Christi ad Phariseorum interrogationem responsionem magis referri oportere ad interpretationem legis naturæ, quam legis divinæ alicujus positivæ, quæ nupsiam in sacris litteris extat. Itaque discessio ab adultera adulterove non tam præcipitur, quam permittitur, idque dictante ratione naturali. Quamobrem Puffendorfius *de jur. nat. & gent. lib. 6. cap. 1.* *Quod adulterium & malitiosa desertio ad divortium sufficere judicentur, id non provenit ex peculiari lege divina positiva, quasi istæ duæ exceptiones insolubilitati matrimonii fuerint additæ. Sed quia communis pactorum natura est, ut quando una pars conventis non stetit, neque altera amplius teneatur. Et hætenus quidem, ut non solum læsa pars cum perfida conjuge non teneatur amplius cohabitare; sed & læsæ parti transire ad secunda vota liceat.* Sana itaque ratio militat pro ejusmodi divertendi permissa facultate. Quippe, uti differit D. Joh. Andr. van der Muelen, dum viveret D. de Nicop, & Curix Brabantix, quæ Hagæ Comitum est, Senator, Frater

ter meus germanus, in *Traët. de for. conscientia*, Si examinemus quid sit fornicationis crimen, evidenter constabit, illud solum directe impingere in conjugii naturam & formam. Cum enim matrimonium est contractus non faciendi potestatem sui corporis alii, præterquam illi cum quo contrahitur, sequitur solam fornicationem esse, quæ hunc contractum violat, hucusque contractus vinculum sciindit, cum aliis criminibus hæc fidei conjugalis violatio non causatur, quippe quæ sine sui corporis copia alteri facienda patrantur &c. Nulla, pergit, igitur justa causa divortii faciendi in Scripturis probatur, præter adulterium & similes impuritates nefandas, quibus fit ut duo non maneant una caro, sed divisa, & sic fides conjugii directe violatur Matth. cap. 5: 32. Unde tunc non usus duntaxat, sed & ipsum matrimonii vinculum contractu nixum necessario cessare debet.

Forte quis nobis objiceret ea, quæ paulo ante de natura matrimonii & vi legis connubialis primæv annotavimus, scil. matrimonii vinculum omnino esse insolubile, quamobrem uxor marito, & maritus vicissim uxori adhærescere debeat, ita ut semel contractum matrimonium in perpetuum subsistat, neque ulla ratione dissolvi queat, quemadmodum quod semel factum infectum fieri nequit, itaque quamdiu illa qualitas uxoris & mariti semel acquisita durat, matrimonium quoque consistere oportet, atqui illa tolli nequeat nisi morte, ergo nec matrimonium solvi potest nisi eodem modo, & proinde nulla separationis sive divortii permissio ex illa lege connubiali deduci potest. Absolute enim abs-

Z z 2

que

Nascen-
tibus no-
vis ma-
lis, no-
va adphi-
cari de-
bent re-
media.

que ulla exceptione disponit, & uxori qua uxori perpetuo adhærescendum edixit. Verum, primo notandum legem illam connubialem in statu integritatis latam & quidem absque aliqua restrictione, limitatione, vel exceptione interpretandam esse. Quippe divortium à peccato est primaque conjugii institutio has nesciebat ærumnas, & vere continebat individuan vitam consuetudinem & arctissimam societatem, propter quam etiam liberi relinquere domum & cohabitationem parentum; sed hic mutæ conjunctionis appetitus post lapsum etiam intemperans factus est, ut in effrenem vagamque libidinem ebullire non erubuerit. Unde postea fœditatem quandam mulierem occupasse contigit, quæ fœditas propterea quandoque in illa reperiebatur *Deut. 24: 1.* ex qua fœditate originem duxerunt divortia. Nascentibus novis malis, nova iterum applicari debent remedia. Quando Christus pronuntiat omne divortium illicitum, nisi ex causa adulterii admissi, sive propter fornicationem, non interpretari adeo videtur legem connubialem, quasi hæc ei addita exceptio rationi legis inesset, verum quid dicat ratio docet, sive quid ea permittit salva conscientia parti innocenti hoc rerum statu, postquam homo integritate primæva exutus, ad quæcunque vitia patranda proclivis, in effrenem vagamque libidinem prolabi non erubuerit. Nisi velis Christum interpretari legem à Mose *Deut. 24: 1.* datam, sive permissionem Judæis illa lege concessam, eamque circumscribere & restringere ad casum divortii, quod fœditatis verba à Mose denotari

tari nonnulli Interpretes volunt ; quam foeditatem Jadaei late, imo latissime interpretabantur, adeo ut mulier divortiorum causas ex illa interpretatione deducere conarentur. Verum hanc opinionem amplecti nequeo, ob rationes supra allegatas. Hæc de lege connubiali ejusque capitibus delibasse sufficiant.

Viro & mulieri ita junctis, benedixit Deus, dixitque, *Fructificate, ac augete, & implete terram.* Eadem quoque benedictio communicata fuerat cæteris animalibus, quæ pariter vi istius benedictionis, naturali quodam appetitu & impulsu ad generationem impelluntur. *Benedixit iis* Deus, dum potentiam & generandi vires tribuit, tum etiam pronam ad sobolem procreandam naturam effecit; quippe quid vires & potentia generandi efficerent, si natura à coitu abhorreret & ipso generandi actu. Hinc insevit Omnipotens tum homini, tum cæteris animalibus appetitum ad coitum, sine quo actus generandi sive ipsa generatio perfici nequit.

Verum eodem quidem modo benedixit Deus cum homini tum brutis, sed non eodem modo divina benedictio in actum deducenda. Bruta animalia, quæ solo naturæ impetu reguntur, vago coitu crescunt & multiplicantur; hominem vero, qui rationis est particeps, & proinde quid decorum & honestum est, facile perspicit, non per vagum & incertum concubitus & naturæ impetu ad propagationem ruere oportet, sed per legitimos tramites ei hanc divinam benedictionem in actum deducere incumbit, scil. justam copulationem, seu matrimonium.

Viro & mulieri junctis benedixit Deus, iisque potentiam & procreandi vires tribuit.

Deus licet homini & brutis eodem modo benedixerit, eodem tamen modo benedictio divina in actum non deducenda.

ambiendo; per conjunctionem viri & mulieris, quæ individuum vitæ consuetudinem inducit, & insolubili vinculo conjuges sibi invicem devincit. Cujusmodi propagandi modum dictabat ratio vetustissimo mortalium legitimum, & rationi, qua præditus erat, convenientissimum esse, uti ex iis, quæ de lege connubiali disputavimus, apparet.

Matrimonium contra-
here, commu-
ne non
est aut
generale
præcep-
tum posi-
tiam.

Nolim tamen tibi persuadeas, me in eam opinionem adductum, quam veteres Hebræi amplectebantur, quasi hic commune esset, & generale præceptum positivum contrahendi matrimonium implendique præceptum prolificandi, quamobrem statim atque maturi ad generandum, matrimonium contrahere, & propagationi liberorum operam dare solent: verum, pace quorundam Theologorum non infimi subsellii dixerim, me hanc benedictionem vim legis habere, neutiquam illis concedere posse, nec absolute, nec sub conditione, quasi imperaret Deus, ut quisquis ad propagandam sobolem natura proclivis, matrimonium contrahat: non absolute, quasi necessitatem hæc benedictio cuique imponeret liberorum propagationi operam dare, & proinde uxorem ducere, & libertatem perdere; adeoque in statu cœlibatus cuique generando habili vivere non esset permittum. Quippe cum innati ad generandum naturæ nostræ stimuli, & ingens illa voluptas actui coitus assidua comes, abunde sufficere possent cunctos fere homines ad ejusmodi actum non modo allicere, sed & quodammodo impellere, & proinde sine ejusmodi præcepto satis multiplicari homines & repleri habitatoribus terra potuisset; unde

de necessitas aderat mundi primordio tale faciendi præceptum: nec verendum erat, ut forte magna inde hominum penuria oriretur, si cuique libera facultas concederetur abstinendi liberorum propagatione, præsertim mundi primordio; quippe innatus iste generandi appetitus, hominibus naturaliter inditus, ut dicere incepimus, satis efficax est, ad multiplicandum genus humanum. Vix paucis datum est in statu cœlibatus uti decet, & recta dicat ratio, vitam transigere.

Non me fugit superciliosorum Monachorum cohortes, dum quasi ab omni prorsus Veneris libidine & carnis concupiscentia alieni vitam transigere simulant interea soluti conjugali vinculo furtivis veneris gaudiis liberiori animo fruuntur. Neque etiam hæc benedictio vim legis habet sub conditione, ut si quis donum abstinentiæ non habeat, matrimonium contrahendo liberorum propagationi det operam. Idem enim dixit Deus piscibus, quibus utique lex dari non potest. Præterquam quod benedictio virtutem legis non continere solet; virtus enim legis est imperare, vetare, jubere, punire. Nulla harum virtutum benedictioni convenit; habent singula verba & vocabula proprias suas significationes, quibus à se invicem distinguuntur, ut homines distincte animi sensum exprimere valeant. Sic Deus benedicit homines vel hominibus, quum dat illis prospera, auget bona & favet. Nec etiam in statu integro, cum vetustissimi mortalium vitæ integri scelerisque puri & natura proni ad faciendum quod decorum, rectum, justum atque decorum erat, nec aliud

Neque benedictio vim legis habet sub conditione.

aliud quid meditabantur, quam naturæ suæ, quæ nulla prava cupidine inquinata erat, conveniens vivere, ita ut natura duce nihil agerent, quam quæ recta ratio dictabat, & proinde à tramite justitiæ & sanctitatis deflectere non poterant, nulla lege opus erat, imperante faciendum quod bonum & honestum est, vetante quod injustum & turpe.

Semen
Dei.

In hoc itaque rerum statu, in quo omnia bona, quæ condita, benedictioni tantum locus erat: unde Deus quoque benedixit homini, ut patet ex ipsis verbis *Crescite & multiplicamini*, hoc est, usum matrimonii sive propagationem sobolis, & generationem, ad quam naturæ impetu & appetitu ferebatur homo, per conjunctionem viri & mulieris cum individua vitæ consuetudine conjunctam probat, iisque virtutem & fœcunditatem indit, ut se suamque speciem conservent, & ab interitu vindicent sibi simile procreando; id esto *semen Dei*. Adam enim in rectitudine, in qua conditus erat, & sic castitate generans, generaturus fuisset *semen Dei*, scil. filios ejusdem imaginis, ad quam ipse conditus, participes. Id enim benedictionis verbum importat, *Fructificate & multiplicamini*; nec aliud semen propagandum Deus exposcere poterat, quam quod ejus referret imaginem. Et tales quoque multi futuri erant, qualis erat conditus unus. Igitur, uti Viri docti annotarunt, rectitudo primi parentis Adami profuisset etiam seris nepotibus ad hereditatem imaginis Dei accipiendam. Ita filii Adami sanctificati fuissent ab utero. *Lactentes*, sanctificatione, quæ cadere potest in lactentes; scil. catenus,

mus, ut nullus pravus motus vel affectus animi illorum dominatus fuisset, usque ad annorum maturitatem, quibus decernere potuissent bonum à malo, justum ab injusto. *Adulti* sanctificatione, qualis convenit adultis; hoc est, ut accepissent eadem dona, quæ collata Adamo in creatione; & tales effectæ in illis fuissent cogitationes, quales Adam habuit ante lapsum, id est, perseverassent in eodem integritatis statu, in quo conditus fuerat Adam, atque hac ratione, duce natura, vitæ integri scelerisque puri, nulla prava cupidine agitati sponte sua sine lege fidem rectumque coluissent.

Verum hisce cancellis divina benedictio circum-

Benedictio divina quam late pateat?

scribi non debet, quasi nihil aliud primis hominibus contulisset, quam generandi & sibi simile procreandi facultatem; latius enim se extendit, quippe quæ insuper homini condito dominium rerum omnium confert, uti patet ex sequentibus verbis, *Subigite illam*, scil. terram, & *dominamini in pisces maris*, & *volucres cæli*, & *in omnem pecudem, quæ se movet super terra*. Igitur implere debebat homo terram non generatione duntaxat & habitatione, sed cum primis potestate & usu cultuque. Frustra enim cætera fuissent absque homine, cui inservirent & subjicerentur; qui illis utendo gloriam Dei illustrem fecisset, & in usu illorum, cum sapientiam, tum bonitatem & liberalem erga hominem Dei voluntatem agnovisset & celebrasset? Ut pote qui sibi ad vitam tuendam ejusmodi suppeditasset sustentacula; simulque agnosceret suam infirmitatem & corporis imbecillitatem, quod ejusmodi

A a a alimentis

alimentis conservari & refocillari necessum habebat, & proinde perspiceret in hisce rebus terrenis non consistere hominis beatitudinem, sed ad cœlestia bona acquirenda mentem erigeret, eaque appeteret, quæ omnem famem sitimque depellunt. Mentis enim acumine, quo præditus erat, & à Spiritu sancto illuminatus facile perspiciebat se corpus circumferre è terra sive luto factum, quod alimentis sustentari debebat, & proinde infirmum ac imbecille esse, ac multis indigere vitæ sustentaculis; & accedente revelatione scire poterat corpus hoc nostrum in spirituale aliquando mutatum iri, suavitate & robore spiritus completum nec fame premitur amplius, nec eget cibo, & carne vescitur, sed solo Deo vita sua contentum est.

Domini-
um re-
rum om-
nium ho-
mini
concedit
Deus.

Quoniam autem homo in terra tanquam domicilio suo degeret, paratum eum esse voluit Jehova ab omnibus rebus ad vitam tuendam necessariis; quamobrem ex liberali & propensa erga mortale genus voluntate, ut dicere incepimus, liberaliter homini condito donavit dominium rerum omnium, quæ usui ejus inservire poterant, tam in omni generis fructus & herbas, quam terrestria & aquatilia animalia, & quasi in commune omnia contulit, nulla certa cuique assignata portione, nec distinctis rerum dominiis. Quamobrem omnia erant communia; verum quod quisque per occupationem sibi quæsierat, cedebat occupanti, ita ut in suum usum convertere potuerit.

Domini-
um
hoc ultra
modum
extendi
dequit.

Ejusmodi tamen facultas non adeo late extendi oportet, quasi Deus potestatem faciens terram subijciendi, unum vel paucos omnia ad se trahere & sagenæ instar rapere voluerit. Verum quisque tantum

tum sibi per occupationem subicere potuit, quantum dicitur ratio, quæ hominem homini naturalis cognationis & amoris quodam vinculo conjungit, recte, ordine & juste subiciendum. Itaque omnia rapere, nihil in commune relinquere, atque ita proximum ad egestatem & inopiam redigere, nec cognatio naturalis, quæ homini cum homine intercedit, nec proximi dilectio, quam lex imperat, permittit, nec patitur. Omnes enim homines una caro sunt, *Es. 58: 7.* ut non possit homo, si vel totius mundi dominus esset, vere censei toti mundo dominari, quia cum alii indigent, & ipse indigere censetur, atque erogatis, quæ habet, indigentiam illam consolari & sublevare tenetur. Suadet hanc beneficentiam ipsa naturalis ratio, quippe ut inquit Cicero *1. Offic. Non nobis solum nati sumus, verum ortus nostri partem patriam vindicat, partem amici: atque (ut placet Stoicis) quæ in terris gignantur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possent: in hoc naturam debemus ducem sequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.* Unde Marcus Antoninus *lib. 8. Homines nati sunt alteri alterius causa.* Et Seneca *de Ira lib. 1. cap. 5. Homo in adjutorium mutuum generatus est.* Communes enim utilitates in medium afferre nihil aliud significat, quam ut officium pro officio reddatur. Ego illud, quo tu indiges: Tu, quo indigere me vides. Ita fit

A a a 2

per-

permutatio quædam, humanæ vitæ necessaria, & secundum naturam, quam debemus ducem sequi.

Esus animalium homini nunquam veritus.

Dominii autem & subjectionis illius rerum pars fuit, quod homo non herbis duntaxat & fructibus arborum, sed animalibus uti in cibum potuit. Nuspiam enim veritum, ne in cibum quoque animalibus uti & herbis & arborum fructibus uteretur. Præterquam quod dominium in pisces, volucres, & omnia animalia terrestria homini datum omnem usum includit, cui inservire possunt. Sin autem vesci iis non debuisset, vix aliquem usum præstitisset dominium in bestias. Notandum quoque quod particula ל *Genes. 1: 30.* חֵרֶת הָאָרֶץ non est hic nota dativi, sed notat inclusionem ut כ quod ejus loco usurpatur *Gen. 9: 3.* quasi Deus dixisset, *Ecce dedi vobis omnem herbam sementantem, quæ est super facie totius terræ &c. una cum omni animali terræ, imo omnem volucrem cæli, & omne reptile cum omni olera terræ ad comedendum,* *Gen. 1: 31.* Uti quoque post lapsum in commercio erant omnis generis pecudes, unde victum sibi quærebant, *Gen. 4: 2.* easque immolabant. Victimæ autem earum rerum offerebantur, quibus etiam in cibum uti solebant. Imo induit Deus homini vestes ex animalium pellibus fabricatas, uti videre est *Gen. 3: 21.* Argumentum, quod & à primo mundi exordio, & hominis creationis, ut ita dicam, momento, animalia & pecora jugulari cœperint. Quorsum autem jugulatio, nisi pecudes usui hominis inservirent, & in cibum uti licitum fuisset earum carne. Quamvis forte prima mundi ætate, qua simpliciore victu contenti homines, magis fructibus & herbis, quam

quam carne vescabantur; forte etiam esu carnis abstinabant, quod ignorabant eam adeo suavibus condimentis præparare, ut palatui placeret: unde magis fœtibus arboreis & quas humus produxerat, herbis delectabantur, quæ sine ullo paratu ad manum erant, & comedi poterant. Unde Ovidius 1 *Metam.*

Contentique cibus nullo cogente creatis

Arbutos fœtus, montanaque fraga legebant,

Cornaque, & in duris hærentia mora rubetis;

Et quæ deciderant patulâ Jovis arbore glandes.

Inde tamen non sequitur, nullum comedis carnem, sed universos vixisse frugibus & pomis, quæ per se dabat tellus; nequiquam vero esu carniæ abstinuisse quasi re illicita, & per traditionem præceptum accepissent, quo interdictus ejusmodi alimenti usus; nec memini me usquam apud profanos auctores ullum ejusmodi præcepti vel interdicti vestigium invenisse. Quod autem Jehova post diluvium animalia sive brutorum carnem in cibum homini concedit, non est argumentum ante diluvium ejus usum interdictum fuisse; quippe illa concessio est tantum primævæ donationis antea factæ quasi renovatio. Itaque cum mundi restauratione & renovatione, omnes quoque hominis prærogativas renovare placuit Omnipotenti. Minime enim sequitur, hic nominatim permittit Deus carniæ esum: Ergo prius non permiserat: *Sicut*, ut inquit Pareus, *non sequitur: tunc posuit Iridem in signum; ergo prius non fuit Iris. Noach agricola plantavit vineam; Ergo prius non fuit vinum vel agricultura. Tenendum, pergit, quoque est principium hoc, Deus hic non plus largiri hominibus quam dederat, sed tan-*

tum reddere quod fuerat ablatum, ut possessionem bonorum, unde fuerant depulsi, rursus recuperarent. Ergo non est nova concessio, sed tantum concessionis confirmatio.

Domi-
nium
post lap-
sum non
amplifi-
catum.

Præterea quis sanæ mentis statuere posset, post lapsum hominis, dominium esse amplificatum, utpote qui peccati reus factus, non remuneratione vel majori beneficentia affici dignus, sed potius privati ea, quam antea in statu integro in eum conferre placuerat Deo, vel saltem non amplificari, sed angustioribus cancellis circumscribi dominium meritus erat. Quò enim latius se extendebat dominium homini in creaturas concessum, ut iis vel in usum vel in cibum utendi facultatem haberet, eo major Dei erga eum beneficentia; quippe major inde rerum omnium nanciscatur copiam & affluentiam, unde quoque vitæ tuendæ necessitati melius subvenire poterat, & lautiores epulas parare; atque ita magis commode & beate vitam traducere. Ast homo, licet multis commodis præ ceteris creaturis, præsertim brutis animalibus, quibus multo sanctior, donatus fuerat, utpote qui anima rationali præditus, divinam quasi originem referebat, & generis sui præstantiam indicabat. Quamobrem non nudo Dei imperio ut cætera, sed prævio consilio creatur; atque in ejus creatione S. S. Trinitas dignatur se clarius quam in aliis operibus patefacere. Præterquam quod hominis productio non terræ aut aquæ vel aliis elementis uti germinum & brutorum animantium imperatur; verum homo immediate per S. S. Trinitatem creatus, princeps ac dominus omnium aliarum creaturarum designatur. At tamen quo melius

Ius cœlestem originem referret, ac dignum opus Deo existeret, imagine sua condecoravit, quæ præcipua ejus gloria est, qua reliquis creaturis longe supereminet.

Moses itaque describendo historiam creationis, auctor quoque est *Deum hominem ad imaginem suam condidisse*. Quod nec Gentiles quoque latuit. *Originem animarum è cœlo manare*, inter recte philosophantes indubitata esse sententiæ observat Macrobius *Somn. Scip. lib. 1. cap. 8*. Sic quoque apud Apulejum Hermes Trismegistus, divinæ similitudinis formam in homine agnoscit, ipsumque hominem *imaginem Dei* appellat. Vide Lactantium *Div. Inst. lib. 2. cap. 2*. Quæ non in solo dominio illo, de quo paulo ante, ut perperam statuit Socinus; vel in idea Dei homini impressa, ut Hebræi volunt; vel in corporis figura aut externo habitu, ut Anthropomorphitz existimant, consistit. Quia homo vel Deum ipsum; vel juxta alios Christum, Dei filium referret, aliquando incarnandum, & quemadmodum olim inter homines conversaturus foret. Verum non querenda imago hæc in corpore; quamvis negari nequeat, aliquo modo corpus hanc imaginem repræsentare, quatenus scilicet per corpus pellucet anima, quod perspicitur in actibus, sermonibus, aliisque operationibus externis, quæ ab anima proficiscuntur. Quamobrem etiam corpus multum existimandum, uti annulus in magno habetur pretio, quia pretiosam gemmam in se habet inclusam.

Verum si quis in corpore, uti Anthropomorphitz, imaginem Dei statueret, absurdissimum illud sequeretur,

Imago Dei, ad quam homo creatus, quia in re consistat.

Anthropomorphitarum errores.

tur, nos habere Deum corporeum. Non videtur quoque Constantinum Imperatorem omnino ab hac opinione alienum fuisse, uti colligi posse videtur ex l. 17. *Cod. de pæn.* prohibentem, ne, quod ante factum fuerat, in cujusque ad metallum damnati faciem scriberetur, adjecta ratione: *quo facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, minime maculetur.* Saniori itaque doctrina imbuti Theologi hunc opinionis errorem refutarunt, & imaginem Dei, ad quam conditus est homo, auctore Mose, in animo hominis præcipue collocandam docuerunt. Inter Patres Ambrosius, Tertullianus, Augustinus aliique in eam sententiam transierunt. *In quo enim, quærit Ambrosius, ad imaginem Dei sumus, nisi animæ substantia & mentis vigore? ad imaginem quippe interior est homo, non iste exterior, ille qui sensu æstimatur, non oculis comprehenditur.* Et Augustinus *de Spir. & Anim. cap. 34.* *Licet enim mens nostra non sit ejus naturæ, cujus est Deus, imago tamen illius naturæ, qua natura nulla melior est, ibi quærenda & invenienda est in nobis, quo etiam natura nostra nihil habet melius.* Et rursus alio loco, *contra Faustum lib. 24. cap. 2.* *Eum (scil. hominem) ad imaginem suam non fecit (Deus) nisi secundum id quod interiorius est, non solum incorporeum, verum etiam rationale, quod pecoribus non inest. Non secundum id quod habet corpus corporalemque vitam, sed secundum id quod habet rationalem mentem, qua cognoscat Deum, & omnibus irrationalibus eadem rationis excellentia præponitur. Quod & Ambrosius docet comment. in Ps. 118. serm. 10. Quod secundum imaginem est, non*

non est in corpore, nec in materia, sed in anima rationali. Ibi operatur, ibi ostenditur homo ad similitudinem & imaginem Dei, ubi justitiæ, ubi sapientiæ, ubi omnis forma virtutis assumitur. Atque hanc sententiam omnes fere Ecclesiæ recentiores Doctores amplexi sunt.

Imo hanc veritatem rectam rationem Ethnicos Gentium de imagine Dei opiniones. docuisse, ex eorum scriptis perspicimus. Idem enim de imagine Dei prædicat Cicero de consol. Dei imago, inquit, quidam animus est. Quamobrem animam divinitatis speculum esse, indicat Socrates apud Platonem Alcibid. 1. Id igitur animæ divini simile est, scil. illa animæ virtus, quæ in intellectu & sapientia sita, in quod sane qui intuens & omne divinum, Deum scil. sapientiam cernens, ita & se ipsum agnoscet. Unde divinæ eam auræ particulam dixerunt. Nec Seneca, mentem humanam ex illo cœlesti spiritu descendere, & animum humanum, ex iisdem, quibus divina constant, seminibus compositum, affirmare veretur. Quare homini communionem cognationemque cum Deo intercedere asserere audebant. Quem opinionis errorem olim refutarunt Viri docti. Hac enim ratione Dei filius est imago Dei invisibilis Col. 1: 15. essentialis & naturalis, nullusque mortalium potest eo assurgere, quia infinitum non potest participari à finito, uti inquit doctissimus Theologus Francisc. Turretinus Inst. Theol. loc. 5. quæst. 10. Etsi participes dicimur per gratiam divinæ naturæ 2 Petr. 1: 4. hoc non intelligendum de participatione essentiali, formali & intrinseca, sed analogica, acci-

B b b

dentali

dentali & extrinseca ratione, effectorum analogorum virtutibus divinis, quæ in nobis per spiritum ad imaginem Dei producuntur, uti differit.

Imago
elucet in
Natura,
Rectitu-
dine, &
Volun-
tate.

Imago, ad quam hominem conditum, divinorum oraculorum interpret & nuncius Moses testatur, in hisce tribus eluxisse potissimum videtur, Natura, Rectitudine, & Statu. In *Natura*, quia anima spiritali, immortalis, & facultatem intelligendi & volendi habente, à Deo donatus fuit. In *Rectitudine*, quia in mente fulgebat lux recte agnoscens Dei naturam, voluntatem & opera. In *Voluntate* erat sanctitas, & in omnibus effectibus & motibus animi, unde nihil appetebat, quam quod rectum, justum & decorum erat, quod sanctitati, & voluntati divinæ conveniebat, eo collimabant omnes animi facultates, omnes appetitus, itaque naturam ducem, id est rationis dictamen, sequens, ab eo quod honestum, quod justum, quod divinæ voluntati consentaneum erat, deviare non poterat: quippe omnes ejus facultates ad eundem collimabant finem: summa enim inter illas erat harmonia, ita ut membra affectibus, affectus voluntati, voluntas rationi, ratio legi divinæ obsequerentur. Et sic sponte sua sine lege fidem rectumque colebat homo rectus & integer. In *statu*, quia dominium & imperium in omnes creaturas in summa bonorum spiritualium & externorum affluentia animo pariter & corpore verè beatus, lætus & immortalis futurus, nisi peccasset, ut inquit Pareus *Comment. in Genes. 1: 26.*

Imago
Dei Na-
turalis &
Moralis.

Distinguere autem possumus imaginem Dei in *Naturalem* & *Moralem*. Quippe cum lex vetat, non occides

occides hominem, quia conditus ad imaginem Dei, de imagine naturali intelligendum: quoniam tum modo deperdita erat; itaque sola naturali gaudebat, qua fruitur usque dum vitam cum morte commutaverit. Quamvis alii restringere contentur ad imaginem moralem, qua cum semel condecoratus fuerit, summum nefas habeatur ipsum occidere. Verum hoc nil refert. Quippe quis sanæ mentis statueret, eadem veneratione prosequendum hominem ante multos annos summa dignitate ornatum, interjecto vero tempore nebulonem & vagabundum factum. Neminem fore credo, illud affirmaturum. Ita quoque nec hominem, quia imagine Dei præditus fuit, sed jam decoxit. De nulla creatura, nisi de solo homine prædicatur, quod condita sit ad imaginem & secundum similitudinem Dei, quamvis etiam & Angeli ad istam conditi sint, Moses non adnotat, cum non Angelorum, sed hominum scripserit gratia. Nec etiam distinguendum hic est, uti Theologi quidam faciunt, inter imaginem & similitudinem, quasi per imaginem intelligi debeat natura, per similitudinem qualitates. Verum Moses verba esse æquipollentia satis ostendit, cum sæpe tum unum, tum rursus alterum nominet. Quamobrem Viri docti annotarunt, quod est *עִוֵּן דִּבְרֵי*: duo enim substantiva vel synonyma, vel disparatæ significationis conjuncta, eorum alterum ut plurimum adjectivi vicem sustinet, ejusque habet significationem cum emphasi. Vid. Theoph. Gallorum *Philosoph. nat. lib. 3. cap. 3. sect. 3. §. 5.* Unde Philo Judæus *de mundi Opif. pag. 12.* quem auctor allegat.

gat. Sed quoniam non quævis imago refert exemplar archetypum, suntque multæ dissimiles, post hæc verba *juxta imaginem*, additum est significantius & *similitudinem*, ut intelligatur exactum sigillum, formam habens evidentissimam. Hujus autem imaginis sola anima capax erat; quippe cum Deus nil nisi spiritus, igitur quod reciperet & particeps fieret divinæ imaginis, debebat quoque esse spiritualis natura. Quamobrem Paulus *Act. 17: 28, 29.* docet, *ideo non debere nos putare τὸ θεῖον, numen, esse simile auro vel argento, vel lapidi, sculpturæ artis & cogitationis humanæ, quia nos Dei genus sumus.* Quippe proprie eam non exprimebat.

Creatio
anime.

Itaque Deus hominem ad imaginem suam creans, creat ipsam animam vel spiritum, & ut ipse, immortalis; præditum intellectu & voluntate, quantum rationis sive animæ, id est, naturæ spiritualis propriæ, intellectu percipiebat res omnes in propria natura, & ipsum Deum Opt. Max. sui auctorem, non tantum per visibilia, nimirum externa opera, sed in semetipso, voluntate insuper præditus, quæ ei libera fuit, & lubentia velle poterat. Cujusmodi libertas conveniebat maxime cum imagine cujus particeps; quoniam Spiritu Dei agebatur & ducebatur. Quippe donec Spiritu Dei agebatur, libertate omni modo gaudebat. Spiritu enim Dei agi ac ab eodem dependere, summa libertas est. Quamobrem *Pf. 51: 14.* *Spiritu spontaneo confirmame.* Et Spiritu ingenuitatis vel spontaneitatis. *LXX* *ἡγεμονικῆ, רַב־לִּבֵּר* *liberalem* significat, & metonymice *principem*.

principem, quia præ cæteris liberalem & ingentium esse oportet. Spiritus Dei hic dicitur *Spiritus spontaneitatis* sive libertatis; quia illos, qui ab ea dependent, spontaneos ac liberos reddit. Ita 1 Cor. 3: 17. *ubi est spiritus Domini, libertas est.* Sermonem enim habemus de libertate morali cum divina imagine homini concessa, id est ejusmodi libertas, quæ proflebat ex participatione divinæ imaginis, & proinde lubentia velle poterat, id est omnia, quæ divinæ voluntati erant consentanea, nec alia etiam optabat vel volebat imagini divinæ conforme agens. Quamobrem libertas moralis quoad statum importat *divinæ nature participationem.* Et hoc sensu interpretari possumus, quod Gentiles de integro primi hominis statu prædicarunt, scilicet quod

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat;
 Ut canit Ovidius 1 *Metam.* Et alibi Poëta

- - - - *Neve ignorete Latinos*
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus equam
Sponte sua veterisque Dei se more tenentem.

Quamobrem Tacitus: *Vetustissimi mortalium vitæ integri scelerisque puri, nulla adhuc mala libidine, sine probro ac scelere, eoque sine pœna & coërcitionibus agebant: neque præmiis opus erat, cum honesta suoque ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabatur.*

Itaque libere agere & bene agere, est facere quod rectum, bonum & justum est, agere quod divina voluntati & sanctitati convenit. Neque hic obstat, dum hominis dependet actio à divina voluntate,

B b b 3.

tate, libere agere non videtur quicquid agit, cum in Deo vivimus, movemur & sumus; quicquid à voluntate nostra proficiscitur & in actum deducitur vel homo operatur, à primo principio scilicet animæ creatore provenit: quippe quemadmodum in naturalibus, ita quoque in moralibus creatura dependet immediate & totaliter à Deo ut prima causa, ita ut nihil ad effectum perducere possit nisi divina virtute opitulante. Verum ipsa illa dependentia est causa libertatis moralis, qua præditus homo operatur, quod bonum, rectum & justum atque honestum est, & proinde divinæ sanctitati convenit, quamobrem nemo majori amplitudine morali gaudet, quam is qui maxime dependet à Spiritu Dei in omnibus suis operationibus. Qui libere agit, juxta libertatem moralem homini cum divina imagine innatam & largitam, nihil operatur, nec agit, quam quod honestum, rectum, justumve ac decorum est, in ejusmodi operationibus summa sanctitas sese prodit ac perspicitur, ideoque divinæ imaginis exemplar, & proinde liberrime ejusmodi creatura agit, quæ nihil vult nec appetit & operatur, quam quod rectum & justum est. Malum enim operari est argumentum servitutis, cui post admissum peccatum addictus fuit homo. Unde Apostolus *Epist. ad Rom. cap. 7.* *Non enim quod volo hoc ago, sed quod odi hoc facio: non enim facio bonum quod volo: sed malum quod nolo hoc ago.* Itaque qui malum operatur, non libere, sed coactus agit, quia peccati servus factus, agit quod nolit: igitur bonum operari est libere agere. Libertas moralis consistit itaque in agendo & ope-

& operando quod bonum est, & proinde in dependentia voluntatis humanæ à concursu primæ causæ. Liberrime enim Deus agit; agere autem nihil potest quam quod sanctitati suæ convenit, & proinde quod rectum, justum & bonum est: actionis enim suæ ipse sibi objectum est, & proinde nihil nisi quod objecto, id est, suæ sanctitati, bonitati, justitiæ, perfectioni, cæterisque virtutibus convenit, agere potest. Quæ libertas moralis consistit in illa rectitudine & sanctitate, & proinde in convenientia nostrarum actionum cum illa sanctitate cuius participem hominem Deus fecit; liberrime autem agit, cum actiones quæ ab eo proficiuntur, eidem respondeant.

Quemadmodum vero omnis motus, quem in nobismet experimur, deduci debet à primo movente, quia uti creatura rationalis agnoscere debet suæ essentiali & existentiali Deum ejus auctorem & creatorem, ita quoque volendi & operandi actum ab illo derivare tanquam animæ creatore necessum habet, & proinde totaliter ab eo dependet, itaque tanquam ab eo dependens operatur & agit, dum autem agit, quia à perfectissimo Ente dependet, id est, per influxum divinum nihil agere vel operari potest, quam quod sanctitati divinæ convenit, & proinde liberrime agit, & istius libertatis causa dependentia; quippe per dependentiam agere sive per divinum influxum operari, est Spiritu Dei ductu agere, quicquid agit, quamobrem nihil agit, quam quod bonum est, quia qui per efficaciam Spiritus operatur, nihil operari potest, quam quod naturæ divinæ,

Motus
omnes
nostri de-
pendens
à Deo.

divinæ, unde Spiritus dimanat, convenit, & sanctitati Dei consentaneum est; ejusmodi autem actio liberrima, quia ex libertate morali, quæ cum imagine, ad quam natus & conditus erat mortalium primus, pari passu ambulat, imo ei inhæret, profiscitur. Itaque facultas & qualitas animæ ad imaginem divinam conditæ inhærens & propria est libere velle & agere, unde recte homini tribuitur voluntas libera, id est libertate morali gaudens, dependens tamen à primo animæ creatore; quippe ejusmodi dependentia est libertatis moralis causa & principium. Quamobrem Adam post lapsum simul cum imagine divina, ad quam conditus erat, amisit libertatem moralem, adeo ut nequeat natura humana corrupta sese erigere ad bonam voluntatem, aut à necessitate peccandi liberare: liberum arbitrium depravatum neminem liberat à servitute peccati. Ita ut corruptæ naturæ voluntati inserviendo, non operetur per dependentiam sive influxum divinum, sed potius Satanæ; & proinde non libertate morali gaudet amplius, sed servus peccati factus, obtemperat carnis prævæ concupiscentiæ & stimulis, & proinde pronus ad mala quæcunque patrandæ & admittendæ peccata; ideoque libertate morali destitutus, quidquid agit, malum est, quia dependet à servitute peccati. Et si operatio mentis humanæ quandoque bona, & proinde libera est, unde illa, nisi ex inspiratione Spiritus Sancti, à cujus influxu omnes actiones bonæ dependent? Quamobrem hæc libertas moralis revera per lapsum Adam fuit separata; ita ut manserint quidem post lapsum

psum essentialia, nimir. ipsa mens & libertas physica; at periit libertas moralis & à servitute peccati immunitas.

Forte hæ nostræ argumentandi rationes à quorundam Theologorum cavillationibus non immunes erunt: verum eorundem crisis me non admodum sollicitum reddit; Theologum me non profiteor, quamvis & huic disciplinæ, uti & omnibus aliis bonis artibus excolendis pro virili operam dederim; Philosophum hic ago, id est, ratione duce, quatenus moralis Philosophia cum Theologia naturali pari passu ambulat, imo unam & eandem disciplinam efficere existimo (prima enim Philosophiæ pars, quæ versatur circa Dei & rerum divinarum contemplationem, quatenus ratione assequi possumus) de subjecta hac materia disputandi licentiam mihi vindico, nec arroganter hoc à me susceptum velim. Quippe S. Scripturæ interpretandi scientiam concedens Theologis, si in hisce, quæ moralem disciplinam, sive Theologiam naturalem spectant, majorem forte mihi disputandi licentiam assumo, quoniam in ea excolenda ætatem fere consumpsi, nullus dubito, quin quisque mihi facile sit condonaturus.

Imaginem autem, sive similitudinem Dei, ad quam vetustissimum mortalium conditum refert Moses, nec etiam Gentiles negarunt; ea autem in externa corporis figura, nec in solo dominio, ut supr. annotavimus, consistit, sed primario & proprie in animæ dotibus, atque intellectus voluntatisque rectitudine, illa ponenda est. Rectitudinem hanc, quæ primo mortalium concreata & ab origine collata fuit, præ-

*Imago
Dei, do-
tes ani-
mæ, at-
que in-
tellectus
volunta-
tisque re-
ctitudo.*

C c c

dicat

dicat Ecclesiastes, cum inquit: *Tantum, vide, hoc irveni, quod fecit Deus hominem rectum, & illi quæsierunt sibi ratiocinia multa. cap. 7: 29.* Complectitur autem illa rectitudo, tum sapientiam in mente, cum sanctitatem & justitiam in voluntate; unde Apostolus *Col. 3: 10. Et induere novum hominem, qui secundum Deum creatus est, in justitia & sanctitate, (sive sanctitatis studio) veritatis. Ephef. 4: 24.* Sapientia, qua præditus primus mortalium, & maxime excellebat, potissimum eluxit, quando singulis animalibus ad eum adductis nomina imposuit eorum naturæ convenientissima; atque inde apparere naturas eorum illi fuisse perfectissimas, ostendit doctissimus Bochartus *Hieroz. part. 1. lib. 1. cap. 9.*

Adami,
in nos-
cenda a-
nima-
lium na-
tura no-
tio.

Attamen dicendum videtur notionem Adami, qua noverit naturam animalium, potius notionem fuisse historicam, quam philosophicam, cum non adeo distincte omnium distinctionum partes in animalibus noverit. Summæ quoque sapientiæ testimonium est, quod Evæ, ipsi in adjutorium datæ, ortum divinitus agnovit, ac sanctissime de conjugio disse-ruit, ejusque leges posteris, qui è lumbis ejus nascituri, edixit. Nec ambigendum, quin judicii acumine tanto præditus, ipsam S. S. Triadem in mundi creatione laborantem cognoverit; vix enim Deitas cognosci potest sine personarum discrimine; quamobrem statuendum in statu innocentiae Deum in personis cognoscere potuisse. Justitiam autem duce natura colebat; nihil enim appetebat, quam quod justum, honestum, & decorum erat; huc colli-

collimabat voluntas, utpote cujus animæ sanctitas justitiæ studium insitum; cujusmodi justitia homini, dum recens è manibus Creatoris exiret, naturalis erat. Quippe, ut inquit Clarissimus Burmannus; *Non enim Deus absque illa hominem creare, nec hic sine ea existere poterat; cum alioqui sine suo, ad quem conditus erat, videl. ad Deo suo fruendum, inque eo gaudendum excidisset; nec opus ad Dei gloriam, & tali conditore dignum fuisset.* Synops. lib. 2. cap. 1. §. 9.

Vocatur hæc justitia *originalis*, quia homini con-
 creata, & ab origine dum recens formatus à creato-
 re suo ipsi collata est: & proinde quoque, uti di-
 cere incepimus, ei naturalis; conveniens enim e-
 rat, ut ad imaginem conditus referret virtutes,
 quantum earum natura humana capax erat, divinæ
 naturæ proprias; inde enim ad imaginem conditus,
 quia ejusdem sanctitatis & justitiæ particeps factus,
 & quia naturæ rectitudine præditus, ejusmodi vir-
 tutes recte vocantur naturales, quæ ex ejusmodi na-
 turæ rectitudine immediate profluunt, uti sanctitas
 in voluntate, & rectitudo atque ἀρετή in affectibus.
 Naturale enim omne illud dicitur, quod cujusque
 rei naturæ convenit atque proprium est, & essentia-
 le ejus requisitum.

Negant Pontificii hanc justitiam homini primo
 debitam & naturalem fuisse; concedunt quidem il-
 lam vetustissimo mortalium largitam, sed indebitam
 & supernaturalem statuunt. Quem opinionis erro-
 rem quoque Pelagius tuetur; statuens hominem in
 statu innocentiae puræ fuisse naturæ, adeo ut sapiens

C c c 2

nec

Justitia
 originæ
 lis.

nec insipiens, bonus nec malus fuerit, & quod justitia, quam habuit, ei non fuerit naturalis, sed supernaturalis, quæ ipsi fræni instar superaddita, cum naturaliter concupiscentia laboraret, quæ tum cohibita fuit supernaturali isto dono. Anabaptistæ hominem plane innocentem ac purum statuunt. Episcopus opinatur hominem purum creatum, nos vero nasci. Verum quod prius attinet, quod corpus ad carnalia inclinasset, & ideo justitia supernaturali opus fuisset, merum esse præjudicium & figmentum Viri docti & divinorum oraculorum interpretes celeberrimi demonstrarunt. Nulla enim materia creata ad vitia; quippe si hoc possibile foret, vitium esset in Deo rerum omnium auctore & conditore, æque ac fabro vitium foret, si ferrum cuderet rubigine commaculatum. Primo enim momento, si pravus fuisset, sive vitio aliquo laborasset homo, Dei gloria in eo non apparuisset, sed malum opus malum arguisset opificem, ut inquit Nicol. Gurtlerus *instit. Theol. cap. 8. §. 28.* Impossibile quoque est hominem ullo in statu puræ esse potuisse naturæ; quippe quemadmodum ejusmodi status nunquam existit, quoniam homo non nisi sanctus & creatorem suum tenerrimo amore prosequens à Deo creatus est; ita nec etiam existere potest: nunquam enim voluntas potest esse sine appetitu; fertur enim semper sive in bonum sive in malum, sive in Deum sive in creaturas, cum in medio consistere nequeat, pura esse non potest; anima esse debet cum appetitu beatitudinis, sive appetitus satisfaciatur vel non, adeo ut nunquam pura anima esse queat.

Hanc

Hanc imaginem, qua hominem præditum ac condecoratum, sacræ nobis paginæ Deum condidisse perhibent, ex animæ solertia, prudentia atque probitate maxime perspicuam esse, rationis lumine edocti, nobiscum etiam Gentiles observarunt. Unde Plato *de Republ. lib. 6. Agentes hæc ad utraque respicient, ad illud scil. quod natura justum, honestum & temperatum existet, cæteraque ejusmodi, atque iterum ad humana disponent, ex hominis officiis naturam humanam contemporantes; ad figuram ejus, quod Homerus quoque cum in hominibus sit, Dei speciem & imaginem similitudinemque appellavit.* Eumque statuiffe, finem bonorum esse Deo similem fieri, testatur Laërtius in Platone. Idem in *Theæteto*, ubi Socrates mala, quæ mortalitatem undique circumstant, cum aliter non queant, fuga evitanda monens, subjicit: *Fuga autem est, ut Deo similes pro viribus efficiamur: Deo similes efficit cum prudentia, justitia simul & sanctitas.* Nec aliter opinatus est Cicero, cum contra Epicureorum dogma, Deo formam humanam tribuentium, ut alibi annotavimus, disputans *de N. D.* inquit: *Ad similitudinem - - - Deo propius accedebat humana virtus, quam figura.* Et alibi astrorum naturam à solo homine cognosci observans, subjicit: *Quæ contuens animus accipit ab eis cognitionem Deorum, ex qua oritur pietas, cui conjuncta justitia est, reliquæque virtutes; ex quibus vita beata existit, par & similis Deorum.* In virtute itaque divinam maxime imaginem conspici statuebat; scil. justitia, probitate, sive sanctitate & solertia, cæterisque virtutibus, quas Dii homini communicare voluerunt, atque

Gentiles
imagi-
nem Dei
in virtu-
tibus
confitero
asser-
bant.

hac ratione Diis similem efficere. Quippe alibi de *LL.* virtutem homini quoque inesse observans, quæ etiam Deo adsit, concludit: *Est igitur homini cum Deo similitudo.* Inde ut alibi annotavimus, *nos habere mentes ex divina mente delibatas*, Gentiles statuerunt. Nec aliter antiquæ Ecclesiæ Doctores de imagine, ad quam homo conditus, disputarunt. Hinc Ambrosius de fug. sec. cap. 4. *Hoc est similem esse Dei, habere justitiam, habere sapientiam, & in virtute perfectum esse. Deus enim est sine peccato. Et ideo qui peccatum fugit, ad imaginem est Dei.* Et alibi de bon. mort. cap. 5. *Fuga malorum similitudo Dei est, ut virtutibus imago Dei acquiritur.* Uti quoque Clemens Alexandrinus in justa anima divinam invenientem effigiem & sanctam imaginem statuebat, *Strom. lib. 7.* Idem & alii sensere Patres, quorum testimonia hic laudare superfedemus.

Immortalitas hominis.

Comitabatur Dei imaginem, uti supra annotavimus, cum hominis totius *immortalitas*, tum quoque *dominium*, quod à supremo rerum domino, in hominem, cujus gratia reliqua condiderat, collatum, juxta ea quæ tradit Moses *Gen. 1: 26, 28.* Hæc autem immortalitas non de anima duntaxat, sed toto homine, atque etiam corpore intelligenda. Quippe animæ immortalitas non præcipuum quid est, quo in statu integritatis & innocentie gavissus fuisset homo, quoniam hæc animæ essentialis quædam proprietas est, & propterea etiamnum post lapsum, viget; verum quod ejusdem immortalitatis particeps fuisset corpus, si eo in statu perseverasset primus homo, aliquid præcipuum est, quo post lapsum orbati sumus: adeoque
nec

nec morbum nec mortem sensisset, nisi peccasset. Hic iterum post Pelagium immaniter errant Sociniani & Anabaptistæ, qui hominem mortalem creatum, mortemque non peccati pœnam, sed naturæ sequelam, & Christum hominem natum esse primum promissæ & allatæ hominibus immortalitatis auctorem esse docentes.

Quando autem statuimus, hominem non moriturum si non peccasset, inde non inferendum, quasi in statu innocentiz Adamus non potuisset mori. Quippe quia poterat peccare, & poterat mori; sed quamdiu stetisset, non mortuus fuisset: mors enim peccati sequela ejusque comes. Unde in futura vita non poterimus mori, quia ibi non poterimus peccare. Quamvis autem Adamus haberet & circumferret corpus ex contrariis elementis conflatum atque è pulvere compositum, absque tamen peccato, nulla in eo erat moriendi causa, Deo sociata semel elementa in perpetuum continente: uti & domus, nisi tempestatis injuria, vel manu inimica destruitur, sola materiz diversitate non collabitur, uti disserit statim allegatus Theologus Nicol. Gurtlerus *loc. cit.* Non moriturum hominem nisi peccasset, videtur etiam aliquo modo probari ex principio; naturale enim est, semper in eodem manere statu, donec quid exterius accedat, quod ipsum ex isto statu, in quo principio aliquid collocatum, deturbet: ita ut homo creatus vivus, vivus mansisset, nisi jam aliquid accessisset, peccatum scilicet quod ipsum ex statu suo deturbaret: quod etiam ex eo convincitur, quia ad beatitudinem conditus erat; mori vero non beatitudinis est; præterquam quod

Absque peccato in homine nulla erat causa moriendi.

S. Scri-

S. Scriptura testimonium omni exceptione majus peccatum unicum mortis causam facit, uti patet ex variis S. Scripturæ locis. Sic *Genes. 2: 17. Quocunque die comederis* (de arbore scientiæ boni & mali) *moriendo morieris*. Tum in implemento ejus *Gen. 3: 19. pulvis es, & in pulverem reverteris*. Quamobrem quoque Paulus Apostolus dicit, mortem per peccatum ingressam ut ejus stipendium *Rom. 5: 12. & 6: 23.* à qua proinde immunis fuisset primus homo, si non peccasset: quod dici non posset, si esset sequela naturæ. Excipere solent adversarij ad dicta loca, quod ibi agitur de morte æterna, ex qua non datur reditus; non vero de temporali: sed frustra. Quippe de omni mortis genere intelligenda verba, tum de morte, quæ proprie mors dicitur, id est, separatio animæ à corpore, tum improprie de morte æterna, id est, separatione corporis & animæ à creatore suo, tum etiam de miseria ac multis ærumnis, quibus homo, dum vivus, est obnoxius. Nobis hic non limitandum quod Spiritus non limitat, Scriptura loquitur in genere de morte: Ergo sub ea complectitur, quidquid mortis nomine venit in Scriptura. Varias hujus vocis significationes improprias allegare ex S. Scriptura prætermittimus, quia res per se nota. Patet enim *Exod. 10: 17. 1 Sam. 25: 37. 2 Cor. 11: 14. Ephes. 2: 1. & 4: 18.* Hic nomine mortis venire non mortem duntaxat æternam, sed etiam corporalem, quæ proprie mors dicitur, non ambigendum mihi videtur. Quod vel ex eo perspicitur, quia designatur per reditum in pulverem *Gen. 3: 19. Eccl. 12: 9.* & ad infantem extenditur in hac vita *Rom. 5: 14.* qui morti temporali,

porali, quæ est animæ à corpore separatio, subi-
 ciuntur. Quod obijciunt adversarii hominem ex
 pulvere compositum, licet mansisset in statu inno-
 centiæ, eum tamen rursus in pulverem fuisse rever-
 surum, ut dictum erat, *pulvis es & in pulverem rever-*
teris, quale edictum moriendi necessitatem huma-
 næ naturæ sequelam satis demonstrat, nihil inferre
 videtur; quoniam hæc verba non sunt lata homini,
 ut jam primum condito & vitæ integro scelerisque
 puro, sed ut lapsa & peccati reo facta; imo pulvis
 qua pulvis non reddit hominem mortalem. Quip-
 pe, ut annotarunt Viri docti, rerum usus docet,
 multas urnas & vasa per annorum millia perduras-
 se, & adhuc perdurare, & forte ad mundi usque fi-
 nem perduratura: si hoc ars hominum efficere po-
 tuerit, quidni Deus omnipotens potuisset? Ex sen-
 tentia quoque Rabbiorum nostrorum, nisi peccas-
 set Adam, non fuisset moriturus in æternum, sed
 perpetuo mansisset vivus, sicut Angeli ministeriales.
 Vid. R. Menachem in *Gen. 2: 17*. Quod alii illum
 moriturum asserunt, quia quotidie victu egebat ad
 vitam tuendam, ut & quia procreandæ soboli ope-
 ram dare debebat, quippe cibus servabatur vita a-
 nimalis, quod necessarium, si ad immortalitatem
 adspirare volebat; id est, corpus ab interitu sive
 morte vindicare. Animalis enim vita sustentatione
 indiget, & proinde victu egebat, quo vires conser-
 vare & recreare corpus debuit. Nec proli propa-
 gandæ primi parentes operam dare debebant, quia
 mortales erant, sed ut plures extarent homines im-
 mortales & imagine Dei fulgentes: nondum imple-

D d d to

to filiorum Dei numero , uti differit statim allegatus Theologus Nicol. Gurtlerus *loc. cit.* Præterquam quod creationis opere peracto , quî juxta Dei benedictionem propagari vel multiplicari potuisset genus humanum , nisi gignendæ proli operam dedissent primi parentes ? Unica enim naturalis hæc erat propagandi & multiplicandi ratio. Cessante creatione , quam in actum deducere voluit Omnipotens , quamobrem par hominum marem & foeminam creavit , ad propagandum genus humanum sufficientem numerum : crescere enim & multiplicari non est argumentum mortalitatis , sed potius immortalitatis , ut ita dicam ; quia quo magis multiplicaretur , eo major spes & fiducia nunquam interiturum. Esus itaque & matrimonium , quo crescere & multiplicari debuit humanum genus , potius vitæ quam mortis indicia præ se ferebant.

Imago
Dei non
in solo
dominio
consistit.

Superius annotavimus imaginem Dei , qua ornatus fuit primus homo , potissimum eluxisse in Natura , Rectitudine & Statu. Quomodo in Natura & Rectitudine eluxerit , demonstravimus. In Statu elucebat , quia imperium tenebat in omnes creaturas. Ratione itaque & virtute , quas Dei imaginem referre diximus , innititur dominium in res creatas , homini , ut creaturarum principi attributum & collatum à Deo , uti testatur Moses *Genes. i. 26. & 28. dixisse Deum , faciamus hominem cum imagine nostra , secundum similitudinem nostri : & dominantur in pisces maris & in alites cæli , & in pecudes , & in totam terram , & in omne quod se movet super terram.* Errant hic Sociniani , quod imaginem Dei in

in solo ejus dominio consistere pertendunt. Quippe dominium sequitur Dei imaginem ejusque consequens est. Et ut inquit celeberrimus Theologus Joan. Henr. Heideggerus, Deus dicens, *faciamus hominem ad imaginem nostram* &c. & *dominentur in pisces maris* &c. dominium non formam imaginis, sed cum eadem connexum privilegium, neque tamen sine imagine Dei, sapientia & justitia exercendum, declaravit. Nam illud *Vau* in 1111 non imaginem definit, sed dominium cum ea copulat. Unde pergit *ψ.* 27, & 28. creationi Adami & Evæ ad imaginem Dei, non immediate dominium in creaturas, sed benedictionem, qua eo crescere & multiplicari jussit, ac demum mandatum dominandi subjecit. Sicut autem imago Dei non consistit in benedictione illa: ita nec in dominio, remotiore illo consistit. Quamobrem statim diximus, Ratione atque Virtute, quas Dei imaginem in nobis absolvere annotavimus, inniti dominium, ejusque esse sequelam. Dedit enim Deus Adamo imperium in cætera animantia, quia imaginem suam gestavit, scil. quia anima & dotibus illis, quas supra annotavimus, præditus, omnia pecora superat. Quippe, quemadmodum Deus est mens æterna spiritualis, immortalis, intelligens, liberrima, casta, bona, pura & justa, dominatrix rerum omnium; ita homo conditus ad Dei imaginem, hanc Dei naturam referebat, hisce dotibus, quæ animæ propriæ duntaxat esse possunt, quod creatus erat anima spirituali & immortalis, intellectu & voluntate prædita, perfecte bonus, purus, castus, justus, beatus, &

D d d 2

proinde

proinde dominium tenens in creaturas alias. Unde quoque Augustinus *de gen. contr. Manich. lib. 1. cap. 5.* *Cum enim dixisset, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, addit continuo, & habeat potestatem piscium maris & volatilium cœli, & cœtera, ut intelligeremus, non propter corpus hominem dici factum ad imaginem Dei, sed propter eam potestatem, quæ omnia pecora superat. Omnia enim animalia cœtera subiecta sunt homini, non propter corpus, sed propter intellectum, quem nos habemus, & illa non habent. Nec aliter Gentiles; quamobrem Ovidius 1 *Metam.**

*Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cœtera posset,
Natus homo est.*

Mundus
homi-
num cau-
sa factus.

Hominum causa mundum fabricatum, Stoïcorum dictum fuit. Unde Cicero eorundem doctrinam amplectens, post explicatas totius orbis divitias; *Sin quæret quispiam, inquit, cujusnam causa tantarum rerum molitio facta sit, arborumne an herbarum, quæ quanquam sine sensu sint, tamen à natura sustententur. At id quidem absurdum est; An bestiarum? nihilo probabilius, Deos mutarum & nihil intelligentium causa tantum laborasse. Quânam igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quæ ratione utuntur. Hi sunt homines, quibus profecto nihil melius est. Ratio est enim, quæ præest omnibus. Itaque fit credibile hominum causa factum esse mundum, quæque in eo sunt omnia. Huic etiam accedit, quod si constituerit imago Dei in dominio, ut quidam voluerunt, qui*

quî fit , ut sæpius ii , in quibus rursus in Christo Dei imago erigitur , paupertate premantur , nullo omnino dominio gaudentes ? Notandum autem illud dominium , quod à Deo creatore homini collatum testatur Moses , fuisse plenissimum ; ad omnes res creatas se extendit , quæ humanis necessitatibus inservire possunt , adeo ut esus carnis licitus etiam fuerit & naturalis in statu innocentix. Quippe nusquam videmus in Sacra Scriptura dominium à Deo ad certos usus restringi , vel esum carnis prohiberi. Præterquam , ut alibi annotavimus , quod subjectio animalium homini parum profuisset , prohibito eorum esu , cum multorum nullus sit usus , nisi esus permetteretur. Tum etiam , ut Viri eruditi animadvertunt , si ejus esus prohibitus fuisset in statu integritatis , dominium excellentius fuisset post peccatum quam ante , quippe ad plura se extenderet nunc , quam in statu innocentix.

Hic finis operum creationis est , quo peracto opere , vidit Deus , omne quod fecerat , valde bonum esse. Hæc est adprobatio divinorum operum ; quæ cum singula in suo genere perfecta erant , & omnibus numeris absoluta , comprobationem & beneplacitum conditoris merebantur. Nullo enim defectu vel vitio laborare poterant , producta ab Ente infinite perfecto , sapiente , & omnipotente , & proinde hoc mundi opificium oportebat esse omnibus numeris , partibus & gradibus absolutissimum. Quidquid igitur labis , deformitatis , vitii sive *avariæ* in mundo vel singulis rebus cernitur , non id ab opifice Deo , sed à Diabolo & homine peccante pro-

Operum
creatio-
nis perfe-
ctio.

D d d 3 factum.

fectum. Particulam *valde* additam esse præcipuè notant Theologi, propter hominem, qui & in se & ad alia omnia comparatus, fuit valde bonus, utpote qui multis prærogativis præ cæteris creaturis donatus. Clausula itaque primi capitis est approbatio operum, & tempus creati hominis. Tempus est dies mundi sextus, quo conditus homo, & totum creationis opus perfectum absolutumque est.



DISSERTATIO
SECUNDA.
DE
DIE MUNDI,
ET
RERUM OMNIUM
NATALI.



DISSERTATIO
SECUNDA.
DE
DIE MUNDI,
ET
RERUM OMNIUM
NATALI.

Est hoc capite secundo anacephaleosis, sive rei per summa capita repetitio vel recapitulatio. Quippe formatio Paradisi facta est die tertio; & hæc creatio, & conjugii institutio facta, antequam ab opere creationis quievit Deus, & proinde ante Sabbathum. Moyses itaque earum rerum, quarum diem natalem tradidit, brevem hic facit recapitulationem, & paulo copiosius explicat atque enarrat. Complectitur hoc capite,

E e e

I. *Quie-*

- I. *Quietem Dei.*
- II. *Creationem Hominis copiosus describit.*
- III. *Depingit Paradisum sive hortum Eden, in quo, tanquam suo domicilio vetustissimos mortalium collocavit summus rerum Opifex.*
- IV. *Mulieris adificationem ex costa viri enarrat.*

Hominis
præ cæ-
teris cre-
aturis
præstan-
tia.

Igitur perfecti sunt, inquit divinatorum oraculo-
rum fidelis interpretes Moses, *cæli & terra, omnis-
que exercitus eorum.* Perfecti sunt eo die, quem
ultimo versu antecedentis capituli tradiderat; coro-
navit Deus opus suum creando è luto, sive pulve-
re terræ, eximium illud opus, Hominem, cui nul-
la creatura comparari potest. Permagnum enim,
uti priori Dissertatione annotavimus, est & nobili-
tatis τῆ μικροκόσμου illustre testimonium, quod certo
consilio & decreto totius S. S. Trinitatis Homo fa-
ctus; quod corporis ipsius fabrica Dei quasi manu
& digitis efformata in ejusmodi effigiem, quam o-
culis conspiciamus. Quippe

*Pronaque cum spectent animalia cætera terram;
Os homini sublime dedit: cælumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Ut canit Poëta 1. *Metam.* Præterquam quod ab
ipso Deo inspiratum corpori spiraculum vitæ, Ani-
ma rationalis, quæ præstantiam generis sui præ cæ-
teris creaturis, maxime refert, & testatur qua sit
origine natus. Eleganter Juvenalis describit, quan-
tum ratione præditus cæteris creaturis, & impri-
mis brutis animantibus præstet Homo:

- - *Sepa-*

- - - - Separat hæc nos

*A grege mutorum , atque ideo venerabile soli
Sortiti ingenium , cupiendisque artibus apti,
Sensum à cælesti demissum traximus arce ,
Cujus egent prona & terram spectantia mundi
Principio indulgit communis conditor illis
Tantum animas , nobis animum quoque mutuus
ut nos*

Adfectus petere auxilium , & præstare juberet.
Nil tale de cæteris mundi partibus , & nequidem de Mundo ipso legimus. Verum summa & ineffabilis Hominis majestas consistit in *imagine Dei* , ad quam conditum refert Moyses. Ut enim esset Homo anima & corpore donatus ; ut *bene esset* , ad imaginem Dei conditus. Significat igitur Moyses ubi conditus esset Homo , tanquam certus quidam operum Dei finis , non esse Deum ad ulteriora quædam opera facienda progressum , sed iis , quæ fecerat , finem imposuisse. Creato igitur Homine , perfecti sunt cæli & terra , & omnis ornatus eorum ; die scilicet sexto absolutum fuit creationis opus. Quippe initium capituli hujus secundi per continuationem præcedentis jungi debet : continet enim veluti conclusionem eorum , quæ de sex dierum operibus sunt dicta.

Perfecti sunt cæli & terra & omnis ornatus sive exercitus eorum. **אנא** *tseboam* vox Hebr. duplicem significationem obtinere , interpretes annotarunt. Quamobrem alii *exercitum* exponunt , alii vero *ornatum* vertunt. „ Verum cum nusquam alias in Veteri Testamento id significet , vix est „ ut in

Cæli ,
terreque
ornatus.
quis ?

„ ut in hac phrasi eam obtineat notionem; nec etiam „ in significatione *ornatus* constantes sunt *ei* LXX. inquit Joh. Clericus *comment. in Genes. 2: 1.* Si in hac significatione sumatur vox *ornatus*, ea veniunt omnia, quæ ad cœli & terræ integritatem, perfectionem, ornatumque pertinent, eaque sunt absoluta, adeo ut nihil deficeret, quod ad cœli & terræ pulchritudinem & ornamentum accedere posset amplius; quippe cum Deus infinite sapiens, omnisciens, & omnipotens ac summe bonus, nihil à tali auctore & conditore proficiscitur, nec produci potest, quod aliquo vitio vel defectu laborat. Nec auctor excellentior est Deo, nec ars efficacior est Dei verbo, nec causa melior est, quam ut bonum creetur a bono. Sed quis ille ornatus? Quæ illa pulchritudo? Ratio pulchri, inquit Dieterichus, & ipsum pulchrum, vario rerum ornatu constat; nec fuit quidquam in tota rerum natura, quod ad pulchritudinis gratiam & decorem non sit miris modis vestitum & ornatum, ut quemadmodum singula quæque bona erant, & omnia erant valde bona; sic & quæque pulchra erant, ut nihil cogitari pulchrius ornatiisque possit. Cœli ornati & illustrati agminibus stellarum, quæque stella suis radiis, radii splendore, splendor calore. Aëra replebant tot & tanta volucrum genera. Mare piscium variæ & miræ ornabant species. Terram vestivit Dei benignitas agris, arboribus tum forma & figura adspectu amœnis, tum fructibus gratis, floribusque jucundis; tum quoque animalibus, quæ terram suis premunt vestigiis omnis generis, agros herbis, arbores floribus, animalia sensibus. Ipsam totam materiam decoravit variis figuris.

Formas

Formas virtutibus implevit, & virtutes operationibus insignivit.

Per appellationem autem *Exercitus cæli* duo ^{Exercitus cæli, & terræ.} Luminaria, Stellas, & omnia sidera, nec non & Angelos & Animas hominum Hebræi intelligunt. Per *terræ Exercitum*, hominem, animalia, & omnia terræ crescentia. *Exercitus* vocatur primo, propter multitudinem; quia multas Angelorum, Stellarum, & inferiorum rerum myriades Deus initio fecit. Secundo propter ordinem, & aptissimam dispositionem, quam sapientissimus Imperator Deus observavit. Tertio ob obedientiam, quod omnes creaturæ ad nutum divinum ejus voluntatem exsequi paratæ, ut in exercitu milites promptissimè Ducis jussa exsequuntur. Quamobrem postea in divinis litteris, maximè in Prophetis, natæ sunt istiusmodi appellationes, *Dominus exercituum*, *Deus exercituum* &c. quod scilicet ipse sit Dominus exercituum cum cælestium, tum terrestrium, qui eos pro nutu & placito agit, regit & moderatur, sine quo nihil efficiunt. Hoc sensu *Sidera ipsa pugnare* dicuntur contra Siseram, *Jud. 5: 20*. Similem ob causam populus Dei egressus ex Ægypto, vocatur *Exercitus Dei*, sive *Jehovæ*; & merito: quia mirifice Deus in illo populo sapius potentiam suam contra hostes suos declaravit, vid. *Exod. 12: 41*.

Hos itaque Exercitus omnes, dicit Moses, sex dierum operatione perfectos fuisse, vel, ut cum textu loquamur, *Complevit Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat*. Torquent hic sese interpretes, quomodo explicent, quod Moses dicit, Deum in ipso die septimo

E e c 3

mo ^{Operum Dei omnium complementum, & quies eodem die septimo, quomodo hæc concilianda.}

mo complevisse opus suum, qui quieti destinatus erat, & quo die à novis operibus creandis cessasse Deum tradit Moses. Quippe si die septimo complevit, ergo videtur ante diem septimum, scil. die sexto nondum opus perfectum atque completum fuisse, quando dicitur complevisse opus die septimo, actionem sive factum includit, quod eo die peractum, videturque eo die ultimam operi, quod perficere decreverat, manum admovisse, atque absolvisse, quod perficiendum adhuc restabat, sive operi deficiebat. Videtur itaque hic occurrere ἀντιλογία, quam Commentatores non uno eodemque solvunt modo. Hieronymus in *Trad. Hebr. ad Genes.* & cum secutus Galatinus: item Weidnerus apud Jac. Martin. *lib. 3. de tribus Elohim*, horas diei septimi ita partiti sunt, ut aliis Deum opus reliquum perfecisse, aliis ab opere cessasse, dicitent. Et hinc quidam putant refutari posse Judæos, in observatione diei septimi nimis religiosos vel superstitiosos, cum etiam Deus die septimo non plane operari cessaverit. Alii dicunt futurum כִּי, quod per *Vau* conversivum mutatum est in præteritum *complevisset*, ut sit sensus: *cum complevisset Deus opera sua, quievit die septimo.* Celeberrimus Theologus Spanhemius in *Dub. Euang.* in voce כִּי præfixum כִּי loco כִּי vel כִּי positum existimat, & hunc sensum elicit: *Deus perfecit opus suum circa diem septimum*, id est, finiente sexto & ingruente septimo. Atque hanc suam sententiam adstruit adducendo quædam exempla; & inter alia locum *Exod. 12: 15.* ubi dicitur: *Septem diebus azyma comedetis, veruntamen כִּי in die primo, id est, circa diem primum, cessare facietis fermentum.*

tum. Ad eundem modum illud *Matth. cap. 1: 11.* ἐπὶ τῆς μετοικεσίας βαβυλωνῶν Ⓞ, exponit: *circa illud tempus, quo facta est transmigratio.* Theodor. Hacspan. *not. Philolog. ad h. l.* Quibus addit, Hebræos in more habere, ut dicant tempus completum esse, cum nondum elapsum est, sed jam incipit. Sic Actor. 2: 11. dicuntur *completi dies Pentecostes*, cum tamen missio Spiritus S. de qua ibi agitur, appetentibus diebus Pentecostes facta fuerit. Et quod plus est, μετὰ vel *post*, Matth. 27: 63. pro *circa* vel *intra* usurpatur. Veteres Hebræi dicunt, hac formula loquendi innui, Deum in ipso momento, quo Sabbatum intravit, opus suum consummasse. Alii contendunt literam servilem *Beth* בים vim habere Præpositionis קדם, id est, *ante*; ut sit sensus: *Et complevit ante diem septimum*, hoc est, die sexto, *opus suum, ut quiesceret in die septimo.* Quam lectionem etiam amplectuntur LXX. qui habent: *Et perfecit Deus in die sexta opera sua.* Verum, notante Fagio, & Aben Ezra, non opus est hac expositione, cum operis completio non sit opus. Præterea Mosen, dicunt, hac locutione simpliciter velle indicare, Deum plane nihil operatum fuisse in ipso die septimo, sed post sex dierum decursum, vel in sex diebus omnia fecisse & complevisse, adeo ut elapso hoc tempore nihil magis operatus sit, sed ingruente septimo die omnia absoluta fuerint. Et quod mox sequitur: *Opus suum quod fecerat*, sic explicat, *quod fecerat*, scilicet *in die sexto.* Vide Drusium. Verum, quorsum tot sensus & conjecturæ ad solvendum hunc nodum, qui nullus subesse videtur. Habet enim textus:

rus: *Complevitque die septimo opus suum quod fecerat.* Si hæc verba eo sensu interpretamur, qui vitio caret, ut accipi debent, quis non videt ad sensum idem sonare, ac si dictum, *compleverat Deus die septimo opus suum quod fecerat*, uti nostri quoque Interpretes verterunt: Als nu God op den zevenden volbragt hadde zyn werk dat hy gemaakt hadde. *Quum autem perfecisset Deus die septimo opus suum quod fecerat.* Qui enim dici potest Deus, complevit die septimo opus suum, quod die sexto fecerat, atque ita actum agere? Quod enim factum die sexto, etiam completum ac absolutum; atqui universum opus factum; ergo etiam completum. Habet enim Moses sermonem de totius creationis opere, sive omnium rerum creatione, tanquam uno aliquo opere, quod fecerat Deus die sexto; quod autem fecerat, compleverat simul; quia quod ab Ente perfectissimo, sapientissimo, & omnipotente ac omnisciente producitur, statim atque productum omnibus numeris absolutum perfectumque esse oportet, adeoque nullo defectu laborare. Itaque opus quod fecerat, non complevit septimo die, sed perfecerat die sexto: faciendo autem perfecit: quia facere opus & perficere hic unum idemque. Quapropter *complevit* idem hic valet quod *compleverat*; atque juxta rectum verborum sensum Præteritum Hebræum reddi debet per Plusquamperfectum, *Compleverat Deus die septimo omne opus suum, quod fecerat*; si *compleverat*, quando *complevit*, nisi die sexto? Et sic omnis contradictio, & omne sensus vitium tollitur. Notat Drusius ad hunc locum, quod Præteritum Hebræum tam reddi possit per Plusquamperfectum

perfectum, quam aliter. Unum quippe duntaxat Præteritum Hebræis, quod pro cunctis ejus speciebus usurpatur. Per quam autem speciem forma Ebræa exponenda sit, è sensu colligendum est. Itaque pro ratione loci & sensus Præteritum modo per Imperfectum, modo per Plusquamperfectum; & sic accipiendi, inquit statim laudatus Auctor, sunt interpretes, quando per præteritum Perfectum illud exponunt, & sententia est vel de Imperfecto, vel de Plusquamperfecto. Textus autem noster istum sensum poscit. *Quippe*, uti inquit Vir doctissimus Aug. Pfeifferus, *quidquid tentes, sequens verbum נשׂוּ in eodem membro exponendum fecerat, scil. antea, sex præcedentibus diebus.* Præterquam quod ita optimè fluit, & ansa multis tricis præciditur.

Cumque Deus die septimo jam dudum completisset, adeoque completum haberet omne opus factum, quod antea fecerat, cessavit ab omni opere die septimo; Alii dicunt quod Deus absolvit omne opus, non inclusivè, sed exclusivè. Septimo veniente consummaverat opus, quod tum non faciebat, sed fecerat, quodque absolvendum susceperat. Idcirco die septimo destitit novas res producere. Verum aliis nimis durum videtur, diem, in quo dicitur aliquid completum, capere exclusivè. Absoluto & completo sexto die universo opere, requievit die septimo; id est, cessavit a novis rebus producendis. Verum non desit eas gubernare & conservare. Desit velle quidquam amplius creari, seu novam ullam speciem existere; voluntas Dei se non ulterius extendit quam decretum; de-

Diei septimi
quies,
quo sensu
intelligenda.

F f f

creverat

creverat mundum creare, & producere res omnes; quas produxisse scribit Moses; iis autem productis, decreto satisfactum. Itaque subsistere voluit, quia perfecta mundi fabrica eo modo, quo decreverat perficere; cum autem nihil huic deficiebat, quo perfectior aut ornatior effici potuisset, noluit quidquam amplius creari in mundo; quippe omnibus numeris absolutis, nihil creandum restabat. Quamobrem *requievit die septimo*, universo opere peracto, quod sano sensu intelligendum. Quippe cum in quiete duo sunt, Cessatio ab opere, & virium lassarum refocillatio & relaxatio; juxta priorum significationem quies Deo tribuitur, non autem juxta posteriorem. Quare Augustinus, *Nec cum creavit, defessus, nec dum quievit, refectus est. Lib. 4. de gen. cap. 14.* Quies enim Dei est actus merus & perpetuus: proprie enim non quiescit. Neque creando fatigatur, ut quiete indigeret. *Scriptura divina*, inquit Chrysostomus *homil. 10. humano more & quadam attemperatione ad nostram institutionem loquitur. Quievit, id est, substitit, cessavit à creandis producendisque ex nihilo rebus.* Quippe, ut inquit *Es. 40: 28. non lassatur, nec defatigatur Jehova, qui creavit terminos terræ.* Requievit itaque Deus non à defatigatione, sed ab opere, unde Hebraicè *scabat*, id est, cessavit, nolens condere plures mundos, cælos, terras, rerumque species, quas omnes juxta decretum suum perfecerat; absolveratque. Non quievit simpliciter, sed secundum quid, ut dicunt Theologi. Non fuit otiosus, nec deseruit opus creatum; non neglexit

glexit mundum, sed desinit creare nova opera; novos vel plures mundos. Cessavit itaque Deus à creando non vero ab operando. Operatur enim etiamnum, quia totum universum hucusque conservat, omnia sustentat verbo suo potente, suaque cura & providentia gubernat res semel creatas, atque tuetur. Quandoquidem hæ non magis subsistere possent, Deo non conservante, quam à non esse ad esse transire potuissent, Deo non creante. Corruit itaque Manichæorum Hæreticorum objectio. Hi enim contra Moſen objiciebant Christi dictum *Joh. 5. Pater meus operatur usque huc, & ego operor;* quod verum eo sensu, quo etiamnum Deum operari statim diximus: falsissimum vero eo sensu, quatenus operari dicitur dum ex nihilo mundum omnesque rerum species produxit. Priori sensu nunquam operari desinit, posteriori cessavit ab operando condito mundo & postquam sexto die cœli & terra & omnis exercitus eorum perfecti. Nec magis stringit altera objectio, quod Deus post peccatum hominis creavit spinas, tribulos, Iridem, & passim dicit se multa nova creare, *Jes. 43: 19. Ecce, ego facio rem novam. Ego facio cœlum novum & terram novam.* Et *Jerem. 31: 32. Jehova creabit rem novam in terra &c.* Quis enim aliquo fundamento negabit, tribulos & spinas ante peccatum simul cum aliis virgultis creatos atque productos fuisse, eorumque semen terræ insitum, sed absque molestia & noxa hominis, uti *Dissert. I.* annotavimus. Quæ interjecto tempore contracto peccato, ceſſerunt in maledictionem, & hominis laborem in agris colendis

dis sæpe illudunt. Quod Iridem attinet, fuit ante Deucalionis tempora, scil. ante Diluvium, saltem in causis suis; sed postea ordinata est in signum, non creatione, verum gratia. Ex hisce perspiciamus, verè dictum à Mose, Deum quievissse die septimo sensu priori, scil. ab opere creationis, non vero conservationis & gubernationis.

Septimus dies an creatus? Sed quæritur, an *Dies septimus* fuerit creatus? Et cur nulla in Scriptura mentio fiat de ejus vespera & mane, ut in diebus aliis? Mihi videtur admodum improprie de diebus usurpari verbum *creare*: dies enim non creantur, sed terminantur; etenim dies & nox consistunt in ortu, & occasu Solis. Ortus diem, Occasus noctem efficit. Dies incipit ab ortu Solis, desinit occasu. Itaque dies nihil aliud, quam effectus luminis, quod à Sole producitur. *Dixit enim Deus, sunt luminaria in expanso cæli, ad distinctionem faciendam inter diem & noctem: ut sint signa cum tempestatibus, tum diebus & annis.* Causa itaque diei est Sol; ergo Sole creato, dies existit, non tanquam res per se subsistens, sed effectus & vis causæ, à qua producitur. Possset itaque dici dies septimus creatus in causis suis, hoc est, in motu Cæli & Solis, die quarto.

Dies nulli facti. Nullus igitur dies factus, nec primus, nec sequentes; sed facti creato Sole, qui luce sua diem producit. Quippe triduum ante Solem conditum fuit miraculosum ex contractione & expansione lucis primigeniæ. At sequentes tres & septimus, quotque hucusque fluxerunt naturales ortu & occasu Solis definiti. Illud enim tempus, quod ab ortu ad occasum

occafum intercedit, diem efficit. Quoties itaque oritur Sol & occidit, dies existit, ita ut dies per se nihil positivi sit, sed tantum effectus & vis Solis, uti diximus. Quamobrem valde improprie inter res creatas dies refertur. Cur *Vesperæ* & *mane* septimi diei nulla fiat mentio, fatetur se ignorare Celeberrimus Pareus. *Verum*, uti inquit, *cur non respondeamus? Non necessum fuisse, cum tres dies priores naturales jam satis essent terminis definiti.* Et cur nec huic responsioni addere licet, cum exacte & diligenter describit Moses Mundi & omnium rerum diem natalem, etiam cujusque diei terminum, durante creationis opere, repetere, ut eo magis exacte constaret, eo temporis spatio creationis opus Deum absolvisse, scilicet in sex diebus, vespera & mane definitis, & quid singulis diebus peractum, ut inde ordinem, quem singulis in rebus producendis observare voluit Deus, magis conspiceremus, quod omnia certo & terminato suo tempore condita, nihil confuse & inordinate productum. *Interim tamen*, inquit statim laudatus Theologus, *non displicet allegorica causa, ideo taceri, quia septimus dies est Sabbathum proprium Dei, Angelorum & Sanctorum in cælis, quod in nobis esse nunc inchoatur, tandem vero perficitur, quando perpetuam à peccatis requiem agemus.*

De hoc septimo die duo dicuntur: Primo, quod Deus benedixit diei septimo. Deinde, quod illum sanctificavit; addita ratione: *Nam in illo cessavit ab omni opere suo, quod creaverat Deus ad faciendum, Gen. 2: 3.* Cessabat autem non ab imperfe-

Diei septimi benedictio & sanctitas.

cto opere, sed à perfecto opere, uti annotavimus. Quamobrem is dies merito benedictus ac sanctus habetur, in quo perfectis operibus quæ facienda erant, quiescere datur, non ille, in quo rebus nondum perfectis, per defectionem cessatur. Quievit Deus ab absoluto, completo & consummato opere, atque ad finem perducto, cui nihil restabat. Quamobrem illi benedixit, eumque sanctificavit.

Benedi-
cendi
vox quid
denotet.

Benedicendi autem verbum Hebræi sic exponunt, ut significet additionem boni. Bonum autem Sabbatho additum existimant, quod corpus hominis in eo plus vigeat, & anima plus sapiat. Unde nugantur, Deum huic diei benedicendo indidisse singularem vim generandi, seu renovandi vires corporis ad generandum. Quamobrem in Sabbatho maxime liberis procreandis operam dare solent. Alii benedictionem accipiunt de diei septimi multiplicatione seu recurso. Volunt enim, sex dies creationis semel tantum fuisse, solum septimum perpetuo recurrere; quia Deus perpetuo quiescit à creationis opere, & omnes dies ei sunt Sabbathum. Verum alii nimis subtile hoc videtur. Selomo Jarchius, ut alii ex Mose Nachmanide annotarunt, *benedictionem* refert ad primum tempus, quo Israël fuit in Deserto. Sed aliis hoc displicet, quia hac ratione nimis longo intervallo separatur *benedictio* à *sanctificatione*. Sunt qui statuunt hæc verba *benedixit*, & *sanctificavit* à Mose posita per *πρόληψιν*, seu *anticipationem*, quia ea, quæ diversi temporis sunt, & successive sæpe post longum temporis decursum acta sunt, jungi simul & enarrari solent. Et proinde
Mosen

Mosen hic quoque respicere ad id, quod in Deserto factum, cum Manna sexto die dupla mensura, septimo autem non plueret, quo miraculo facto dies septimus cœpit esse Sabbathum *Exod. 16.* Qualis Prolepsis non adeo absurda videri debet, licet tanti temporis intervallum intercedat, ut paulo post annotabimus. Verum propius inspiciamus ea, quæ de benedictione & sanctificatione tradit Moses. *Benedixit, inquit, Deus diei septimo, & sanctificavit illum: quoniam in eo quievit ab opere suo, quod creaverat Deus faciendo.* Quoniam longe præstantior atque honorabilior est ipsa operis perfectio, quam inchoatio aut prosecutio, jure merito Deus, ilico post perfectum & absolutum sex dierum spatio mundi opificium, benedixit diei septimo, eumque sanctificavit, cessans ipse à creationis operibus. Quiescendo itaque benedixit Deus illi diei, non verbo, sed actu, re ipsa, & opere ipso. Maximum in illum contulit beneficium, majus quiddam illo die fecit, quam diebus sex præcedentibus: quoniam fecit Deus diem illum testem perfecti operis, & absoluti universi, gloriæque divinæ plenissimæ demonstratæ. *Quievit enim in die septimo, idcirco benedixit illi.* Quies illa divina evidens argumentum fuit collatæ in diem septimum benedictionis. Inde tamen non concludendum, quasi sex dies antecedentes maledicti, vel benedictionis expertes fuerint. Quippe, uti Viri eruditi respondent, non simpliciter otii gratia, sed propterea benedictus est, quod jam opus creationis esset absolutum & perfectum. *Ab ea autem perfectione quomodo poterunt præce-*

precedentes operum dies excludi, cum quisque ex illis aliquid ad illam contulerit? Etenim nisi præcessisset operum continuatio, locum non invenisset illius perfectio. Quamobrem si perfectio operum Dei septimo die benedictionis causam præstitit, ab illa nequaquam excludi possunt. Muscul. in Genes. cap. 2. Uti nec ab illa excludi possunt octavus, nonus, & omnes subsequentes dies. Nam & illi participes facti sunt benedictionis divinæ, testesque extiterunt perfectorum operum divinorum, enarrantes gloriam Dei, & inservientes celebrandæ ac communicandæ ejus bonitati. Septimo vero diei illa diserte tantum attribuitur, quia nimir. primus in ordine existit, qui benedictionem ἱεροῦσάτο reportavit; quum tamen ad illum solum non pertineat, ut inquit Vir Celebrerrimus Wilh. Momma prælect. Theol. pag. 221. Non benedixit duntaxat Deus diei septimo, verum etiam illum sanctificavit.

Sanctificandi
vox quo
sensu sumenda.

Notandum verbum *sanctificare*, vel *sanctum facere*, non uno eodemque sensu semper venire: quandoque enim denotat id, quod in se sanctum est & purum, celebrare sanctum, sive sanctificare. Ita Dei nomen petimus sanctificari, id est, sanctum haberi, & sancte coli. Et Deum sanctificamus; dum eum sanctum agnoscimus aut prædicamus, animo sanctum facimus, studio & adfectu sanctè colimus. Aliquando etiam *sanctificare* significat, quod in se impurum & profanum est, sanctum & purum facere. Sic sanctificat Deus electos, purgans eos per lavacrum aquæ in verbo. Nonnunquam usui sancto aliquid deputare, quod in se commune est,
ad

ad sanctum finem segregare, ad res divinas separare. Sic Deo sacrificabat, qui rebus divinis peragendis inserviebat, vacabat, uti Sacerdotes; tum etiam Tabernaculum, in quo sacra peragebantur, & colebatur Deus modo solenni; tum etiam utensilia & supellectilem, uti vasa, ceteræque res, quibus in faciendis sacris utebantur Sacerdotes. Denotat denique sanctis rebus & operibus vacare, seu sancta facere. Sic Sabbatha jubentur Israëlita in Lege sanctificare, id est, in eo rebus divinis vacare; Deum eo modo sanctificare ac colere ea solennitate, qua se colendum die septimo præceperat; omnibus rebus & negotiis potius agendis abstinere, seque omnino cultui divino tradere, & in eo occupatos tenere. Quum Deus dicitur sanctificasse diem septimum, id non accipiendum duobus prioribus modis; quippe ante consecrationem dies septimus in se nec sanctior nec profanior erat reliquis. Igitur duobus posterioribus modis, scil. vacatione sancta, & ordinatione ad usum sanctum. Verum, ut quidam volunt, citra restrictionem ad illum diem. Alii existimant, Deum hac ordinatione illum diem peculiariter segregasse ab aliis, sibi & suo cultui appropriasse, ut Dies Domini, Sabbatum Domini, Dies quietis Domini diceretur. Atque hanc ordinationem tacite continere præceptum morale obligans omnes homines. Neque enim Deus eum sanctificavit propter se, sed propter homines, uti docet Christus *Matth. 12. Non hominem esse propter Sabbathum, sed Sabbathum propter hominem*; hoc est, ideo diem septimum sanctificavit, ut homo

G g

fciret

sciret in circulo hebdomadico, diem unum esse se-
gregandum ab aliis & cultui divino publico tribuen-
dum, uti statuit Paræus.

Sabbathi
sanctifi-
catio à
quo tem-
pore ini-
tium
sumserit.

Ita ut propterea quidam existimaverint, ad hunc
diem quasi inaugurandum, omnes Angelorum cho-
ros, speciali quadam exultatione & júbilo in Dei
laudes prorupisse, quod tam præclarum & mirabile
opus absolvisset, putentque de hisce divinis laudi-
bus sermonem habere Jobum *capite 38: 4. Ubinam
eras, quando ponebam fundamenta terræ? Et post:
Cum me laudarent simul astra matutina, & jubila-
rent omnes filii Dei.* Quod tamen non verisimile
videtur, quoniam istis in tertis Sabbati sanctifica-
tio non nisi post multorum seculorum decursum in
usum venisse creditur, scil. temporibus Moysis, quan-
do sub præcepto data est filiis Israël, de cætero ne-
minem ad ejus observantiam obligasse. Quum igitur
Deus sanctificavit diem septimum, vindicavit illum
sibi, ut in illo coleretur, quæreretur & glorificaretur
ab homine ad imaginem Dei condito. Verum,
ut alii statuunt, ejusmodi sanctificatio non pertinet
ad diem illum septimum tantum, tanquam pecu-
liariter à Deo cultui divino destinatum, ipsi Ada-
mo ejusque posteris necessitatem imponens illum
observare, & præ cæteris diebus eo die cultui di-
vino vacare atque operam dare; ideoque huic or-
dinationi sive sanctificationi inesse morale præcep-
tum de sanctificando septimo die, id est, eo die
peculiari modo cultui divino inservire. Alii sanc-
tificationem brevibus illius diei cancellis includi ne-
gant, & proinde illam non ad illum unum, sed et-
iam

iam ad alios dies pertinere; & hoc sensu sanctificationem includere tacite præceptum morale haud negari potest. Homo enim primus imago & gloria Dei servire debebat Deo creatori è toto corde & toto animo, non uno tantum die, sed per omnem vitam, & omnes dies Deo sanctificare æqualiter.

Igitur concludendum quidam statuunt, ut, quod benedixit diei septimo, etiam ad alios pertineat dies, ita & sanctificatio. *Sanctificavit diem septimum*, non vero duntaxat illum sed & omnes dies sequentes. Quia tamen septimus in ordine existit primus, quem Deus sanctificavit & sibi vindicavit, igitur de illo imprimis dictum volunt, *Et sanctificavit Deus diem septimum*. Quod nonnulli etiam ita colligunt. De septimo die non fuit dictum, ut de sex præcedentibus, *Et fuit vespera & mane septimus dies*. Id enim factum videtur, ne forte concluderemus inde, id, quod die septimo factum est, *benedictionem & sanctificationem*, diem septimum tantum spectare. Neque adeo terminis & cancellis unius illius diei septimi circumscribi atque contineri; quemadmodum quodlibet eorum, quæ sex diebus præcedentibus facta sunt, intra cuiusque diei terminum consistunt. Cui addunt, quod sanctificavit quidem Deus diem septimum; verum non duntaxat diem; sed hominem in illo die: addita ratione, quod tempus nequeat sanctificari, nisi in tempore hominem & cogitationes, studia, actionesque ejus Deo, qui sanctus est, vindicando. Quæ sanctificatio non est septimi diei tantum, sed etiam reliqui temporis. Dicitur quidem, Deum

Præceptum de Sabbatho utrum morale, an vero positivum.

Ggg 2

illum

illum diem sanctificasse quiescendo ab opere scilicet creationis: verum id non intelligendum statuunt ut præceptum de cessatione; neque subintelligendum, quemadmodum postea septimum quemque diem sanctificavit præcepto: Mihi non à vero aberrare videntur, qui statuunt, homini integro scelerisque puro, in statu innocentiae nullum aliud præceptum positivum datum fuisse, præter illud de abstinendo ab esu ligni scientiae boni & mali; & proinde egregie falli, qui unico huic præcepto positivo Deum adjecisse præceptum Sabbathi de otio Diei septimi existimant. Nullum enim ejusmodi præcepti usquam occurrit vestigium. Neque sanctificatio septimi illius Diei, quo Deus ab operibus creandis cessavit, probat, Adamo dictum esse; *Non facies ullum opus Die septimo*; uti dictum, *Ex arbore scientiae boni & mali ne comedes*, addita comminatione vel poena, ut *in die qua ex ea comederet, morte moreretur*. Quorsum ejusmodi præceptum? quippe ei, ceu recto, & imaginem Dei retinenti, omne tempus sanctum fuit. Quamobrem non septimo tantum die, sed per omne vitae tempus, ejus opera meditari, sapientiam, bonitatem, potentiam, adeoque eum in æternum perfecte colere conveniebat statui hominis integro, quale Sabbathum Angeli & beati in cœlis celebrant. Ad tale Sabbathum homo creatus, taleque celebravit Adamus in statu integritatis. Si tale Sabbathum, quod vere morale est, intelligant, utique hoc primo homini datum esse negari nequit, & omnibus ejus posteris, ferisque nepotibus adhuc celebrare incumbit. Verum peculiariter septimum illum diem mundi primordio segregasse Deum ab aliis

aliis diebus, atque præcepisse Adamo, ne ullum septimo Die opus faceret, ut postea in Deserto populo Israëlítico præcepisse constat, nusquam ex sacra Scriptura perspiciamus. Præterquam quod ejusmodi Sabbathi cultus primo hominis statui non conveniebat, ut dicere incipimus, non magis fere quam postea statui fidelium in cœlis, ubi non septimo quoque, sed perperuum celebratur Sabbathum. Cui etiam accedit, ut alii annotarunt, quod sanctificare Diem septimum non necessario significat, otium cujusvis Diei septimæ imperare. Quinimo non videtur convenire Deo, ut tempus inter se & nos distribuat, & septimam ejus partem sibi reservet. Deus itaque cultum suum ad certum tempus alligasse censeari nequit: est enim amandus, quærendus & honorandus omni cogitatione, *Marc. 12: 30, 37.* Quare non datur tempus, quod recte & juste potest carere divino præcepto: Omni quippe tempore est Deus finis, & dominus, & bonum hominis, adeoque ut glorificetur, eique servitium præstetur, necessum est. Istiusmodi obligatio moralis & naturalis est, atque nulla ratione hac solvi potest homo. Itaque ipsum etiam Adamum ligavit ut Deum creatorem suum quæreret, amaret, honoraret, & coleret, non septimo quoque die duntaxat, sed omni vitæ tempore, omnibusque diebus, quod in statu integritatis præstitit, atque omni vitæ suæ tempore præstitisset, idque ex impetu rectæ suæ naturæ & propensa erga Deum voluntate, qua ferebatur continuo ad Creatorem suum, ex toto corde totisque viribus amandum, illumque quærendum tanquam summum bonum.

Dies septimus ab aliis diebus non separamus.

Frustra itaque ejusmodi præceptum ; frustra Diei septimi ab aliis diebus segregatio ; ubi natura pronus erat Adamus ad Deo præstanda officia, quæ Deo debebat, & diei segregatio, ubi omni vitæ tempore, perpetuo & continuo ad Deum colendum natura ferebatur & incitabatur. Verum quamvis verba Mosis *Genes. 2: 2, 3.* de isto Sabbatho intelligi possent, septimo post creationem die, qui primus opera Dei absoluta & perfecta vidit, & beatissimus mundo illuxit, quamobrem peculiariter benedictus à Deo dicitur, reliquisque in omnem porro ætatem diebus ab homine celebrandus & sanctificandus ; tamen simplicius, cum Celeberrimo Burmanno aliisque summis Theologis, per *Prolepsin*, sive Anticipationem, uti paulo ante annotavimus, de Sabbatho hebdomadali explicari statuendum existimamus ; adeoque Mosem tum statim narrare id, quod noviter in Deserto, ratione septimi Diei, institutum est, *Exod. 16: 28, 29. Ezech. 20: 10, 12.* ubi institutio Sabbathi in Deserto facta dicitur ; uti id quoque fatentur omnes R. veteres. Cujus Prolepseos exempla apud Mosem frequentia sunt in eodem *Capite 2. Genes. 5. 8, 10, 14.* ubi statim fit mentio de auro, de gemmis *Schoban, Bedola*, de fluviis *Pischon, Gichon, Chiddekel & Euphrate* ; de regionibus *Chavila*, vel *Arabia, Assyria, & Æthiopia*, quæ omnia statim atque immediate post creationem fuisse nota sub ejusmodi nominibus, haud fir dem meretur, eo minus, cum nomina fluviis imposita & regionibus data multis seculis post creationem, ab incolis, vel terrarum dominis, aliasque varias ob causas. Et quamvis Moses expresse dicat, *Deum creasse*

creasse cælum & terram sex diebus, & quievisse septimo die, ideo Deum sanctificasse septimum diem; argumentum non est, Deum statim post creationem Sabbathum instituisse; verum, ut inquit Braunius, redditur tantum ratio per Prolepsin, quare Deus septimum Diem potius quam alium, postea observari voluerit; scil. quia ipse eodem die quievit, ut populus suo exemplo efficacius permoveretur ad observandum diem, quem Deus observari voluit. Cum enim præceptum de Sabbatho, eò tempore, quo Moses historiam de origine mundi composuit, Israël datum erat, factum est, dum forte sermonem habens de septima Die, quæ sex priores creationis dies exceperit, hac occasione, huic narrationi sive historię addit benedictionem & sanctificationem, qua Deus hanc diem hebdomadalem beate voluit: scil. eam, quæ facta interjecto tempore postea in Deserto; quippè tempore creationis nulla ejusmodi benedictio & sanctificatio facta. Hujus enim benedictionis & sanctificationis Moses mentionem facit, ut occasionem arriperet demonstrandi populo, cui præerat, hunc diem, in quo ab omni opere quievisset Deus, eundem illum esse, quem Deus præceperat observari in Deserto, atque etiam mannae manifestissimo argumento eundem esse confirmaverat, cui cum singulis, imo multis miraculis benedixerat & sanctificaverat, ut in eò, exemplo Dei, quiescerent, & in memoriam revocarent, Deum eò die absoluto & perfecto creationis opere, quievisse ab operibus, scil. novis rebus producendis.

Quamobrem, quamvis Moses hanc benedictionem & sanctificationem Sabbathi historię, quam de Mundi

Septimus
dies ante
Legilla-

di

tionem
non in-
stitutus,

di origine, sive ejus rerumque omnium die natali litteris consignare animum induxit inferat, tamen eo tempore, quo ab operibus quievit Deum tradit, eam factam esse haud sequitur, verum per Anticipationem duntaxat quod in Deserto factum narrat, ob rationem statim adductam. Non me fugit, quarto præcepto dici *memento diei Sabbathi*: verum exinde non sequitur, diem istum institutum fuisse ante legislationem, & in ipsa quasi creatione, cujus debemus meminisse, ut vetus observantia tantum in memoriam revocata sit populo. Quippe, ut inquit statim allegatus Theologus, verbo *memento*, non semper revocat in memoriam vetus institutum, cum tale institutum nusquam legatur; sed fortius inculcat mandatum Dei, quæ locutio *memento* hoc sensu non est insolens. vid. *Job. 7: 7.* & *cap. 36: 24.* Etsi, pergit, vel maxime respiceretur ad institutionem aliquam præcedentem, tamen non intelligeretur institutio ante peccatum, sed potius ea, quæ non diu antea per Moysen facta fuit in Deserto. *Exod. 16.* *Quamvis autem non improbabile videatur opinari*, inquit Torნიellus *Annal. Mund. pag. 48.* *quod saltem Enos, qui fuit tertius ab Adamo, & de quo dicitur Gen. 4: in fine*, Ipse cœpit invocare nomen Domini. *Subaudi, non absolute, (id enim Cain & Abel prius fecerant in suis sacrificiis, & ut credimus, ante ipsos etiam Adam) sed quod ipse, qui cœperat invocare nomen Domini piis quibusdam adinventionibus & observantiis inter alias ipsam quoque Sabbathi observantiam, in usum primus inducere curaverit: cessando ab operibus servilibus, ad honorem Dei & ad aliqualem ejus imitationem, quem sciebat eo die requievit,*

requievissent, & eundem sanctificasse, tum etiam, ut hac potissimum ratione gratias Deo ageret, pro ipsa mundi rerumque omnium creatione. Attamen, inquit, de hac Sabbathi observantia tunc temporis exercita nihil certi affirmare possumus, præsertim cum nulla ejus in Scripturis sacris mentio habeatur. Unde si in prima Mundi ætate, penes quosdam custodita fuit Sabbathi sanctificatio, necesse est, non ex divino præcepto, quod nullum tunc existabat, sed ex sola pietate id actum fuisse, & non multo post, nimirum in universali illa hominum prævaricatione, quæ subsequuta est, & mox generali Diluvio punita fuit, omnino defecisse. Patet itaque non nisi Mosaicæ legis temporibus, in usu fuisse memoratum septimi Diei cultum, nec post eam etiam semper, nisi penes Hebræos perdurasse.

Ex hisce omnibus perspicimus, quando Moses Homini primo, segregandi septimum ab aliis diebus, nulla lex data. inquit, *Et quievit Deus die septimo, & benedixit Deus diei septimo, & sanctificavit eum, nam in eo quievit, seu cessavit, ab omni opere suo quod fecerat,* nullum præceptum dari homini primo, quo obligaretur illum diem segregare ab aliis diebus, & in eo die peculiari modo rebus divinis vacare, scilicet ut omnino ab operibus servilibus cessaret, & totum diem rebus sacris peragendis consumeret atque traduceret; quippe ejusmodi præceptum, uti diximus, non conveniebat statui integritatis primi hominis, utpote qui sponte sua, duce naturali voluntatis propensione omnes suas cogitationes, & omnia studia conferebat, ad Deum creatorem suum quærendum, colendum, & omni amore prosequendum; in ejus

H h h

cultum

cultum omnes defixæ erant cogitationes , id unicè optabat , & in eo continuo versabatur ; cum mens & animus nunquam à creatore suo abalienari poterat , sed continuò sanctitate & rectitudine præditus , voluntas semper appetebat summum sui bonum & finem . Quamobrem omni tempore eum quærebat , honorabatque omni cogitatione : vitæ enim integer scelerisque purus , id est , ad imaginem Dei conditus homo , non præcepto & legis metu , sed sponte , natura duce , colebat Deum creatorem suum , & ita Sabbathum celebrabat omni vitæ tempore . Itaque benedictionem & sanctificationem septimi Diei si ponamus , immediate creationis opere absoluto , factam fuisse , ex illa nullam legem , qua Sabbathum , id est , septimum Diem hebdomadalem cultui divino dedicandum , & ab omni opere servili abstinendum , Adamo , ejusque posteris præcepisset Deus , deduci posse mihi videtur .

Quies
Dei non
est tan-
tum sep-
timi
Diei , sed
æterna
ab operi-
bus cessa-
tio .

Quamvis tamen non negem , quatenus respicit cultum divinum , qui præstandus certo tempore , moralem necessitatem continere . Quippe isto loco ne $\gamma\pi\upsilon$ quidem legitur de Sabbatho hebdomadali ; sed quod Deus à jacto Mundi fundamento , id est , statim post creationem quieverit . At ista quies non est quies septimi tantum Diei ; sed æternam spectat quietem , quatenus ab operibus suis cessat , iisque acquiescit in æternum . Sin autem hominem post lapsum , imagine Dei exutum , & proinde à Deo quasi abalienatum & aberrantem spectemus , attamen devinctum & alligatum ad colendum & quærendum Deum ; ex illa tamen sanctificatione non alia

lia profluit lex, quam in statu integro obtinuit de septimo quoque Die colendo; quippe eodem necessitatis vinculo devinctus manet homo Deum creatorem suum in totius vitæ cursu, & omni tempore quærere, colere, eique præstare divinos honores; illa enim necessitas moralis in utroque statu eadem est, & eandem obligandi vim producit. Verum cum post lapsum mens hominis à Deo alienata sit, ita ut cultum divinum magis magisque negligere cœpisset, tum etiam magis de corporis commodis, quam animi salute curanda sollicitus erat, & proinde magis sibi ea parare, quæ ad vitam terrenam tuendam, quam æternam adsequendam intentus erat, quamobrem terrestria appetens, spiritualia aspernabatur, & Deum, ejusque cultum deserebat, placuit summo Jehovæ tandem Israëlitis, quos sibi in peculiarem populum adsciverat, ad cultum divinum revocare, lege lata, qua præcepit Diem septimum ab aliis diebus segregare, cultuique divino dicare; cujusmodi certi diei determinatio etiam summæ bonitatis & propensæ voluntatis erga populum suum argumentum, quippe cum assidue & continuo Sabbathum celebrare, & cultui divino vacare devincti erant, ut magis commoda vitæ necessaria, & humana negotia curarent, septimo quoque Die iis abstinere, & cultui divino rebusque sacris inservire & vacare imperavit.

Quamobrem præceptum illud septimo quoque Die ab omnibus operibus & humanis negotiis peragendis abstinendum, totum positivum, nec à prima illa sanctificatione aliqua probabili ratione deduci ejus origi-

Præceptum de septimo Die colendo, positivum.

nem posse, mihi videtur. Profluit quidem ex morali necessitate, qua tenemur Deum colere; verum septimi Diei determinatio, & ad cultum divinum ab aliis diebus segregatio, omnino dependet à Dei voluntate. Quemadmodum Deus creationis opus die sexto absolvere, & septimo quiescere voluit; ita quoque pendebat à Dei beneplacito illum diem postea segregare ab aliis diebus, & cultui divino peragendo destinare atque eligere. Quamobrem Sabbatum hebdomadale sicut & ipsum præceptum mere positivum, quoad determinationem tum cultus divini, solenni aliquo modo peragendi, tum temporis sive diei ad eum peragendum destinati. Neminem fugere potest, quantam olim & hodie hæc materia Theologis disputandi causam præbuerit; nos vero hanc quæstionem ipsis decidendam relinquimus. Breviter tantum, quantum ratione ea, quæ juris naturalis sive moralis sunt, indagare possumus; de moralitate hujus institutionis sive præcepti disputavimus. Et ut, quasi compendio, quid de hujus legis vi & obligandi necessitate, tum ejus origine sentimus, circumscribamus, breviter annotabimus, vel potius hic describemus; quæ in nostris ad Grotium *de Jur. Bel. & Pac. lib. I. cap. I. §. 17. n. 4.* disputavimus; scil. præceptum de cultu divino certo & statò aliquo tempore peragendo in se plane morale atque perpetuum esse; quippe si necessitatis moralis est, ubique semper & continuo omni vitæ tempore Deum colere, ergo ejusdem quoque necessitatis est, certo & statò aliquo tempore sacris faciundis & rebus divinis peragendis vacare

vacare, quia ex ipsa divina natura immediatè profluit; posito enim Deum esse, divinum quoque cultum ei præstandum non dicitur naturalis duntaxat ratio, sed exigit Deus; quia non minus hominem de illa necessitate, qua Deum colere tenetur, dispensare potest, quam seipsum abnegare. Ejusmodi enim cultus, quia Deus semper est, quod est, & idem manet, continuo quidem præstandus & peragendus, sed non eodem modo præstari potest, vel eadem solennitate peragi; verum quia plurima negotia homini curanda incumbunt, sine quibus vitam neque satis commode, neque ullo modo transigere possumus, placuit Deo certum & definitum tempus constituere, cultui divino peragendo peculiariter destinatum. Cujusmodi certi & definiti temporis constitutio, non minus moralis est, quam ipse divinus cultus; quippe eo ipso quod præcipitur cultus divinus, etiam certum tempus ei peragendo præcipi necesse est, quia sine certi temporis constitutione & definitione fieri nequit. Certi itaque temporis constitutio (sermonem habeo de statu hominis post lapsum) eodem modo fluit ex necessitate rei peragendæ, quemadmodum ipsa res sive cultus divinus procedit ex essentia & imagine divina.

Verum quæri hic potest, an istius temporis definitio non arbitraria sit, ita ut Deus loco septimi, octavi, vel noni aut decimi diem potuisset destinare & constituere ad cultum divinum faciendum? & an semel destinatum tempus posset iterum mutari, tanquam aliquid positivum, & à voluntate constituentis dependens? Videtur mihi dicendum,

Tempus cultui divino destinatum, an mutabile?

H h h 3. dum,

dum , non magis fuisse necessitatis moralis septimi Diei institutionem, quam necesse fuit cœli & terræ aliarumque rerum productionem sive creationem, & totius universi perfectionem sex dierum spatio circumscribere, eoque peracto ab operando quiescere. Quemadmodum enim voluntatis divinæ fuit cœlum & terram, totumque hoc universum creare, ita quoque, prout ipsi placuit, potuit certum tempus statuere ac definire, intra quod opus suum perficere vellet. Ideoque quies divina ab omni opere die septimo habita, ejusdem generis & naturæ esse debet, cujus est definitio temporis ad perficiendum opus destinatum. Si placuisset Deo opus suum intra septem vel decem dies absolvere, quievisset vel octavo, vel decimo, & quidni undecimo vel duodecimo die, eumque sanctificare potuisset. E quibus perspiciamus, numerum septenarium non habere aliquid in se morale, quasi flueret ex ipsa divina natura, idcirco institutio Diei septimi ad Dei cultum solenni more peragendum non habet in se necessitatem aliquam moralem, qua obligamur præcisè unum è numero septenario cultui divino destinare, sed institutum, præcisè unum è numero septenario tanquam morali quadam necessitate adstricti celebrare debemus, propterea quod certo tempore divino cultui vacandum dicat naturalis ratio; quamobrem nulla gens tam barbara est atque extra mores projecta, quæ statò aliquo tempore cultui divino non inservit. Verum non dicat præcisè Diem septimum cultui divino faciendo destinandum, vel ab aliis diebus segregandum, ut eo die
ab

ab operibus fervilibus faciendis abstinentes, duntaxat rebus sacris peragendis vacemus, quemadmodum cætera moralia præcepta necessitatis esse, ideoque antecedenter ad omnem Dei voluntatem ejus institutionem necessariam esse perpetuam & immutabilem. Imo si placuisset Deo, non potuisset quievise septimo Die, & nobis præcipere, ut quinto vel sexto die cultui divino & publicis religionis exercitiis solenni modo vacaremus: atqui jam constat septimo die Deum quievise, & quiescendo sanctificasse, id est, deputasse & destinasse cultui divino, tum etiam voluisse & præcepisse, ut nonduntaxat Hebræi, tanquam in peculiarem sibi populum adsciti, meminissent diei Sabbathi, eumque sanctificarent, id est, vacarent cultui divino, ita ut ipsis non liceret ullum opus facere, sed & universum obligat mortale genus, propter commune nascendi principium, non quatenus quasdam solennitates & ceremonias attinet, quæ duntaxat populi istius Deum colendi peculiare ritus spectant, verum quod ad ipsum cultum divinum. Quoniam est universi generis humani auctor & creator & commune exemplar, ad quod quemque, quatenus natura humana capax, imitari oportet, componere se tenetur, illudque sequi, quamdiu non constat aliud voluisse. Quatenus autem universi generis humani auctor & creator est, quisque eum colere devinctus est; quoniam autem certum tempus divinus cultus postulat, Deum vero illud definiisse, & præcepisse constat, cuique necessitas imposita, qua tenetur voluntati divinæ obsequi, & idcirco statim aliquo

aliquo tempore inservire & vacare cultui divino peragendo, quamdiu non liquet hujus universi Conditorem aliud tempus, vel alium diem præter septimum, vel unum è numero septenario, cultui divino destinasse, vel instituere voluisse. Quemadmodum pependit à divina voluntate septimi Diei sanctificatio, ita etiam ex ea pependit istius diei sanctificationem humano generi præcipere vel in perpetuum, vel pro tempore, atqui non pateat Deum contra dispositionem priorem abrogare voluisse, concludimus, omnes gentes ac nationes, ad quarum cognitionem aliquando perventura est Dei voluntas in Decalogo manifestata circa sanctificationem septimi Diei, alligatas ad unum diem è numero septenario cultui divino solenniter destinandum, eoque ab omni opere quiescendum, & rebus divinis peragendis solenni modo vacandum. Quod & ratio naturalis dictasse videtur Ethnicis; utpote qui in celebrandis festis diebus, qui peculiariter destinati erant sacris peragendis observarunt, ut, præter sacra, aliis rebus operam dare, apud ipsos fere nefas duceretur. Quo respiciens Ovidius *Fastor. lib. i.* ubi de feriis Calend. Januar. agit:

Lite vacent aures; insanaque protinus absint

Furgia. differ opus, livida lingua, tuum.

Neque minus ab aliis operibus negotiisque homines cohibebantur. Testatur id Sext. Pomponius *lib. 14.* cum inquit, *Præciamitatores*, vel ut alii legunt, *Præclamitatores dicuntur, qui flaminibus Diali, Quirinali, Martiali antecedentes exclamant, Feriis publicis, ut homines abstineant se opere, quia*

his

his opus facientem videre irreligiosum est. Quamobrem, ut Servius etiam annotat, Pontifices sacrificaturi præmittere Calatores suos solent, ut sicubi viderint opifices adsidentes, opus fieri prohibeant, ne pro negotio suo & ipsorum oculos, & Deorum ceremonias attaminent. Feriæ enim Deorum operæ creditæ sunt. Atque id institutum Plutarchus ad Numam Pompilium Romanorum Regem referens, inquit, In profestis autem & omnino in Sacerdotum festis, per urbem Præcones præcedere solebant, qui ut quiescerent, & ab omni opere desisterent, jubebant. Et ut inquit Cicero de LL. lib. 21. cap. 12. Feriarum festorumque dierum ratio in liberis quietem habet litium & iurgiorum, in servis operum & laborum. Eadem fere ratio, ob quam Sabbathi feriatio à Deo destinata. Hæc pauca de Sabbathi institutione ejusque moralitate, quatenus duce ratione adsequi potui, delibasse sufficiat. Quæ enim in hac quæstione tractanda ex intima Theologiæ medulla depromi & erui debent, sacrorum oraculorum Interpretibus & SS. disciplinæ Doctoribus examinanda relinquo.

Post summariam eorum narrationem, quæ sex primis diebus in opere creationis omnium gesta sunt, subjicit paralipomena quædam, ad tertium & sextum diem pertinentia; atque videtur hic Moses historiæ creationis, quatenus primo Capite descripsit, finem imponere: quamobrem doctis quibusdam Interpretibus videtur hic ordiendum secundum Caput, *Iste, inquit, sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt in die, quo creavit Deus cælum*

Et terram. Et omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret. Clausula est transitoria, cum inquit, *Istæ sunt generationes cæli & terræ.* Quasi diceret, hi sunt natales, hi sunt ortus, vel origines cæli & terræ, omniumque rerum, quæ eo ordine & modo, quo expositum est, & non aliter, productæ & creatæ sunt, mundi primordio: hoc habuere igitur initium & existendi principium, quidquid Philosophi & Poëtæ de æternis Naturæ generationibus somnient & contra fabulentur. Moses enim hic testis est omni exceptione major, falli nescius, divino Spiritu ductus, Historiæ hujus auctor, cui itaque fides omnino habenda. Non est nobis animus quæstionem illam tractare, an Moses, vel quisquam alius Pentateuchi, & imprimis libri, qui Genesis inscribitur, auctor fuerit; placet nobis affirmativa sententia, saltem quisquis ille fuerit, Spiritu divino ductum omnino nobis persuasum.

Genera-
tionis
vox quid
includat.

Usus itaque est voce *generationis* pro exordio & ortu, & die natali omnium rerum, quas nomine cæli & terræ complectitur; quippe per *cælum & terram* Moses intelligit etiam reliqua omnia, quorum ortum & originem antecedenti Capite descripserat, neminem, qui mentem sanam in corpore sano circumfert, inficias ire credo. Hebraicè *tholedoth*. Annotarunt ejus linguæ periti, hanc vocem apud Hebræos modo originem ejus rei, de qua sermo est, modo posteros eorum, de quibus agitur, significare. Priore sensu hic sumi, posteriore infra cap. 5: 1. vid. Joann. Cleric. *comment ad b. l.* „ Ut „ *jalad*

„*jalah* primario genuit, inquit, atque inde quidvis fecit, significat: ita quoque derivatum, quo hic utitur Moses; primo quidem *generationem*, deinde quamvis *procreationem* significat.” Sic etiam apud Græcos γενᾶν, quod *generare* est, passim *efficere, creare*, sonat. Et γένεσις *generatio*, est *actio*, qua quidvis fit, vocatur. Ita hunc primum Pentateuchi librum vocarunt γένεσιν, id est, librum, in quo omnium rerum generationes sive ortum tradit ejus auctor. Productio sive creatio cœli & terræ omniumque rerum, quæ suum esse habent ab universi conditore, auctore & hoc sensu genitore Deo, *generatio* vocatur. Eodem sensu inquit Job 38: 28, 29. *Estne pluvie pater? aut quis genuit guttas roris? E cujus utero egressa est glacies? aut pruina cœli quis genuit?* Vid. *Psal.* 90: 2. *Proverb.* 27: 1. Isti enim sunt idiotismi Hebraici, & nihil aliud sunt, quam, Deus creat & dat pluviam, guttas, rorem, pruina, & facit glaciem. Ostendunt quoque Viri eruditi, & inter alios Porchetus, ex commentario antiquo in Exodum, Hebræos observare vocem תולדות *tholedoth*, id est, *generationes*, semper defective scribi, scil. sine *Vau*, excepto hoc loco, & *Ruth cap.* 4: 18. Hic autem plene scribi sex litteris. Quo etiam secundum Judæos indicatur, secreto mundum à principio perfecte productum à Domino fuisse, sed Adæ peccato corruptum multipliciter, adeoque postea diminute scribi, restituendum autem & recreandum per Messiam filium Davidis, Christum dominum nostrum. Quamobrem in fine *Ruth cap.* 4. ubi de generationibus Phares

I i i 2

agitur,

agitur, plene scribitur; quia per Christum ex Phares ortu mors destructa est, vel quia in generatione Davidis cessavit obligatio originalis culpæ, quam per peccatum Eva imposuit omnibus suis filiis. Ut fuerit incompleta & defectuosa omnium hominum generatio usque ad David. Corruptus itaque mundus restituendus per Messiam *in die, qua fecit Dominus Deus terram & cælum.* Aben Ezra observat, hic primum nomen hoc gloriosum & terribile *Jehovæ* usurpari.

Jehovæ
vocis e-
nergia &
vis.

De hoc *Jehovæ* nomine multi multa dixerunt, ad-
eo ut integri Tractatus & libri de eo scripti in docto-
rum Virorum manibus versentur; erudite verò admo-
dum de ea voce disputarunt Viri celeberrimi & He-
brææ linguæ peritissimi Jo. Drusus, Nic. Fullerus,
Sixt. Amama, Capellus, Buxtorfius, aliique, quo-
rum de hac voce peculiare Diatribæ ad nos pervene-
runt, & in doctorum Virorum Bibliothecis adservan-
tur. Verum, non ineleganter quidam inquit, *Quod
de Carthagine Sallustius, id ego de hoc nomine; præ-
stat tacere, quam pauca dicere.* Hoc nomen Dei Is-
raëlis proprium *Exod. 15: 3.* Hujus vocis energiam
& vim perspicimus *Apocalyps. cap. 1: 4, 8. & 11: 17.
& 16: 5.* ubi, *Qui est, qui erat, & qui futurus est.*
Ducitur, uti annotarunt hujus linguæ Interpretes, ab
הוה havah, erat; & prima littera *Jod*: denotat,
vult esse, & secunda *He*, denotat, *est*. Hebræorum
Magistri id fatentur, quippe R. Bechai *ad d. l. Exod.*
affirmat tria hæc tempora *Præteriti, Præsentis, &
Futuri* hoc nomen Jehovah complecti, ut cuivis no-
tum est. Quod autem vere sit proprium, vel ex eo
apparet, quod numerum pluralem nullo modo ad-
mittit,

mittit, neque ullam sui mutationem, quando cum alia voce construitur, ut יהוה צבאות *Dominus exercituum*, neque ab initio ה demonstrativum recipit, neque à fine ullum Pronomen ei adfigitur. Significat etiam, Deum ab æterno ante mundi jacta fundamenta decrevisse, quæ in tempore in actum deducat, suasque sibi habuisse vias; tum etiam, quod omnes creaturæ ab ipso sint, id est, esse suum acceperint, quippe ipse dat omnibus vitam, & halitum, & omnia, *Act. 17: 25*. Ita ut etiam det esse verbo sequens quod locutus, hoc est, is qui facit, ut decreta & promissa exitu & eventu compleantur, *Exod. 6: 3. Esai. 45. 22. Ego, inquit, tibi præiturus sum, & inæqualia æquaturus; valvas chalybeas fracturus, & vetes ferreos succisurus; daturusque tibi thesauros abstrusissimos, & repositas opes abditissimas: ut cognoscas me Jehovaham, qui voco te nominatum, Deum Israelis esse.*

Atque hoc sensu, vel hac significatione sumpta voce, differt ab *Adonai*, *Domino*, eo nomine, quo Deum conservatorem & totius universi Dominum denotamus. *Jehovah* autem nomen divinæ essentiae, quæ nullo humano ingenio concipi potest, proprium. *Jehovah* nomen Dei maxime proprium habendum, ac solum præter cætera ad divinæ majestatis essentiam plane, diserte, & absolute significandam, destinatum, censet Vir. doctissimus Nicol. Fullerus *Miscell. Theol. lib. 4. cap. 13*. Cui convenit nomen *Ekejeh*, *ero qui ero*, *Exod. 3: 14. LXX. ego sum qui sum*, vel, esse volo, *יהוה אומר*: atque ita habet vulgata versio. Alii malunt vertere, *Ego sum is, qui est*. Hebræa
Iii 3
autem.

Jehovah.
 vox quo
 sensu ab
Adonai
 nomine
 differat

autem ad verba sonant, ut annotarunt ejusdem linguæ periti, *ero, qui ero*. Idem quoque *Jehovah*, *Gen. 15: 2.* & *יהוה Jah* *Exod. 15: 2.* Observarunt tamen Viri eruditi LXX. *Jehovah* non secus quam *Adonai* vertere *Dominum*; uti etiam in Novo Testamento sæpe hanc vocis versionem offendimus. Sic *Matth. 22: 44.* εἶπεν ὁ Κύριος τῷ Κυρίῳ μου, ubi in Hebræo est τὸ τετραγράμματον *Dixit Jehovah Domino meo*, *Psal. 110.* vid. *Glassium Explicat. hujus Psalm. sect. 1.* Judæi etiam nomen tantæ majestatis, si quando id legendo occurrat; *Adonai* legendum statuunt, quod *Dominum* significat. Unde factum, quod LXX *Κύριον* sint interpretati, quorum interpretationem secuti sunt Apostoli. Doccebant enim Religionem, non linguam. Verum concedunt hoc nomen in Sanctuario Sacerdotem, quando populo benediceret, elocutum fuisse, uti præceptum *Num. 6: 23, 27.* Hoc vero casu excepto nomen tantæ majestatis eloqui interdicitum censebant. Verum hoc superstitioni Judæicæ condonandum. Quippe, uti inquit Castalio, *Si Mosi scribere fas fuit, & nobis legere ac eloqui fas est: neque enim scripsit non legenda.* Hæc breviter de nomine *Jehovah* annotasse sufficiunt; non citabimus tum ex Veteri, tum Novo Testamento loca plurima, quæ testantur sæpius hoc nomen verti *Dominum, Deum*, uti patet *Rom. 1: 9.* *1 Cor. 12: 3.* *2 Sam. 7: 3.* *1 Chron. 17: 2.* *2 Reg. 11: 10.* *2 Chron. 23: 9.* *Deut. 8: 3.* Sed hoc ejus linguæ peritis relinquimus.

Nomen
Jehovah
etiam
Gentilibus
non
ignotum.

Silentio tamen præterire non possumus, olim quoque apud Gentiles, & præsertim Græcos, nomen illud innotuisse; quemadmodum perspicimus ex illo Apollinis

linis Clarii oraculo apud Macrobiū *lib. I. Saturnal. cap. 18.* Diodorus Siculus *Histor. lib. I.* sermonem habens de Legumlatoribus antiquis, qui simularunt se Deorum munere acceptas leges popularibus suis constituisse, mox subjicit: *Apud Judæos Moses finxit Deum illum, qui 'יאו cognominatur, leges ipsi tradidisse.* Ita in *Alleluja* ἅ pronunciat. Epiphān. in Archonticis inter alia nomina Dei etiam adfert יאהו, quod interpretatur, *Ὁς ἦν καὶ ἔτι καὶ αἰὶ ὦν.* leg. καὶ ἔτι, & forte יאהו. Id nomen יאהו Theod. in *Exod. quæst. 15.* Samaritanis attribuit: quippe ait: *Samaritani vocant illud nomen Fabe, Judæi vero Ja.*

Omnia vero illa cœlestia & terrestria, quorum diem natalitium Moses præcedenti Capite descripserat, creata sunt in die, qua creavit Deus sive Jehova cœlum & terram. Dies enim hic sex dies proprie dictos complectitur. Itaque pro illo tempore sumitur, quo omnia creata, cœlum & terra, totumque creationis opus perfectum & absolutum fuit. Dies enim in genere tempus passim dicitur. *Longa dies igitur quid contulit,* apud Juvenal. id est, *longum tempus.* Verum notandum, nomen *Dies*, quando tempus denotat, fœmininum esse, & sic *longa dies*: inde *diecula* pro exiguo tempore. Quamobrem *in die qua*, hoc est, in tempore quo, sive, quo tempore. Et sic hic significat totum tempus creationis, *Quo fecit cœlum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret.* Pertinent hæc ad opus tertii diei, in quo terra virtute verbi Dei herbas & arbores sponte produxit, nulla opera, cultura, vel cura humana accedente.

Vocis
Diei si-
gnifica-
tio.

dente, nec virtute naturæ opitulante, sed à Deo factæ sunt.

Omnium
rerum origo im-
mediate
à Deo.

Huc spectat, quod dicit *antequam oriretur*, sicuti postea fieri cœpit, & quotannis solet. Immediatè enim omnia à Deo producta, sive creata, nulla Naturæ, vel humana ope adjuvante. *Non enim pluerat Dominus Deus super terram*, ut mediante humectatione, quæ est ex pluvia, herbæ & arbores germinerent; nec homo erat, qui operas suas ad colendam terram conferre poterat, & idoneam facere ad producendos omnis generis fructus & arbores. Itaque sensus videtur esse, quod omne virgultum regionis cœperat esse in terra, omnisque herba jam germinabat, etiamsi Dominus non pluisset super terram. Nec etiam homo esset, qui coleret operareturque terram; cuique enim notum, quam multum confert ad agrorum fertilitatem hominum cura atque cultura. Verum summus rerum Opifex omnia produxit immediatè; quippe qui infinite potens, nullis eget mediis, præterquam quod nullæ causæ secundæ, nisi ab eodem auctore, qui causa prima; itaque huc referenda omnium rerum origo atque existendi principium. Videtur tamen Moses occurrere quasi voluisse hominum incredulitati, credentium, naturam terræ esse, ut producat ex se fructus, docendo potius Deum omnium rerum esse auctorem & creatorem, & naturæ operationem non esse nisi ipsius Dei, omnia conservantis, & gubernantis. Quamobrem herbæ, virgulta, fructus terræ, tunc temporis non promovebantur vel crescebant, aut ex terra pullulabant imbribus madefacta, vel hominum studio & labore accedente, sed operante Deo,

Deo, qui Dominus Naturæ est, hæc omnia nata atque producta fuisse, & interim semper non nisi divino influxu produci docemur, tanquam à prima ac summa omnium causa, quæ principalior habetur & revera est, quam causæ secundæ à prima dependentes, & omnem vim mutuantes à prima causa independente. Unde celeberrimus Theologus Giovan. Diodati *ad hunc locum*: *Le prime piante furono prodatte immediata mente da Dio. L'ordine di natura non essendo anchora stabilito, e non essendovi anchora ne pioggia, ne la vora d'huomo sotto i quali due mezzi, l'uno naturale, l'altro artificiale, son compresi tutti gli altri della rendita della terra.*

Quamvis autem post primam germinationem nec pluvia esset terram irrigans, nec homo eam colens: Deo tamen non deerat modus germina creata vegetandi. Vaporem enim è terra ascendere faciebat, quo tota humectaretur. LXX. *Fons autem ascendebat.* At Hebr. **אֵין** proprie vaporem, non fontem denotare, ejus linguæ periti tradunt. Chald. *Et nubes, sive, nubecula ascendebat.* Aben Ezra ait, sensum esse; vaporem vi astrorum ascendisse è terra, ac humum irrigasse. Cujusmodi vapor terræ tunc præstabat, quod interjecto tempore pluvia & cura ac cultura hominis. Sensum autem controversum faciunt, qui vertunt, *Nec vapor ascenderat è terra.* Quemadmodum hoc sensu refert Aben Ezra exposuisse R. Saadium, repetita scil. negativa particula, quæ *vers. 5.* reperitur. Atque hanc expositionem, teste Fagio & Mercero, Kimchi in

Immediata sua virtute Deus, certia die, terram germinare fecit.

K k k

Radic.

Radic. reliquis præferendam iudicat. Neque, uti annotatum repperi, novum est, vel insolens particulam *non* hic subintelligi, uti apparet *Prov.* 30: 3. & *Psal.* 35: 19. Verum, inquit Drusius, nihil mutandum in textu, ubi dubitatio est. Dubitationem voco, quando res certa non est. Nam tunc hæremus & dubitamus. Sane, inquit, quod Tremellius vertit, aut vapor ullus ascenderat è terra, nolim factum: nam auctoritas Saadiæ non est tanti. Adhæc dubito, an negatio repeti posset ab uno versu in alium. Quippe nullum exemplum occurrit. Quod si dicas quandoque id fieri uno eodemque versu, nihil te hoc juvat. Probandum est versibus duobus: neque si probaveris, illico sequitur quod vult Saadias. Me quod attinet, pergit, ut hanc versionem non damno, ita veterem & usq; receptam temere mutandam non esse puto. Verum neutor sensus mihi sua difficultate carere videtur, quippe si immediata virtute Deus die tertia terram germinare fecit, donec & cultorem terræ hominem conderet, & pluviam dimitteret, causæ naturales germinationis: omnes enim causas secundas Moses remove voluisse videtur, dum enim dicit, quod nondum pluerat, nec homo, qui terram coleret, conditus, causæ naturalis germinationis non fuerunt, ergo neque naturalis germinatio. Atqui fuit germinatio. Ergo sequitur Dei virtute omnia producta fuisse. Si autem nullæ causæ naturales germinationis, ergo nec ejusmodi vaporem, sive humidam exhalationem ascendisse in superficiem terræ, quæ jam erat in unum locum coactis aquis arida facta, & universam irrigabat atque humectabat

Et abbat, dicendum videtur. Quippe cur ejusmodi vapor hunc producebat effectum, sane non minus naturalis germinationis causa esse potuit, quam pluvia. Quod si autem sensu negativo vertimus, *nec vapor ascendebat à terra*, veritati ejusmodi sensus repugnare videtur; quippe terra paulo ante undique aquis immersa, iisque in unum locum congregatis jam recens arida facta, admodum idonea erat ad ejusmodi vapores emittendos, quibus superficies irrigari posset, etiam antequam magnum illud lumen, Sol, creatum; quippe lux illa primigenia, licet debilior calore Solis, attamen constanter illa materia subtili primi Elementi vehementissime mota, lucem efficiens satis idonea ad ejusmodi vapores & exhalationes producendas. Tanto vero magis Sole creato, ejusmodi exhalationes & vapores ascendisse in superficiem terræ verosimile. Celeberrimus Theologus Salomon van Til *Tract. de primi mundi ortu & interitu*, putat hoc sensu verba Mosis commode verti posse: *Et vapor qui à terra ascenderet, & universam terram irrigaret atque humectaret*. Atque hoc sensu vapor iste jam productus & creatus antecessit quoque creationem hominis. Et istum vaporem describit Moses tanquam medium, quod terræ fecunditati deinceps inserviret. Verum cum ejusmodi vapor & exhalatio nihil aliud sit, quam aquarum, quæ per viscera terræ diffusæ, & halitus, qui calore Solis attollitur vel elevatur in aëra, & imbres ac nives creat. Vel tenues spiritus, qui per æstum maximum terra diffusa exhalantur, & sursum in aëra feruntur. Unde duæ species vaporum.

rum. Aristoteli ἀναθυμίασις, id est, *exhalatio*, est genus, cujus species ἀτμός & καπνός. Illud *vaporem* vulgo dicunt; hoc *fumum*. Ἄτμός est exhalatio valida & humida, quæ ex aqua potissimum elevatur in aëra; καπνός autem calidior & ficcior, ex terra maximè. Seneca *Quæst. Nat. lib. 2. 12.* Aristotelis sententiam de exhalationibus exponens, ait: *Duæ mundi partes in imo jacent, terra & aqua: utraque ex se reddit aliquid. Terrenus vapor siccus est & fumo similis, qui ventos, tonitrua & fulmina facit: aquarum halitus humidus est, & imbres & nives creat.* Quamobrem Terra, Aqua, & Sole creatis, exstiterunt causæ naturales ejusmodi vaporibus sive exhalationibus producendis idoneæ, & proinde nihil aliud quam effectus earum causarum; ideoque dici nequeunt peculiariter creati & producti. Existente itaque causa, effectum quoque, quem naturaliter ejusmodi effectus producit, existere dicendum. Et proinde ejusmodi vaporem & exhalationem, cum ipsa causarum existentia ascendisse, terramque irrigasse. Verum cum immediate omnia à Deo producta demonstrare & probare voluerit Moses, ut ostendat infinitam Dei potèntiam, qui omnia suo verbo produxerat & creaverat ex nihilo, nullis causis secundis opitulantibus; testatur quod immediata virtute Deus tertia die terram germinare fecerit, nullis pluviis irrigatam, vel ulla opera hominis præparatam: neque etiam ullo vapore, qui, causis, à quibus produci potuisset illud effectum, jam creatis, è terra ascendeat ut terram humectaret, accedente; ut eo magis constaret,

staret, omnia immediate à Deo, nullis causis secundis opitulantibus, producta. Quippe cum testatur nondum Deum pluviis terram irrigasse, addit, nec vaporem ascendisse è terra, qui imbres & pluvias creare solet; atqui ita omnia immediata virtute Deum produxisse. Quamvis itaque hæ causæ secundæ existerent, quæ vaporem ad terram irrigandam producere potuissent; hisce tamen uti noluit summus rerum Opifex, & per externa media germina è terra educere, & proinde nec pluviis, nec cultura, nec humore vel vapore terram foecundare, sed solo nutu ac potentia sua, nulla rigatione vel industria externa, aut semine vel alimento interno accedente, herbas, plantas, arbores, & omne virgultum agri è terra educere ipsi placuit, ut constaret, se unicam omnium rerum creatarum causam & auctorem esse, remotis causis secundis, quæ deinceps omnium rerum propagationem & multiplicationem adjuvant.

Postquam Moses compendio naturam terræ iterum descripserat, redit ad narrandum fusius historiam & seriem formationis primorum hominum Adæ & Evæ, de qua late egimus *Dissertatione prima*, quamobrem paucis eam hic absolvimus. *Formavit*, vel, *formaverat*, aut, *finxerat*, inquit, quoque *Dominus Deus hominem pulverem è terra*: vel, *è terræ pulvere formaverat hominem, & inspiraverat in faciem*, vel, *nares ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Dixerat, Deum fecisse omne virgultum agri, cum necdum esset pluvia, nec vapor ascendisset è terra, nec ho-

Formatio
primorum
hominum,

mo conditus, qui terram coleret. Pluviarum & imbrium causam tradiderat *vers.* 6. sed quæ nondum ante hominem conditum ad irrigandam terram cooperata fuisset, ut ita dicam. Nunc Hominis formationem latius describit, quam, præcedenti Capite omnium rerum ortum & dies natales litteris consignaturus, in brevi quasi tabella depinxerat. Tradit itaque hic modum, quo Deus hominem formavit. *Formaverat* igitur, vel potius, tunc *formabat quoque Deus hominem.* Particulam itaque copulativam ¹ rectius hic accipi, statuit summus Theologus Salomon van Til *dict. tract.* quasi tempus certum denotantem, quod tempori præcedenti respondet sive convenit. Nec ambigendum, quin particula illa copulativa sæpius ejusmodi verborum sensum producat, atque etiam ita nostri Interpretes vertunt. Unde ejusmodi verborum sensum componit Vir clarissimus, quod, postquam Deus cælum, terram, herbas & omne virgultum agri, & ipsum vaporem produxerat: jam hominem è pulvere terræ formandum suscipiebat, ut eum in possessionem mitteret horti amoenissimi, quem inhabitaret, tanquam suum à Deo sibi destinatum domicilium, in quo inveniret omnium rerum copiam & affluentiam, quæ ad vitam tuendam necessaria. Mercerus ait, Hebræos velle hoc verbum *וַיִּבְרָא* *formavit* cum gemino *Jod* hic scribi, ad significandam hominis formationem, terrestrem & cœlestem, corporis & animæ. Infra autem cum unico *Jod* scribi *וַיִּבְרָא*, quod non ad vitam immortalem, sed simpliciter ad hanc vitam sint efformata. In præcedenti Capite Moses dixit-

dixerat, Deum *hominem* *fœminamque* creasse, hic alio utitur verbo, & perhibet, Deum *hominem formasse* è *pulvere terræ*, vel *finxisse*, ut ait Poëta, è *luto meliori*. Non absque ratione hoc verbo utitur in describenda hominis origine, *fin gere* est significatio verbi *צוּר* *jitzer*, quod proprie de figulis dicitur. Sic etiam nos formavit tanquam figulus, non tantum verbo oris sui, ut reliqua jam præcedentibus diebus producta, sed quasi admota manu, finxit atque formavit, ex omnium infima creatura, de luto & pulvere terræ.

Quidam veteres putarunt, secundam S. S. divi-
 næ Trinitatis personam, Dei filium, humana sub
 imagine descendisse in terram, hominemque in hanc
 effigiem finxisse. Quippe, *per ipsum facta esse,*
quæ facta sunt. Sed deficit omni exceptione major
 probatio. Non ambigendum tamen, quia huc re-
 ferendum, quod sæpius in sacris paginis compara-
 tur Jehovah figulis: ita enim *Rom. 9: 20, 21.* &
Esai. 69. Tu Jehovah pater noster es, nos lutum.
Tu fictor noster, nos opus manuum tuarum. Vid. Job.
10: 9. & 33: 6. Formavit itaque Deus corpus no-
 strum, cujus fabrica in summam admirationem quem-
 que rapit, & demonstrat Artificis infinitam sapien-
 tiam ac potentiam, de qua præcedenti Dissertatio-
 ne latius egimus. Materiam autem, ex qua Ho-
 mo formatus, describit Moses, fuisse scil. terræ
 pulverem; vilem fatis materiam; ut abjecto & hu-
 mili loco natus, conditionis & originis suæ humi-
 litatem semper homo luteus meditaretur; & proin-
 de ne nimis natalibus suis gloriaretur & superbiret
 atque

Ex terra
 pulvere
 formatus
 Homo.

atque inolefceret; quod verendum; quia in præcedentibus ostenderat præstantiam generis sui, dum eum *ad imaginem ac similitudinem Dei factum esse*, dixit. Quamobrem ut omnem superbiendi occasionem tolleret, visum est de originis nostræ humilitate & vilitate subjicere: quo si quem inflat dignitas imaginis Dei, qua eum ornare dignatus est Deus, rursus humiliet considerata humilitas originis; utpote è terræ pulvere, vili admodum materia, formatus.

Non sua
sponte
genita è
terra ho-
mines.

Fuit autem hic ortus etiam notus Gentilibus, uti præcedenti Dissertatione demonstravimus. Scribit quidem Diodorus Siculus *lib. 1. de fabul.* homines eodem modo à principio sponte genitos è terra, quomodo multis in locis Ægypti post Nili inundationem Sole calefaciente limum ab aqua relictum multitudo murium oriatur. Verum ipse inter fabulas refert. Hominem ex terra mista fluvialibus undis effectum sive formatum canit Ovidius i *Metam.* Unde apud Platonem dicitur *priscos homines è terra procreatos, haud vero à se invicem, in Polit.* Ita apud Ciceronem *de LL.* traditur disputari solere, *existisse quandam materiam ferendi humani generis, quod sparsum in terras atque satum, divino auctum sit animorum munere.* Hinc Hesiodus *Opera & Dies. lib. 1.*

- - - *Parens hominumque Deumque
Vulcanum insignem jussit mox pulvere lympham
Miscere, una hominisque illi præbere loquelam
Et mentem.*

Formato ita ex pulvere terræ homini *inspiravit
spira-*

Spiraculum vitæ, & sic factus est in animam viventem, inquit Moses; vel *flavit in nares ejus flatum vitæ*. Ut, quia corpore terreus jam erat homo vivens, intellectu, voluntate & memoria a Deo donatus, admirator fieret rerum omnium, sui que sapientissimi & potentissimi Creatoris. De mirabili Hominis fabrica, uti constat Anima & Corpore, fusc egimus in *prima Dissertatione*, quæ hic non repetemus.

Verum Historiæ series nos ducit ad intuenda summae divinæ bonitatis & gratiæ in primos parentes ter quaterque beatos collata testimonia. Utpote qui non conditi duntaxat ad divinam imaginem, & proinde immortalitatis & æternæ beatitudinis participes facti; verum etiam in hisce terris, & hac in patria degentes, omnium rerum affluentia, quæ ad vitam tuendam necessariæ sunt, beavit; & ne quid deficeret, quod aliquid incrementi conferre posset ad eorundem felicitatem & voluptatem amplificandam, & vitæ ducendæ rationem redderet non duntaxat commodiorem, verum etiam suaviorem & amœniores, immisit eos in possessionem Horti amœnissimi, terræ bonis affluentissimi, visu & adpectu amabilissimi, atque omnis generis fructibus locupletissimi.

Plantaverat enim, inquit Moses, *Dominus Deus hortum in Edene ab oriente*, vel *adversus orientem*, in quo collocavit hominem, quem formaverat, i. e. Hortum amœnissimum, jam pridem consitum a Deo, omnis generis arboribus refertum, tum quæ oculos voluptate pascerent, tum quæ suavitate gustum mulcerent & recrearent. Unde Græci sive LXX. Παρά-

Divina
erga ho-
mines
creatos
bonitas.

Hortus
in Ede-
ne.

δεισον ἐν Ἐδένι. Symmachus, (teste Hieronymo *intradit.*) transtulit, *Paradisum florentem. Vulgata, Paradisum voluptatis.* Optimam quamque mundi partem vetere consueto more loquendi vocabant Παράδεισον, inde hortos, vivaria, loca quæ peculiaribus seposita deliciis & voluptatibus eodem nomine insignire solitos fuisse, annotavit Vir celeberrimus Joan. Douglæus *Analect. sacr. excurs. 1.* testemque citat Gellium *lib. 2. cap. 20.* *Vivaria, inquit, quæ nunc vulgus dicit, sunt, quos παραδείσους Græci appellant.* Ἄ δὲ ὁ πατήρ καὶ οἰκήματα καλὰ παραδείσους δένδρων καὶ θηρίων μετὰς κατέλιπεν ἐν οἷς ἐυφραϊνόμεν, *omnia, quæ a patre acceperam, ædificia præclara, hortos arboribus ac feris repletos.* Xenoph. *hist. Græc. lib. 4.* *Talis, inquit, procul dubio fuit locus iste Edenis, nullis orbatus bonis, desiderabilibus quibusque copiose & vere refertus.*

Paradisus, hortus circumseptus.

Verum notandum vocem Hebræam גַּן *gan* communi nomine hic venire *hortum.* Hebræi enim, uti annotarunt Viri ejus linguæ periti, duo duntaxat agnoscunt vocabula quæ hortum significant, גַּן & עֵדֶן. Illud derivari a verbo גָּנַן, quod est *protegere, abscondere, cingere, munire*; unde denotat non qualemcunque hortum, sed locum conseptum & muro bene munitum; quamobrem *cap. 3: 24.* in ejus custodiam *Cherubim*, ut nemini pateret aditus, dicitur positus. Tum etiam *arboribus constitum* significat; quam significationem videtur confirmare, dum *d. cap. 3: 8.* Adam conscientia admissi peccati cum Eva dicitur se inter densas arbores abscondisse a facie Dei in medio arborum horti. Hoc autem cujus sit originis, nunquam

quam inter Eruditos convenit. Hebræi deducunt, partim a פרה *fructificavit* & םרמ *myrtus*, q. d. *fructificatio myrtilorum*. Constat enim myrtum tum odore, tum sapore præ aliis arboribus recreare & excellere: partim a פרה *separavit, disjunctit*. Adeo ut Paradisus hic videatur significare hortum, consitum arboribus frugiferis, ab olitoriis separatum, amœnioris & plenioris voluptatis causa. Quamobrem, quando de horto olerum dicitur, addi solet vox קר *jereck*, vid. Deut. 11: 10. uti observat Joan. Clericus *comment. ad h. l.* Addunt autem alii, non tantum Pomarium denotare arboribus frugiferis consitum, sed etiam cæduis, quæ cæduntur ad ædificia; adeoque & sylvas ac nemora ambitu suo habentem, quas ad voluptatem & amœnitatem aspectus multum conferre rerum usus testatur. Notarunt Viri eruditi ter saltem hanc vicem occurrere in S. Codice, Cant. 4: 13. *Propagines tuæ Paradisus malogranatorum, cum fructibus pretiosis, cypri cum nardis*. Eccl. 2: 5. *Feci mihi hortos & Paradisos, & sevi in illas arbores omnis fructus*. Nehem. 2: 8. *Nehemias Hierosolymam profecturus, accepit epistolam ad Asaph, custodem Paradisi, qui erat Regi, ut daret mihi arbores, ligna ad contabulandum portas Palatii, quod &c.* Ubivis notans hortum amœnissimum & fertilissimum. Germanicè *Lustgarten*.

Apud Persas id nomen usitatum fuit, teste Poluce 9. *Onom.* 3. Παράδεισον, βασιλευσιν εἶναι δὲ οὐκ ἔστιν &c. A Persis manavit ad Græcos. Persæ autem ab Hebræis mutuo sumserunt. Unde Principum ac Magnatum horti, præ aliis hoc sortiti sunt nomen.

Paradisi nomen, Persis usitatum eoque horu Magorum vocati.

Vid. Xenophon. in *Oeconom. cap. 8.* Philostratus in *vita Apollonii. Zosim. 3. Hist.* Græcis itaque hæc vox notat 1. *Nemora*, 2. *Ferarum vivaria.* Suidas tamen hanc vocem Græcæ originationis esse, defendit, eamque derivandam statuit à *παρὰ* juxta, & *δένω* irrigo, ut notetur *hortus irriguus & frugifer.* Quamobrem a Nonno vocatur *ἔνδενος & παράδεισος*; inde verbale *δένος*, mutato *υ* in *ι.* Perer. in *Comment. in h. l.* Alii a *παρὰ τῆν δένον ποιεῖσθαι*, i. e. à collectione herbarum, ita nuncupatum contendunt. Cæterum Viri docti, Fr. Junius & Tremellius, notante Dietericho, *Antiq. Bibl. in h. l.* malunt vocem hanc Græcè scribere per *η*, quam per *ι*; quia in Bibliis est *Pardes.* Quamvis alii nullam rationem scriptionis se videre fateantur, veramque scripturam statuunt per *ι.* Atque ita fere omnes Auctores. Et Latini inde *Paradisum*, non *Paradesum*, fecerunt. Derivatio enim, ajunt, sæpe litteras vertit, maxime vocales, omnibus in linguis. Et in ipsa Hebræa lingua, uti ejus periti observarunt, sæpe *e* & *i* longa inter se commutantur. Nonnulli scribunt *Paradyfus*; verum id corruptum dicunt. Communis itaque illa ratio per *ι* nititur tum Sacrorum, tum profanorum scriptorum auctoritate, notante statim laudato auctore Dietericho *diēt. loc. Luc. 23: 43. 2 Cor. 12: 4. Gen. 2: 15. & 13: 10.* tum etiam *Xenophontis, Plutarchi, Pollucis, & Gellii de loc. aliorumque passim.*

Παρε
δένω
cabuli
triplex
significa-
tio.

Quidquid fit, de hujus vocis origine observarunt Viri eruditi, vocabulum *παράδεισος* in Scriptura triplicem admittere significationem. Et quidem primo notare locum quemvis amenissimum, & ad oblectandum homi-

hominem jucundissimum. In hac significatione occurrit *Gen. 13: 10.* ubi dicitur, quod *Loth oculos suos levaverit, & viderit omnem planitiem Jordanis, quod tota esset irrigua, antequam subverteret Deus Sodomam & Gomorrhā, Hebr. Gan Jehovah, sicut hortus domini, sive Jehovæ. LXX. ὡς ὁ παράδεισος τῆς θεῆς:* comparatur horto Eden, ita ut terra ista fuerit similis horti Eden. Secundo denotat Cœlum, beatorum patriam ac domicilium, ab amœnitate spiritali, quæ similis est corporali, Metaphoricè. Tertio significat, & quidem hoc loco, hortum plantatum à Jehovah in Eden, cujus in possessionem primi nostri parentes missi sunt, tanquam domicilium à Creatore ipsis destinatum, ut ibidem vitam in summa felicitate & voluptate traducerent.

Tradit autem Moses, Deum hortum hunc amœnissimum exquisitis plantis & floribus vernantem, plantasse in *Eden*. Hæc vox diversas admittit significationes. Ipsa vox *Eden* voluptatem significat, ut ἡδονή apud Græcos *loci amœnissimi* aptissimum nomen; ferè conveniens cum Hebræo עֵדֵן vel עֵדֶן *voluptas*, cum qua voce Latina, notante Viro doctissimo Dieterichō *d. loc.* ferme convenit sive coincidit nostra *Wellust.* cum Hebræo עֵץ congruit nostrum *Heide*; hinc dicimus, inquit, *een schone groene Heide*. Partim locum a voluptate denominatum significat. Manifestum, & non ambigendum, inquit celeberrimus Theologus Salomon van Til, quin hic denotetur regio, in qua hortus iste amœnissimus plantatus erat; quippe, inquit, qui juxta communem vocis significationem pro *voluptate* capiunt; haud dicere possunt, cui ista voluptas

Vocis Eden diversæ significationes.

inserviret: imo videretur quasi Deus ipse delectatus fuisset hisce plantis floribusque, quibus undique retertus hortus fecundissimus.

Regionis
Eden de-
scriptio.

Quod autem Regio, ubi hic hortus plantatus fuit, dicatur *Eden*, ex sequentibus patet, *vers. 10. & Gen. 4: 16.* Incommode itaque vertitur hic locus *hortus voluptatis*; quamvis inficiari nequeam, alibi pro voluptate sumi; uti *Ezech. 28: 13.* præfixum \beth satis innuit *h. l.* non duntaxat esse nomen proprium; verum etiam notari locum, ab amœnitate & deliciis denominatum. Quod etiam indicare videntur tot descriptiones voculæ huic postea adjectæ, quæ vero loco competunt, uti observat statim allegatus Auctor Dietrichus *d. l.* Quippe describit Moses Paradisum in regione Heden ad Orientem versus, irrigatum magno quodam fonte, qui post aliquod intervallum in quatuor magna & celebratissima flumina dividebatur, eumque fluvium ad irrigandum Paradisum egressum ex Eden. Ex ejusmodi descriptione facile perspicere quis potest, hic locum certum à Mose designari, qui ambitu suo Paradisum amplectebatur, sive, in quo hortus iste amœnus plantatus fuit.

De situ
Paradisii
variæ va-
riorum
opinio-
nes.

Sin autem Eden fuerit regio, ab aliis regionibus distincta, in qua erat Paradisus, hortus amœnissimus, egregie fallunt, qui Paradisum proxime spheram Lunæ in aëre suspensum finxerunt. Tum etiam illi qui terrenum locum, sed ultra Oceanam longissime separatum, situm in illustri loco, ubi propter altitudinem nullas habeat tenebras, & ubi ab omnibus siderum orbitibus illustretur, uti eum describit Basilus; ait enim, *locum esse præcellentem & admirabilem pulchritudine,*

112

in conspicuo situm, tenebris non umbrabilem, ob altitudinem, omnibus siderum ortibus collustratum illuminatum undique, horum suavissimam temperiem habentem, aëre limpidissimo circumfulgentem, &c. Nec aliter Augustinus: *Paradisus in Oriente situs est interjecto Oceano, & a nostro Orbe longe remotus, in altissimo loco est constitutus, pertingens usque ad lunarem circulum, unde illuc aqua Diluvii minime pervenisse dicitur.* Nec minus errant, qui putant Paradisum fuisse totum Mundum, flumen esse Oceanum, ex quo quatuor illa celeberrima flumina oriuntur, cum tantum situs erat in regione Eden, & quidem ad certam istius regionis plagam. Moses enim describit ejus situm versus Orientem istius regionis.

De situ hujus Horti admodum disputarunt Viri eruditi, ita ut quot capita, tot pene sint diversæ sententiæ. Prætermisissis autem Judaicis fabulis, & vanis ac inanibus conjecturis, quæ Mosis narratione facili negotio refutantur, tres sunt communiore opiniones, quæ præ se ferre videntur nonnullam veritatis speciem. Quippe vix ejus situm adeo claris certisque & omni exceptione majoribus testimoniis demonstrari posse mihi videtur, ut omnis prorsus difficultas tollatur. Quamobrem, argumentis verisimilibus, non Mathematicis demonstrationibus, hic certare debemus. Quis enim negare posset, quin post tantum temporis intervallum à prima Mundi origine usque ad ejusdem post Diluvium reparationem, ut ita dicam, sive natalitium, terram ingentem passam fuisse mutationem, ita ut ejusdem non eadem, quæ antea, facies fuerit. Sed regiones & flumina procul dubio magnas subierunt mutationes, ita ut

Tres communiore, de situ Paradisi, sententiæ.

ut non mirum, descriptionem, quam Moses de situ Paradisi, atque de egressione fluvii ex Eden, ejusque divisione in quatuor capita, quæ illum irrigabant, non omni ex parte convenire cum illa descriptione, quæ forte hodie dari posset de ejusdem regionis situ & fluviorum alveis. Imo non Diluvium duntaxat, sed industria hominum, diuturnitas temporum, maris violentia, & exundationes fluviorum, magnas mutationes pariunt. Itaque conferri oportet descriptionem Mo- sis cum regionum isto in tractu situ, & eum cæteris præferre Paradisi situm, qui cum descriptione Mo- sis videtur maxime convenire. Verum enim invenire, hoc opus hic labor. Vix credo majorem operam at- que laborem adhibitum ad philosophalem lapidem in- vestigandum, quam verum Paradisi situm definien- dum adhibuerunt Viri eruditi. Haud tamen tantò cum rei familiaris damno atque dispendio, ut rem dif- ficilem è tenebris in lucem protrahant, hi quam illi operam laboremque conferunt.

Eden re-
gio ubi-
nam lo-
corum
sita.

Unde quidam regionem, ubi hortus plantatus fuit, quum Moses historiam scriberet, *Eden*, fuisse in Me- sopotamia statuunt, 2 *Reg.* 19: 12. *An liberarunt*, dicebat Rex Rabsakab, *illos Dii Gentium, quos per- diderunt patres mei, Gosan, Charan, Reseph, & Te- lasar*; quæ urbes una cum Edenitis commemorantur *Esai.* 37: 12. adde *Ezech.* 27: 23. Alii restringunt ad agrum Babylonicum. Alii ad tractum totius Sy- riæ, Arabiæ & Mesopotamiæ. Alii Syriam Damasce- nam. Alii horti hujus ambitu Armeniam, Assyriam & Ægyptum. Alii universum terrarum Orbem com- prehenderunt. Nobis non est animus tot Virorum di- versas

versas opiniones examinare , easque cum descriptione , quam de situ Paradisi Moses refert , conferre , ut constare posset ex earundem cum illa convenientia vel disconvenientia , quis in divinando ejusdem situ ad veritatem propius accedit ; nullam enim rationem video , cur hunc laborem susciperemus , cum tot Viri eruditi ante nos id fecerint ; quantum autem profecerint , non capio ; quoniam rem incertam certiozem reddere non potuere . Quamobrem Augustinus , *præstat dubitare de occultis , quam litigare de incertis . lib. 8. cap. 5. de Gen. ad lit.* Proinde non adeo sollicitos nos esse oportere existimo , ubinam , & in qua regione olim Paradisus terrestris situs vel plantatus fuerit ; verum omnem nostrum laborem ac studium conferre , ut rationem indagemus , qua potissimum possessionem cœlestis Paradisi , cujus hortus ille umbra ac typus fuit , nobis acquiramus . Attamen omnino silentio ea , quæ de situ terrestris Paradisi præterire nec permittit instituti nostri ratio , nec disputandi ordo .

Inspiciamus itaque descriptionem & historiam de situ Paradisi , deque ejus limitibus & terminis , quibus hortus ille circumscriptus fuit , uti eam litteris consignavit Moses . In Regione Eden situm , atque ejusdem partem fuisse demonstravimus ; verum versus quam Mundi plagam & ipsa Regio , & Hortus in regione situs fuerit , nondum investigavimus . Aliorum quidem opiniones breviter recensuimus ; sed quænam vero conjunctior , paucis tantum inquirendum nobis restat . Verisimilior autem ea mihi videtur , quæ cum situ illo , quem Moses depingit ,

M m m

propius

propius convenit. Diximus paulo ante ex tot conjecturis, tres communiores esse, quæ cæteris verisimiliores videntur.

Paradisus in Mesopotamia.

Prima eorum est, qui existimarunt Hortum illum amœnissimum, sive Paradisum, in ea Mesopotamiæ regione existitisse, quæ media jacet inter Tigris & Euphratis effluxum, cujus limites ab utroque flumine alluuntur. Quam opinionem defendit quoque celeberrimus Theologus Salomon van Til, S. S. Theol. in Academia Lugduno-Batava Professor. Atque eum collocat in ea Mesopotamiæ parte, antequam Tigris Euphrati conjunctus unum alveum efficiunt, uti fit infra Mesopotamiam, ubi Tigris in Euphratis alveum incurrere videtur. Celeberrimi Viri rationes, quibus hanc tuetur opinionem, statim adducemus. Verum hæc sententia aliis displicet, varias ob rationes; maxime quod Tigris & Euphrates juxta ea, quæ tradit Moses, originem & nomen non obtinuerunt ante suum in Paradisum influxum, sed ex ingenti illo fluvio, qui in ipso Paradiso erumpebat, & extra illius septa, in quatuor nominata flumina scindebatur: ac proinde Paradisus anterior erat istis regionibus, quæ Tigri & Euphrate alluuntur.

An in Babylonia.

Altera sententia, præcedenti proxima, illorum est, qui Paradisum situm fuisse contendunt in Babylonia, quam regionem Geographi solent in tres partes distribuere, notante Claud. Frassen *Disquisition. Bibl.* I. in *Araunitidem* Euphrati conterminam, quæ regio etiam *Audamis*, & a duplici in duplici e commutatis, *Eden* ab ipsis dicitur. II. *Medianam*,

nam, quæ Chaldæam complectitur ad Arabiam defertam usque. III. *Infimam*, circa sinum Persicum, in quem Tigris & Euphrates sese exonerant. Inde triplex, inquit, emergit de situ Paradisino quorundam Auctorum sententia: alii in superiori, alii in media, nonnulli in infima constitutum fuisse asserentes; quod, inquit, tres illæ Babylonicæ regiones Euphrate & Tigride alluantur. Verum nec hanc sibi arridere sententiam, inquit, eamque re- felli iisdem rationibus, quibus præcedens opinio; quippe concedit quidem Tigrim & Euphratem illas regiones alluere, sed in iis non oriri; nullumque esse fluvium, qui extra Paradisi septa in eos effluat: nulli pariter Gehon & Phison, qui memoratas à Mose regiones alluat.

Tertia conjectura eorum est, qui censuerunt Paradisum situm fuisse in ea regione, quæ interjecto tempore terra Chanaan, Palæstina & Terra sancta dicta est. Hanc conjecturam præter alios tuetur summus Theologus Joan. Henr. Heideggerus, *Histor. Patriarch. exercit. 4. n. 42.* atque in eo Terræ sanctæ tractu collocandum statuit, qui regionem & locum Genesar, quem mare Galilææ sive Tiberiadis appellant, campum magnum, convallem illustrem, vallem Jerechuntinam, mare denique mortuum sive Sodomiticam regionem amplectitur; fluvio Jordane Paradisum irrigante. Atque hæc conjectura hisce argumentis confutari videtur. Primo hic debet attendi etymologia nominum *Genesaris* & *Jordanis*; vox enim Hebræa *Genesar* composita ex duabus vocibus Hebræis, *Hortum Principis* significan-

Utrum
vero in
terra
Chaa-
naan?

ficantibus. Quod vetustissimus ac princeps hominum Adamus habitaverit in illa celebri & peramœna valle, ubi à tempore Diluvii lacus sive stagnum. *Genesareth* existit. Huic etiam accedit, quod Jordanis fluvius à Geographis dicitur nomen accepisse à duobus fontibus, emanantibus è monte Libano, quorum Orientalis appellatur *Jor*, Occidentalis autem *Dan*. His autem procul à se distantibus in unum alveum foederatis *Jordanis* deinceps appellatur. Nascitur autem sub Libano monte, & dividit Judæam & Arabiam, qui per multos circuitus juxta Jericho in Mare mortuum influit; unde Hieronymus *lib. 3. in Matth. cap. 16. Jordanes oritur ad radices Libani; & habet duos fontes: unum nomine JOR, & alterum DAN: qui simul mixti Jordanis nomen efficiunt.* At, inquirunt, si ad Hebræam etymologiam attendas, Jordanemque à *Jaar* & *Eden* derivaveris, tum *Jeor Eden* fluvium locum voluptatis interfluentem invenies, fluviusque Paradisus in Jordane apparebit. Quippe, uti argumentatur, quicumque fluvius ex regione, *Eden* dicta, oritur, ille est fluvius Paradisi: Atqui Jordanes ex regione dicta *Eden* oritur; Ergo concludi oportet, Jordanem esse fluvium Paradisi. Majorem docet Moses *Genes. 2: 10.* ubi tradit, *fluvius egrediebatur ex Eden.* Minorem probat derivatio prædicta vocis Jordanis. Huic etiam accedit, quod Paradisus fuit plantatus ab Oriente. At Terræ sanctæ Oriens est Jordanes, & illa regio, quæ trans Jordanem attributa est tribubus Ruben, Gad, & mediæ Manassis, uti evidenter perspicimus, ex

Num.

Num. 32: 19. Unde etiam Moses *Genes.* 13: 11. agens de situ convallis illustris, & de regione Sodomæorum, eandem vocem usurpat, & recessit Loth *מקרא* ab oriente. Præterquam quod disertè etiam conjungantur quinque divinæ sapientiæ fluvii, *Phison, Tigris, Euphrates, Jordanes, & Gichon, Ecclesiast.* 24: *vers.* 35, 36. Tum etiam, addunt, quod fluvius dicitur irrigasse Paradisum, adeoque restagnare debuit. Atqui hoc convenit cum Jordane; cujus rigata universa regio dicitur, antequam disperdidisset Jehovah Sodomam & Gomorham, *Genes.* 13: 10. Quin & *Jos.* 3: 15. dicitur Jordanes ripas suas tempore messis implere. Quinimo haud dubie, inquit statim laudatus Theologus Henr. Heideggerus, Paradisus non procul abfuit ab eo loco, in quo Adamus conditus atque creatus, in quo expulsus post lapsum habitavit, supremumque obiit diem, & sepultus est. Atqui creatus probabiliter videtur in agro Damasceno, in regione Cœle-Syria, quæ non longe distat à convalle illustri. Præterquam quod negari nequeat, juxta descriptionem Mosis, Paradisum fuisse hortum longe amœnissimum & fertilissimum. Quod de tota illa regione Jordanis prædicatur. Denique convenire videtur, ut eodem loco primus Adam perdidit humano generi felicitatem, in quo idem restituit secundus, & ex quo Euangelium in terrarum Orbem est propagatum. Sunt quidem hæ rationes speciosæ; verum aliis sacro textui & Mosis narrationi minus consentaneæ videntur. Quippe quod de Genesare, Jordanis etymologia, dicitur, lubri-

eo admodum niti videtur fundamento, uti quoque
 cætera argumenta solidis rationibus destituuntur;
 verum cum omnia valde incerta, quæ de situ Para-
 disii dici possunt, sit suum cuique iudicium. Sta-
 tim allegatus Auctor Claud. Frassen *Disquisit. Bi-
 bl.* repudiatis aliorum conjecturis, censet, Para-
 disum fuisse constitutum in ea regione, quæ Orienta-
 lis erat respectu vel Ægypti vel Arabiæ Petrææ seu
 Desertæ, ubi degebat Moses, dum Israëlitis Mun-
 di genesin & priores ætates describeret. Certum
 enim, inquit, regionem illam *Eden* esse appella-
 tam, ut habet textus Hebræus, & nos supr. anno-
 tavimus. Tum etiam certum est, Paradisum tan-
 tæ non fuisse extensionis & amplitudinis, ut maxi-
 mam partem Orbis occuparet; nam *Genes. 2: 15.*
 Adamus dicitur in eo loco voluptatis à Deo consti-
 tutus, ut illum excoleret custodiretque. Fuit ita-
 que locus in fertilissima & amœnissima parte terra-
 rum suis limitibus circumscriptus, & præ aliis re-
 gionibus electus in certa mundi quadam plaga situs,
 quem commode excolere & custodire poterat, id-
 eoque nec minus vastus & amplus, cui excolendo
 & custodiendo impar fuisset. Præterquam quod tan-
 tus labor, tantæ vigiliæ, tot incommoda, quæ per-
 ferre forte debuisset, ob nimiam horti amplitudi-
 nem, jucundum & pacificum innocentia statum non
 decebant. Neque tamen inter tam angustos limi-
 tes finiebatur; quin sufficeret plurimis Adami filiis
 ac nepotibus ad alimenta & domicilium sive habita-
 tionem præbendam, si in statu innocentia vitam tra-
 ducere ipsi contigisset. Præterquam quod adeo am-
 plissimus

plissimus fluvius, terram Paradisiam alluens, quique deinde in quatuor ingentes fluvios exundabat, argumentum est, hortum Paradisium satis amplum ac late patentem, & non in exiguo terrarum Orbis angulo collocatum fuisse. Deinde, pergit idem Auctor, certum est nullum hodie allegari vel demonstrari posse fluvium, qui in quatuor à Mose memorata flumina sese exoneret: imo nulli jam sunt fluvii, qui *Gebon*, & *Phison* appellentur. Exstant quidem, inquit, *Tigris* & *Euphrates* fluvii celeberrimi, verum tanta inter utriusque scaturiginem occurrit distantia, ut 680 leucas Gallicas, & 150 Germanicas excedat. Notum enim est ex quatuor illis fluviis è Paradisino flumine emergentibus à Mose memoratis, nullum nobis jam certum adesse iudicium, quo certo deprehendere valeamus, quo in loco Paradisus constitutus fuerit. Quoniam itaque solis conjecturis à Mosis narratione non omnino alienis hac in re agendum est, censerem, inquit statim laudatus Auctor, Paradisum constitutum fuisse intra Armeniae majoris montes, ubi nunc exstat ingens locus *Litene* dictus, ex quo verisimile est *Tigrim* & *Euphratem* per subterraneos meatus erumpere. Primo, quia planities illa jucundissima, & arboribus, floribus, & fructibus omnis generis referta. Secundo, quia altissimis montibus undique clauditur ac cingitur. Quippe verisimile est, Paradisum non sepius vel muris, sed montibus fuisse munitum & circumvallatum, ut ad eum non undiquaque pateret aditus. Deinde quia ex undis iterum renata terra, Arca Noë requievit in

in montibus ejusdem regionis Armeniæ *Gen.* 8: 5. Unde argumentatur Auctor hujus conjecturæ, voluisse Deum ad misericordiam conversum, ut illa regio, in qua tanquam patria sua, quæ non procul à Paradiso, Patriarchæ antediluviani vitam traduxerant, iterum ab hominibus sibi gratis ac reconciliatis incoletetur. Denique addit, Tigrim juxta Euphratem ex montibus Armeniæ originem ducere, diversis nunc quidem locis, verum nihilo minus admodum probabile esse antiquis illis temporibus utrumque hunc fluvium ibidem eandem habuisse scaturiginem ex illo Paradisino fluvio, qui per subterraneos meatus in illos influebat, sicut in Phisonem & Gehonem; qui vel temporum successu disturbati videntur ac dissipati; vel alias longe distas habent origines, aliisque nominibus appellantur. Accedit, quod Moses non dixerit, fluvium illum statim à suo è Paradiso egressu findi seu dividi in quatuor illos fluvios; sed qui inde dividitur, hoc est, non ante quam post suum è Paradiso egressum, in quatuor alveos se exonerat: quod utique verum esse potuit, tametsi longius à Paradiso ea divisio facta fuerit. Fluvium itaque è Paradiso fingit egressum, qui unicus fons fuerit aliorum quatuor fluviorum. Verum Moses fluvium egressum tradit ex Edene, & defluxisse ad irrigandum Paradisum, egressum vero è Paradiso, & ita quasi permeasse Eden, sive per subterraneos meatus delatum ad Tigrim & Euphratem, sicut ad Phisonem & Gehonem, & in eos se exonerasse, nusquam in historia creationis legitur; verum ex Edene egressum, sat
claris

claris verbis traditur. Itaque fons illorum fluviorum in Eden quæri debet, & quidem in superiore ejus parte, unde defluxit ad irrigandum Paradisum, & inde egressus in quaternos fluvios dividebatur; atque in eas regiones, quarum nomina recensentur, deferrebat. Itaque supra Euphratis fontem, id est, montem Paryardem, è quo Euphratem scaturire manifestum est, Paradisum collocatum statuendum, vel saltem intra montes Armeniæ majoris, unde quatuor illi fluvii, quos ex Paradiso scaturiginem ducere affirmare videtur Moses, defluunt, supra fontem tamen illorum fluviorum; quippe lacum istum, ex quo verisimile putat Auctor Tigrim & Euphratem erumpere per subterraneos meatus, situm fuisse superiorem fonte vel scaturigine illorum fluviorum statuere necessum. habet Auctor; quoniam fluvius è Paradiso egrediens dividebatur in quatuor capita, juxta descriptionem, quam de eo Moses tradit; naturalis enim decursus illorum fluviorum id satis probat, tum etiam exoneratio fluvii è Paradiso egredientis, in dictos fluvios aliter nequit concipi.

Ubi autem iste lacus *Licene* Paradisi quondam locus, fateor me invenire in tabulis Geographicis nec antiquis nec novis potuisse. In Ptolemaicis invenio paludem *Lychniten*, Araxi fluvio contiguum & Euphrate fluvio superiorem; verum iste lacus non intra montes Armeniæ, sed ultra eosdem exstat, ubi Araxis fluvius in mare Caspium decurrit; in planitie tamen quadam, in qua & Paradisum olim situm fuisse fingit Auctor; ideoque ultra mon-

N n n tem

tem dictum Paryardem, è quo Araxis originem habet, Euphratem vero & Tygrim citra dictum montem scaturire, ille ex Paryarde, iste ex fonte prope Gordicos montes, sive ex Gordicis montibus notum est. Quamobrem si olim Paradisum ea in planitie situm fingamus, & per longissimos subterraneos meatus in Euphratem & Tygrim se exonerasset, id vix credibile, præsertim de Tygri, qui longa infra Euphratem scaturiginem habet: cum, uti supra annotavimus, ingens inter utrorumque fluviorum originem occurrat distantia. Sin intra Armeniæ montes, in tractu tamen superiore collocandus; quo sensu posset dici ex Edene fluvium exiisse ad irrigandum hortum sive Paradisum, & inde in quatuor capita dividi; cum isti fluvii immediate ex iisdem dictis montibus originem suam ducere & veteres & recentiores Geographi notarint. Unde Curtius *lib. 5. cap. 1.* de fontibus horum fluviorum sermonem habens, ex Armeniæ montibus profluere tradit. Præterquam quod concipere nequeo, quomodo è Paradiso, quem in jucundissima planitie ac valle collocat Auctor, exiisse, sive potius erupisse fluvium, qui per subterraneos meatus iterum emergens utrumque fluvium cum Euphratem, tum Tygrim, propagasse videtur.

Lacus
Thospites.

Non inficior, aquam per terræ venas diffusam etiam per planitiem, quæ montibus cingitur, & exitum sibi quærentem summa vi aliquando erumpere; verum ejusmodi aquæ eruptio non solet fieri, uti rerum usus testatur, in ipsa planitie, sed per ipsos montes, qui planitiem ambiunt, per quos aquam sibi

sibi exitum quarentem erumpere etiam nostris in regionibus experimur. Notum enim est, lacum esse locum profundum, cum aquis perpetuis ibidem natis, qui nullum habet exitum, nisi mediante aliquo fluvio, in quem se exonerare possunt, uti lacus ingens Armeniæ, in Mesopotamiæ confinio, Thospites dictus, quem Tygris efficit, cujus Ptolemæus meminit, hodie *Gabacu*. Negare tamen nequeo, ejusmodi lacus aliquando rivos & fluvios efficere, ubi in planitie quadam intra montes in eminentiori loco siti, aquam exonerando rivum vel fluvium efficere possunt; verum planities illa, in qua collocat Paradisum Auctor noster, undique montibus vallatum atque septum fuisse existimat; quamobrem haud facile exitum sibi aperire potuit, atque adeo ingentes fluvios efficere. Præterquam quod aquarum ex planitie ejusmodi emergentium copia raro fluvium efficere nobis persuasum est, quia non sat magnam vim habet, ad aquam emergentem propellendam; quod dependet potissimum, uti paulo ante diximus, à fastigio vel cacumine montis, unde præceps delabitur, tanta cum rapiditate, ut nihil ei resistere possit; quod rerum usus satis confirmat: & proinde sibi alveum aperit, quo decurrit ac defluit, usque dum in Mare defertur, & sic ostium aperiens vi sua. Itaque ingenue fateor, me non posse concipere, quomodo ex planitie ejusmodi fluvii nasci queant, cujus forte terræ superficies sit humilior terra sibi adjacente, per quam sibi exitum sive alveum aperire debent. Quamvis haud inficiar, aliquando ex ejusmodi lacubus, qui in planitie formantur, rivos & fluvios nasci; verum sano distante judicio, ejusmodi

fluvius; qui non alium habet fontem ac scaturiginem, haud diu cursum suum prorogare valet, destitutus vi illa, qua aquarum ex montanis locis delabentium cursus recte, continuò & sine interruptione propellitur, adeoque lente decurrens haud potest sibi per eminentiorem fonte suo terræ superficiem alveum aperire. Quamobrem ejusmodi fluviorum è lacu aliquo profluentium fontes non in ipsa planitie quæri debent, sed ex montibus vicinis derivantur. Rivi illi, ex quibus Tanais & Albis existunt, in primo tractu videntur quidem ex lacu vel palude originem habere; verum Cardanus negat, hosce fontes in planis istis locis generari, sed ex montibus vicinis derivari subterraneo ductu. Et sic statuendum de fluviis è lacubus uti in Moscovia aliisque regionibus scaturientibus. Unde concludimus, in illa planitie, in qua Paradisum situm Auctor affirmat, cujus longitudinem Tostatus circiter duodecim milliaria, ambitum vero ejus triginta sex vel quadraginta definivit, qua auctoritate, nescio, fluvii Paradisini originem vel scaturiginem haud deducendam, verum ex ipso fronte sive montibus Paryarde & Gordicis, & proinde infra illorum fluviorum fontes Paradisum sive regionem Edenem constitutum dicendum videtur, ut infra patebit.

Fluviorum origo non è planitie.

Quod si vero à nivibus, quibus montes tecti, Solis calore liquefactis, scaturiginem ducamus, eo minus è planitie fluviorum origo ducenda; quippe quæ recipit quidem aquam; verum fons haud dici potest fluvii alicujus, qui ex ejusmodi aquarum colluvie nascitur, præterquam quod certo tantum tempore anni, nive,

nive, scilicet Majo, & Junio, resoluta, aquarum abundat copia, postea sæpius exsiccantur: uti in Peruviana regione & Chili, quidam fluvii ita parvi sunt, ut nocturno tempore non fluant, sed tantum de die, quia aqua tunc decurrit ex resoluta in Andibus montibus nive per calorem Solis. Itaque fluvii perennes deduci debent ex fontibus sive montanis locis, qui sponte per venas & terræ viscera aquam proferunt. Fontem enim dicimus, unde immediate defluit atque decurrit aqua, atque ita decurrendo fluvium per aquarum copiam efficit. Non inficior dari planities, quarum è terræ visceribus magnam aquarum copiam ebullire docet rerum usus; verum inde haud flumina sive fluvii nasci possunt, qui tot regiones & ingentem terræ tractum permearent, cum continuo aquarum cursus interrumpetur per interjacentes colles & terræ eminentem ubique superficiem, quam superare nequiret, cum ab altissimorum montium cacumine continuo magno impetu decurrens aqua nec colles nec terræ superficies impedire ejus cursum possit; sed ubique sibi viam aperit, unda continuo undam propellente, uti statim annotavimus. Ita pro imbecillitate ingenii mei, vix capere possum, quomodo illius fluvii, tot fluviorum patris originem ex Paradiso, cujus in planitie illa jucundissima situm fingit auctor, habere verisimile esse existimet: vel etiam utriusque fluvii originem ex subterraneis meatibus fluvii Paradisini deducere, cum eorundem fluviorum fontem ex dictis Armeniæ montibus derivandum & veteres & recentiores Geographi testentur. Etiam si vero statuamus juxta Auctoris mentem dictorum fluviorum ori-

ginem

Nnn 3.

ginem mutatam, quod verisimile, manet tamen certum, etiam juxta mentem Auctoris, scaturiginem utrumque fluvium habuisse olim ibidem ex illo fluvio Paradisino per meatus subterraneos in illos fluvios influente. Verum nullam rationem video, cur ejusmodi subterraneos meatus fingere necessum sit, ubi naturalis fluviorum ortus ex ipsis montibus hodie etiamnum liquet, cur non & olim eandem originem habuissent, licet forte non eodem loco. Quamvis Diluvium rerum humanarum faciem admodum mutaverit; ingentes tamen ejusmodi montes non loco movit, nec absorbit aqua: quippe Arcam Noë peracto Diluvio requievisse in montibus Armeniæ, ipse Auctor censet. Si iidem montes inconcussi steterint, cur non etiam eandem fluviorum originem & olim habuisse, ex iisdem montibus statuendum: quod nec Mosis narrationi obstat, si recto & sano sensu eam interpretemur, ut inferius patebit. Ingenuè fateor me non rectam juxta ea quæ tradit Auctor de situ Paradisi, nec de fluvii ex eo egredientis origine formare posse ideam, an intra, vel citra, vel ultra montes illos, è quibus utrumque fluvium scaturiginem habere hodie patet, collocanda, saltem hoc certissimum, supra Euphratem & Tygrim Paradisum constitutum fuisse, si utriusque fluvii ex illo scaturiginem habuerint, nusquam enim legitur, recurrere fluvium ad fontem, nisi per artem mechanicam, aqua, quæ juxta naturalem inclinationem decurrit, id est, ab origine properat ad exitum; uti omnes fluvii ad ostium defluunt, contra naturalem cursum ad fontem recurrere cogatur. Quippe quoniam, ut dicere incepimus, omnes fluvii nasci

sci solent sive erumpere ex montium fastigiis, saltem longe eminentiori alveo cæteraque terrâ quam permeant, loco, atque ita continuo descendunt, impossibile est, ut ascendere, ac proinde recurrere possint.

Quamobrem ea quæ tradit Auctor de situ Paradisi, ejusque fluvio, per meatus subterraneos in utrumque fluvium influente, atque ita originem & scaturiginem ex eodem Paradisino fluvio habentem, haud amplecti possum; nec etiam in eorundem sententiam pedibus ire queo, qui Paradisum in Mesopotamia collocandum statuunt, & quidem versus eam partem vel hujus regionis plagam, quæ Eden appellari solet, cui sua deberet incunabula fluvius ille, quem irrigasse Paradisum tradit Moses; qui itaque ex quodam monte hujus regionis Eden originem sive natales suos habet, unde exit, & Paradisum permeat. Fluvius itaque Mesopotamiæ, & quidem regionis Eden, ubi nascitur atque emergit erumpitque ex ejusdem regionis montibus, non ex planitie quadam, sed uti diversam ab Euphratis & Tigris scaturigine habet originem, ita quoque proprio suo defluit alveo, donec in plura fluentia divisus in utrumque fluvium incurrit; atque ita peragrabat Paradisum, ipsumque irrigabat. Hanc interpretationem amplectitur celeberrimus Theologus Salomon van Til, atque eam cum Mosis narratione & proprio verborum sensu & significatione maxime convenire statuit Vir clarissimus, ita ut in alium sensum ea detorqueri nequeat. Quamobrem existimat, nec alium fluvium denotare voluisse Mosem ex sensu & propria verborum significatione colligi posse, quam ex Eden scaturiginem suam ducentem, nec etiam alium

Paradisus
in Meso-
potamia.

kium intelligi posse, rerum usus docet, qui vel illam regionem alluit, vel peragrat. Vox enim Hebr. *עדי* jungitur cum *עד מוֹסָא*, ut eo magis constaret, hic per vocem *egredi* denotari egressum sive originem & scaturiginem, quæ non aliunde, sed ex ipsa regione Eden deducenda. Hanc, inquit, animadversionem si attendamus, præcavebimus, ne tot interpretum nullis rationibus subnixis de situ Paradisi opinionibus atque sententiis seducti, ad illum delabamur errorem, ut cum illis statuamus Paradisum infra Mesopotamiam versus Sinum Persicum constitutum fuisse. Dum Viri illi eruditi opinionem suam tueri nequeant, quin necessum habeant absurdum quid supponere sive statuere, nimir. quod fluvium, qui è regione egreditur, repræsentent, quasi ad eam deflueret, & utrumque fluvium, Euphratem & Tigrim, ab ostio ad fontem exiret, contra naturalem fluviorum decursum. Quod maxime absurdum & omni prorsus ratione destitutum; utpote qui in tabulis Geographicis neutiquam infra Paradisum prope exitum & divisionem in plura fluentia fluvii Paradisini repræsentari, verum in ejus tractu superiore circa ingressum Paradisi collocari solent. Quod è diametro narrationi Mosis repugnat.

Eden duplex.

Eadem in regione Paradisum collocant Viri omni eruditionis genere florentissimi Franciscus Junius, & Hugo Grotius. Ille *Prælect. in Gen. 2.* observat, Edenem duplicem commemorari, unam in Thelassar *2 Reg. 19: 12.* cujus incolæ imperio Regis Assyriæ cesserant, & *Jes. 37: 12.* quæ pars fuit Mesopotamiæ *Ezech. 27: 23.* Alteram prope Damascum, de qua *Amos 1: 5.* Ad illam autem statim primo loco alle-

allegatus Auctor pertinuisse Paradisum existimat, & propterea in Auranitide ad Euphratem situm. Quin Auranitis, AUSTANITIS, quasi AUDANITIS sive EDENITIS ipsi dicta. Aliis Auchanites seu Auchanitis regio in Babylonia. Ejusmodi orthographiam & nominum pronuntiationem Veteribus non inusitatam fuisse, adserit Donatus in *Hecyram Terentii Act. 3. scen. 4.* ubi inquit in notis ad verba, *cadaverosa facie: Potest R. pro D. poni, ut caro dicta sit quasi cado.* Ut Virgil. *Belloque caduci Dardanida*, quod jam scil. sine anima sit & cadat. Varro etiam *lib. 5. de ling. lat.* observat, quod *meridies ab eo quod medius dies,* & quod *Antiqui D non R in hoc loco dicebant.* Notandum præterea, ut statim allegatus Auctor observat, Paradisum non in Edene duntaxat constitui, sed partem Orientalem istius regionis à Mose ipsi adsignari, cum testatur, *Deum Paradisum plantasse in Edene versus Orientem;* quod verum etiam erat respectu Mosi in Arabiæ desertis libros suos scribentis.

Fluvios autem Paradisi quod attinet, unum initio esse statuit, qui postea in quatuor dividitur, & ex Edene exit sive procedit, scaturire autem vel exoriri negat: quia aliunde ortum suum habere cuique notum est. Existimat enim fluvium illum esse, quem hodie Euphratem appellamus, ex Armenia descendentem, ut omnes testantur Geographi tum veteres, tum recentiores; primum vero fluentum ab eo divisum dici à Mose *Phisonem*, & à Scriptoribus exoticis *Pasitigrin*, servata, ut inquit stupendæ doctrinæ vir Hugo Grotius *quidam*, nominis antiquitate.

0 0 0

tate. In eam itaque Viri celeberrimi adducti sunt opinionem, quod ex Phisone in Tigrim circa Apameam conflente & Tigri formetur *Pasitigris*, sive potius *Pisatigris*.

Secundus
Gichon.

Secundum fluentum, uti ex Junio notavit variorum eruditione florentissimus Stephanus Morinus, *Dissert. de Paradiso terrestri*, Gichon sic dictum, quod irrigandis agris inserviat, (unde summus Grotius ἐκβολήν, id est, *divertigium fluminis* interpretatur) quamobrem etiam Chaldæus ab usu illo *Nabarsares*, id est, *fluvius diductus*, qui Ptolemæo corruptè *Baarsares*, Ammiano *Marsias*, Straboni & Plinio *Maarsares*; Est autem alveus citimus Euphratis respectu nostri. Vid. Joan. Clericum *in suis ad h. l. comment.* Verum Grotius, ut inquit statim allegatus Auctor Stephanus Morinus, nunc ab ipso recedit, & medium Euphratis canalem intelligendum existimat, qui *Naarmalca* à Marcellino dicitur, corrupte verò Plinio *Armalca*; & optime à Strabone βασιλείου ποταμός, *Regius fluvius* vertitur; aut (si id minus placet, inquit, quod à Regum aliquo factus is credatur fluvius, & inde nomen habeat) *Chaboras*, quem cum Euphrate conjungi Ptolemæus testatur.

Tertius
Chiddekel.

Tertium fluvium *Chiddekel* vel *Hiddekel* dictum Tigrim esse existimat Junius, Mesopotamiam ab Assyria & Susiane principium à superiore Chaldæa parte determinantem; sed nomen illius hoc loco æquivoce de superiore βασιλείου alveo in Tigrim conflente dicitur; quia videtur potius Tigris in alveum Euphratis incurrere, quam Euphrates in Tigrim,

grim; ac proinde alveus ille Tigridis nomen obtinet, & ita à Plinio auctoribusque aliis appellatur inter Seleuciam & Ctesiphontem interfluens.

Quartum fluentum, vel quartus alveus nomine tantum discretus, quia nihil ad circumscriptionem terminorum pertinet; sed mediam regionem secat, & nomen Euphratis obtinet *κατ' ἰξοχὴν*, ut ex Amiano constat *lib. 3.*

Quartus
Euphrates.

Juxta hanc descriptionem videtur Paradisus constitutus fuisse in Mesopotamia, cum in ea Euphrates in plura fluenta subdividi incipiat, & Tigris ei etiam jungatur. Quamvis autem, uti inquit Vir doctissimus Stephanus Morinus, hæc sententia confirmari videatur constanti primorum hominum studio hanc regionem incolendi, quasi à prima beatitudinis sede minus recedere, & exilium suum proprius reddere satagerent: nihilominus suas habet difficultates, easque gravissimas. Quin eo ipso, inquit, quod à prima rerum memoria putetur ab hominibus exculta Mesopotamia, minus convenit Paradiso, ad quem nulli hominum patebat aditus, sed ejus accessus prohibitus erat, & coacti primi mortalium ab ejus orientali secedere; itaque quasi illo terrarum tractu ejecti, ad aliam mundi plagam in exilium missi sunt. Deinde notandum, quod nullus oritur in media Mesopotamia fluvius, cum undique ambientibus fluviis sit circumdata, & quod imprimis observandum, ac unus quidem in Mesopotamia fluvius designari quis posset, à quo ceteri derivarentur. Ipse tamen hujus sententiæ Auctor & assertor præcipuus, fluenta duo Tigrim constituere

Paradisus an in Mesopotamia.

tuere affirmat; quorum unum absolute Tigris dictum, alterum vero Pasitigris, ob suam cum Phisone societatem & confusionem; & Euphratem similiter duo; scilicet Euphratem proprie dictum, qui mediam Babyloniam secat, & citimum respectu nostri alveum Euphratis, qui Gichon à Mose, & à Chaldæis Naarsares nuncupatur; aut Chaboras. Jam vero, inquit Auctor noster, hæ partitiones duorum fluviorum cum Mose unum quadrifariam divisum duntaxat agnoscente non possunt conciliari. Expressis enim verbis tradit Moses *Gen. 2: 10. Et fluvius oriebatur ex Edene ad irrigandum Paradisum, & inde dividebatur, & erat in quatuor capita.* Ea autem quatuor capita sive novæ scaturigines quatuor fluviorum postea nominatim describuntur. Vir doctissimus Salomon-van Til, auctorem nostrum hic vix excusabilem, ut inquit, erroris arguit, dum statuit, *nullum in Mesopotamia esse fluvium, cum tota ambientibus fluvii sit circumdata.* Verum haud errare mihi videtur, quippe non asserit, nullum in Mesopotamia esse fluvium, sed nullum oriri in media Mesopotamia; quod verissimum: quod enim attinet Chaboram & Saocoram flumina, illa non in Mesopotamia, sed in confinio Armeniæ majoris, oritur Chabora ex Monte Masio, & per Mesopotamiam labitur, & in Austrum tendens, in Euphratem se exonerat infra Chaboram urbem, nunc fluvius *Giulap*; quamvis aliis sit *Chobor*; atque urbi idem fluvii nomen hodie impositum ab incolis, è regione Arabiæ desertæ sita est 40 miliaribus infra Nicephorium, & 20 infra Tapsacum in ortum Aphadanam versus. Alii:

Alii sedem primorum parentum, Hortum illum Paradisus an in E- amoenissimum, quem *Paradisum* vocamus, in E- denis re- denis regione versus Orientem situm, circa Mesopotamiae & Babyloniae confinium collocant, prope gione Apamiam. Inde enim manat fluvius in quatuor ca- versus o- pita divisus, Euphratis & Tigris cum fluentibus, quorum uni Pichon, Josepho Scaligero est rientem. πλημμύρα *inundatio*, alterum *πηγάμισσαριον*, quia à magno illo alveo emittitur. Utrumque in Sinu Persico excipitur, sicut & Tigris Euphratesque in Persicum Mare exonerantur. Hac in regione constitutum Paradisum fuisse, summus Theologus J. Calvinus tuetur; nec ab ea opinione alieni Viri singulari eruditione florentissimi Josephus Scaliger, quem statim allegavimus, Samuel Bochartus, Stephanus Morinus. Illustris Præsul Huetius, Episcopus Abrincensis, in suo *tractatu de situ Paradisi*, eum collocat inter Babyloniam & Susianam, eo prope loco, quo in tabulis Ptolemaicis Araccam positam videmus. Atque asserit Vir eruditissimus, eam plagam toto differre cælo ab illa, in qua Calvinus & Scaliger Paradisum collocandum statuerunt: licet Aracca & Apamia uno duntaxat gradu distat fuerint. Quamvis autem eruditissimus Præsul quoad situm Paradisi, cum Calvino, Scaligero, Bocharto, atque Stephano Morino dissentiat, attamen fluvii istius, qui Paradisum permeabat ad illum irrigandum, originem non in ipsa regione Edene quaerendam, sed fontem extra Paradisum & provinciam Edenem habuisse sustinet, & eatenus non omnino dissentire videtur à Viris statim à nobis laudatis;

imo nec etiam dissentit, quatenus neque in Mesopotamia, neque etiam cum aliis intra montes Armeniæ majoris, aut cum Heideggero & Joanne Herbinio in ea regione, quæ postmodum terra Chanaan, Palæstina, & Terra Sancta dicta est, Paradisum situm statuit; verum prope Babyloniam, infra Apameam, scil. propius, si tabulas inspiciamus Geographicas, Sinum Persicum, in quem duo è quatuor fluenta sese exonerant.

Sententia
Calvini
de situ
Paradisi.

Calvinus autem & alii Viri eruditissimi cum collocant, scil. in utroque Tigris latere, uti statim dicere incepimus, inter Ctesiphontem & Apameam; in eo enim loco Calvinum Paradisum constituisse, supra annotavimus. Calvini sententiam Bocharto maxime placuisse, constat ex ejusdem Viri eruditissimi Epistola ad Ludov. Capellum scripta, ubi inquit: *Inter eas omnes diversas explicandi nationes nulla videtur mihi probabilior, quam quæ à Calvino adfertur; unde & Scaliger de Emendat. Tempor. lib. 5. ubi de Mundi conditu, eam ita extollit & miratur, ut ajat, nihil potuisse verius nihilque doctius dici. Sic autem se habet: Tigris ex Ptolemæo Euphratem intra Apamiam excipit, eoque modo ingentes hi duo fluvii cœunt, & ubi cœere, ad Asiam urbem confluunt, quo loco communis eorum fluxus in fluenta duo dividitur, quæ seorsim in mare Persicum desinunt; ad Orientem alteram Susianam, versus alterum vero ad Occidentem versus Arabiam. Horum autem duorum fluentium unum ex Ptolemæo vocatur Osium Tigris Orientale, aliud vero Occidentale. Ex Strabone autem unum Tigris osium dicitur, alterum*

alterum Euphratis. Itaque unus & idem alveus in quatuor capita secatur, quorum duo sunt superiora, Tigris scilicet & Euphratis, duo vero inferiora, ea nimirum, quæ ex eo alveo in mare Australe descendunt. Calvius ergo contendit, capita seu fluentia duo superna, de quibus textus sacer, Euphratem esse & Hiddekel seu Tigrim; duo vero inferna esse Phison & Gihon. Quemadmodum porro Havila ipsi est Sufiana, quæ ad Orientem jacet, Chus vero Arabia, quæ ad Occidentem sita. Sic quoque Phison quæ Havilam circumfluit, arbitratur esse superius memorati Orientale Ostium, Gihon contra, qui Chusim circumerrat, Occidentale. Ex his igitur Edenis Hortus in ea Babylonæ parte jacebat, in qua fluvii duo in unum alveum cœunt. Hæc Vir ille varia eruditione florentissimus. Verum ut magis cuivis posset innotescere hanc opinionem de situ Paradisi probabilioribus niti rationibus, penitus inspicienda, quæ de regione Edene, & ejus Horto amœnissimo, quæ suis complectebatur limitibus tradit falli nescius scriptor Moses.

Testatur divino Spiritu ductus Moses, Deum plantasse Hortum in Eden, versus Orientem, & in eum collocasse mortalium vetustissimum, quem de meliore luto finxerat sui ad imaginem. De significatione vocis Eden quædam supr. annotavimus; & hic denotari locum, sive Regionem vel Provinciam, in qua Hortum illum amœnissimum situm fuisse, ideoque ejus partem fuisse, statuimus. Eden itaque hic est nomen proprium loci, uti id ipsum satis constat ex ipso textu Hebraico, & quidem

Eden
nomen
loci proprium.

dem ex Præpositione per literam γ expressa, quæ, uti inquit celeberrimus Huëtius, clare admodum ex proprio & naturali usu situm Horti in Edene, id est, in regione, cui id nomen proprium impositum, arguit. Atque ipse concludit, nomen Edenis proprium fuisse loci. Vide quoque alia argumenta, quæ Eden hic nomen proprium loci esse ostendunt, apud Joan. Clericum *comment. in Pentateuch. ad h. l.* haud aspernanda. Hortum autem in hac regione Edene Deum plantasse, testatur Moses, ad latus Orientis, sive versus Orientem, scil. *regionis Edenis*, in ea parte Edenis, quæ ad Orientem sita. Vid. Huët. *de situ Paradis. cap. 3.* Salom. van Til *de ortu & interit. primi Mundi.* Alioqui nullus locus in mundo ad orientem magis dici potest esse situs, quam alius. Verum cum vocabulum Hebræum *Mikkedem* ambiguae significationis sit, quod modo ad locum, id est plagam orientalem referri potest, modo ad *tempus, principium, vel antea, olim, antiquitus* significans, inveniuntur Interpretes, qui *ab Oriente* vertunt, à *principio*. Auctor vulgatæ Hieronymus; Interpretes Græci, Aquila, Theodotion & Symmachus; Paraphrastæ Chaldaici, Onkelos & Jonathan, omnesque Interpretes, qui Vulgatæ inhærent, posteriori sensu accipiunt, vertentes à *principio*.

Hortus
utrum
ante
Mundi
creationem, an
vero in
ipso ejus

Verum quamvis eodem sensu hi Interpretes vocabulum *Mikkedem* accipiant, attamen non conveniunt inter se, an hæc verba Mosis ita accipienda, quasi ante Mundi creationem hic Hortus plantatus jam fuerit; an in ipso Mundi primordio, scil. *tertio*

tio creationis die eum plantatum fuisse dicendum. Paraphrastes Jonathan atque Hieronymus primam tumentur sententiam, statuentes Paradisum fuisse conditum ante cœlum & terram. Quæ sententia aliis merito absurda videtur, si de terrestri Paradiso accipiatur, de quo Mosen sermonem habere, vix ambigendum. Si de spirituali Paradiso accipiatur, nemo dubitat eam felicitatem cœlestem & æternam ante Mundum conditum Cœlicolis à jacto Mundi fundamento electis esse paratam: sicut Christus testatur *Matth. 25*. Verum si hanc significationem voci tribuimus, plane in sensum à mente Scriptoris alienum detorqueri mihi videtur. Neque etiam probari potest, Hieronymum hunc sensum ex vi literæ Mosaicæ hoc loco collegisse. Alii contenti antiquitate sunt, quæ cum Mundi ætate paria facit; & plurima ex parte volunt, Paradisum cum omnibus suis arboribus frugiferis tertio die plantatum. Quamobrem legendum arbitrantur, *Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum*, non, *plantavit*. *Produxeratque Dominus Deus de humo omne lignum pulcrum visu* &c. ut eadem locutionis forma de re non divisim, sed eodem momento facta servetur, ne causa detur erroris. Priorem enim lectionem tumentur, qui sentiunt Paradisum plantatum, postquam Adam è terræ luto formatus, sequentes ordinem narrationis Mosaicæ: ut quoniam postquam de formatione hominis dictum est, tum demum subjiciatur, *Et plantavit Dominus Deus Paradisum in Eden*; scil. post formationem hominis. Nec etiam arbores frugiferas plantatas arbitrat

P p p

Chry-

Chrysoftomus, antequam Adam in eum locum collocatus esset. Qui vero existimant, vocabulum Hebraicum locum, non tempus significare, nec ipsi inter se consentiunt, teste celeberrimo Præsule Huetio: *Aliquibus persuasis id extremum Orientis significare; aliis vero, quorum longe major est & numerus & auctoritas, confirmantibus, nomen Orientis in Sacris Scripturis nusquam ad eas regiones, quæ ultra Sinum Persicum sunt, sed iis duntaxat, quæ inter hunc Sinum & Judæam sunt, Arabiam, Chaldæam, Mesopotamiam, & Persiam applicari. Præterea, inquit, & illud addo, præter illas regiones, quas jam nominavimus, ab auctoribus sacris Orientis dictas, istas etiam, quæ ad Orientalem Tigridis ripam sitæ erant, specialiori ad huc ratione nomen proprium קדם kedem, Orientis portasse.* Alii vero putaverunt, fuisse locum Orientalem, respectu Judææ vel Ægypti vel Arabiæ Petreæ, ubi Moses scripsit, adeoque Orientem nuncupasse, intuitu loci, ubi hoc tempore commorabatur. Alioqui nullus locus in Mundo magis est ad Orientem, quam alius. Alii volunt, eundem, uti genti Hebrææ scribebat, futurum tempus, quo ipsa aliquando in terra sibi promissa fixam sedem habitura esset, respiciens, ita ad eam tantummodo regionem oculos direxisse. Verum libenter subscribimus opinioni florentissimi Theologi Salom. van Til, statuentis, *versus Orientem*, id est, in parte Orientali regionis Edenis, vel à latere illius Orientali, sive ad latus illius Orientale, situm fuisse, Mosen nobis indicare voluisse. Itaque intra Edenem, & juxta Orientalem ejus partem

tem collocatum à Deo Paradisum, ex descriptione, quam de ejus situ tradit Moses, concludimus: *Eodem etiam*, inquit Steph. Morinus *Dissert. de Parad. terrestr. nos deducit celebrata illius Paradisi aemienitas & fecunditas incomparabilis; ut enim Damascum, & Assyriam vidimus raræ ubertatis, & deliciarum suarum jure quandam cum Edene & Paradiso affinitatem sibi vindicantes, sic nobis licebit proum exuberantis illius fecunditatis cursum sequi, atque ex ejus incrementis colligere proximitatem Paradisi, & centrum omnigenarum deliciarum, in quod totius Orbis bona tendebant: reuera descendendo ex Assyria & ex Syria Damascena procedendo Orientem versus occurrit Mesopotamia, terrarum omnium feracissima, quæque eo feracior & præstantior est, quo propius Orientem tangit, & magis ad Babyloniam vicinam accedere animadvertitur. Nam testatur Strabo lib. 16. quod agri in Babylonis vicinia pro uno grano trecenta reddant, & solæ Palmæ sufficient ad vitam commode tuendam: cum ex iis panis, mel, vinum, acetum, & varia textilia fiant. Nucleis pro carbonibus fabri ferrarii utuntur; iidem in aqua macerati bobus & ovibus in pabulum dantur. Dicunt esse carmen quoddam Persicum, in quo 360 Palmæ utilitates numerentur. Hæc Strabo d. l. Soli hujus ubertatem & fecunditatem Plinius quoque describit lib. 18. cap. 17. *Babyloniæ*, inquit, *bis secant, tertio depascunt, alioqui folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquagesimo fœnore messes reddit exilitas soli: verum diligentioribus cum centesimo quinquagesimo. Imo jacentia inter Tigrim & Euphram**

tem tam ubere & pingui solo esse, tradit Curtius lib. 5. ut a passu repelli pecora dicantur, ne satietas perimat, &c. Soli autem ubertas & fœcunditas maximè tribuenda fluviorum Euphratis Tigrisque fœcundis aquis, quibus terræ interamnes irrigantur; hi autem fluvii, uti ex Mosis descriptione perspicimus, in Paradisi confiniis collocantur; verum quoniam hi fluvii suo ambitu amplum terræ tractum amplectuntur, & varias regiones alluunt, inde non satis propria Paradisi sedes. Itaque ejus situm ex sequentibus versibus demonstrare & circumscribere nobis incumbit.

Fluvius, Paradisum irrigans, ex eoque egrediens, an non aliunde originem habuerit?

Versu decimo testatur Moses, fluvium egressum de Eden, ut irrigaret Hortum, & inde divisum in quatuor capita, quorum nomina recenset sequentibus versibus 11, 12, 13, 14. & investigandum, an constet, utrum hæc duo flumina a Mose revera denotentur, & convenient descriptioni, quam tradit de fluvio ex Edene egrediente, & inde in quatuor capita se dividente. Fluvius, inquit divinus scriptor, egrediebatur ex Edene ad irrigandum Hortum. Moses hic sermonem habet non de pluribus, sed unico fluvio, qui ex Edene egrediebatur ad irrigandum Hortum, quod tamen eo sensu non accipiendum, quasi regionem Edenem, quaquà patebat, non plures fluvii permeassent; quippe constat ex situ istius regionis, plures eam percurrisse fluvios, qui tamen aliunde ducebant suam originem. Verum videtur hic Moses hujus duntaxat meminisse fluvii, quia ex Edene egrediens Paradisum irrigandi causa permeabat, & proinde non aliorum meminisse; quoniam

am.

am id à scopo Auctoris Paradisi situm describere in animo habentis alienum, & propterea hujus fluvii egressum ex Edene peculiariter describit. Quod si ejusdem regionis historiam literis consignare voluisset, nullus dubito, quin & aliorum fluviorum meminisset, & de iisdem idem notasset, quod de fluvio Paradisino prædicat, scil. eorundem egressum & decursum per illam regionem ad sua ostia notasset. Quamobrem vix mihi persuadere possum dum auctor Paradisi situm pingere, & proinde quoque fluvii, quo Hortus quidem irrigabatur, verum aliunde originem habebat, uti & alii fluvii, qui regionem Edenem peragrabant, & ex ea egrediebantur, sed alia flexura decurrentes, adeoque Paradisum non irrigantes, describi haud necessum erat, per egressum istius fluvii nihil aliud denotare voluisse, quam denotasset, si aliorum fluviorum, qui in Edene occurrunt, & ibidem suas non habent scaturigines, manifestum decursum ad sua ostia, vel in alios fluvios vicinos exonerationem tradidisset, eodem usus fuisset vocabulo.

Haud me fugit, non unam eandemque de hujus vocis significatione Interpretum esse sententiam; in eo tamen conveniunt, quod textum Hebraicum interpretentur, *Et fluvius egrediebatur*, &c. Ita que vocem Hebr. **וַיֵּצֵא** *Jotse* vertunt *egrediebatur*. Indagandum ergo incumbit, quænam vera sit vocis hujus significatio; quoniam multiplices potest admittere expositiones: Sunt enim Viri eruditi, qui per *egressum* intelligunt ortum, scaturiginem, & fontem illorum fluviorum, quasi unus idemque fue-

rit fons Tigridis , Euphratis , Pisonis & Giho-
 nis in Hedene , unde ad irrigandum Paradisum de-
 fluxerit. Verum libens amplector sententiam Joan.
 Clerici *in suis commentariis ad h. l. statuentis*, hoc
 „ omnes ex Geographia petitas conjecturas evertere;
 „ quippe qui hunc egressum hoc sensu intelligunt,
 „ illi non duntaxat duos fontes Euphratis & Tigri-
 „ dis miscent, sed etiam aut Hedenis regionem ad
 „ Armeniam usque porrigunt, aut fontem eorum
 „ fluviorum ex Armenia in aliam regionem transfe-
 „ runt. Quod si liceat, pergit, nihil hic non lice-
 „ bit., Verum, quoniam manifestum est, utrum-
 que fluvium diversis locis in Armenia majore scatu-
 rirre, nec regionem Edenem adeo late patere, vix
 hæc opinio refutationem meretur.

Fluvius
 irrigans
 Paradi-
 sum, an
 in Hede-
 nis re-
 gione or-
 tum ha-
 buerit.

Celeberrimus Theologus Salomon van Til *in Dis-
 sert. de situ Paradisi terrestri*, quam edidit Anno
 1701. inhæret opinioni, quam supra ex præcedenti
 tractatu vernaculo sermone conscripto retulimus,
 scil. fluvium illum, quem ad irrigandum Paradisum
 ex Hedene egressum tradit Moses, non aliunde, sed
 in ipsa regione ortum habuisse; idque ex vocis si-
 gnificatione satis colligi posse. *Notandum enim*, in-
 quit, *verbum נַיִם* hic non simpliciter poni, sed cum
 Præpositione ׁ construi, ut ille fluvius describatur
 ׁ נַיִם ex Hedene egrediens. Neque dubium est,
 quin illa phrasis communiter rei ortum significet. Vi-
 de, inquit, ut hominis nativitas hac phrasi descri-
 batur pluries, Genes. 15:4. 17:6. 35:11. Exod. 1:5.
 Et multis aliis locis; nec non quaecunque rei princi-
 pium, seu primus exitus, ut de calamis ex lampadi-
 bus

bus prodeuntibus, *Exod.* 25: 32, 35. 37: 21. & quod ad causam facit, de aquis ex primo originis loco in publicum erumpentibus, *Jud.* 15: 19. & *Ezech.* 47: 1. &c. Et paullo post: Nos itaque phrasin illam integram expendentes ad hanc significationem semper attendendum esse putamus, qua significat ex loco abscondito in publicum prodire, ut terminus à quo sit locus reconditus, ubi quid, antequam prodiret, latitabat. Ita sponsus dicitur prodire ex thalamo, quocum solis exortus comparatur, *Psal.* 19: 6. Homo prodire ex utero aut ex corpore parentum, quando nascitur, *Jud.* 8: 30. 2 *Sam.* 16: 17. *Job.* 1: 12. Rex exire in bellum, quando primum prodit & conspicitur cum exercitu, *Gen.* 14: 8. Et locus exire ex loco, quando terra ibi primum occurrit itineranti, *Num.* 21: 13. Quamvis hujus Viri doctissimi plurimum apud me valeat auctoritas, haud tamen mihi persuadere possum, hujus fluvii ortum vel scaturiginem ex Edenis regione deduci oportere, propter phrasin illam, qua Moses utitur, illum *ex Edene egressum* describens. Verum illorum opinioni libentius subscribo, qui hunc fluvium, ad irrigandum Paradisum ex regione Edene egredientem, fontem Paradisum extra regionem Edenem habuisse tuerentur, cum ob rationem supra à nobis adductam, tum etiam, quod vox *egrediebatur*, non significet *nascebatur*, vel *primum prodibat*; sed aliunde ex fonte suo scaturiens, & inde profluens alias regiones permeans decurrendo tandem ingrediebatur Heden, eamque peragrabat, atque ita ex eadem profluebat ad illam regionis partem, ubi situs Paradisus, quem
irri-

irrigaret. Verbum enim *egrediebatur*, quo utitur Vulgata, & *εκπορεύεται*, quod Septuaginta adhibuere, cui & versiones Orientales respondent, cursum fluvii alicujus, non originem & fontem indicat, uti inquit Illusterrimus & varia eruditione florentissimus Præsul Daniel Huetius *dict. tract. cap. 4.* *Ipsa enim vox, quæ in textu Hebræo est, eundem hunc sensum generat. Quamvis enim, pergit, alibi locorum & apud Mosén ipsum occurrat, ut nativitatem aquarum significet; nihilominus cum hi loquendi modi sint figurati, nec vox ista in narrationibus historicis adhibeatur, non videmus, quid inde pro significatione ejus propria concludi possit. Præterquam quod negari nequeat, quin Hebrææ multa alia habeant vocabula magis propria hanc rem significantia, verum non habent, quam *jatza*, magis idoneum, quod in sensu egrediendi adhibeant, ubi res aliqua ab uno loco descendit in alterum. Unde Theodati *comment. ad h. l. E così la parola d'uscire, non significhera il nascere di quæ fiumi, ma la discesa del corso loco fuor de limiti del Paradiso.* Et res ipsa, inquit statim allegatus Auctor, quæ a Mose describitur, si probe consideremus, ad hunc sensum nos ducere videtur. Quippe cum Provincia sive regio Eden & Paradisus sint loci diversi, scil. ut totum à sua parte, uti ex iis, quæ supra de situ Paradisi annotavimus, manifestum est, & sacer Auctor indicare voluerit fluvium ab uno descendisse, ut percurreret alterum: duos hujus cursus sistit terminos, Edenem Provinciam sive regionem, & Hortum, verbaque & particulas ad rem hanc significandam maximè convenientes*

tes

tes & idoneas adhibet. Quod si per hæc verba, *Et fluvius egrediebatur ex Edene*, sive, *de Edene*, dicere Moses voluisset, fluvium ex terra in *Edene* prodiisse, manifestum est admodum, narrationem ejus aliqua ex parte defecisse, cum nihil de cursu fluvii dixerit: & ut compleretur his fere verbis opus fuisset, & *fluvius fontem suum in regione Edene habebat*, unde ad irrigandum Hortum progrediebatur, sive procedebat. Vid. statim alleg. Auctor. *d. l.* Et si hic fluvius ortum ex Edene habens, adeoque plane diversus ab istis fluviis, quorum nomina paulo post tradit Moses, distinctus, cur omisisset etiam istius fluvii nomen notare? Nec ambigendum, quin huic fluvio, uti aliis à Mose relatis, suum nomen a gentibus, quibus illum Orbis tractum incoluere, fuerit impositum, cum & ipsi aliorum fluviorum Euphratis & Tigridis rivi, quales Pishon & Gichon, propria sua habuerint nomina appellativa, quæ notavit Moses; multò itaque magis notasset nomen fluvii capitalis, peculiarem & diversum ortum in Edene habentis. Atqui divinus Scriptor adeo exacte historiam creationis describens, & Paradisi situm depingens, hujus fluvii nomen tacuerit, concludimus, hunc fluvium ex conjunctis, in regione Edene prope aditum Paradisi, fluviis Euphratis & Tigridis non distinctis, sed uno eodemque alveo decurrentibus, natum, & proinde non novum & distinctum ab illis fluvium in Edene scaturientem perspicimus; quamobrem idem retinebat nomen fluviorum, quorum ex conjunctione nascebatur; & à Mose suo etiam nomine appellatum, scil. *Pherath*

Q q q

sive

sive Euphrates, aut *Hiddekel* sive Tigris, utroque nomine appellari potest, ubi uno eodemque alveo fluit; ubi vero distinctis alveis profluxerunt, distinctis quoque nominibus appellantur ab Auctore. Verum Tigrim Euphrati unitum, & quasi ab eo absorptum, non perperam Pherath appellamus; & ita à potiori parte denominatio fit, quod rationi convenit. Quod autem capita, tot alvei distincti, & sic quatuor quoque nomina. Pherath & Hiddekel duo capita, propria sua nomina retinuerunt, quatenus hi fluvii distinctis alveis Edenem intrarunt, & quamdiu suo quisque alveo hi ambo fluvii & ortu & alveo distincti proprio alveo profluxerunt. Phison & Gichon fluvii nomen sortiti, dum idem fluvius Paradisum egressus, se iterum dividere cœpit in duo capita, & distinctis alveis sub novis Pisonis & Gichonis nominibus in Sinum Persicum tandem delatus ostium suum recepit. Itaque hi duo fluvii, scil. Euphrates & Tigris postquam suam iniverunt societatem, & in unum coaliti uno eodemque alveo defluere cœperunt, hunc Edenis fluvium composuerunt, qui sano sensu ad Paradisum irrigandum defluens, ex Edene egredi vel procedere dicitur. Neque hanc sententiam impugnare videntur argumenta, quæ celeberrimus Theologus Salom. van Til *tract. de situ Paradisi terrestris*, ad contrariam sententiam tuendam adduxit. Quippe, licet S. Scriptura dicat *egredi* filios ex sinu materno aut parentibus cum primum nascuntur, ut *Genes. 15: 4.* licet eodem utatur verbo ad furculos & ramos ex stirpibus ortos significandos, ut

Jes.

Jes. 11: 1. & fructus ex vite immediate procedentes, ut *Jud. 13: 14.* passim etiam usurpetur de Sole, cæterisque sideribus continuo cursu Orbem circummeuntibus, & nullum cursus initium revera habentibus; quemadmodum autem duntaxat dicuntur oriri respectu modo hujus gentis, modo illius, quia tunc ad earum conspectum perveniunt; sic fluvius in Edene ortus cum primum in ea defluens visus est, licet plures regiones antea permeasset, inquit Steph. Morinus *de Paradiso terrestri.* Sic recte exire sive procedere è regione Paradisiaca Edene fluvium dicimus, quamvis aliunde originem habeat, uti Euphratem & Tigrim habuisse constat in Armenia, tanquam è loco per quem. Rectè enim homo dicitur exire è culina, licet pertransierit antea hypocauftum & alia conclavia, uti argumentatur Aug. Pfeifferus *Philol. cent. 1. loc. 4.* Sic etiam egressum, non ortum ex Edene fluvium Mosen significare voluisse sentit nobiscum Robbinson *annal. Mund. lib. 1. §. 47.* Quippe uti inquit Pererius *in suis ad hunc librum commentariis, Non est necessarium illo verbo egrediebatur significari primum ortum; sed tantum indicari flumen illud ex regione Heden profluens directo itinere & cursu in Paradisum influxisse.*

Fluvii itaque hujus nomen ex Edene egredientis postea à Mose nominatur *Pherath*, Euphrates, quia quartus alveus retinuit nomen totius fluvii. Hic fluvius ex Euphratis & Tigridis conjunctione natus, Edenem permeans, & inde egrediendo Paradisum ingrediebatur, ut Hortum illum irrigaret, scil. per inundationes, quæ eo facilius contingere possent;

Fluvius in Horto & Edenis regione unicus, nullaque ibidem fluviorum divisio facta.

Q q q 2

quo-

quoniam duo isti fluvii aquarum copia abundantes uno alveo conjunctim profluentes, & Paradisum permeantes, & proinde in unum coaliti, unum tantum fluvium efficiebant. Quamobrem cum testatur Moses, *Fluvium illum inde se dividere, & fuisse in quatuor capita*; illam divisionem non intra Edenis regionis vel Paradisi terminos, sed extra illam regionem ejusque Hortum factam arbitror. Præterquam quod particula *inde*, juxta Grammaticorum regulas, sese referre debeat ad id, quod ultimo loco nominabatur, adeoque ad Hortum. Atqui Paradisus pars fuerit regionis Edenis, cujus intra terminos & limites situs erat, Edenem & Paradisum in descriptione quatuor illorum brachiorum conjunctim considerare possumus, divortio extra utrumque contingente. Quippe ex relatione Mosis satis dilucide apparet, eodem modo, quo egrediebatur ex Edene, ingressum fuisse Paradisum; atqui fluvius ex eadem regione ad irrigandum Paradisum egressus, ita quoque iste fluvius egrediens immediate absque ulla divisione ingressus Hortum. Fluvium enim egressum testatur Moses ex Edene ad irrigandum Hortum. Ergo non plures fluvii divisione in Edene facta, antequam Hortum ingrediebatur, Paradisum irrigarunt. Innuunt enim illa verba non nisi unicum in Horto & regione Edene fluvium, & proinde divisionem ibi non factam fuisse. Quamobrem eorum opinioni subscribere nequeo, qui hanc divisionem in ipsa regione, in aditu Paradisi factam statuunt, & proinde particulam illam *inde* ad Edenem referunt, ac fluvium, priusquam Hortum intraverit, in eadem se in quatuor alveos dividere. Forte quis reponet,

nos

nos alibi statuisse, Euphratem & Tigrim distinctis alveis Edenem intrasse, & proinde vix dici posse, neque intra neque extra Edenis vel Paradisi limites divisionem factam; præterquam quod hæc divisio non fit intra Edenem, sed extra, ubi hi duo fluvii proprio quisque alveo decurrentes, ingrediendo Edenem conjunguntur, quamobrem intra eam regionem divisionem fieri haud dici potest, verum illam etiam factam fuisse oporteret post ingressum, non vero ante; unus enim fluvius dicitur permeasse Edenem, qui postea se dividebat in quatuor capita, scil. postquam & Edenem & Paradisum permeasset, vel in aditu Paradisi, antequam ad irrigandum Hortum ingrediebatur (quo sensu divisionem factam accipimus) constat illam non factam dici posse in superiori Edenis tractu, scil. in ipso ingressu, ubi hi duo fluvii in unum coaliti, uno eodemque alveo decurrere cœperunt. Absurdum quoque esset divisionem in ingressu factam, quasi decurreret ab ostio ad fontem; quippe cum per decursum aquarum divisio fiat, rationi repugnaret divisionem in superiori tractu Edenis forte factam, ab illo fluvio, qui ex duobus fluviis Euphratis & Tigridis ex Armenia profluentibus, ex eorundem societate & conjunctione natus, divisionem profectam, quam ex decursu fieri oportet. Absurdum autem tale quid statuere, haud sana admittit ratio. Multò minus si in eadem regione ortum statuamus; quippe hoc casu ad Paradisum irrigandum ex fonte suo decurrens & aquam in Hortum advehens, inde demum, scil. postquam Hortum irrigandi causa permeavit, in plures rivos se dividere cœpisse & eoque unico profluxisse alveo statuendum.

Divisio
fluvii
Paradi-
sum irri-
gantis
ubi facta.

Divisionem itaque, de qua sermonem habet Mo-
ses, non querendam intra regionem Edenem, vel e-
jus partem, Paradisum, sed extra utrumque: quam-
vis propterea non statuamus, eam factam extra Pa-
radisum, scil. post fluvii ex Paradiso egressum, in
quatuor capita, juxta naturalem fluviorum decursum.
Notum enim est, & rerum usus docet, fluvios sibi
per decursum aquarum sæpius novos alveos aperire,
& rivos efficere. Indagandus itaque sensus verborum
Mosis, cum inquit, *Et inde dividebatur in quatuor
capita.* Illam divisionem fluvii Paradisum irrigantis,
factam extra Edenem & Paradisum, statim annotavi-
mus; & proinde quatuor illa capita ibidem collocan-
da. Quippe post egressum fluvii ex Paradiso, ejus
divisionem in quatuor capita notavit Moses: inde e-
nim dividebat se, & in tot capita fiebat. Ut primo
divisionem, & deinde effectum ac partes divisionis in-
dicaret, uti D. Huetius inquit. Quidam per *πηγὰς*
seu fontes exponunt, sicut & apud Poëtas Horatium,
Propertium, vox *caput* in significatione *scaturiginis*
& *fontis* occurrit. Sic *caput Rheni*, apud Horatium
I *Serm. Sat. 10. 8.* & *lib. 1. Od. 1.*

- - *Nunc viridi membra sub arbuto*

Stratus, nunc ad aquæ lene caput sacræ.

Et Lucretius *lib. 6. vs. 729.*

*Fit quoque uti pluvie forsân magis ad caput ejus
Tempore eo fiant.*

Sic quoque Ulpianus Jctus in eadem significatione hac
voce utitur *l. 1. §. 8. ff. de aqua quotidiana & aesti-
va: Caput aquæ illud est, unde aqua nascitur.* Et
Pom. Mela *lib. 3. cap. 2. de Nilo sermonem habens,*
inquit,

inquit, *Rhenus ab Alpibus decidens prope à capite, (id est, à fonte & scaturigine) duos lacus efficit. Itaque & hoc in loco vocem caput eadem in significatione accipiendam volunt; existimantes fluvium hunc quatuor fluviorum, quos Moses enumerat, fontes producere. Quæ opinio etiam displicet summo Theologo Salomoni van Til, Cum fluvius divisus, & in aprico per rivulos suos, divisione attenuatos, fluminibus amplissimis aquas quidem communicare, non vero magnos illos alveos implere possit. Unde etiam sequitur, quod reliquis fluviis infra nominatis ne quidem initium præbere potuerint brachia illa ex divisione nata; quippe suos proprios habentes fontes & alveos aliunde arcessendos. Verum haud dubito, pergit, quin capita vocentur alii fluvii principes & capitales. Samaritanus vertit כולים quod ductus aquarum significat, & LXX. ἀεχὰς, quasi dignitate cæteris prævalentes. Esse vero לאוכער ראשים simplicissime notat, fieri quatuor capitum, dum aquas omnes mediante divisione impendit quatuor capitibus. Forte etiam, inquit, explicari possit ex alio usu Præpositionis ל, quæ quandoque venit pro ו, atque terminum ad quem significat, præcipue si in antecedentibus occurrat Præpositio כן, cui respondere possit, vid. Levit. 29: 12. Jes. 7: 15. Cumque hic fluvius descriptus fuerit ut egrediens ex Eden: huic respondeat & est usque ad quatuor capita. Id est, perpetuatur usque ad quatuor flumina majora: fluvius nempe Hedenis, postquam divisionem passus est: neque alienum est à potestate verbi הוה continuationem rei significare. Gen. 27: 33. Psal. 37: 18. Hæc omnia optime conveniunt cum*

cum Viri doctissimi de situ Paradisi terrestris opinione. Verum satisfacere nequeunt iis qui contrarium tuentur, & fluvium Paradisi egredientem ex Hedene & Paradisum irrigantem non in ipsa regione ejus ortum & scaturiginem querendam, sed aliunde derivandam statuunt. Atque illam divisionem fluvii, quam describit Moses, sive quatuor ejus brachia, non respectu cursus aquarum suarum, sed ratione alvei sui, qualem ille situm habuerit, considerari oportere existimant. Illustris Præsul Petr. Dan. Huetius existimat voces *raschim* & *capita* Metaphoricè hic sumi; non quidem juxta nonnullorum Interpretum explicationem, ut fluvios significet, qui capita sunt & principes aliorum in ea regione fluviorum eo sensu, quo Virgilius dixit *Fluviorum rex Eridanus*. Et cum de Tiberi ipsi esset sermo, *Hesperidum regnator aquarum*. Nam, inquit, in hac significatione si sumpta fuisset vox *raschim*, addi debuisset rei nomen, cuius hi fluvii capita fuissent, ut in locis è Poëta allegatis, & semper fere in Scriptura nomina ejusmodi adduntur: sed adhibita est vox illa, ut significet initia, primos aditus, id quod primo occurrit &c. Verum existimat propriissimum & maxime naturalem sensum hunc esse, scil. fluvium in quatuor capita, quatuor principia, quatuor aditus se divisisse. Ut adeo proprie satis de aliquo, qui sub exitum ex Horto in fluvium descenderit, diceretur eum, postquam per aliquod tempus navi vectus fuisset Phisonem aut Tigridem ingressum fuisse. Hæc cum ita sint, pergit, magnus ille fluvius cum quatuor brachiis, non respectu cursus aquarum suarum, sed alvei sui ratione,

ne, qualem ille situm habuerit, considerandus est. Considerare illum oportet, uti consideretur via aliqua regia, quæ per sylvam duceret, & quæ inde in quatuor vias abiret, sive divisio illa in superiori, sive in inferiore sylvæ parte accideret. Sic neque Moses memorat, an fluvii illa divisio supra, an infra Paradisum fiat; neque an propius an remotius contingat. Satis erat simpliciter hoc dicere, hoc est, quatuor illos alveos, ut rivos, ex hac divisione enascentes, nominare. Nam quatuor isti fluvii, in locis, ubi Moses scribebat, tum & personis, quibus scribebat, tum erant noti, ut sufficeret nominare eosdem, cum vellet ut ipsi dignoscerent.

Quoniam omnis de situ Paradisi disputatio potissimum, uti supra annotavimus, consistit in conjecturis & divinationibus, quæ vero cæteris videntur conjunctiores, & proinde quisque liberam habet facultatem veritatem adsequi conjecturis, quæ sibi videntur niti argumentis cum descriptione Moses maximam convenientiam habentibus, nullus dubito, quin eandem licentiam, quam alii Viri eruditi à nobis laudati sibi assumunt, in descriptione, quam de situ Paradisi terrestri tradit Moses, juxta eam, quam de eo formarunt, ideam, interpretandi nobis quoque concedere velint, licet eruditione & ingenii ac judicii acumine iis facile cedamus. Quamobrem haud dicere vereor, mihi eorum opinionem admodum lubrico fundamento niti videri, qui statuunt ex descriptione, quam de egressu fluvii ex Hedene in Paradisum, & de ejusdem

R r r

dem divisione in quatuor capita, colligunt, & fluvii ortum, & scaturiginem ex Hedenē derivandam, ejus divisionem in quatuor capita quærendam in exitu fluvii ex Paradiso, sive reipsa in tot alveos sese dividat, vel hunc fluvium quatuor fluviorum fontes produxerit; sive hæc capita vocentur fluvii principes & capitales, quibus hic fluvius aquas suas impendit, sive intelligamus decursum fluvii usque ad quatuor capita, vel flumina majora, in quæ sese exonerat; uti videre est in tabula Geographica, quam suæ Dissertationi *de situ Paradisi terrestris* præfigi curavit Vir doctissimus Salomon van Til. Pace tot Virorum eruditione florentissimorum dixerim, mihi nec unam nec alteram videri convenire cum descriptione Moïsi, interpretationem.

Non ortum, sed
cursum
Fluvii,
Paradisum
irrigantis,
describere
Moïses
videtur.

Quemadmodum per vocem *egrediebatur non ortum vel scaturiginem* fluvii ex Hedenis regione intelligendam cum aliis Viris eruditis à nobis allegatis statuendum duximus, uti suo loco annotavimus: ita quoque Calvinus, Bochartus, Huetius, Morinus, (quanta nomina!) opinionem amplectimur, non propter auctoritatem, verum quia veritati mihi conjunctior videtur, quatenus horum verborum, *Et inde dividebat se, & erat in quatuor capita*, sensum propriissimum & maxime naturalem hunc esse putarunt, fluvium in quatuor capita, quatuor principia, quatuor aditus se divisisse. *Siquidem*, uti inquit Bochartus, *hæc capita nihil aliud sunt quam bina Euphratis & Tigridis fluentia in unum intra Hedenem coeuntia, ibique per miliaria aliquot simul fluentia; tumque in bina alia intra eandem Hedenem descissa seorsim-*

scorsimque Sinum Persicum versus tendentia. Neque cuiquam mirum esse debet, quod fluviorum divisiones, aut ostia, appellentur capita, non secus, quam eorum scaturigines; hoc enim familiarissimum est cum apud Orientales, tum apud Græcos & Latinos: hujusque plurima possem, si per tempus liceret, adferre exempla. Sic enim caput fluminis dicitur, quo flumen exoneratur in mare, scil. Ostium. Hinc Cæsar de bell. Gal. *Multisque capitibus in Oceanum influit, de Rheno.* Concipio hic Mosem depingentem Paradisi situm versus Orientem Edenis, atque ejusdem amœnitatem, quæ potissimum in omni arborum frugiferarum, uti etiam herbarum, quæ vitæ tuendæ & commodè traducendæ inservire poterant, genere, describentem, hujus fertilitatis causam annotare non omittendam duxisse; quoniam vero ad fœcunditatem terræ multum confert humor aqueus, sive irrigatio aquarum; quippe quemadmodum in terra arida plantæ, tanquam suo nutrimento destitutæ, ad interitum properant, donec tandem emoriantur: ita ubi aquarum copia terra irrigatur, & accedente calore aëris, omnis generis herbas, flores, è gremio suo edit, & plantas, arbores, fructus, folia & frondes quasi liberali naturæ manu non duntaxat in usum humani generis, sed etiam ad visum & animum demulcendum quam uberrimè profert. Hanc itaque terræ fœcunditatem & amœnitatem describere dum animum induxit Moses, meminit simpliciter fluvii ex Edene egredientis, & versus Orientem ad irrigandum Paradisum decurrentis; fluvium itaque describit & ejus

R r r 2

cur-

cursum depingit per Edenem ad Paradisum, ad Hortum illum irrigandum, ut demonstraret, quomodo Hortus ille amœnus, & terræ bonis affluentissimus, accedente istius fluvii, qui Paradisum permeabat, inundatione, adeo fœcundus reddebatur, ut omnis generis arbores, fructus, plantas, flores quam uberrime proferret. Itaque non ortum, sed cursum fluvii hic describere Moses videtur, quatenus ejusmodi descriptio inserviebat menti & intentioni suæ, quæ eo collimabat, ut causam hujus fœcunditatis & amœnitatis indicaret. Nihil scire intererat, utrum iste fluvius ortum suum ex regione Edenis, an aliunde extra eam haberet, modo constare possit, illum permeasse Paradisum, eumque irrigasse, unde tanta ubertas & fœcunditas nata. Quo autem majorem aquarum copiam alveo suo complectitur fluvius, eo ad irrigandum magis idoneus; quoniam hac ratione inundationes facilius & frequentius producit. Quamobrem non duntaxat fluvii cursum, sed etiam divisionem describit, in quatuor capita sive alveos extra Paradisum, dum fluvium inde dividere sese tradit in quatuor capita, nullo certo determinato loco, quo illa divisio facta, simpliciter tantum testatur illum fluvium è regione Edenis egredientem, & ingredientem ac permeantem Paradisum se divisisse in quatuor capita, sive quod idem est, in quatuor alveos, quatuor habuisse principia, & quatuor aditus, qui juxta magni Bocharti & Huetii sententiam, commodè & menti Auctoris convenientes collocari possunt, cum in superiori Hedenis regionis tractu,

tum:

tum in inferiori ejus parte in exitu, uti opinor, Paradisi, ne in plures rivulos intra regionem Hedenis vel Paradisum discissus fluvius minus idoneus esset ad irrigandum per suas inundationes Hortum. Quamobrem etiam hanc ob rationem nobis admodum verisimile cum Bocharto videtur, Hedenem regionem positumque Paradisum fuisse ad alveum scil. Tigridi & Euphrati communem supra Babylonem, ita ut tamen à superiori horum fluviorum divisione vel concursu ad inferiorem, sed utriusque divergium extenderetur: unde fit, ut Moses ajat ex Hedene quatuor fluviorum capita exiisse. Quippe recta ratio docet, & rerum usus testatur, nihil excogitari vel fingi potuisse magis idoneum ad inundationes hujus fluvii producendas, quam utriusque fluvii in unum alveum coalitionem atque eorundem concursum, adeo ut vix capax videatur fuisse recipiendæ tantæ aquarum copiæ, quæ vix ripis contineri poterat, & propterea varias ob causas sæpius aqua accrescente, fieri non potuit, quin inde inundationes proficiscerentur, atque hac ratione Hortus irrigaretur. Ne autem hæ continuæ vel nimis frequentes essent, adeo ut terram nimia aquarum copia madefacta refrigesceret, & proinde ad plantas & herbas, atque fructus adeo uberrime edendos minus idonea redderetur, in inferiore parte in duo iterum fluenta fluvius Paradisus discissus, ut eo facilius se posset exonerare per duos distinctos iterum alveos, & abunde jam Horto irrigato ad ostia sua properare posset, scil. ad Sinum Persicum. Interpretari oportet narrationem sive descriptionem

R r r 3.

Mosis

Mosis eo sensu , qui cum rationis dictamine & rerum usu maxime convenit. Diximus enim quænam nobis videatur fuisse intentio & scopus Scriptoris , scil. ut depingeret Paradisi situm , ejusque summam ubertatem amœnitatemque describeret , quæ & à situ & irrigatione potissimum proficiscebatur , irrigatio autem ab inundatione , inundatio ab aquarum nimia copia , quæ alveo suo fluvius sæpe absorbere nequibat , pendebat. Quamobrem descriptionem , quam tradit Moses , eo sensu interpretamur , ut cum ratione & rerum usu , adeoque mente & intentione ac scopo Auctoris , quæ ab ea deviare nequit , conveniat , & proinde qua potissimum ratione effici potuerit , quod factum fuisse testatur. Quamobrem , uti supr. annotavimus Viri doctissimi Salomonis van Til opinionem amplecti haud possumus , scaturiginem fluvii Paradisini ex ipsa regione Edenis , & non aliunde derivandam , & irrigato abunde jam Horto , deinde se divisisse in tot fluvios capitales ac principes , & quatuor hisce capitibus mediante divisione aquas impendisse , uti patet ex Tabula , Dissertationi doctissimi Viri præfixa ; in qua depingit fluvium ex Hedene scaturientem , ex montibus ejusdem regionis (cujus tamen nomen , uti & fluvii , silentio præterit ; dum Moses illud annotare prætermisit , forte quia non in rerum natura) Paradisum ingredientem , & unico alveo decurrentem , prope exitum autem se dividere in duo brachia , quorum unum in Euphratem , alterum in Tigridem delabitur , alveum tamen non mutantem , parvo post intervallo se iterum dividens in duo fluentia Pischon & Gihon ,
statuen-

statuentis: uti colligi mihi posse videtur ex Tabula Geographica, quam Vir doctissimus, juxta suam opinionem depictam, uti statim annotavimus, Dissertationi suæ præfigi curavit.

Si cum opinione Viri doctissimi Mosis descriptionem conferamus, præter allegatam à nobis statim rationem, uti supr. quoque annotavimus, multum quoque & auctoritati & fidei, quam Auctori divino Spiritu ducto habendum nobis dicat ratio, quasi non exactissima, qua debuit, diligentia, historiam creationis litteris consignasset. Quippe, uti paulo ante dicere incepimus, si fluvius Paradisus ex Edene egrediens non derivari debeat ex coalitione horum fluviorum Euphratis nimir. & Tigridis, sed ex Edene, sive ejus regionis montibus oriatur, & proinde plane distinctus ab illis duobus celeberrimis fluminibus, mirum quod ejus nomen notare prætermisit: mirum etiam, quod adeo inverso ordine quatuor illa capita, in quæ se divisisse fluvium illum Paradisum enumerat, & priore loco describit, quæ posteriori collocare debuisset. Sane ejusmodi nominis reticentia quid aliud, nisi Scriptoris incuria? Præterquam quod miror ejusmodi fluvii ejusque scaturiginis nec novi alvei nullam post Diluvium existiterit vestigium, ne quidem tempore ac ætate Mosis. Non inficior, terræ aquis immerse faciem magnam mutationem passam fuisse: verum rationem nullam video, cur Diluvium magis hujus fluvii omne delevisset vestigium, quam Euphratis & Tigridis, Pishonis & Gihonis, adeo ut nulla ejusdem ætate Mosis exstaret memoria; quippe.

Salomonis van Til opinio an cum descriptione Mosis conveniat.

pe nullus dubito, quin, si aliquando ejusmodi fluvius ex Hedene ortum habens & Paradisum irrigandi causa permeans, fuisset in rerum natura, vel per traditionem, vel ex antiquis rerum monumentis perspicere potuisset Historiæ creationis Auctor tum ejus scaturiginem, cum etiam nomen, & proinde ejusdem quoque meminisset, uti aliorum quatuor fluviorum nomina notare non prætermisit. Vellem equidem, ut quis mihi demonstraret unquam aliquem in rerum natura notum fuisse fluvium, cui nomen suum proprium non sit impositum. Præterquam quod negari nequit, Mosis ætate eundem fluvium, suo alveo decurrentem existitisse, existentibus quatuor hisce quatuor fluviorum, qui statim nominati, capitibus sive alveis, atqui ejusdem nomen non tradiderit, concludimus non distinctum propriam scaturiginem ex Hedenis habentem montibus, à cæteris fluminibus hunc fuisse fluvium Paradisinum, sed uti supr. annotavimus, ex coalitione & conjunctione utriusque fluvii Euphratis & Tigridis natum. Cui accedit ratio, cur inverso ordine hæc quatuor fluviorum capita in quæ se dividebat, enumerat, ita ut Pishonem & Gihonem, qui fluvii Paradisini erant quasi brachia seu rivi, a quo aquam recipiebant, priore loco, Euphratem & Tigridem posteriori describat. scil. quia Pishon & Gihon quasi ortum suum habere viderentur à fluvio Paradisino, qui sibi hosce duos alveos distinctos aperuisset, à quo tanquam causa proxima ab illo fluvio aquam recipiebant; quamobrem primo quoque loco eorundem fluviorum nomina notat. Tertio loco

loco nominat fluvium Hiddekel sive Chiddekel, vādens versus Assyriam, sive eam alluens, uti à parte altera Mesopotamiam; describit hunc fluvium non duntaxat à nomine, sed etiam à decursu, quia, uti supr. annotavimus, in Euphratem influit, & cum eo unum eundemque alveum constituit, atque ita Edenem ingressus eodem alveo decurrit ad Paradisum. Quartum fluvium, quem describit ultimo loco, nominat Perath, sive Euphratem, non addito nomine regionis vel terrarum tractus, versus quem tendit vel vadit; quia idem cum fluvio Paradisino & cum Tigride uno eodemque alveo decurrens, verum, uti supr. annotavimus, ut constaret fluvium Paradisinum in quatuor distinctos alveos, sive principia, id est, capita dividi, paulo distinctius describit Tigridem, addito nomine regionis quam aluit; quia in Euphratem influens, atque intra Edenis regionem ingrediens, ab eodem quoque tanquam à potiori parte nomen mutuabatur. Euphratem vero simpliciter proprio suo describit nomine, quia cæterorum fluviorum caput & princeps, & idem ille, qui Paradisum permeabat, sufficebat simpliciter nomen fluvii notasse. Hos autem fluvios ultimo loco enumerat, quia, uti dicere incepimus, non uti Pichon & Gihon, à fluvio Paradisino nasci, sed fluvius Paradisinus ab hisce generari videbatur; uti à parentibus ascendimus ad avos proavosque, & à causa proxima ad remotam. Quod si igitur collocamus Paradisum juxta opinionem Viri celeberrimi Salomonis van Til in Mesopotamia, atque fluvium quo irrigaretur ex Edenis montibus erupisse, & or-

tum suum habuisse, eoque abunde irrigato, quatuor illis fluviis aquam suam impendisse, & se in eos exonerasse statuamus summa Auctoris sive Scriptoris se prodit incuria, quod ejusmodi celeberrimi fluvii, ad irrigandum Paradisum Dei benevolentia ibidem collocati nomen celaverit, tum etiam adeo inverso ordine quatuor istos fluvios enumeraverit, ita ut qui ex descriptione Moſis tabulam componeret, Phischon & Gihon supra Euphratis & Tigridis alveos, in quos tamen se primo duobus brachiis exonerasse statuit celeberrimus Theologus, & Tabula demonstrat, collocandi videantur. Hoc autem vitio absolvimus Scriptorem, si eo sensu interpretamur descriptionem, quem & cum ratione & rerum usu potissimum convenire censemus. Quamvis Viri eruditissimi, aliorumque, qui eandem opinionem tuerentur, sententiam non rejiciamus, quasi omni fundamento destitutam, sed miramur potius in describendo ejus situ eruditionem: eam tamen amplecti non possumus, forte quia eandem ejusmodi situs ideam formare haud valet ingenii & judicii nostri imbecillitas.

Pisonis
fluvii
nomen
non in-
venitur
apud
profanos
auctores.

Primo igitur loco describit fluvium Pisonem. De hujus nominis etymologia non conveniunt Viri eruditi. Nomen hujus fluvii apud profanos auctores non occurrit; forte quia Græcis & Latinis Scriptoribus regionum illarum ratio non satis cognita fuerit. Neque etiam in sacro Codice uspiam, nisi hoc loco, fluvii hujus nomen invenimus. Nonnulli auctores profani meminerunt fluvii, cui Pasotigris nomen impositum, quem fluvium Pischonem, cujus Moſes meminit, esse putant, Paso Tigris dictus, qui forte interjecto tempore

tempore uno brachio in Tigrim delapsus est. Græcis Interpretibus dicitur $\Phi\iota\sigma\omega\acute{\nu}$ & $\Phi\epsilon\iota\sigma\omega\acute{\nu}$. Magnus Scaliger $\pi\lambda\acute{\eta}\mu\mu\upsilon\rho\alpha\nu$ sive *paludosum*, *ob ingentes*, inquit, *quas efficit paludes*, interpretatur. Quidam à $\eta\psi\psi$ *auctus est*, derivant, aut potius à $\psi\psi$, ejusdem significationis; sive in magnitudinem sive in multitudinem excreseat, Jer. 50: 11. Hab. 1: 8. Unde & alii eam sententiam tuentur, fluvio huic nomen dedisse copiam piscium, eo quod piscibus abundet, & quidem maximis; quippe si Plinio fides habenda, abundat anguillis triginta pedes longis, *lib. 9. cap. 3.* Verum notandum, Plinium de Gange Indiæ fluvio sermonem habere; Veteres autem plurimi Gangi hoc nomen imposuerunt. Alii autem aliam, ut in rebus obscuris sæpius fieri solet, fluvii hujus quærere solent denominationem. Quamobrem nonnulli tradunt vocabulum *Pischo*, immutationem vultus. Ego, inquit Hopkinson *Synops. de Parad. pag. 13. si quid judicare possum*, à ψ & $\psi\omega\eta$ *venisse existimarim*, quod est, *quasi dicas*, *mutans faciem*; *quia sæpe est sui dissimilis in cursu, vel in quantitate, aliquando latissime fusus, & aliquando in angustum coarctatus: vel in colore, alicubi fluens pellucidus, alicubi turbidus; vel in qualitate, alicubi frigidus, alicubi calidus.* Isidorus vult, *Pison* significare aquarum catervam, propterea quod decem magna flumina aquas suas in ipsum exonerent: verum qua auctoritate vel ratione hanc suam sententiam tuetur, non liquet. Nonnulli Gangi, uti statim dicere incepimus, hoc nomen tribuerunt, veteres plurimi, nec non Theologi, Epiphanius, Augustinus, Hieronymus, secuti erroneam Josephi opinio-

nemlib. I. *Ant. Jud.* Hieronymus *Epist. 9. ad Rusticum monachum*, de hoc fluvio sermonem habens, Ganges, inquit, fluvius est, quem Phison sancta Scriptura commemorat, qui circumit totam terram Hevilach, & multa genera pigmentorum de Paradyfi fonte dicitur devehere, ubi nascitur Carbunculus & Smaragdus, & Margaritæ candentes, & Uniones, quibus Nobilium feminarum ardet ambitio: Montesque aurei, quos adire propter Gryphes & Dracones, & immensorum corporum monstra hominibus impossibile est, ut ostendatur nobis, quales custodes habeat avaritia. Notum est, Gangem in arena vehere & ad ripas aurum adpellere, eumque inter gemmas lapidesque pretiosos ferentes primo loco collocari; uti quoque certum est, regna Golcondam & Bisnagiam, quæ sunt à parte Occidentali sinus Bengalæ, in quem Ganges aquas suas immittit atque exonerat, margaritis gemmisque abundare; & cum non probabile videatur, mediocres fluvios è loco ab ipsa Dei manu præparato atque exornato prodire, non nisi celebrioribus in Orbe fluviis honor hic attribui poterat. Sic itaque „Gangis pulchritudo atque divitiæ induxere „homines, ut ipsum è Paradiso egredi crederent, un- „de persuasio ipsis, cur sanctum eum existimarint. „Quamobrem eo lavandi gratia confluunt, atque ea „lotione à peccatorum labe lustrari sibi persuadent. „Unde etiam mortuos ad genua usque immergunt, „ut eo via regia ad beatorum sedes demigrent.” uti disserit Doctiss. Præsul Petr. Dan. Huetius. Verum nullis rationibus hæc sententia confirmari potest. Quippe juxta ea, quæ apud Strabonem legimus, Ganges fluvius

fluvius in Caucaſo Indiæ monte oritur, ac ultra Parthorum montes per campos Indiæ decurrit: Piſonis fluvii curſus, uti à Moſe deſcribitur, verſus terram ſive regionem Chavilæ tendit, eamque alluit; ſcil. protenditur ſecundum longitudinem totam Suſianes, inde ferme ab Ara Herculis ad Sinum uſque Perſicum, atque in eum ſe abſcondit. Longiſſime enim Ganges diſjunctus à Piſone: quippe ſatis notum, inter utrumque fluvium intervallum intercedere 70 circa graduum, quod juxta Geographorum computationem efficit 4300 milliarium & amplius, ſpatium; præterquam quod terræ amplæ, & flumina eas ſecantia, tum etiam longa montium ſeries interjacentis conjunctionem omnem prohibet.

Quamobrem egregie aberrant, qui ſtatuerent non e-
 rubefcunt, Chavilam eſſe Indiam. Hunc in errorem incidit Moſes Barcepha Syrus, cum in libro de Para-
 diſo docet, Chavilæ nomine totam ſignificari Indo-
 rum regionem. Verum hanc opinionem minus pro-
 babilem, neutiquam convenire cum Sacris litteris, o-
 ſtendit Hopkinſon *in Synopf. Paradif.* Si quis enim
 ſacrum Codicem inſpiciat, facile perſpiciet, regionem
 Chavilam longiſſimè fuiſſe diſjunctam ab India. Ne-
 que hoc ſolum, ſed vicinam fuiſſe Euphrati fluvio;
 & proinde non procul fuiſſe Palæſtina. Quippe *Gen.*
25: 18. Iſmaëlitiæ dicuntur habitariſſe *ab Havilach uſ-*
que ad Sur, quæ eſt è regione Egypti dum pergitur
in Aſſur. Hæc autem limitatio Iſmaëlitarum haud
 convenit Indiæ, quæ procul abeſt ultra Aſſyriam. Huic
 ſimile ſcriptum invenitur *1 Reg. cap. 15: 17.* ubi di-
 citur *Saul percuffiſſe Amalek à Chavila uſque Sur;*
Chavila
regio
non eſt
India.

quæ est è regione *Ægypti*. At Saul non est persecutus Amalekitas ab India usque in Syriam. Nec quia in terra Chavilah erat copia auri optimi, propterea sequitur, eam fuisse Indiam, ut quidam contendunt. Nam, uti inquit statim allegatus Auctor, in aliis Syriæ locis fuisse agri copiam, testantur Sacræ litteræ. Testatur enim in exordio *Deuter.* trans Jordanem in campestribus Moab inter Tophel & Haseroth auri fuisse plurimum. Non silentio præterire oportet eorundem opinionem, qui statuunt *Danubium* esse Phisonem. Quamvis enim inter vetustiores Auctores fuerint aliqui, Danubium inter fluvios, aurum atque gemmas vehentes, reponentes; & Hungaria quam perlabitur, ac Bohemia, quæ est in proximo, res istas suppeditare eidem potuerint; Non puto tamen, „inquit Illustr. Præsul Huctius, unquam in ipso aut „Margaritas, aut Bdelium fuisse inventum, aut Germaniam unquam hunc sibi honorem, quod Chavilah sit, arrogavisse. Permultos sane, pergit, inter ævi antiquioris eruditos, cum in rebus cæteris „essent versatissimi, in Geographia rudes admodum „fuerunt; unde & Phisonem alii Gangem atque Indum esse quoque opinati.” Annotavit Vir doctissimus Joan. Hopkinsonius, nonnullos statuere, Pison appellatum esse à verbo quod Syris *cessare* significat; propterea quod cessat à fluxu spectabili, lenissimo scil. fluens agmine: non autem ideo, ut existimant quidam, quod sub multis pelagis majorem sui cursus partem conficiat, quod frivolum est. Græcè, teste Mose Bar-Cepha, vocatur *δουβλ*; verum unde hoc nomen habere dum se ignorare fateatur, Andr. Masius dili-

diligentius & curiosius hanc denominationem examinans, aliquid vidisse sibi videtur. *Quid si, inquit, in Syriaco exemplari, quod secutus est Masius, erroris latebra sit? Fieri enim potest, ut Jud cacographia irreperit pro Nun: lapsu valde proclivi propter affinitatem harum literarum in hac lingua. Nam Nun, si paululum à capite inflectatur ad sinistram ad trianguli penè formam, literæ Jud figuram refert, quod Masium non animadvertisse notat, & proinde legisse נ.נ.נ. Dijobis pro נ.נ.נ. Dinobis, vel rectius Danubis, per quintam vocalem in secunda sede. Quid autem est Danubis? nempe, uti ego quidem conjicio Danubius. Sunt enim ex Græcis, referente Steucho, qui Pison esse dicunt Danubium. Verum missis aliorum conjecturis, placet hic iterum Viri Doctissimi Bocharti opinionem amplecti, atque Phisonem fuisse unum ex illis rivis, sive ex duobus illis alveum fuisse, in quos Tigris atque Euphrates, postquam uno eodemque alveo conjuncti, cum regionem Eden, tum Paradisum permeassent, se iterum dividunt, atque inde in Sinum Persicum decurrunt, atque duo ostia constituunt, Phison quem Havilam circumluisse tradit Moses ostium Euphratis Occidentale; Gihon ostium Tigridis Orientale. In eo enim fallitur Vir doctissimus Calvinus, quod Havila ad Orientem in Susiana constituit, dum ad Occidentem jacet. Chus vero cis Euphratem & Tigrim in Arabia collocet, atque ita Gihon fluvium ostium Tigris Orientale constituit Occidentale, nomen ejus derivandum videtur à פוש Pusch, id est, abundare, augeri, multiplicari, uti paulo ante notavimus; vel à verbo פשח pascha, quod,*

quod, ut hujus linguæ periti docent, significat *se diffundere*, quia patitur maris æstus graviores, qui tam alte ascendunt, ut quamvis aggeribus muniti, nihilo tamen minus late satis agros, utpote moles atque humiles invadant. Quamobrem varia eruditione florentissimus Scaliger, uti annotavimus, per *πλημύρα* vertit, quod exundationem, æstus & fluxum maris significat, quibus circumjacens terra humilis atque depressa undique aquis obtegitur; facitque *λίμας, και ἕλη, lacus, & paludes*. Unde, teste Strabone *lib. 16.* totum istud latus Lacubus, Paludibus atque sabulo plenum est. Atque ibidem tradit, Alexandrum, stagna illa ab effuso in varias fossas fluvio facta lustrasse, magnamque adhibuisse curam, ne Arabia omnino efficeretur difficilis ingressu ob Lacus & Paludes. Allusisse videtur ad hujus vocis originem auctor Ecclesiastici *cap. 24: 25.* cum de Deo dicit, quod *omnia sapientia impleverit, sicut Phison*. Verum cum Viro doctissimo Stephano Morino notandum, quod fluvius ille, qui Pison ob aquas immodicè profusas dicitur, etiam primum Euphratis nomen, quod ante suam cum Tigri societatem, obtinebat, etiam post divortium ab illo factum conservat, sicut Tigris, ut mox patebit. Quare non licet dubitare, duos illos fluvios ob diversam suam dispositionem in quatuor capita à Mose dividi. Non prætermittendum tamen inquit, Arrianum, qui *lib. 1.* de Alexandri expeditione scribit, quod *Euphrates altior fluit, & ubique ripas terræ vicinæ exæquans, multi alvei ex eo fiunt*. Addit, quosdam ex iis perennes campos irrigantes, alios arte incolarum, cum utilitas requirit, fieri; ita ut hic fluvius

Vius *Phison* sive diffusus, & longe lateque expansus tunc dici potest. Diversus autem Tigris Orientalis littus alluentis status describitur ibidem: *Quandoquidem nihil ex eo flumine in terram vicinam effunditur; nam est terra quam alluit altior ejus aqua.* Quamobrem non exspatiatur, neque superat ripas, ut vicinos agros inundet, *Phisonisque nomen mereatur; sed primum Tigris nomen conservat nonnunquam Orientalis iste alveus, ut cum Pifone nullam habeat convenientiam.* Hic autem fluvius *Phison circumibat terram Chavilah.* Mundi primordio nondum huic regioni nomen hoc inditum, verum interjecto tempore ita appellatum ambigi nequit; itaque per anticipationem sic dicitur à Chavila, qui illam occupavit, ita ut Mosis ætate, cum Pentateuchum scriberet, adhuc ab eo denominaretur. In capite decimo Geneseos duo Chavilah inveniuntur; unus filius Chus, & alter filius Joctan. Utrumque gentis celebris auctorem exstitisse ex Sacris Literis constat. Ultimum vero hunc Chavilah gentis conditorem fuisse, quæ regionem Chaulan incoluit, ad latus Orientale Sinus Arabici, ad Occidentem vero respectu Arabiæ Felicis, sitam, testatur Vir eruditissimus Sam. Bochartus in *Phaleg. lib. 2. cap. 28.* Hæc autem regio nihil quicquam commune habet cum illa, de qua nobis sermo, quam Pison fluvius circumibat, vel percurrerat. Chusi autem filius sedem habuit in extrema Arabia deserta versus Babyloniam, ut probat Bochartus *lib. 4. cap. 11.* Hæc Chavilah itaque Babyloniæ contermina à Pifone, ut Babylonia ipsa alluitur: altera etiam ab

T t t

angulo

angulo suo Orientali proxime accedit , & Arabica gens, quæ incertis vagatur sedibus , potuit facile eognomini conjungi, & fines suos ad illum fluvium promovere; sed neutra ad ulteriorem alveum accessit, neque ullo modo fluvius Orientalis illam circumire potuit; cum ipsa magis quam Occidentalis fluvius, ad Occidentem vergat, uti differit Stephan. Morinus *Dissert. de Paradis. terrest.*

Chavilah
& Sur,
ubi?

Videtur hujus regionis situs satis perspicue perspicui posse *Gen. 10: 7. & 26.* tum etiam *Gen. 25: 18. 1 Sam. 15: 7.* ibi enim duæ Arabiæ, Terræ Sanctæ vicinæ, extremitates notantur, *Chavilah* nimir. & *Sur*. Cuique enim notum, qui in Geographia sacra non plane hospes est, *Sur* desertum fuisse in aditu Ægypti versus extremitatem Sinus Arabici. Necessè itaque est, uti argumentatur *Illustr. Præsul Petr. Dan. Huetius*, ut *Chavilah* ab altera parte Arabiæ jacuerit versus extremitatem Sinus Persici, hoc est, incipiens ab Occidente ostii istius alvei, quem nos volumus esse Pisonem, & pertingens versus Meridiem juxta latus Occidentale ejusdem Sinus, usque ad *Catipham*, uti ejus situm depinxit *Clariss. Bochartus* in *Tabula. Sur* enim *Lacus Arabiæ Petrææ*, ubi *Sur* desertum ad Sinum Arabicum prope *Elanam* urbem, ad montis *Sinai* radices, ubi *Moses* ex Sinu Arabico, seu mari *Rubro* egressus est cum *Israëlitis*, dicitur nunc *Coron-del*, teste *Thevenotio*; estque inter *Suesum* & *ib. Tor*, oppida illius oræ. Annotavit quoque *Vir doctissimus Huetius*, *Josephum lib. 6. cap. 8.* cum hæc eadem facta, quæ in libris *Mosis* & *Samuelis* exponun-

exponuntur, referre, & eosdem distantie hujus fines
 definire vellet, pro *Sur*, *Pelusium*, quæ è Palæstina
 in Ægyptum tendenti occurrit, juxta Mare se exten-
 dens (Urbs enim Ægypti Plinio & Ptolemæo ad Ni-
 lii fluvii ostium, quod ab ea *Peleusiæcum* dictum fuit)
 & pro Chavilah mare Rubrum seu Erythræum po-
 nere; quibus verbis satis clare situm regionis Chavi-
 lah designare videtur. Cui etiam accedit, quod ejus
 incolæ profanis auctoribus omnino ignoti fuerint. Quip-
 pe, teste Bocharto, qui apud eos Chaulotzi seu Cha-
 blasii, Ebræis Chavila è filiis Chus. Vid. *Phaleg.*
lib. IV. cap. II. Eosque inter Nabathæos & Agræos,
 populos origine Ismaëlitas, Arabiam desertam prope
 extremitatem Sinus Persici inhabitantes, collocant.
 Chavilah itaque Regio prope desertum *Sur*, inter
 Ægyptum, Assyriam & Palæstinam. Quem tractum
 posterius Ismaël, qui à Sinu Persico usque ad Assyriam
 protenditur, possedisse videntur. Unde Paræus, *Ha-*
vilah, inquit, *videtur fuisse territorium Ismaëlita-*
rum & Amalekitarum, vicinum Sur, id Syriæ seu
Arabiae deserte, & mari Rubro Orientem versus,
qua ex Ægypto in Assyriam tenditur. Quia igitur
 Pison hoc territorium Syriæ, Assyriæ & Ægypto vi-
 cinum alluit, alveus Euphratis citerior fuisse intelli-
 gitur, qui recto cursu in ipsum mare Persicum refle-
 ctit. Idem Auctor *Genes. cap. 25.* De Hevilah di-
 ctum quod fuerit regio cis Euphratem Ægyptum ver-
 sus, quam Pison primus Paradisi fluvius circuit.
 Eusebius: *Sed & Ismaël in solitudine Hevilah habi-*
tasse scribitur: quam Scriptura sancta esse ait in deser-
to Sur, contra faciem Ægypti, & inde tendere usque

ad terram Assyriorum. Et alibi: Extenditur autem desertum Sur usque ad Mare Rubrum, quod ad Ægypti confinia pervenit. Nulla tamen mentio fit solitudinis terræ hujus Gen. 25. quem tamen locum videtur in mente habuisse, cum illa scriberet. Prædicat porro de hac regione, quod sit auri dives, sive quod ibi aurum est. Animadvertit Vir doctiss. Stephan. Morinus, Susianam, cujus occidentale littus fluvio orientali ex Edene orto alluitur, auro dives ab auctoribus non describi, vid. Strabonem lib. 15. & Plinium lib. 6. cap. 27. qui auriferam non dicunt. Testatur enim de illa regione, quod ibi mortalium soli aurum in odio contrahunt, idque defodiunt, ne cui sit in usu. Et Solinus cap. 54. A Susis Babytace oppidum centum triginta quinque millibus passuum distat, in quo mortales universi odio auri cœmunt hoc genus metallum, & abjiciunt in terrarum profunda, ne polluti usu ejus avaritia corrumpant æquitatem. Vid. ad h. l. doctiss. Salmasii Plin. Exercit. in Solin.

Chavila
& regio-
nes Ara-
bicæ au-
ro abun-
dantes.

Chavila vero & regiones Arabicæ fluvio occidentali proximè adjacentes auro abundasse constat; quamobrem Arabia absolutè dives nuncupatur, Auctoresque profani aurum & divitias Arabiæ maximopere extollunt. Imo nec auro duntaxat dives nuncupatur, sed etiam ob aromata beata. Ex Diodoro lib. 2. & 3. notavit P. D. Huetius, in Arabia aurum inveniri genuinum, colore tam vivido, ut ignis splendori quam simile sit; adeoque purum, ut nec coctione, neque expurgatione opus habeat. Aurum Sabæ memoratur *Psalm. 72: 15.* unde perspicimus aurum, illius regionis præstantissimum fuisse. Est autem regio Arabiæ.
Arabi-

Arabicum igitur aurum celebre non minus quam Indicum. Scribit Eusebius, Aurum Evilæ purissimum, quod Ebraicè dicitur *Zahab*. Nec tantum in terra Chavilæ, sed etiam in ripa & arena Pisontis fluvii, aurum probum, gemmasque admirandas ubertim reperiri testatur Moses Bar-Cepha, notante Hopkinsonio. Cujus sententiam approbari quoque testatur Rabbi Mosem Bar-Nachman hisce verbis, quæ Latinè vertit: *In arena Pisontis, & in littore ejus invenitur aurum præstans*. In Arabia auri magnam inveniri copiam, perspicimus ex muneribus, quæ Regina Sabæ, aliique ejusdem regionis Reges Salomoni offerebant; & quot auri talenta Salomo tributi nomine ab Arabiæ Regibus negotiatoribusque acceperit, legimus 1. *Reg.* 10. & 2. *Chron.* 9. Commemorat Plinius *lib. 6. cap. 28.* littus Hammæum, *ubi auri metalla*, quod ad Sinum Persicum erat situm, & proinde non procul à regione Havilæ. Si quis plura de auriferis Arabiæ regionibus, adeat Bochartum *Phaleg. lib. 2. cap. 27. & 28.* & inspiciat Dissertationem III. Viri Præsulis Huetii *de situ Paradisi terrestr.* cap. 9. ubi notat, “Quod si regio Chavilah jacuerit ad latus Occidentale & Meridionale Sinus Persici, non ambigendum, quin Ezechieli *cap. 27: 20. & seqq.* de populis in eodem latere commorantibus, sermo sit, cum Tyrum civitatem allocutus, mercatores Arabiæ, Dedan & Kedar, commeatum atque annonam ipsi suppeditare, memorat; & quod negotiatores ex Saba & Rhegma auro atque lapidibus pretiosis, & omnis generis aromatibus mercaturam ibi facerent; quod

„Haram Chene & Eden; Saba Assur & Chelmad pretiosas ex omni genere merces ipsi venderent.“ Et monet, imprimis observandum esse, Prophetam Edenem regionem, ubi situs erat Paradisus, cum Saba Chavilæ vicina conjungere. Huc etiam spectant quæ David prædicit *Psalms*. 72: 10, 15.

Bdolach
in regio-
ne Cha-
vila,
quid?

Tradit porro Moses in regione Chavila, quam Phison circumit, sive alluit, non aurum duntaxat inveniri, sed etiam *Bdolach*, & lapidem *Soham*. Vox Hebræa *Bdolach*, quidam Interpretes *Bdellium* verunt. Dubia autem Hebræis & nostris vocis significatio. A LXX. Interpretibus redditur ἀνδραξ *carbunculus*; verum sibi non constare videntur, dum *Num.* 11: 7. reddunt κρύσταλλον *crystallum*. Alii gummi quoddam genus odoriferum nominant, quod aliqui putant id esse quod nos vocamus *Vanime*. Alii Adamantem, alii Jaspidem, alii Smaragdum, alii Margaritas esse sustinent. Tradit enim Kimchi, *Bdelium lapidem esse pretiosum* יהלום, sive *Adamantem*. Alios tamen aliter sentire addit, sentientes lapidem esse albicantem, figurâ rotundum, ex quo perforato & simul colligato, aptant torques. Cujusmodi descriptio optimè convenire videtur margaritis, quas nostro sermone *Peerlen* vocamus. *Bdolach*, sive *Bdellium*, esse gummi aromaticum, tuetur summus Salmasius in *Exercit. Plin. in Solin.* Describitur ab Antiquis: *lacryma arboris translucida, lucis, pinguis, equaliter cerea, & quæ facile molliatur.* Plinius translucidæ ceræ simile debere esse ait: *Esse autem debet translucida simile ceræ, odoratum, & cum fricatur, pingue.* Lutecum esse *anime*, quum frangitur, scribunt Neoterici,
id

id est, colore cereo. *Σπράγγυκος δίκτυον* vocari Dioscoridi, id est, *Arabica lacryma*. Plinius *Bdellium* esse arborem oleæ magnitudine. Neoterici quoque memorant, mediocrem esse arborem, ex qua *anime* distillat. Qui *Bdellium* itaque hic notari existimant, dicunt, „esse genus gummi, sive lacrymæ pellucidæ arboris, „nigræ magnitudine oleæ, folio roboris, fructu natu- „raque caprifici.„ Ita Plinius *lib. 12. cap. 9.* Dioscorides *lib. 1. cap. 69.* Deinde subdit, nasci quoque in Arabia, India, Media ac Babylone, Verum alii cum Cl. Bocharto de *Unionibus* interpretantur. Steuchus existimat *Unionem* sive margaritam hoc nomine significari, quod Manna huic lapidi comparetur. Refert Vir Doctiss. Ludov. de Dieu *in suis animadversionibus in Gen. ad h. l.* quod Benjamin in Itinerario edir. Leyd. p. 109. describens Katipham, ad littus Indicum sitam, dicit, *ibi invenitur Bdolach.* Quid autem per *Bedolach* intellexerit, ex sequenti descriptione liquere videtur; quæ Latino sermone ita se habet: *Vigesimo quarto Nisan (Martii) descendit pluvia in superficiem aquarum, quam reptilia colligunt, conclusaque decidunt in maris fundum. Medio deinde Thifri (Septembris) duo viri fundum maris funibus subdunt, reptilia illa colligunt, educunt, dissecant, atque inde gemmas istas depromunt.* Unde satis liquet *הבדלה* Benjaminii esse gemmas, seu margaritas. Huic descriptioni conveniunt quæ tradit Kimchi *in lib. rad.* statim allegato. Locus ex *Num. 11. 7.* hanc significationem videtur omnino probare. Quippe cum Moses ibidem Mannam describere vellet, semini Coriandri similem & coloris *Bdolach* fuisse tradit. Annotarunt Viri eru-
diti,

diti, quod ipsi Thalmudistæ in *Joma* describunt Manna rotundum ut *Coriandrum*, & candidum sicut *Margaritam*. Vid. Cl. Bochartum *Hieroz. part. 2. lib. 5. cap. 5.* Verum hoc loco *Bdellium* lignum, non autem gemmam ullam, cujus sit generis, significare statuit Hopkinsonius; *idque vel ex eo apparet*, inquit, *quod Moses nomen lapidis huic non apponit, quod procul dubio fuisset prepositurus, si esset de gemmarum genere.* Verum nullam rationem video, cur de indaganda hujus vocis significatione adeo solliciti simus; *Quippe*, ut inquit florentissimus Theologus Salomon van Til, *quocumque modo accipias, huic regioni ex vero applicari potest; sive itaque Bedolach pro margaritis, sive pro Bdellio accipiatur, utrumque regioni Chavilah convenit.* Quippe uti annotavit Ill. Præsul Huetius, *Uniones sive margaritas quod attinet, certum est, nullum in terrarum orbe locum esse, ubi pulchriores, & in majori quidem copia, quam in mari capiantur, quod circa Bahareinam est, Sinus Persici insulam, decem leucis ab urbe Catipha distantem.* Scil. in mari, quod latera regionis Chavilah verberat, ac ubi ostium Phisonis conspicitur. Vid. Salomon van Til *Tract. de sit. Paradis. terrestr.*

Schobam
quid.

Præter Bedolach sive Bdellium inveniri quoque ibidem tradit Moses *Schobam*. Viri eruditi non magis de hujus vocis significatione conveniunt inter se. Mira est LXX. Interpp. in hac voce varietas, in hoc loco per *Prasinum* reddunt, aliis in locis per *Onychen*, nonnunquam vertunt *Smaragdum*, aliquando *Beryllum*, modo *Saphirum*, quandoque per *Sardum*.

dum. Cujusmodi variæ interpretationes indicant, eos nescivisse, quis hic esset lapis, ut inquit Joh. Clericus *Comment. ad h. l.* Hieronymus, Symmachus, Aquila, Theodotion & Pagninus *Onychen* vertunt. Josephus *Sardonychen* esse vult. *Sardonix* ex *Onyche* constat & *Sarda*, unde ei nomen. *Sardam* & *Sardonychen* vocat Plinius *lib. 37. cap. 7.* & testatur *primum Sardibus repertam, sed laudatissimam circa Babyloniam, cum lapicidinae quædam aperirentur, hærentem in saxi corde, inventam.* Interpretes autem Chaldæi, Onkelos, Jonathan, Syrus, Moses Bar-Cepha, *Sobam* pro Beryllo accipiunt. Tanta opinionum discrepantia iudicium suspensum tenet, nec aliquid certi affirmare permittit. Verum Hopkinsonius, cum *Onyx* gemma sit vulgaris, nec tanto in pretio, aliisque in locis plurimum luxuriat, eorum sententiam probare nequit, qui vocem Hebræam *Schobam* per vocem *Onyx* reddiderunt, atque hunc lapidem denotari statuunt; sed existimat cum Josepho esse *Sardonychen*. Atque ita Græci alique recentiores nonnulli *Cap. 28. Exod.* interpretati sunt. Verum cur non *Onyx*, qui idem cum *Sardoniche* esse videtur, nec tam vilis pretii; quippe *Job. 28: 16.* legitur cum epitheto *Onyx pretiosa.* Statim annotavimus, quod hoc nomen sit compositum ex *Sarda* & *Onyche*, uti quoque testatur Plinius, *Sardoniche*, quia primum *Sardibus* reperta. Plurima possunt diversis nominibus distinguere, quæ revera eadem sunt, exiguisque qualitatibus duntaxat discriminantur: sic & *Onyx* & *Sarda* dividuæ ex eodem nomine, quia *Sardonichæ* etiam nun-

cupantur quasi Onyches Sardibus inventi, & idcirco Sardæ etiam simpliciter dicti, uti differit Stephanus Morinus. Marbodeus *lib. de lapid. pret. cap. 56.*

Sardonychen faciunt duo nomina, Sardus, Onyxque. Arabicum hunc lapidem esse non minus quam Indicum, testis est Plinius *lib. 37. cap. 6.* Is lapis venis quibusdam seu zonis notatus est, & *Arabicas Onychas nigras inveniri candidis zonis*, idem auctor est. Hinc Isidorus de Onyche: *Hanc India & Arabia gignit; distant autem invicem. Nam Indica igniculos habet, albis cingentibus zonis. Arabica autem nigra est cum candidis zonis.* Idem auctor tradit *Onychen appellatam, quod habeat in se permixtum candorem in similitudinem unguis humani.* Græci enim unguem *ὄνυχα* dicunt. In Arabia autem ejusmodi pretiosos lapides inveniri, atque etiam regionem Havilach iis fuisse conspicuam ambigi nequit; utpote quæ in eo tractu Arabiæ sita, ubi omne genus lapidum pretiosorum inveniretur. Testatur enim S. Scriptura *1 Reg. 10. & Chron. 9.* Reginam Scebæ aurum, aromata, & pretiosos lapides ubertim ad Salomonem attulisse. Et *Ezech. 27: 22.* Sabæi ejus regni incolæ aromatibus & omni lapidum pretiosorum genere negotiantur; atque profani Scriptores referunt, uti statim annotavimus, Arabiam inter regiones ob omnigenas gemmas, celebriores. Vid. *Plin. lib. 37.* Nearchus, qui in Sinum Persicum navigaverat, affirmat, plures fuisse in isto Sinu insulas; gemmas ferentes, quæ magnum fulgorem emiserint, teste Strabone. Verus Sinum autem istum sita regio Chavilach.

Nomen

Nomen secundi fluvii est *Gebon*, sive *Gichon*, is ^{Gehon, sive Gichon.} est, qui circumit totam terram *Chus*. Hujus fluvii, tum etiam terræ, quam circumire testatur *Moses*, nomen *Viros* eruditos in diversas abire sententias efficit. Nomen quod attinet vel formatur à גונג *gonach*, erupit, exit. Vocatus autem fuit *Gibon*, ut inquit *Bochartus*, propter exundationes, quibus certis temporibus *Characene* tota obruebatur: quandoquidem גנה, vel גיה, unde גיחון *Gichon* vel *Gibon* sit erumpere; quia, ut inquit *Morinus*, uno alveo diutius coërceri cum *Euphrate* impatienter ferens, & propriæ velocitatis memor sibi viam vi summa aperit; vel à גחון venter, quo repunt serpentes & cætera animalia pedibus carentia; quoniam, licet celeriter repat, repit tamen, & à pristina velocitate, quam è montibus decurrens ostentabat, plurimum remittit. Vel quod sit quasi venter sordibus lutoque plenus. LXX reddiderunt ἰδωρ Γων, aquam *Gebn*. *Hieronymus* aquam turbidam, sive terream & cœnosam. Quamobrem forte multi *Geon* esse putarunt *Nilum*, cujus aqua nigra, quia cœno plena. Græcis nuncupatur Γων sive Γων vel Γων, & inter ea flumina numeratur, quæ certo tempore exundant, & longe lateque se diffundunt. Quibusdam pro *Gange*, Arabibus pro fluvio *Oxo* habetur. Nonnulli pro *Araxe* fluvio, qui ex monte *Armeniæ* *Pariarde* ortum habet, & in *Caspium* mare se exonerat. Alii pro fluvio regio, sive ut *Chaldæis* nuncupatur, pro *Naarmalca*, vel *Paharmalca*, qui non nativus, sed arte factus, habent. Quamobrem *Polybius* lib. 9. illum vocat βασιλικὴν διαρρυχά

V v v 2

Regiam

Regiam fossam. Hujus fluvii mentionem facit Ammianus Marcellinus *lib. 24. cap. 2. § 6 Ventum est hinc ad fossile flumen Naarmalcha nomine, quod a minis Regum interpretatur, tunc aridum. Id ante hac Trajanus, posteaque Severus, egesto solo fodi in modum Canalis amplissimi studio curaverat summo, ut aquis illis ab Euphrate transfusis, naves ad Tigridem commigrarent. Verum cum Trajanus Euphratis alveum multo excelsiorem esse Tigridis alveo comperisset, ab incepto destitit, teste Dione in Trajano. Tradunt, inquit Plinius *lib. 6. cap. 26. Euphratem Cobaris præfecti opere deductum, ubi eum diximus findi, ne præcipiti cursu Babyloniam infestaret. Ab Assyriis universis appellatur Naarmalcha, quod significat Regium flumen. Malchus enim Syris Rex est. Ptolemæus *lib. 5. cap. 18. βασιλεὺς ποταμὸν.* Primus autem Seleucus Nicator eam fossam deduxerat eo tempore quo Seleuciam excitaret, teste Plinio *lib. 5. cap. 26.* Quidam cum Josepho Nilum interpretantur, atque Nilum pro Gehone habent; sed à vero maxime aberrare videntur. Ganges enim, uti quoque Nilus multo remotiores sunt ab Euphrate, quam ut admitti debeant in hoc certamen; neque rivi sunt ex eodem flumine, quemadmodum Gihon & Pishon; sed fontibus, ut longissime disjunctis ab Euphrate nascuntur: alter enim ex meridionali Africa, in Mediterraneum delabitur Mare; alter ex Scythicis montibus scaturiens, in Oceanum Indicum decurrit. Vid. Robinson. *annal. mundi.* Sed missis hisce conjecturis utpote omni verisimilitudine destitutis, & Mosis descri-**

descriptioni fluvii Paradisum irrigantis repugnantibus, vero conjunctior nobis eorum videtur opinio, qui Gehonem alveum esse statuunt Orientalem inter duos illos, qui confluentem Euphratis atque Tigridis in duos ramos dividunt.

Quemadmodum igitur Phiso Occidentalis, ita Gichon Orientalis alveus fuit. Iste terram Chavilah alluit, hic provinciam sive regionem Chus pererrat; donec ambo in Sinum Persicum decurrunt. Nilus vero desinit in Mare Mediterraneum; ita ut horum fluviorum exitus disjunctissimi sint: & proinde manifeste patet, nullam Nilum cum Tigri & Euphrate, cujus Gehon rivus est, affinitatem habere. De fluvio Gehone prædicat Moses, illum pererrasse *totam terram Chus*. Hæc autem provincia sive regio sita fuit, uti ex decursu fluvii, quem statim descripsimus, patet, non cis Euphratem in Arabia, juxta erroneam Calvinii opinionem, verum ultra Tigrim ponenda; quippe cum eam alluebat Gehon alveus Euphratis atque Tigridis orientalis, necessum est orientem versus sitam quoque fuisse terram *Chus*, aliis *Chuth*, Persis *Chuzestan*, & aliis *Susiana* & *Cissia*. Est autem *Cissia* regio in *Susiana*, ejusdem incolæ *Cissii*, iidem qui *Chutæi*; unde *Bochartus Phaleg. lib. 3. cap. 5.* asserit, quod *Chutæi iidem qui Cissii, nempe Susianæ incolæ ad ortum Babylonie*. Et *lib. 4. cap. 12.* affirmat Nimrodem fuisse *Chusæum*, id est, Arabem, & concivium suorum ope ad imperium evectum fuisse. Proinde in præmium virtutis *Chusæis* suis indulisse Nimrodem regionem *Transtigritanam*, quæ ex illorum

Phiso alveus occidentalis, & Gichon orientalis.

nomine כוש *Chus* Hebræis, & כות *Chuth*, & Κίσια *Cissia* Græcis, & Persis *Chuzestan* dicta est; id est *Provincia Chus*. Verum cum Vir doctissimus hanc suam sententiam nullis argumentis tueatur, quod forte præstitisset, si aliquando *Dissertationem de Situ Paradisi* absolvere ipsi licuisset; sed immatura morte abreptus, summa duntaxat sententiæ ab ipso confirmandæ nobis superest; quamobrem alii Viri docti operam suam & laborem contulere ad investiganda ejusmodi argumenta, quibus doctissimi Viri sententiã innixam probarent.

Nimrod
an idem
cum
Baccho?


Affirmat enim *d. l.* Nimrodem fuisse Chusæum, id est, Arabem, quod negari nequit, si inspiciamus *cap. 10: 8. Gen.* ubi patet Nimrodem fuisse Chusi filium, & potentem in terra: Eo ipso autem quod Chusæus fuit, etiam Arabem fuisse dicendum, si consulamus Virum doctissimum Bochartum *Phaleg. lib. 4. cap. 12.* Hanc consequentiam probare suscepit Vir doctissimus Stephanus Morinus *Dissert. de Paradiso terrestri.* Et quidem primo, quod sub Bacchi nomine latere solet Nimrod; posito itaque Bacchum Arabem fuisse, & in ea regione primam exercuisse auctoritatem, dicendum videtur, Nimrodem Chusi filium fuisse Arabem. “Vide-
,, tur ex ipsa nominum convenientia perspicui posse;
,, quippe Bacchus est כוש בר *Barchus*, id est, *Chu-*
,, *si filius*, R. in sequentis C. sonum & speciem
,, transeunte. Et vicissim, inquit statim allegatus
,, Auctor, Bacchus à Græcis nuncupatur Νεβρωδ,
,, quod ipsam est Nimrodi nomen in *Versione Græ-*
,, *ca LXX Interpretum*: jam vero, pergit, *Nebro-*
,, des

„des ille, sive Bacchus in Arabia primum exercuit
 „dominium; quamobrem in ea regione natum Poë-
 „tæ dicunt.” Huc referri debet, quod de eo canit Ovidius *Fast.* 3.

Cinnama tu primus, captivaque thura dedisti.

Habet hic sermonem de Baccho, qui primum Jovi obtulit cinnama, quæ quidem nascuntur in Æthiopia Troglotide, si Plinio habenda fides. At in *Metam.* in Panchaja Arabiæ regione nasci dicuntur,

Tu quoque ô Bacche thura captiva dedisti,
 id est, captivorum Arabum, quos subegisti, tu primus ea Diis concremasti. *Hæc autem belli facinoragessit,* sive hæc gentes subegit, atque ejusdem regionis imperium sibi vindicavit opera fratris Chavilæ; constat enim Chusi filium etiam fuisse Chavilam: fratre itaque in belli societatem pertracto, hanc regionem invasit, & in potestatem redegit. Chavilæ enim nomen Arabicum; quippe uti Viri ejus linguæ periti annotarunt *خولي* egregium administratorem significat. Unde Græci *Ασιαίων* bellicosum interpretati; quia, uti inquit statim laudatus Steph. Morinus; generose gessit res fratris, & cum Arabibus suis utilissimam ad Babylonicum imperium constituendum præbuit operam, citato in testem Diodoro Siculo, qui *lib.* 2. Nimrodem, quem sub nomine Nini filii describit *Ariæum Arabiæ Regem,* habuisse ducem & socium, atque tandem hunc Dominatorem Arabum socium adhibens cum vi maxima belligeravit contra Babylones; eosque subegit & longe lateque per *Asiam imperii sui fines protulit.* Sic res,

res, inquit, debuit esse, nec potuit aliter se habere, quoniam Moses Chusi filium nuncupat Nimbrodum, quia cœpit omnium primus in patriam auctoritatem insurgere, & Noachi avi æquum & justum imperium ac regimen, & statuta violare. Si qua enim antiquis traditionibus habenda fides, divisione Terræ inter filios Noachi facta, Semo Asia, Chamo Africa, Japeto Europa obrigit; an testamento Noachi facta, in medio relinquendum. Hac divisione non contenti Chami posterius, quorum in numero Nimrod, sive Bar-chus vel Bacchus, Semi portionem invasit, Ninum condidit, & Assyrios pedetentim suo imperio & importunæ dominationi cedere coëgit, & in societatem scele- ris adduxit patrum Chanaanum, qui subactæ Chananitidi nomen suum dedit, & hoc jure postliminii, & Dei Præsidis munere ad Semi posteritatem revo- carunt; sic Havilam fratrem in Joctanis posteros Arabiæ legitimos possessores immisit, qui patrum ve- stigiis insistens in signum victoriæ illi suum simili- ter imposuit nomen; & ambo postea junctis cum Nimrode viribus, primam sub ipso composuere Monarchiam: adeoque tota tunc Arabia Havila po- tuit nuncupari. Huic etiam accedit, quod & Bac- chi nomen est Arabicum, atque à  *baca*, *fle- vit*, formari, uti Viri eruditi annotarunt. Et idcirco Hesychium scribere Βάκχον, κλαυθιόν, Φοίνικες, *Phæ- nices Bacchum* vocant *fletum*. *Evius* quoque dicitur apud Horatium *Od. 18. lib. 1.*

Monet Sithoniis non levis Evius:

Evius

Evius sive *Evan*, à vociferando & ululando: solent enim vino incalescentes inconditos edere clamores. Quamobrem Salomon *Proverb.* 23: 29. 30. *Cui vae, cui Evan? iis qui vino immorantur.* Derivant hoc nomen Viri eruditi à voce Arabica *avab*, *doluit*, *planxit*: quia ejusmodi inconditi clamores ad lugubres ululatus propius, quam ad lætitiã accedere videntur, luctumque solent inducere, uti differit Stephanus Morinus. Quicquid sit, ex Historiis perspicimus, Bacchum fuisse fortissimum Imperatorem, qui plurimas nationes armis devicit, atque imperio suo earundem adjecit regiones; quod & de Nimrode prædicat Sacra Scriptura, qui conditor primæ fuit Monarchiæ, primusque omnium Regum, cum describitur *potens venator coram Domino*, *Gen.* 10: 9. Quamobrem non abs ratione aliena videtur hæc doctorum Virorum conjectura, statuentium ob convenientiam tum nominis, tum rerum, quæ à fortissimo Imperatore, cui Bacchi nomen datur, gesta sunt, sub Bacchi nomine latere Nimrodem; quamobrem apud omnes fere nationes, quas devicerat, colebatur, sub diverso tamen nomine; ideoque apud profanos auctores variis nominibus celebratur: idem enim Osiris, & Bromius, & Lenæus, ac Dionysius Bassareus dicitur, uti & Evan nuncupari statim annotavimus.

Apud Ægyptios Bacchus sub nomine Osiris colebatur; eumque nutritum fuisse inquit in Nysa, urbe felicitis Arabiæ, unde & à loco nomen sortitus, & appellatus est Dionysius. Hunc primum Æthiopiã peragrassè, deinde in Arabiam venissè, apud

X x x

mare

mare Erythræum ad Indos usque & extremos fines continentis; mox pervenisse ad Hellespontum & in Europam ac Thraciam. Deinde in patriam reversus civium suorum ope ad imperium pervenit, & Arabes, vicinasque regiones imperio suo cedere coëgit, in belli societatem conspirante fratre Chavila, Ariæo Arabum rege, de quo paulo ante mentionem fecimus, cujus ope Nimrod sive Bacchus Babylonios debellavit, ita ut fuerit *potens venator coram Domino*. Qui multas gentes debellando longe lateque imperii fines protulit, atque ita primæ Monarchiæ quasi conditor fuisse videtur, sumpta Monarchiæ voce in ea significatione, qua denotamus ejusmodi Reipublicæ statum, in quo penes unum residet summa majestas summumque imperium, cæteris civibus relicta obsequii gloria. Postquam autem Nimrod civium suorum ope ad imperium evehctus fuit, in præmium virtutis Chusæis suis indulsit regionem Trans-Tigritanam, quæ ex illorum nomine dicta est **כוש** *Chus* Hebræis, & **כוש** *Chush* Chaldæis, & **Κισσία** *Cissia* Græcis, & Persis **חוזסתאן** *Chuzestan*, id est, *provincia Chus*. Jure enim belli invaluit inter gentes, ut victores devictarum gentium dignitatibus & bonis potirentur, & ut jus illud armis partum usu & possessione confirmarent. Et ne forte gentes, quas jure belli avitis bonis exuerant, aliquando eas recuperare animum inducerent, & proinde intestina bella moverent, mos invaluerat veteres colonos in remotissimas regiones transferre, ne novi possessione prædiorum, quæ jure belli quæsierant, deturbarentur. Sic Sal-

ma-

manassar expugnata Samaria & debellatis Israëlitis, eos migrare jussit in Assyriam, & civium suorum ingentem copiam in eorundem avitas possessiones immisisse legimus 2 *Reg.* 19. Et ante eum Josephus post acquisitos Regi Pharaoni omnium Ægyptiorum agros, frumento ad illorum vitam tuendam distributo, Ægyptios ab una Ægypti regione in oppositam migrare jussit; ut perspicerent, sibi nullum in agros amplius dominium vindicare posse, quos obtinebant, & se Regi oppignoratos agnoscerent, uti ex Sacra Historia notavit Vir doctissimus Stephanus Morinus; uti & ejusmodi exempla apud profanos Scriptores occurrunt fat multa, & in nostris in Grotium *de Jur. Bell. & Pac.* annotavimus. Ita quoque ut veteres migrarent coloni voluit Nimrodus, subactâ Babyloniâ, & vicinis regionibus devictis, atque natalium splendore illustres, & locupletiores, incolæ ac cives, qui forte in pristinam libertatem se vindicare meditarentur, & quorum fides proinde sibi suspecta erat, inter fidos suos Arabes relegavit, ut si forte novas res moliri animum induxissent, eos melius coërceret, unde & Arabum juxta se disposuit militiam, & debellatorum prædia ac possessiones donavit. Nec ambigendum, quin in ipsa Perside Arabes colonias habuerint. Ita quoque Romani quandoque in devictarum gentium regiones & municipia, ad coërcendos priores populos colonias mittebant, & agros de hostibus captos in præmium egregiæ in bello navatæ operæ militibus adsignabant. Unde scitum illud apud Hyginum, *Finitis ampliorum bellorum operibus, augen-*

dæ Reipubl. caussa illustres Romanos viros urbes constituisse, quas aut victoribus populi Romani civibus, aut emeritis militibus assignarent. Sic Volcis devictis, Veliternus ager ademptus. Velitras coloni ab Urbe missi, colonia deducta, teste Livio. Et Dionysius tradit M. P. Valerium Dictatorem triumphasse, ac dimisso exercitu in agrum Volscis ademptum colonos misisse, lectis pauperibus, qui agrum hostilem custodirent. Ita quoque Bacchus sive Nimrod victrices copias subactis regionibus imposuit. Diximus autem in ipsa Perside Arabes habuisse colonias. Notat enim Stephanus Morinus Dionysium Periegetem Persiæ gentes enarrantem sic incipere: πρώτα Σάβαι, primo Sabæ, quibus Pasagadas dat vicinos, ad quem locum Scholiastes annotat, Quamvis Sabæ sint Arabici, ut supra scriptum; inveniuntur tamen hic etiam qui Persici sunt.

Regio
Caus
quæ, &
ubiam?

Verum acies intentionis nostræ eo potissimum colimat, ut regionem Chus ad littus fluminis Orientalis, quem ex Edene egressum tradit Moyses, investigemus: ibi enim Susiana provincia, & urbs Susa ejusdem provinciæ sive regionis Metropolis, ubi Persarum Reges hiemare solebant, vid. *Nehem. cap. 1.* ubi tradit, se in mense Casleu fuisse in Susis castro; mensis autem Casleu Judæis dicitur Novembris, tamen cum Decembri concurrens. Videtis quoque Athenæum *lib. 12.* Quod eo magis fidem meretur, quia teste Strabone *lib. 15.* *Susiana, quæ dives est, fervidum & æstuosum habet aërem, præsertim circa urbem.* Quamobrem haud assentiri possumus Xenophonti & Plutarcho, tradentibus Reges Persarum Susi-

sis.

fis jucundissimam partem veris, hiemem Babylone
 transegisse. Causam hujus æstus refert Strabo, scil.
quod ad septentriones siti sint montes alti, qui prius
excipiunt omnes boreales ventos. Cum vero sublimes
spirent, ab excelsis Promontoriis, campestria non at-
tingunt, sed prætervolant ad australiores partes Su-
sianæ. Huic metropoli nomen Susæ, ob amœnitatem
 loci ex nomine *Lilii*, quod *Susan* Hebræis, *Σύσα*
 Persis, teste Athenæo, Stephano, unde & *οσείων μύρον*
 sive *Χρυσμα*, unguentum è lilio. Vocata *Susa*, ajunt
 Aristobulus & Chares, propter pulcritudinem loci:
nam Susum Græcorum lingua est Lilium. Verum ex
 hujus nominis Etymologia nondum liquet, quomodo
 hæc regio Chus denominata sit à Chusæis qui illam
 incoluere; à Susiana potius Susii dicuntur ejusdem re-
 gionis incolæ, quam Chusæi; nisi statuendum ab e-
 jusmodi colonia, quam in illam deduxit Nimrod, qui
 Chusæus erat, & Arabibus sive Chusæis suis, cujus
 ope ad imperium evectus erat, uti supra annotavi-
 mus, in præmium virtutis & egregie in bello novatæ
 operæ hanc regionem Trans-Tigritanam indulserat,
 nomen sortitum Chus; quippe teste Athenæo, *Incolæ*
hujus regionis Persidis non tantum Susii dicuntur, sed
etiam Cissii; uti paulo ante notavimus. Verum for-
 te dicti ab Imperatore suo Nimrode sive Baccho. He-
 dera enim sive *κίσσος* Libero Patri in deliciis, unde &
 in ipsius tutela; hinc coronabantur hedera quicunque
 Libero Patri erant initiaturi; qui & ipse, cum esset
 puer, hedera & lauro coronatus incedebat; unde &
 ipse *Hedereus* sive *Hederaceus* *κίσσεος* dictus. Quam-
 obrem Homerus in *Hymnis*,

Tum quoque parvus erat , sylvisque errabat in altis,

Ornatus lauro atque hedera.

Hinc quoque eorum , qui ejus sub auspiciis militiæ nomen dedissent , ornamentum : quapropter merito milites , quos in colonias deduxerat , dicti *Κισσιῶν Cissii*. *Cissii* autem iidem qui *Chusæi* , uti supra annotavimus. Huic etiam accedit , quod , ut Viri eruditi , qui hanc opinionem tuentur , ex Strabone annotarunt , Susam à Titono Memnonis patre excitatam , & matrem ejusdem Memnonis dictam *Κισσιῶν Cissiam* ; atque arcem illius Metropolis ab eo dictam *Μεμνώνιον Memnonium*. Cui adstipulatur Herodotus *lib. 5. §. 54.* atque hanc urbem in *Cissia* esse testatur. Hinc regio *Cissia* , id est , Susiana , apud Herodotum ; in ea urbs Susa , sive Memnonia , sita ad fluvium Choaspem , & Susæ Memnoniæ apud eundem auctorem *lib. 5. & 9.* Notat quoque Vir doctissimus Stephanus Morinus *Dissert. de Paradiso* , Pausaniam in *Phocic.* varias describentem pictas in tabulis imagines , habere : *Prope Memnonem autem Æthiops nudus depingitur ; quia Memnon erat Rex Æthiopicæ gentis ; attamen venit ad Ilium , non ex Æthiopia , sed ex Susiis Persicis Choaspe fluvio , postquam debellasset omnes intermedias gentes.* Jam vero , inquit , Memnon ille Susiorum Persicorum auctor dicitur Æthiops , eo sensu , quo Æthiopia solet pro Arabia brevi freto ab ipsa sejuncta usurpari , & prima forsan Æthiopum origine.

Æthio-
pia du-
plex.

Notandum enim duplicem fuisse Æthiopiam , Meridionalem seu Occidentalem , & Orientalem vicinam Arabiæ

Arabiz & Mesopotamiz. Verissimè enim duas Æthiopias fecit Homerus iudicio Strabonis *lib. 1.* & Plinii *lib. 5. cap. 8.* unam Occidentalem, alteram Orientalem. Verissimam eorum opinionem putat, qui *desertis Africa duas Æthiopias superponunt, & ante omnes Homeri, qui bipertitos tradit Æthiopas ad Orientem Occasumque versos.* Notus est locus apud Homerum initio *Odyssæ.* Nec dubium est, quin Oriens suos habuerit Æthiopas; ita enim Herodotus in *Polymnia: Æthiopibus quidem qui sunt ultra Ægyptum & Arabibus præerat Arsames; qui vero ab ortu Solis erant Æthiopes: bifariam enim militabant, ordinati erant cum Indis.* Fuisse autem Æthiopiam aliquam vicinam Palæstinæ & Syriæ, ex Sacra Scriptura ad hoc probandum peti possunt argumenta. Principio Madianitas vicinos Palæstinis venire nomine Æthiopum, constat argumento Sephoræ uxoris Moïsis, quæ cum esset Madianitis, ut videre est *Exod. 2.* ea tamen in *lib. Num. cap. 12.* appellatur Æthiopiïssa. Æthiopiïssa mulier quæ ex Æthiopia; quam duplicem notat Drusius, una quæ in Arabia, quam Æthiopiam Chusæam nonnemo vocat, in qua & Madian: altera quæ supra Ægyptum, ubi nunc regnum Abyssinorum. Seppora Moïsis uxor erat ex terra Madian, cujus incolæ vocantur Æthiopes. Quandoque tamen ob vicinitatem utriusque regionis sub eodem nomine cum Arabibus veniebant; Unde Hebraicè Moïsis uxor Chusitis. In Cantico etiam Habacuc ita legimus: *Vidi tentoria Æthiopiæ; turbabantur pelles terræ Madian.* Cum nominentur tentoria & pelles eorum, non obscure indicatur eos esse, quos appellant

Jant Cosmographi Arabes Scenitas sub pellibus atque tentoriis degentes. In *Psalmo* 71. tres gentes Æthiopum, Arabum & Sabæorum tanquam sibi invicem propinquæ & admodum vicinæ commemorantur. Propterea Memnon Æthiops dictus, quia Arabs & Chusæus, uti Mosis uxor Æthiopissa; atque hoc nomen, ut durius à Græcis emollitum, ac Cissium dixisse, statuit non absque ratione statim allegatus Auctor Stephanus Morinus. Ne autem ulla dubitandi ratio maneret reliqua, Strabonem *lib.* 17. notat, Memnonis regiam, plurimæque ejus monumenta, ut Labyrinthum & Statuam ab antiquis decantatissimam in Ægypto celebrare. Et Dionysium Periegetem etiam describentem *vers.* 250.

Θήβην ὠγγυίην, ἑκατόμυλον, ἐνθα γεγωνίως
Μέμνων ἀντέδρασαν ἐὼν ἀπαζέται ἰῶ.

Thebas prisca (ab Ogygo Thebarum Bœotiarum Rege pervetusto, de Thebis tamen Ægyptiacis hic agitur, & in usum evasit Ogygius, pro prisco) *habentes centum portas; ubi resonans Memnon exorientem salutat Auroram*, suam matrem; Memnon enim filius erat Tithoni atque Auroræ. Si autem, inquit Vir doctissimus, *Memnon inter antiquissimos Ægyptios Rex fuit, consequenter etiam consanguineus Chusæorum, imo Chusæus; nam Arabes Ægyptiorum fratres & affines erant, atque certatim convolare in auxilium Nimrodi, qui bene meritis proximam Regiæ urbis provinciam ipsis dedit; & ab ipsis Chusiam dici voluit. Hinc & Susis & per totam Assyriam reperiuntur ubique monumenta illius Chusiorum Ducis, quæ testificantur egregia facinora gessisse Chusæum Memnonem.*

Memnonem. Quamobrem Moses, inquit, iis omnibus antiquior, non potuit melius designare limites Gichonis, quam scribendo ipsum alluere Chusfidem eo tempore, quo Chusii, vel, ut Græcis placet, Cissii, florebat, eorum colonie vicinas regiones implebant, & illustria Ducis eorum facinora in omnium hominum memoria, & inter Arabes consanguineos, quorum consuetudine diu fruitus fuerat Moses, vigeant, licet fabulose ad Trojanum bellum ejus mortem demum referat Homerus. Huic etiam accedit, quod Persæ, & omnes fere Orientales populi Provinciam à Græcis Cissiam dictam semper vocarunt; & etiamnum hodie vocant *Chuzestan*, sive provinciam Chusi. Ejus urbs *Souster* hodie, aliis *Susa* dicta, ad Eulæum fluvium sive Choaspem sita. Dicuntur etiam *Chutæi*, & *Chuta*, pro *Susa*. *Cossæi* populi *Arriano*, *Diodoro*, *Curtio*, *Ptolemæo* & *Plinio* dicuntur: meminisse enim *lib. 6. cap. 27.* *Cossæorum* & *Chossiorum*, qui *Susianis* ab Oriente erant. *Susianis ab Oriente proximi sunt*, inquit, *Cossæi*. *Stephanus: Κοσσαι, μέγ@ Πεγειδ@ oi οὐκῆτες Κοσσαισι.* *Plutarcho in vita Alex. Κοσσαισι.* *Strabo lib. II.* eos ex raptu vivere notat, uti Arabes solent. In eodem collimitio *Cossæos* & *Cissios* plerique statuunt. *Ptolemæus* in *Susianæ* parte *Assyriæ* proxima locat.

Provinciam, sive regionem *Trans-Tigritanam* alluisse olim *Gihon* fluvium; & proinde *Ostium* fuisse *Tigris* Orientale, cum *Bocharto*, *Huetio* & *Morino* credimus. Plura argumenta, quæ ex antiquis *Scriptoribus*, tum aliorum doctissimorum *Vi-*

Gihon
fluvius
regio-
nem
Transti-
gritanam
alluens.

Y y rorum

rorum scriptis, qui & superiori & currente hoc seculo de hac materia disputarunt, peti possent, allegare præmittimus, ne Dissertatio nostra nimis excrescat.

hiddekel.

Nomen tertii fluminis, quem describit Moyses, est *Hiddekel*, ille qui vadit versus *Assyriam*. Hunc fluvium depravato nomine accolæ *Diglito* appellant, teste *Plinio lib. 6. cap. 27.* Hodie accolis est *Daghele*. Secundum *Rupertum lib. 2. de Operibus Trinitatis cap. 29.* & *Isidorum lib. 13. Etymol. cap. 21.* à celeritate cursus *typpis* appellatus est. *Tigrim* enim animal velocitatis tremendæ describit *Plinius lib. 8. cap. 18.* *Josephus* vero vocabulo sui temporis nominat *Diglah* & *Tigrim*; quod etiam retinuerunt *LXX. typpis*. Addit vero *Plinius lib. 6. cap. 27.* *Ita Medi sagittam appellant.* Cui adstipulatur *Q. Curtius lib. 4. Ab celeritate, inquit, qua defluit, Tigris nomen est inditum, quia Persica lingua Tigrim sagittam appellant.* Suffragatur quoque *Strabo lib. 11.* nec aliter *Solinus: Primum pigre fluit, non cum suo nomine: at cum fines Medorum inuictus est, Tigris dicitur; ita enim Medi nominant sagittam.* Unde, uti notarunt Viri docti, *Græcorum δῖος αὐός: Dan. 10.* eadem occurrit vox, quam *LXX.* vertunt *Ειδεκελ*, non ut ante *typpis*: nam *Tir*, unde corruptum est *Tigris*, hodieque *Persis sagitta*, & *Armenis cuspis Tur*, in *Gen. Tir*; & *Dezir* his *cuspis* est. Hanc vocis originem non à ratione alienam statuunt Viri docti; quoniam rapidissimus hic fluvius cum nulla re melius comparari possit. Ita quoque *Diodorus lib. 1.* Nilum sagittæ propter rapiditatem

ditatem comparavit. Hoc autem nomine vocatur ab eo loco ubi oritur, usque ad locum ubi Euphrati commiscetur; quia ibi concitator fertur. Ubi vero tardior fluere incipit, veteribus *Diglito* appellari testatur Plinius d. lac. *Oritur*, inquit, *in regione Armenia majoris, fonte conspicua in planicie. Cujus, qua tardior fuit, Diglito: unde concitatur, à celeritate, Tigris incipit vocari. Ita appellant Medii sagittam.* Verum nomen *Diglito* Arabum esse, notat doctissimus Salmasius, à quibus *Deget* vel *Deglath*, ipso teste, appellatur, voce deducta ab Hebraico סִינְיִן *Hiddekel*. Unde inferendum videtur, quod si nomen *Hiddekel* fluvio huic in inferiore etiam parte Sacris in litteris inditum, ergo nomen *Diglito*, non potest superioris tantum partis haberi proprium; sed nomen *Hiddekel*, aut *Deget* vel *Deglath* nomen videtur fuisse Syris & Arabibus usitatum, *Tigris* vero *Medis*; quos, uti statim annotavimus, sagittam sic appellasse, testantur Scriptores. Describit quoque Moyses fluvium à cursu suo, *tumque versus Assyriam vadere* testatur, id est, alluit regionem, quam secundus Semi filius Assur à patre Noacho jure hereditario obtinuit, de quo regionis petenda denominatio; & uti regio Assyria dicta, ita ejus incolæ Assyrii; quæ olim satis angustis circumscripta fuit limitibus, in qua metropolis erat Ninive: & ista est Provincia, quæ interjecto tempore *Adiabene* dicta fuit. Verum cum deinde Assyrii longe lateque imperii fines propagarint, hinc effectum est, ut quamplurimæ gentes Assyrio imperio adjectæ, *Arcapla*, & per *Apharesin* Σύρις & Σύροι

Græois dictæ fuerint. Unde Justinus *lib. 1. cap. 21. Imperium Assyrii, qui postea Syri dicti sunt, mille trecentis annis tenuere.* Quamobrem Hieron. *in cap. 19. Jesaia :* Quos veteres Assyrios, nunc vocamus Syrios. Quam latè vero olim patuerit Syriæ nomen, testatur Mela *lib. 1. cap. 2. Syria & Cæle dicitur, & Mesopotamia, & Damascene & Adiabene, & Babylonia, & Judæa & Sophene.* Verum in strictiori significatione hic nomen regionis Assyriæ accipiendum; ita ut sub nomine Assyriæ exiguam valde terræ partem circa Ninivem intelligere debeamus. Quippe illa imperii propagatio longe post Mosis ætatem facta. Itaque ejusmodi nominis porrectio post Mosis ætatem denuo obtinere potuit. Si juxta Ptolæmæum ejusdem limites designare velimus, ab Occasu erit Mesopotamia; à Meridie Susiana; ab Oriente Media; & à Septemtrione Armenia magna. Atque ita manifestè patebit, Tigridem Assyriam invadere, atque præterfluere.

Phrat.

Quartus fluvius ultimo loco à Moysè collocatus non à cursu suo vel regione, quam alluit, describitur à Moysè; sed tantum nominatur, nulla distinctionis nota huic fluvio apposita; quoniam notior erat; quam ut ulla descriptione indigeret, & nomine duntaxat eum à cæteris discrevit. Ejus autem nomen *Phrat. LXX. Græci Ευφράτης.* Hebraicè *Huperath* seu *Pherath.* Sentit Genebrardus, qui Pererii judicio linguarum peritissimus, optimarumque doctrinarum exquisita scientia meritò laudatissimus, *in Isagoge ad doctrinam Rabbin. ex Hieronym. in Comm. super cap. 11. Danielis, apud Hebræos 7*

fonare.

fonare ut apud Græcos φ, ut pronunciandum sit *Pherath*; & quia vocalis E non clarè efferenda, sed mustitanda, pronunciatur *Pbrath*; itaque ex duabus dictionibus altera ה *Hu*, quæ significat, *ipse est*, altera vero פרת *Pbrath*, composita est, tanquam una dictione, *Euphrates*; cum Græcè deberet dici *Phrates*. Deducunt autem Hebrææ linguæ periti *Pherath* à radice *Paraa*, significante fructificare & fœcundare: ita ut instar Nili exundans terras riget atque fœcundet. Innuit Isidorus, à frugibus & ubertate nomen accepisse, quod scil. Mesopotamiam inundatione fertilem reddat, teste Plinio & Solino. Integer ejus cursus à Plinio *lib. 5. cap. 29.* & Strabone *lib. 11.* describitur. De ubertate & pinguedine inter Tigrim & Euphratem jacentium multa tradit Curtius *lib. 5.* quæ alibi descripsimus. Edenis autem Hortus in ea Babylonix parte situs fuit, ubi hi duo fluvii, Tigris scil. & Euphrates in unum alveum conjuncti fluunt, in eadem regione ad Orientem Hortus ille amœnissimus Paradisus collocatus, percurrendo hanc regionem ingrediebatur fluvius Hortum ad illum irrigandum, & inde se dividebat in quatuor capita, quæ, uti supra annotavimus, nihil aliud sunt, quam bina Euphratis & Tigridis fluentia in unum intra Hedenem coeuntia, ibi uno eodemque alveo per aliquot milliaria simul fluentia; tumque in bina alia intra Hedenem descissa seorsimque Sinum Persicum versus tendentia. Atque hanc varia eruditione florentissimi Viri Sam. Bocharti opinionem amplectimur. Quamobrem non in Edene exortum fluvium, sed ex duobus fluentis

Y.y.3.

in

in unum coalitis, Euphratis & Tigridis conjunctione extra Edenem natum censemus, & propterea nomini fluvio Paradisum irriganti non appositum à Mose; quoniam in Sacris litteris, quoties de fluvio sermo habetur non addito nomine, Euphrates intelligi debet; jam vero supra annotavimus Tigridem ab Euphrate, ubi hi duo confluent, absorberi, & ita à potiori parte hic fit denominatio, sive simpliciter fluvium Paradisum ex Edene progredientem irrigasse non addito nomine; quoniam de Euphrate se habere sermonem cuique facile innotescere poterit, ex communi loquendi consuetudine & usu.

Ethnici
ideam
habuere
loci a-
mœnif-
simi, for-
te Para-
disi.

Supra annotavimus, Hortum hunc omnium amœnissimum fuisse, terræ bonis affluentissimam, quibus vel animus afficeretur, vel oculi pascerentur, omnis generis fructibus locupletissimum, sub optima terrarum Orbis plaga situm, ubi nec hiberna frigora, nec æstivi Solis ardores premerent primos mortalium, sed optima fovebatur utriusque axis temperie; ita ut adversus calorem vel frigus velamentis corporis non indigerent. Videntur quoque Ethnici aliquam hujusmodi loci amœnissimi, in quo vetustissimi mortalium collocati vitam aliquando beatè transegerunt, ideam habuisse. Imo sane quamplurima è Sacris litteris (licet fabulosis suis involucris multum obscurata) hausisse, verisimile videtur. Huc pertinent Alcinoi tam celebres horti, Hesperidum pomaria, Adonidis viridaria, nulli non scenæ cognita & vulgata, Adonis autem quasi Edenis, & Edenis ab Hebraica voce *Heden*, parva omnino litterarum inflexione deduci possit, inquit
Vir

Vir doctissimus Joh. Douxtatus *Analect. sacr. Excurs. I.* Plato *Polit.* ætatis aureæ sive integritatis statum, conditionemque referens, regionem quoque describere videtur, ubi primi mortales vitam transegerunt tradit; quæ magnam videtur cum Paradiso habere convenientiam. Verba Latino sermone ita se habent: *Sponte scilicet tam omnia hominibus nata; nihil erat agreste, omnisque rapacitas. & vorago procul aberat; aberat bellum penitus atque seditio. Cætera insuper, quæ conditionem illorum temporum sequebantur, innumerabilia sunt. Quod vero de victas facilitate & libertate vitæ fertur, ob id est dictum, quod Deus eos pascibat, ipse illorum pastor & custos: quemadmodum homines nunc brutorum pastores sunt. Fructus illis & poma & fruges abunde arbores, & fertile solum, sponte sua absque agricultura opere suggerebant. Nudi quinetiam & expediti sub dio ut plurimum pasciebantur. Huc etiam refert statim laudatus Auctor ea, quæ Diodorus Siculus differit de Nyssa urbe Lybiæ, in hæc verba in Latinum sermonem versa: *Facet in Insula quadam; - - - - - unoque duntaxat loco ingressus in eam patet per angustas fauces, quas Nyssæ vocant: Beata illic fertilitate sua tellus, mollibus pratis & hortis feracissimis, qui letis undique rivis humectantur, abundans. Arbores passim omnis generis fructuose, vites sponte natae. Qui degunt ibi homines, multo longius quam alibi ævum producant. Nec aliter depinxit Homerus *Odyf. lib. 5.***

Κρήναι δ' ἐξείης πίστευες ρέον ὕδατι λευκῷ
 Πλησίαι ἀδρήνων, τετραμυθίαι ἀλλυθίς ἀδρή'
 Ἄμφι δὲ λείμανες μαλακοί - - -

*Quatuor vero fontes fluebant aqua lympeida
 Vicini inter se, versi aliò atque aliò:
 Circum vero mollia prata - - -*

Huc etiam spectant, quæ Poëtæ finxerunt de Campis Elysiis. Vid. Hesiod. *Oper. Dier. lib. 1.*

Arbor
 vitæ, &
 scientiæ
 boni &
 mali.

Inter omnes vero arbores, quibus confitus Paradisus, reliquis longe præstantiores, eminebant duæ, altera *Vitæ*, altera *Scientiæ boni & mali*. Et propter earundem præ cæteris arboribus præstantiam & dignitatem in medio Paradisi stetere; locum enim ipse notavit Moses *cap. 2: 9.* & *cap. 3: 3. Genes.* Quod non ita præcise capiendum, quasi in centro Horti collocatæ, sed intra Hortum, loco tamen conspicuo, dignitatem atque excellentiam arborum præ cæteris præferente. Itaque in medio Paradisi non Geometrico, sed optico & Physico stabat. Utraque, opinor, sui adhuc sola generis; quanquam plures erant arbores vitæ futuræ, si dignum vita se præstitisset Adamus, uti inquit Hugo Robinson. *annal. mund. lib. 1. §. 47.* Aliter autem Francisc. Burman. *in Pentateuch. Gen. cap. 2: 9.* Non videtur, inquit, hanc vitæ arborem sui generis solam fuisse in Paradiso, uti vulgus credit. Quippe Johannes sermonem habens *Apoc. 22: 2.* de Hierosolyma cœlesti, & alludens ad terrestrem Paradisum, inquit, *quod in medio foro ejus*, (scil. Hierosolymæ cœlestis) *& ex utraque parte fluminis erat arbor vitæ*: uti quoque depingitur *Ezech. 47: 12.* Quippe, inquit,

inquit, quoniam maxime ea homini necessaria, dubitari nequit, quin summus rerum Opifex suam erga primos mortalium vitæ integros scelerisque puros benevolentiam & amorem testificari volens, id genus arborum sat magnam è terra germinare fecit copiam, eique virtutem indidisse sese multiplicandi, uti cæteris in Paradiso arboribus, ita ut *arbor vitæ*, idem sit, ac si dixisset, *omnis arbor*, sive *omnes arbores vitæ*; quamvis enim singulari numero utatur Moses, plures tamen forte signare videtur, quæ hinc inde in Paradiso stabant. Quamobrem *Ezech. cap. 47: 7.* ad quem locum alludere Johannem apparet, dum de cœlesti Jerosolyma sermonem habens, eam comparat cum terrestri Paradiso, in quo arbor vitæ, plurium arborum ad ripam torrentis hinc inde mentionem facit. Verum si ex locis à nobis allegatis argumentari velimus, dicendum videtur non fuisse in Paradiso plures, sed unicum tantum Arborem vitæ, stantem in medio Horti. Uti hæc arbor, de qua Joannes, non est nisi una, stans in medio fori, & in ripa utraque fluminis; quod flumen per medium forum labitur, & quia arbor unica utramque ripam suis radicibus & ramis occupat, ut nullus sit citra vel ultra fluvium defectus. Sic quoque unica arbor vitæ fuit in medio Horto Paradisi, hanc arborem adumbrans. Si hic intelligenda arbor unica in foro cœlestis Jerosolymæ, ergo nec plures in Paradiso, dum alludit ad Arborem vitæ in medio Paradiso stantem. Præterquam quod typus unicum intelligendam esse docet. Hæc Arbor vitæ est ipse Christus, fons & auctor

Z z z

auctor vitæ nostræ. Unus enim Christus ad vitam æternam sufficit. Quemadmodum ille unus, ita etiam de una arbore sermonem habet Johannes, quæ stat in medio foro urbis cœlestis sive Paradisi Dei. Quippe & Arbor vitæ in terrestri Paradiso significabat Christum, in quo & Adam & ipsi Angeli tunc obtinebant vitam: & homines lapsi erant recuperaturi. Quamobrem *Prov. 3: 18.* vocatur *lignum vitæ.* Et *Apoc. 2: 7.* *Victori dabo edere ex ligno vitæ, quod est in medio Paradisi.* Unus autem Christus, ita una arbor, quæ erat figura Christi; adeoque non allegoricè duntaxat ad eum translata est appellatio, sed vere sacramentaliter: Christus enim rem significatam verè nobis præstat post lapsum, uti dixerit Pareus *comment. in Genes. cap. 2: 11.*

Arbor
vitæ,
cur sic
appellata?

Cur autem ita dicta, investigari solet. Quidam existimant ita dictam, quia fructum ferebat saluberrimum, ea vi ac virtute naturali præditum, ut ejus esu & usu frequenti vires, valetudinem, vigorem sui corporis, calorem & radicale humidum conservare homines potuissent, fovere, stabilire, instaurare, denique vitam perpetuo incolumem tueri, adeoque eum facere totaliter immortalem. Alii statuunt, quod futura fuisset quasi medicamen adversus omnis generis morbos atque imbecillitates, quibus corpus obnoxium, adeo ut, qui ex ejus fructu comederet, corpus ejus stabili sanitate & perpetua soliditate firmaretur, nec ulla infirmitate vel decrepità senectutis imbecillitate in deterius, vel in occasum laberetur, adeoque contra vim mortis tutissimum fuisset medicamen. Verum quamvis forte
ejus.

ejus fructus peculiari vi præditus esse potuerit, ut ejus esu ac usu frequenti vires, & valetudinem ac vigorem sui corporis mirifice tueri homo potuisset, atque ita vitam vividam semper & florentem ad multos annos prorogasset; attamen ea sola non potuit homini vitam largiri; nec vi alimenti: quippe hoc concessio reliqui cibi frustra dati Adamo & usurpati essent; nec vi medica, quippe in eo statu non erat Adamus morbis obnoxius. Dicendum ergo videtur, Arborem vitæ dictam non adeo ratione vitæ præsentis, quam æternæ, cujus symbolum erat. *Erat, inquit Augustinus, homini in aliis lignis alimentum, in hoc sacramentum.* Lignum vitæ fuit sigillum, dans parrhesiam bonæ conscientiæ, stipulandi à Deo promissionem, institutum verbo Dei; fuitque adeo homini data pignori, quamdiu perstitisset in statu integritatis, eum vitam præmium obsequii in Deo expectandam habere. Vita erat homini ultimum bonum, obedientiæ merces, justitiæ præmium. Hoc autem ipsi conferenda fuisset, si adversus tentationem Satanæ stetisset immotus, adeoque perstitisset in eo statu, in quo recens formatus à Deo creatore suo collocatus, illius sacramentum hæc Arbor fuit, ut, quoties in eam oculos conjiceret, cogitaret, se aliquando vitam præsentem cum meliore, æterna & cœlesti, commutaturum, & in certioramentum illius interea Arbore vitæ usurum. Quod si itaque homo perstitisset in statu integritatis, de fructu hujus arboris comedisset; atque in remunerationem & mercedem obsequii sui, & in sacramentum justificationis suæ ex

Z z z z

operi-

operibus hujus arboris esum ac usum ipsi largitus fuisset Jehovah. Sacramenta enim dantur ad obsignandam communionem beneficii jam exstantis, jam adducti, jam parti. Ita *cœnam* facimus *εἰς ἀνάμνησιν τῆς κοινῆς*, quam habemus cum corpore & sanguine Christi. Ita quoque Baptismus obsignat jus, quod habemus in sanguinem & spiritum Christi. Dari non debent sacramenta indignis & reprobis, & in beneficio Christi partem non habentibus. Quamobrem Adam, quamdiu vitam æternam obedientia sua nondum acquisivisset sibi, etiam à sacramento hujus vitæ abstinere debuit. Et proinde in Paradiso de arboris fructu comedisse colligi potest *Genes. 3: 22.* quamvis tamen ipsi non interdictum inveniatur uspiam in sacro Codice, uti tale interdictum ipsi datum de arbore cognitionis. Abstinit illa sponte, Deo duce, qui vel naturæ appetitum ita moderatus est, ut in tanta rerum omnium affluentia ejus fructum non appeteret. Vel illi declaravit, ut sibi adhuc ab esu hujus arboris temperaret. Quippe haud possum eorum sententiam amplecti, qui statuunt magistra & duce conscientia ab illa sponte abstinuisse, quæ eum docebat, quamdiu nondum fecisset, quæ ad obtinendam *vitam* facere devinctus erat, scil. perfectam & constantem obedientiam præstitisset, illum nec in *sacramento* hujus vitæ partem habere, nec de illo, participare debere. Quippe in statu integritatis, qui circumscriptus fuit illo intervallo temporis, quod intercessit, inter collocationem hominis in Paradiso tanquam primo suo domicilio, & lapsum per inobedientiam sive transgressionem legis positivæ, qua ipsi interdictum,

ne co-

ne comederet de Arbore scientiæ boni & mali contractum, non adeo vixit juxta dictamen conscientiæ, sive rationis, quatenus illud sequitur mentis discursum præcedentem, decernentis objecta, quæ sibi repræsentantur, an bona vel mala, & promde post eorundem notionem definientis quid amplectendum quia bonum, quid declinandum quia malum; notionem itaque excipit dictamen, sive ratio dictat quid faciendum, quid omittendum. Juxta ejusmodi rationis dictamen hominem vitæ integrum scelerisque purum, in statu integritatis vitam duxisse, uti post peccatum admissum facere debuit, dici proprie posse mihi non videtur, uti alibi in hac Dissertatione lætius me demonstraturum, Deo volente, spero. Quippe naturæ suæ impetum & voluntatis appetitum sequens, ab eo, quod justum, decorum & rectum erat, deviare non poterat. Quamobrem abstinuit ab esu Arboris vitæ, non adeo magistra & duce conscientia, quasi ipsi illicitum dictante sive docente de ejus fructu comedere, antequam perfectam præstitisset obedientiam, eaque præstita vitæ æternæ in remunerationem & mercedem obsequii particeps factus esset. Quippe, præterquam quod omnia, quæ in usum hominis produxerat omnium rerum auctor Deus, natura sua bona erant, & liberali manu omnem herbam sementantem, & quæ supra universam terram erat, & omnem arborem frugiferam, sive omnis arboris fructus homini dederat, ut inde alimenta sumeret, quibus vitam tueretur, mens sive ratio docere ipsum non poterat, ne de fructu arboris vivificæ comederet, cum natura omnia in se bona quæ Deus produxerat, & omnem arboris fructum comedendi

Deus homini largitus erat facultatem; & proinde nullum potuit mens sive ratio neque ex natura alimenti, neque ex jure & facultate homini concessa, dictamen formare, quod ipsum docebat ab hujus fructus esu magis abstinendum, quam ab alterius. Præterquam quod usus per se moraliter malus esse non poterat, nisi accedente interdicto, ejusdem esum vel usum prohibente; atqui nullum ejusmodi interdictum, ne comederet homo de fructu arboris vivificæ; ergo nec conscientiam nec rationem docuisse hominem, statuendum, ut sibi caveret, ne comederet de arbore vitæ: sed contrarium potius docuisse, quia omnia bona erant, & omnes fructus in suos usus convertendi facultatem habebat, nullo juris vinculo se alligatum esse, quin tam fructus hujus arboris quam cæterarum comedere sibi licitum. Et cur non? quippe cum nullus naturæ stimulus homini innatus adeo vehemens, quam studium se conservandi & vitam tuendi, mens & ratio & naturalis appetitus, qui in statu integro cum eo quod decorum & justum est per se, semper conveniebat, hominem magis impellere oportebat, ut ejus arboris fructum, quo vitam non tueri duntaxat, sed & prorogare in multas annorum centurias forte potuisset, sumeret & comederet, quam ab ejus usu & esu revocaret, & abstinendum ipsi dictaret. Quod eo magis statuendum videtur, quia licet per se fuerit arbor, de qua omnis nostra instituta disputatio, symbolum non tam vitæ hujus terrestris, quam vitæ æternæ, cum hac præsentis aliquando commutandæ, de qua comedere ipsi vetitum, nisi præstita perfecta & constanti illa obedientia, quam summo legislatori Jehovahæ

hiovæ debebat, nihil tale quid divinare tamen potuit, nec arbor illa tanquam ejusmodi symbolum atque sacramentum, quanquam revera tale erat, forte primo homini innotuit, atque ejusmodi conditione tacitâ ratione hujus arboris circumscriptam illam facultatem & libertatem, quam summus rerum Opifex ipsi largitus erat, ut quarumcunque arborum fructibus libere uteretur in cibum, dubito vehementer an sciverit? Quippe homo in Paradiso constitutus scire potuit, beatus quidem ero; verum quod in cœlum transferendus fuisset, hoc scire non potuit, nisi immediata revelatione; nil vero de tali revelatione invenimus; perennitas vitæ quidem promissa verbis *non morieris*, quo vero in loco degisset, ignorasse videtur. Potuisset etiam beatus fuisse in terra; ubi enim communionem Dei fruimur, ibi proprie cœlum: translatio enim in cœlum peculiare est Christi domini; plus ergo in Christo acquisivimus, quam in Adamo perdidimus; circumstantia ergo cœli in statu integro abesse potuit. Unde quoque de Arbore vitæ primus homo juxta statum præsentem ex omni tamen parte beatum, ideam formavit; ut vero ejus continuationem & perennitatem comedendo de ejus fructu acquireret, magis conscientia ipsum impulisset, quam ab eo revocasset. Quod itaque abstinuit ab esu hujus arboris, potius divina providentia voluntatis appetitum ita moderante, ne ejus fructum appeteret, quam quod nulla lege lata, qua ipsi ejus esus & usus interdiceretur, conscientia ipsi dictasset, illicitum ipsi de ejus fructu comedere, nondum præstita perfecta & constanti obedientia factum. Quippe ejusmodi hujus arboris ideam non habuisse

habuiffet hominem per dictamen rationis, statim annotavimus; fcil. quod erat tanquam symbolum & sacramentum vitæ præfentis aliquando cum meliore, fcil. æterna commutandæ; cujus particeps factus fuiffet præfita perfecta obedientia, & ita quoque de hac arbore comedendi libertatem ac facultatem nactus fuiffet, ad obfignationem & certioramentum fuæ justificationis ex operibus; & proinde fe accepturum aliquando vitam meliorem, æternam atque cœleftem. Vel eo abftinuit, quod Deus ipfi, uti annotavimus, revelaffet, adhuc fibi ab efu hujus arboris temperandum effe. Quisque ex his facile perfpiciet, nos habere fermonem de commutatione vitæ præfentis cum cœlefti; quippe hujus vitæ æternæ & cœleftis hanc arborem symbolum & sacramentum fuiffe per fe quidem veriffimum, verum eo fenfu hominem ejus ideam non habuiffe, dictante confcientia, exiftimamus. Si quidem fi de vita æterna non fuiffet certus; anxius fuiffet, & putare potuiffet, quid tandem de me fiet, an moriar an vero vivam. Cujusmodi animi follicitudo non conveniebat beatitudini, qua fruebatur, donec in ftatu integro permansiffet; facile perfpicere potuit, fi perfifteret in ftatu innocentia, quod femper ei bene fuiffet, verum quod in cœlum translatus fuiffet, & hanc vitam cum cœlefti commutaffet, hoc confcientiam ipfi dictaffe, non videtur.

Præceptum de non comedendo de arbore fcientia boni &

Quippe præceptum de non comedendo de Arbore fcientia boni & mali, sub pœna mortis, illum docebat, immortalem fore fi obtemperaret, quoniam obfequium fe à pœna, & proinde à morte immunem præftaret, & vitæ æternæ participem fe fore, id eft,

non

non moriturum. Unde Hugo Robinsonius, & ne mali,
 poena legi præmiumque deesset, additum, ni id quid ho-
 faceret, moriendum illi; victurus, si faceret, in minem
 æternum. *Annal. mund. lib. 1. §. 48.* Præmium docuerit?
 hoc tacita lege continebatur, & excipiebat præsti-
 tam obedientiam. Dicitur enim ratio, nihil tam na-
 turale esse, quam ut unumquodque semper maneat
 in eodem statu, donec quid exterius accedat, quod
 ipsum ex illo statu deturbet: ita ut homo creatus
 vivus, vivus mansisset, nisi aliquid accessisset, quod
 ipsum ex statu hoc deturbaret; idque eo magis con-
 cludere poterat, quia sciebat se ad beatitudinem
 conditum, seque in ea vivere; jam vero mori non
 est beatitudinis. Quippe ex duobus hisce oppositis,
 vitæ cum morte, facile per mentis discursum con-
 cludere poterat, si mors futura poena inobedientiæ,
 juxta legis tenorem ac sensum, ergo obtemperando
 legi vivam & semper vivam, quia per peccatum
 mortem mihi imponam; ergo donec obedientiam
 erga legem præstitero, vivam; natura itaque im-
 mortalis, quippe mors illa est aliquid accidens,
 quod peccati comes. Verum quomodo hanc im-
 mortalitatem assequeretur, an per continuationem
 præsentis vitæ, an vero per translationem in cælum,
 adeoque commutationem vitæ terrestris cum cœle-
 sti, hoc vi rationis indagare non potuit. Non e-
 nim mors corporis naturæ creatæ ac felicitis illius sta-
 tus consequens erat, sed humano generi in peccati
 poenam contigit. Uti igitur mors fuit sequela pec-
 cati; ita vita æterna consequens obedientiæ præsti-
 tæ fuisset. Istiusmodi conclusionem ratione duce

A a a

Adam

Adam formare poterat, verum uti statim ex sanctitate legis positivæ annotavimus, an per continuationem vitæ præsentis, an per translationem in cœlum & commutationem hujus vitæ cum cœlesti, ratio ipsi dictare non potuit. Cum ab omni parte beatus vitam transigebat in Paradiso, vix ideam formare potuit vitæ melioris; quippe ejusmodi idea docuisset ipsum nondum ad summum perfectionis & beatitudinis gradum pervenisse; & proinde non omnino beatum se cognovisset, & quotidie ad meliora acquirenda exisset animum, quamobrem animi tranquillitatem & voluptatem, qualem in statu innocentia capere oportebat, perturbasset ejusmodi desiderium & sollicitudo, & proinde non omnino beatus sibi visus fuisset. Igitur an per translationem in cœlum beatitudinem obtineret, ratione assequi haud poterat. Incertum quippe est, an unquam quidem de cœlo absque revelatione cogitasset Adamus, cum non nisi revelatione id scire potuerit; agebat in hac terra in Dei communiōe, utebatur terrestribus, spiritualibus fruebatur; gaudebat summa conscientia tranquillitate, & Dei communiōe fruebatur, adeoque summi boni particeps, nihil ulterius quid concupiscebat, quo ad majorem beatitudinis gradum provenire se posse perspiciebat. Huc subsistebat rationis dictamen, & mentis discursus. An vero quæ sub involucri & in arbore vitæ adumbrata erant, per revelationem Adamo non fuerint manifestata, de eo statim quædam annotabimus. Adjicere hic lubet, quæ legimus apud Virum doctissimum Hug. Robinsonium *d. loc. Quin & arborem.*

rem vitæ multi è nostris Theologi nihil esse nisi Sacramentum volunt. Sed cujus rei Sacramentum, ne ipsis quidem inter se convenit. Alii signum atque sigillum fuisse dicunt vitæ præsentis, & conservandæ, si non peccaretur; alii melioris commutandæ; alii æternæ ex fœdere operum promissæ Adamo; alii ejus gratiæ per quam victurus erat in æternum Adamus, modo paruisset Deo. Sed obscuriora hæc videntur, inquit, quæ de Sacramentis, quæ de sensu rerum allegorico & mystico traduntur à nonnullis, quam ut narrationis Mosaicæ perspicuitati ac simplicitati summæ ullo modo competant. Legis tamen & Evangelii arbores hæ, si cui libet, typi sint. Mysticum hunc sensum absque revelatione ratione assequi potuisse, haud mihi persuadeo. De ejusmodi revelatione altum silentium in narratione Mosaicæ. Itaque an habuerit, vel non ejusmodi revelationem Adamus, nec affirmare certò vel negare possumus. Vi tamen rationis illum sensum non potuisse investigare, certissimum putamus. Verisimilior tamen eorum mihi videtur opinio, qui statuunt, quamvis Moses ejusmodi revelationem silentio prætereat, Adamo tamen explicatius mysticum hujus arboris vivificæ sensum à Deo revelatum fuisse; scilicet fuisse symbolum & sacramentum immortalitatis, ipsi aliquando conferendæ, si in statu integro perseverasset. Vitæ ergo arbor ista significabat & obsignabat, per revelationem scivit non fuisse proprie corporis solius vel longævitatæ vel immortalitatem; sed æternam beatitudinem in cœlis tandem obtinendam, quæ vitæ æternæ nomine in sacro Codice ven-

nit. Fuit itaque ipsi signum vitæ beatæ in Paradiso transigendæ & in cœlestem postea transmutandæ, si in integritate perstitisset. Per revelationem ipsum fugere non potuit, consummatam illam vitam & beatitudinem non in terreni Paradisi spatiis, sed in cœlo agendam, quo post absolutum obedientiæ cursum ex Paradiso terrestri anima & corpore transferendus foret. *Caro enim & sanguis regnum Dei hereditare non possunt, 1 Cor. 15: 50. Neque vita hæc, quæ sanguinis spirituumque comœatu & carnis nutrimento constat, illa sit, in qua Deum videre possumus; corpus hominis non quidem interiturum, sed certo tempore, ubi id Deo transferre placuisset, ut foret ἀφθέρτον incorruptibile: hi. nulli amplius moriendi periculo obnoxii*, uti inquit Francisc. Burmannus *Synops. lib. 2. cap. 3.* Verum hæc omnia latius discutienda Theologis relinquimus. Vid. *nostr. Dissert. 1.*

Notitia
Arboris
vitæ a-
pud Eth-
nicos.

Hujus arboris notitia ad Ethnicos quoque pervenisse videtur; quippe dum Moses Arborem vitæ immortalitatem conservare testatur, Hesiodus *Nectar* & *Ambrosiam* suam celebrat, quæ dicta est quasi sine morte; ab aliis Poëtis *Nepenthes*, omnem adimens dolorem & luctum. Homero placet *Moly*, homines ad juventutem revocans, cujus vires describit Plinius *lib. 25. cap. 4.* apud Priapeiorum auctores celebratur. Vid. Eustathium quoque & Dioscoridem.

Arbor
scientiæ
boni &
mali,
quare sic

Altera arbor, quæ in medio Paradisi conspiciebatur, dicta est *Arbor scientiæ boni & mali*. Non quod usus illius fructus scientiam ingereret, ut quibusdam

ex

ex Judæis, & post eos Socinianis placuit: contra-^{appella-}
 rium enim docuit eventus. Nec etiam à mendaci-^{ta.}
 promissione omniscientiæ, qua serpens mulierem
 decepit *Genes. 3: 5.* Quippe nulla ratio est, cur
 Adamus vel Moses voluissent arbori nomen impone-
 re ex impudentissimo mendacio deductum, com-
 perta impostoris fraude, uti inquit Doctiss. Theo-
 logus Francisc. Turret. in *instit. Theolog. loc. 8: quest.*
9. Quamobrem verosimilius videtur, quod ita di-
 cta sit, partim à *sine* & destinatione, qui erat ma-
 nifestare bonum & malum, obedientiam, quæ bo-
 na, & inobedientiam, quæ mala est: partim ob *e-*
ventum; quia ex esu vetito eventurum erat, ut ex-
 periretur homo, quantum bonum inter & malum
 interesset. Quippe si abstinuisset ab esu hujus arbo-
 ris, nunquam rerum usu mali notitiam sibi acquisi-
 visset, verum nil nisi quod per se, adeoque mora-
 liter bonum & honestum erat, novisset; non eo mo-
 do, quo post lapsum boni & mali, recti & pravi
 naturam novimus, scil. per mentis discursum discer-
 nentis inter objecta quæ menti repræsentantur, ut
 ea juxta se posita & cujusque naturam & qualitates
 sive intrinsecus sive extrinsecus possit inspicere &
 examinare, iisque diligenter perspectis definire,
 quænam bona, & proinde amplectenda, quænam
 mala, & proinde declinanda & fugienda sint. Ob-
 jecta hic voco voluntatis inclinationes & appetitus
 naturæ humanæ, quibus homines ad aliquid facien-
 dum vel agendum naturâ impelluntur, vel ejusmo-
 di animi & mentis seu voluntatis passiones, ut ita
 dicam, quibus ab aliquid faciendo naturæ impetu

A a a a 3. deter-

deterrentur & revocantur. Quoniam vero sæpe voluntas & appetitus posset inclinare ad agendum quod forte malum per se, & revocari à faciendo quod bonum, hinc istiusmodi appetitus & aversiones voluntatis à ratione examinari & conferri debent, ut possit discernere eorundem naturam & qualitates, iisque perspectis dictare, quid faciendum, quid fugiendum, & juxta illud dictamen quisque vitæ suæ rationem instituere possit. Jam vero dico, primos homines in statu innocentiae degentes bonum haud novisse uti malo oppositum, per discursum mentis discernentis ex collatione hujus cum altero, quid bonum, quid malum, & proinde quid faciendum quia bonum, quid fugiendum quia malum, verum novit bonum, quia novit convenientiam actionum suarum cum integritate & justitia originali, qua præditus erat, dictabat ipsi conscientia omnes appetitus & inclinationes, omnes naturæ impetus convenire cum imagine divina, ad quam conditus erat, & proinde quicquid agebat vel faciebat, egerat vel fecerat, acturus vel facturus in eo naturæ statu, in quo adhuc vitam degerat, bonum rectumque esse. Inde conscientiae tranquillitate fruebatur, quod bonum sibi atque jucundum noverat, quatenus ex conscientiae sive rationis dictamine perspiciebat convenientiam actionum, quæ à se proficiscebantur, cum rectitudine sibi innata, sive cum imagine, ad cujus exemplar formatus erat. Malum ignorabat, quia nullius disconvenientiæ sibi conscius. Hoc fere sensu lux dicitur bona, & quæ Deus fecerat, valde bona esse, *vers. 31. cap. 1.* quia
 apta

apta erant consequendo fini, propter quem creata erant, sive quia conveniebant cum decreto & fine, quem Deus in rebus producendis sibi proposuerat. Sic noverat homo bonum, dictante sibi ratione, vitæ suæ instituendæ rationem convenire cum integritate & rectitudine naturali sibi innata, adeoque cum fine, quem Deus sibi proposuerat, id est, ut Divina imagine ornatus, eidem quoque consentaneam vitam traduceret. Itaque si perseverasset in hoc naturæ statu, malum omnino non novisset, id est, nullam actionum suarum cum rectitudine illa sibi innata novisset disconvenientiam. Ex convenientia autem & disconvenientia actionis cum rectitudine & justitia originali boni & mali cognitio, ideoque ex hisce sibi oppositis mens jam discernit inter bonum & malum, justum & injustum, honestum & turpe, uti paulo post hoc satis clare me demonstraturum spero.

Verisimile videtur huic arbori nomen illud impositum, postquam homo de hac arbore comedendo hanc deplorandam & universo humano generi adeo noxiam & perniciosam boni & mali scientiam quaesiverat, & proinde per anticipationem hic vocari à Mose arborem scientiæ boni & mali *Genes. 2: 9, 17. junct. Genes. 3: 3. Simile quid vid. Genes. 21: 14, 31. & 26: 20, 21, 23, 33.* Sunt autem qui hanc arborem sacramentum faciunt collatæ in hominem imaginis divinæ; quod si parentes, à quibus universum genus humanum originem ducit, violassent, hanc amitterent; unde boni præstantia carendo, mali essent gravitatem perferendo sensuri. Aliis pro symbolo

Arbor
scientiæ
boni &
mali
quando
nomen
hoc indi-
tum?

symbolo est, quo Deus hominem explorabat, monebat, ipsoque nomine avocabat à peccando. Verum alii negant Sacramentum fuisse; hisce rationibus moti: I. Quod Sacramentorum natura consistit in naturali usu signi, ad denotandum bonum spirituale, quod habet analogiam cum signo ejusque naturali usu: ut apparet in *Arbore vitæ*, *Paschate*, *Circumcisione*, *lavacro Baptismi*, *sacra Cæna*. Usus autem naturalis fructuum est comestio: hujus vero arboris fructu uti non licuit. II. Sacramenta significant bona spiritualia; arbor autem hæc minabatur mortem, eamque adferebat. III. Arbore vetita homo uti non poterat, sed abuti tantum; quia usus ejus naturalis, qualis comestio, interdictus. Vid. Braun. *System. Theol. vol. 1. part. 3. cap. 2.*

Arbor
scientiæ
boni &
mali
qualis
arbor
fuerit?

Quidam Sacræ Scripturæ Interpretes indagare susceperunt, quænam & qualis fuerit illa arbor, an *Ficus*, *Pomus*, vel *Pirus*? Sunt qui existimant *Ficum* fuisse; propterea, quod fructus illius suavissimus sit; tum etiam, quod primi mortalium statim atque vetitum ejus fructum gustassent, pudendam nuditatem suam erubescerent; *converserunt folia*, & *fecerunt sibi perizonata*, cap. 3: 7. ex vicinæ scilicet arboris foliis: nuditati enim tegendæ optime folia ficus inservire poterant; quoniam hæc omnium arborum folia & latitudine & magnitudine superant. Quippe, teste Plinio *lib. 12. cap. 4.* de ficu sermonem habente, *In excelsum emicat sylvestris multitudi-
ne, vasto matris corpore, ubi sexaginta plerumque
orbe colligant: membra vero bina stadia cooperiunt;
foliorum latitudo peltæ Amazonicæ effigiem habet;
rarusque*

rarusque est fructus, sed prædulci sapore. Hinc quoque Theophrastus lib. 4. de plantis: *Arbor ficu comam superne lascivam gerit, totaque fornicato ambitu pulchrè orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit. Folium pelta non minus habet.* Huic accedit testimonium Solini Polyhistor. cap. 65. ubi de ficu Indica testatur, *Illius caudices in orbem spatio sex passuum extuberantur, ramorum umbræ ambitu bina spatia consumunt. Foliorum latitudo forma Amazonicæ peltæ comparatur, pomum eximia suavitate.* Inde est, uti Viri eruditi annotarunt, quod hujusmodi ficus circa Babylonem latissima folia gerentes, etiam nunc dicuntur *ficus Adamicæ.* Huc quoque pertinet quod tradit Isidorus Pelusiota, *Quædam tamen & secreta ratio hanc quoque rem comitatur, quæ à senioribus atque majoribus nostris nobis tradita est, Arborem scilicet transgressionis Adam ficum fuisse, ex cujus etiam foliis sese texerit.* Eandem traditionem approbare videtur Theodoretus, ita scribens: *Arborem ficu puto fuisse, ex qua præceptum fuerit Adam ne comederet, cujusque ex foliis consutis tegumenta sibi pudendorum confecerint.* Beccanus quoque ficum fuisse autumat, ficum vero Indicam, quæ ramos rursus terræ infigebat, & sic ut arbustum faciebat, sub quo sæpius toti exercitus latitant. Alii pomum sive malum fuisse credunt, *Cant. 8: 5. Divinus sponsus suæ sponsæ dicit, sub arbore mali suscitavi te, ibi correpta est mater tua &c.* Verum cum Pentateuchi scriptor Moyses in describenda creationis historia nomen hujus arboris reticere voluerit, nihil quoque certi de eo nos affir-

mare possumus. Quamobrem omnia quæ traduntur de nomine ejus, meræ sunt conjecturæ, quæ admodum lubrico nituntur fundamento, & proinde haud fidem merentur; ideoque præstat de ea nihil dicere, quam opinionis errore figmenta pro veritate amplecti. Quis enim crederet, si ex esu illius arboris statim erubuerit ob detectam nuditatem, iterum ad illam accederet, ut ab ea velamentum nuditati suæ caperet; potius abhorreere debuit à funesta illa arbore, & se longius ab ea proripere, velut ab occasione suæ calamitatis & felicitatis jacturæ. Nec solidioribus nititur rationibus illa interpretatio loci statim adducti ex *cap. 8. Cant.* quasi per *matrem* ibi Eva intelligenda foret. Cur non potius per *matrem* ibi cœtum fidelium, vel Ecclesiam primitivam significari statuamus, quæ Christum peperisse dicitur, eamque publice profitentem, & per universum terrarum orbem Euangelii doctrinam circumferentem, imo pro ea tuenda vitam profundere non recusantem. Huic etiam accedit, quod vox *malum* generalis est, plurimasque etiam specie arbores diversas complectens; est enim malum Persicum, Indicum, Assyrium, & commune. Unde satis apparet, nihil certi hic definiri posse. Nil quoque ad nos, Ficus fuerint, an Pomi aut Piri.

Paradisus prius conditus erat antequam homo in eum transiret.

Testatur autem Moses in hoc loco, sive horto amœnissimo; terræ bonis affluentissimo, visu & aspectu jucundissimo, atque omnis generis arboribus frugiferis locupletissimo collocasse hominem, mundi conditorem Deum. Ergo non in, se extra Paradisum prius conditus ac formatus fuit. Quamobrem
Basilius:

Basilii: *Alibi formavit & illuc introduxit ; non tamen sic etiam luminaria fecit & posuit in celo.* Quomodo autem Deus hominem tulerit in Paradisum, an per Angelum, uti Lothus eductus Sodomis, an Spiritu transtulerit, sicut Henoch, Habacuc, Philippus, à Spiritu dicuntur de loco in locum translati, vel sicut Diabolus Christum de Templo in montem secum transtulit, vel an instinctu interno moverit Deus, eumque in possessionem Paradisi immiserit, vel præceperit ut eum occuparet, aliis investigandum relinquimus; non admodum solliciti sumus de modo, quo in Paradisum translatus; quoniam eum describere S. Spiritu ductus Moyses superfedid, cur tam anxie nos illum investigare & inquirere elaboraremus, cujus investigatio nullum nobis utilitatem vel commodum adferre potest, quem admodum laudem merentur, qui in rebus obscuris & non necessariis cognoscendis omne studium ponunt. *Vitium est, inquit Cicero, 1 Offic. cap. 6. quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias.* Quod vero in cognitione dignis & necessariis operæ curæque ponetur, id jure laudabitur. *Satis hic est scire, quod Moses indicare voluit, uti inquit Pareus, Deum hortum Eden non brutis aut feris deglubendum & vastandum condidisse, sed in hominis gratiam, usum, ac voluptatem plantasse, & peculiari jure homini fruendum & colendum commississe.* Tradit enim Moyses, Deum hominem in Paradisum tulisse, ut eum coleret custodiretque. Ratio itaque, cur Deus hominem in Pa-

B b b b 2

radisum

radifum tulerit , fuit , ut eum coleret & custodiret. Verum cum ejusmodi cura & cultura adhiberi nequeat absque labore & opera , videtur ejusmodi exercitium, quod laboriosum erat & operosum, non satis convenire cum statu felicitatis, in quo vetustissimus mortalium collocatus ; quod & ratio edocuit Ethnicos, adeoque fingebant aureo illo seculo , sive statu integritatis seu innocentiae , in quo recens formati primi mortalium ad Divinae imaginis exemplar , ab omni parte beati vitam traducebant, omnia sponte nata , & per se dabat omnia tellus , & absque cura & cultura fruges inarata ferebat. Fingunt enim Poetae agriculturam post regnum Saturni, qui aurea aetate regnabat, esse inventam ; unde canit Virgilius *lib. 1. Georgic.*

- - - - Ipsa tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.

Et Ovidius *1. Metam.*

- - - - Natos sine semine flores,
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Et alio loco Virgilius :

Ante Jovem nulli subigebant arva coloni.

Verum post contractum peccatum, scil. postquam homo felicissimo hoc integritatis statu excidit,

*Semina tum primum longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.*

Operandi enim necessitas injuncta homini post peccatum

tum in ejus pœnam, vid. *cap.* 3: 17. Quamobrem non conveniebat jucundissimo & felicissimo innocentiae statui. Præterquam quod supervacanea erat futura operatio hominis in Paradiso; quippe qui sponte sua abunde ferret ac suppeditaret, quæcunque ad vitam tuendam necessaria ac utilia esse poterant. Verum notandum quod ait Chrysoſtomus, operaretur quidem homo in Paradiso, verum non ad victum comparandum, sed ad honestum exercitium, voluptatem & experientiam; ita ut nec fatigaretur, nec otio labasceret. Contulisset enim plurimum ad periclitandas experiendasque tam diversas terrarum vires, omniumque ex terra nascentium. Potuisse autem ea tempestate culturam terræ absque operatione laboriosa & molesta ab homine exerceri, satis inde evinci potest, quod etiamnum tanta cum voluptate ad eam colendam nonnulli sese applicant, ut vix se patiantur inde abstrahi & ad alia avocari. Ejusmodi exempla apud Profanos scriptores occurrunt plurima; quamobrem apud varias gentes in summa æstimatione habita fuit, & à Poëtis celebrata. Audi Virgilium 2. *Georg.*

*O fortunatos nimium, sua si bona norint,
Agricolas! quibus ipsa procul discordibus armis,
Fundit humo facilem victum justissima tellus.*

Et iterum:

*Hanc olim vitam veteres coluere Sabini,
Hanc Remus & frater. Sic fortis Hetruria crevit:
Scilicet & facta est rerum pulcherrima Roma.
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.*

Bbbb 3.

Nec

Nec aliter Cicero: *Omnium, inquit, rerum, ex quibus aliquid exquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* Cyrus Perfarum rex ingenio florentissimus, & tanti gloria imperii clarissimus, agrum ipse sibi conferebat, arboresque sua manu satas dimeticiebatur, & in ordinem disponebat. Imo antiquitate generis & natalium splendore viros illustres ab aratro ad imperia & dictaturas summum honoris fastigium promovere, apud Romanos morem fuisse, veterum testantur monumenta; quibus egregie perfuncti, ad priores agriculturæ exercitationes revertebantur. Cultura itaque, quam primus mortalium adhibuisset in Paradiso, non fuisset laboriosa atque molesta, sed jucunda & voluntaria, scil. ut benignam fertilissimi soli naturam cultu aliquo leviori adjuvarent. Ac licet terra nihil non bonum atque utile sponte sua edidisset; accedente tamen hominis cultura, eadem illa uberiora & meliora protulisset. Huc referenda quæ disputat hac de re August. *lib. 8. cap. 8. Gen. Ita sane arbitraremur, nisi videremus cum tanta voluptate animi agricolare quosdam, ut eis magna pœna sit inde ad aliud avocari. Quicquid ergo deliciarum habet agricultura, tunc utique longe amplius erat, quando nihil accidebat adversi vel terra vel cœlo. Non enim erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cum ea quæ Deus creaverat, humani operis adjutorio lætius feraciusque provenirent, &c.* Ast vero postquam homo peccati labe sese contaminavit, maledicta jam terra laboriosa & molesta existit agricultura: tum cum ad eam colendam necessitate cogimur; ob cibi indigentiam, quem
non

non nisi multo & molesto labore parare possumus; tum etiam, quod omnis terra, etiamsi colitur, tamen ingrata sit & sæpius sterilis, & si qua fructifera est, ea tamen non nisi diu multumque elaborata vitæ necessaria profert. Præterquam quod & noxiæ & inutiles herbæ miscentur bonis, quibus non absque tædio continuo & labore molesto extirpandis reseccandisve intenti esse debemus. Non colere duntaxat hortum sive Paradisum oportebat hominem, sed etiam custodire, ne scil. animalia, quæ in Paradiso erant, eum fœdarent, ejusque decorem & amœnitatem aliquo modo læderent inquinarentque. Tum etiam ne feris, quæ extra Paradisum erant, ad eum pateret aditus, eumque pedibus conculcarent & devastarent. Si latentis in gramine anguis Paradisi quoque incolæ custos homo vereretur insidias, melior fructus à serpente non fuisset ablati, ut inquit Anton. d'Escobar *comment. ad Genes. cap. 2.* Collocato homini in Paradiso facultatem quidem ex summa benevolentia, & liberali ac propensa erga hominem voluntate largitus fuerat, comedendi de omni fructu arborum, quibus hortus ille amœnissimus undique locupletissimus erat; quippe uti tradit Moses *cap. 1: 27.* creationem hominis excepit benedictio, eique Deus cibos omnium herbarum & fructuum permisit, dicendo: *Ecce dedi vobis omnem herbam & omnem arborem in escam.* Quæ verba respondent huic allocutioni: *Ex omni arbore horti comedendo comedes.*

Placuit tamen omnium rerum Creatori & proinde Domino & libero Dispensatori, hanc facultatem homini largitam limitare quodammodo & lege ac interdicto

Præceptum de non comedendo ex Arbo-

re scien-
tiaz boni
& mali,
mere po-
sitivum,
pœna ta-
men &
commi-
natio ne-
cessitas
moralis.

dicto circumscribere, excepit itaque unam arborem in-
ter tot arborum frugiferarum millia, scil. *Arborem*
scientiæ boni & mali, atque præcepit, *ne ex ea come-*
deret, ejusque fructum degustaret, addita pœnali san-
ctiōne: *Nam in qua die tu comederis ex ea, morien-*
do morieris. Cujusmodi præceptum mere erat positi-
vum, ex Dei beneplacito proficiscens; quippe nulla
arbor, nec herba vel fructus per se & natura sua ali-
quid mali contraxerat, cur summus rerum Opifex e-
jus esum prohibuisset mortalibus; omnia enim quæ
creata, erant bona. Nihil proficisci poterat à Crea-
tore infinite perfecto, quod naturæ vitio laboraret,
& proinde usum ejus interdici oporteret. Mere ita-
que positivum & arbitrarium erat hoc præceptum;
pœna tamen & comminatio necessitas erat moralis,
scil. dato præcepto, necessario ejus transgressionem ex-
cipere oportebat pœna, qua afficiendus homo, obse-
quium non præstans, quod summo legislatori Crea-
tori suo, & proinde qui in se summum jus atque emi-
nens dominium habebat, uti in omnes creaturas, de-
bebat. Quippe cum per ejusmodi inobedientiam se pec-
cati reum faceret, Deus autem non possit non odif-
se peccatum, illud quoque prohibere ac pœna dignum
pronunciare debet, atque eadem necessitate ubi com-
missum est, vindicare. Continet enim peccatum mo-
ralem necessitatem puniendi peccatorem. Quamobrem
comminatio atque pœna huic legi adjecta, non arbi-
traria dici potest, ut præceptum arbitrarium dicitur,
verum ex justitia & sanctitate Dei profluebat. Omnes
enim actus, & voluntatis ac naturæ impetus debebant
convenire voluntati divinæ, ex vi domini & supremæ
potestatis,

potestatis, quam in omnes creaturas summus rerum dominus Jehovah habebat. Homo enim cum Dei imagine creatus, non potest non subordinari Deo, & in omnibus subjici; Deusque ipso uti, deque eo, ut creatura sua & opere suis manibus confectio, & in ejusmodi effigiem, qualem præ se fert, formato, facere quicquid sibi placet, & pro arbitrio ac libitu disponere, isti leges ponere, eique regulam & normam præscribere sanctitati & æterno suo decreto consentaneam. Atque ejusmodi convenientia actionum, quæ ab homine proficiuntur, cum voluntate divina, est necessitatis moralis; quippe cum Deus nihil aliud velle possit, quam quod cum justitia & sanctitate sua convenit, adeoque divina voluntas justa, recta, atque sancta sit, ab homine quoque ejusmodi actionum suarum, cum sua voluntate convenientia necessario exposcit, quin, salva reverentia summo Numini debita, semetipsum abnegare videretur. Quamobrem homo donec omnes naturæ impetus & inclinationes, omnesque, quæ ab eo proficiscebantur, actiones, cum Divina voluntate conveniebant, rectus, justus, vitæque integer scelerisque purus, dici potuit. Nec etiam naturam ducem sequens, divinæ imaginis particeps, & juxta innatam sibi rectitudinem vitam ducens, ab ejusmodi rectitudinis & justitiæ tramite deviare poterat, ut id ipsum latius demonstravimus *Dissert. de Orig. jur. nat.* & statim breviter demonstraturi.

Verum antequam hanc disputationem suscipiamus, incidimus hic in quæstionem, de qua Viri eruditi inter se haud conveniunt; scil. an hoc præ-

Præceptum de non comedendo ex

Cccc

ceptum

arbore
scientiæ
boni &
mali, utrum
foli
Adamo
datum,
an vero
simul
eam E-
væ?

ceptum de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali soli Adæ datum sit, an simul etiam Evæ? Controverti autem nequit, quin hoc præceptum utriusque obligationem imposuerit, qua tenebantur abstinere esu hujus arboris; quippe ejusdem obligationis consciam esse testatur ipsa Eva tum serpenti eam seducere volenti, respondendo *de ligno* quod est in medio Paradisi, *præcepit nobis Deus ne comederemus*. Ex ipsa itaque confessione constat, Evam non ignorasse se eodem quoque juris vinculo obstrictam esse hoc præcepto, quo maritus tenebatur abstinere esu istius arboris. Præterquam quod eadem legis pœnæ cum marito subjecta fuerit, atque etiam ob admissum comedendo fructum illius arboris peccatum à Deo reprehensa, cujusmodi pœna fuit sequela inobediendiæ & transgressionis legis sive præcepti à Deo tam ipsi quam marito dati. Quis vero puniri potuisset, si non eodem præcepto fuisset adstricta? Pœna enim nulli, nisi auctori criminis infligi potest, & proinde ei qui lege tenetur, id est, quem lex obligat ad sui obsequium; neminem autem obligare, nisi cui lata est. Si itaque hoc præcepto obligabatur, necesse est id esse impositum; imo vero non sufficit impositum esse, sed etiam denunciatum fuisse oportet. Obligatio enim requirit, ut ipsi innotescat, qui obligari debet. Itaque investigandum nobis incumbit, quomodo hoc præceptum, quo se obstrictam confitetur, innotuerit, & promulgatum sit? De eo potissimum disputatio nostra futura est; maxime hic inspiciendum tempus, quo præceptum ante vel post creationem mulieris; adeoque utriusque simul,

simul, vel primo Adamo datum sit non creata Eva, postea vero per ipsum Adamum, tanquam divinæ voluntatis nuncium Evæ denunciatum indictumque sit? an vero primum Adamo, tum simul ipsi & Evæ lex hæc lata atque sancita fuerit? Augustinus in cap. 17. & lib. 18. de Genesi ad litteram, respondet, dici posse, ea quæ prius gesta narrantur primo capite, nempe creationem masculi & foeminæ, in secundo per recapitulationem plenius & distinctius exprimi. Ipsi tamen magis probari secundum modum de tribus prædictis non obscure significabat, cum inquit, *Deus sciens quod ei (Adamo) facturum erat mulierem, ita præcepit ordinatissime, ut per virum præceptum Domini ad foeminam perveniret, quam disciplinam in Ecclesia servat Apostolus, 1 Cor. 14.* “Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogant.” Qui hanc opinionem amplectuntur, hisce fere argumentis utuntur. Primum deducunt à ferie & ordine Historiæ & narrationis divinæ Scripturæ, à qua recedendum non est absque necessaria ratione. Moses vero, postquam Deum hominem in Paradisum tulisse describit, statim subjicit, datum esse ei hoc præceptum, ubique de homine loquens singulari numero; posthæc autem commemorat generationem Evæ. Concludendum ergo, præceptum datum soli Adamo, nondum condita vel ædificata Eva. Cui etiam accedit, quod prius Adam collocatus fuerit in Paradiso, posteriori vero creata sit Eva, teste Mose. Conveniens autem erat, uti argumentantur, ut statim homo jam incola Paradisi factus, & in possessionem horti amœnissimi

missus, legem ei, quam servaturus erat, imponere; ut quam primum agnosceret Dei in se eminens dominium & summum imperium, cujus se servum profiteri oportebat, & sic ab initio assuesceret divinæ legi obtemperare. Præterquam quod, cum Deus Adamum propter esum vetiti fructus objurgaret, illud ei exprobravit, quod comedisset fructum, à quo abstinere eum jusserat: id autem non dixit Evæ, cum eam increpavit; argumentum, quod ei non datum fuerit præceptum. Hisce accedit, quod si Deus Adamo eodem illo temporis momento, quo in Paradiso collocatus fuit, non interdixisset hujus arboris fructu, fieri potuisset, ut ex ea comedisset; quoniam omnem herbam & fructum in escam sibi jam ab ipso creationis exordio concesserat summus rerum Opifex, quo & serpenti adempta fuisset occasio & opportunitas tentandi hominem; quippe non potuisset ei jam experto effectum ejus arboris persuadere, fore, ut si ejus degustaret fructum, velut quidam Deus sciens bonum & malum existeret. Notandum denique, quod simul utrumque denunciatum est Adæ, & ut non ederet ex arbore scientiæ boni & mali, & ut ederet ex omni arbore Paradisi: verum hoc posterius denunciandum ei fuit ut positus est in Paradiso, propter naturalem indigentiam cibi; ergo & prius illud tunc temporis ei denunciatum est, videlicet priusquam Eva procreata esset. Hæc fere sunt argumenta, quibus hanc sententiam suam tuentur. Verum primum modum, scil. utrique Adamo & Evæ simul datum esse hoc præceptum, nec suis destitutum rationibus ita facile demon-

demonstrari potest. Prima ratio deducitur à responsione Evæ serpenti data, quam notavit Moyses *cap. 3. De fructu arboris in medio horti dixit Deus non comedetis*, &c. Perhibet Deum dixisse *ne comederent*. Ergo audiverat id præcipientem. Ergo præceptum hoc utrique datum fuisse oportet, & proinde condita jam muliere. Nonnulli hic reponunt, mulierem audivisse ex Adamo, ei hoc præceptum denunciante, *dixisse Deum*; atque iisdem verbis respondisse Serpenti nulla mariti mentione facta. Alii Deum post ædificatam mulierem de novo præceptum renovasse & repetiisse volunt. Verum prius non convenit cum responsione mulieris, utpote quæ nullam mariti mentionem facit; vix enim ambigendum, quin si illud accepisset à marito, respondisset, maritum sibi denunciaisse *dixisse Deum*, verum respondet *dixit Deus*, scil. utrique, marito & mihi. Præterquam quod idipsum videretur satis colligi posse ex calliditate & astutia, qua Serpens, sub specie ejus latitans Diabolus, mulierem inducere conatur ad peccandum; quippe cum non ignoraret quomodo præceptum à Deo datum fuerat, scil. utrique tam Adæ quam Evæ, & proinde Evam non adeo se facile inducturum ad peccandum, per legis ipsi datæ inversam & contortam interpretationem, vel ei aliquid addendo, vel detrahendo callidam mutationem, quoniam & promulgationem & verba legis ipsa audiverat, quæ forte directe magis in alium sensum detorquere potuisset, si tantum à marito præceptum accepisset, eique ab eo denunciatum fuisset, qui falli potuisset & fallere; adeoque quasi cum

Cccc 3. minori

minori fiducia eam decipiendi, simplici interrogatione disputationem orditur, & Evam legis sibi datæ consciam interrogat, *itane dixit Deus: non comedetis ex omni arbore horti: pervertens priorem legis partem, scil. ex affirmativa negativam faciens; ad quam interrogationem dubitare ac hæsitare potuisset Eva, si legem auribus suis non accepisset, verum statim cum verba legis teneret, respondet, & quidem absente marito, De fructu arborum horti vescimur. De fructu autem arboris in medio horti &c. dixit Deus: non comedetis ex ea, neque tange- tis eam, ne forte moriamini.* Deum autem post conditam mulierem præceptum quasi renovasse atque repetiisse, eoque modo mulierem id audivisse, ex narratione Moyse non constat. Quemadmodum Icti in jure sine lege loqui, ita in quæstionibus Theologicis Theologi sine auctoritate Sacræ Scripturæ loqui erubescunt. Quod autem seriem & narrationem Sacræ Scripturæ attinet, apparet Mo- sem toto hoc capite arbitraria serie uti, pleraque per ὑστέρωσιν retexendo, ut vidimus, & in his quæ- dam per πρόληψιν recitando, ut in hoc contextu eum facere perspicimus. *Neque cur id fecerit, inquit doctiss. Pareus, obscurum est. Duplici de causa præ- ceptum de esu omnium arborum, & abstinentia unius arboris, collocationi hominis in Paradiso statim atte- xuit Moses, tum quia in eo promittitur homini cul- turæ Paradisi & laboris sui merces, ususfructus to- tius horti, sed limitatus præcepto: tum quia statim docere voluit Moses, hominem non solum ad colendum agrum, sed præcipue ad colendum Deum per obser- vationem*

vationem præcepti in *Paradiso collocatum esse*. Neque obstat quod Moses de homine loquatur nomine singulari, & utatur verbo singulari *comedes*. Perperam enim inde colligitur ante Evam conditam præceptum datum fuisse. Condita fuit ante præceptum, licet efformatio postea narretur. Verum per Enallagen singularem pro plurali posuit; nihilque frequentius esse Viri eruditi annotarunt ejusmodi Enallage verborum singularium pro pluralibus, quam Serpens & Mulier hic facile intellexerunt, ut liquet ex verbis eorum *cap. 3: 1, 2, 3*. Præterquam quod verba, quibus præceptum hoc expressum est, in lectione Græca, quam citat Augustinus, partim habeant numerum singularem, partim pluralem. Sic enim se habent verba, ut ea citat Augustinus: *Ex omni ligno Paradisi comedes; de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: in quacunque enim die comederitis, ex ea morte moriemini*. Uti Græci codices, qui nunc in manibus sunt, etiam habent numerum pluralem in illis verbis, *de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedatis*. Gregor. *lib. 35. moral. cap. 10*. totum hunc locum legit numero plurali, sic eum citans: *Ex omni ligno Paradisi comedite: de ligno autem scientiæ boni & mali ne tetigeritis*. Nec officit, quod hic tantum de solo Adamo sermonem habet Moses, quasi solum Adamum allocutus videatur Deus: dirigitur enim præceptum hoc non solum ad virum tanquam ad caput & principem familiæ, sed etiam ad mulierem, non quidem absentem, sed præsentem & auscultantem. *Ne*, inquit statim Theologus, *si non audivisset ipsamet ex*
Deo

Deo, esset excipiendi locus, marito duntaxat præceptum fuisse datum, aut suspicandi, non Dei, sed tantum mariti esse edictum, si ex hoc tantum audivisset. Ubi addit, nec solidum esse, quod quidam dicit, denotare volens Pererium, propter naturalem cibi indigentiam, ut positus fuerit Adam in Paradiso (quando Eva nondum erat creata,) esum omnium fructuum ei permissum fuisse. Neque enim Adam creatus erat ita famelicus, ut statim à primo creationis momento vacuus latraret venter, instar pullorum gallinaceorum, qui ex testa prodeuntes statim grana requirunt. Hinc itaque colligitur, permissionem omnium fructuum & prohibitionem unius arboris simul denunciatas esse homini. Hæc itaque naturalis & genuina rerum gestarum series est servanda: scil. quod sexto die mundi Deus primo creavit Adamum è limo terræ, eumque deinde in Paradiso, tertio die mundi condito, collocavit; postea ei animalia adduxit, ut illis nomina imponeret, videretque inter illa nullum esse sibi simile, quamobrem ex eo Deus formavit sive ædificavit mulierem, quæ ei esset adjutrix cum ad procreationem, tum etiam ad vitæ necessitates. Tandem facultatem eis largitus est comedendi omnem herbam & omnium arborum fructum, unicâ exceptâ, *scientiæ boni & mali* dictâ. Hæc fuit prima atque unica lex, quæ in statu integro legis nomine venire potest, & vetustissimis mortalium præscripta ad eorundem duntaxat obedientiam explorandam; quippe cum vitæ integri scelerisque puri essent, naturam ducem sequentes, semper ejusdem quasi impetu ferebantur ad

ad agendum quod imagini divinæ, id est, innatæ rectitudini conveniebat, & proinde quod bonum, rectum, honestum & decorum erat; quippe dum imaginis divinæ participes erant, in mente & voluntate erat summa rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obsequium erant compositæ: quamobrem nihil appetebant, quam quod honestum & justum, scil. quod sanctitati divinæ, & omnibus divinis virtutibus, ex quibus leges omnes naturales profluunt, adeoque naturæ suæ integritati consentaneum erat. Quare nulla lege sive naturali sive positiva, qua avocaretur à vitiis metu pœnæ, nec præmiis, quibus ad colendam justitiam excitarentur, opus erat. Ferebantur enim naturali propensione ad colendam justitiam, & abhorrebant à vitiis; ita ut oderint peccare, sive potius declinarint virtutis innato amore. Quamobrem lex illa positiva in Paradiso homini non data fuit, uti dicere incepimus, ad cohibendam ejus malitiam & pronam ad vitia naturam, effrænatasque libidines coercendas, verum, uti diximus, ad explorandam ejus obedientiam: tum etiam, ut hoc interdicto summus legislator significaret, omnia ei collata beneficia fuisse gratis, & à munificentissimo largitore liberaliter concessa, utpote qui aliarum rerum & arborum, sicut hujus usum, poterat interdiceret, uti differit Claud. Frassen, *Disquisit. Bibl. de Parad. terrest.*

q. 3. Huic accedit & altera ratio, cur hoc præceptum primo mortalium Deus dederit, scil. ut ea re declararet se dominum omnium rerum & dispensatorem, qui pro nutu suo & placito bona sua concedit

D d d d

dit

dit & reservat. Tum denique, uti statim annotavimus, ut probaret hominis obsequium & obedientiam, & homo perspiceret, se creaturam & servum esse Dei, cui obedire & obsequi debebat. Unde Chrysostomus, *Περὶ τὸ ξύλον τῆτο ἡ γυμνασία ἦν τῆς ὑπακοῆς καὶ παρακοῆς*, *In hac arbore erat exercitium obedientiæ & inobedientiæ.* Præceptum hoc fuit *δῆγμα placitum* sive imperium *δεσποτικὸν dominicum.* Voluit Deus unico, & ut videtur, facillimæ hujus rei præcepto hominis obedientiam experiri; uno actu obsequium integrum vel probaturo, vel destructuro, & plura peccata tracturo. Non igitur datum est homini præceptum de re, quæ per se & natura sua, id est moraliter mala erat, & proinde etiamsi non esset vetita à Deo, per se tamen mala esset, ac fugienda; sed ea de re, quæ nullam moralem fugiendi necessitatem continebat, quia per se mala non erat, sed ob id tantum, quia à Deo prohibita. Potuisset majus quid & difficilius prohibere vel præcipere Deus. Sicut re difficillima expertus est Abrahamum: verum dedit legem de re nec magna nec difficili, ut facilis esset obedientia, & homo si transgrederetur, omni prætextu vacaret. Quanto autem facilius ejus præcepti observatio fuit, tanto minus ejus violatio excusari potest, graviorique animadversione & supplicio digna. Quamobrem Augustinus *de Civ. Dei lib. 14. cap. 15.* *Quisquis damnationem Adæ vel nimiam vel injustam putat, metiri profecto nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, ubi tanta erat non peccandi facilitas; sicut enim Abrahamæ non immerito magna obedientia prædicatur, quia ut occideret filium,*
res

res difficillima est imperata; ita & in Paradiso tanto major inobedientia fuit, quanto id, quod præceptum est, nullius difficultatis fuit. Ex hisce omnibus perspicimus hoc præceptum, quo prohibuit Deus, ne Adamus comederet fructum arboris illius, mere positivum fuisse; quippe cum non omnia duntaxat quæ creata erant bona, & proinde quoque nec arboris hujus fructu interdixerit Deus, eo quod arbor mala fuerit. Atque etiam hominis natura prona ad faciendum & agendum, quod cum imagine divina, qua ornatus erat, conveniebat, adeoque quod bonum, justum & rectum erat, nullum malum quod vetari debuit, in universa erat rerum natura. Itaque lex hæc dici nequit regula justii & injustii, sive regula & norma obligans ad id quod rectum est, quatenus obligat hominem ad bene agendum, ad faciendum quod justum, & deterrendum ab eo quod injustum est; verum fuit hæc regula & norma Adamo præscripta, qua ejus facultas circa usum earum rerum, quam liberrimam ipsi ab ipso nativitatii, ut ita dicam, sive existentii suæ momento concesserat Deus, limitabatur & circumscribatur, explorandæ hominis obedientii causa. Hanc vero legem unicam in statu integritatis sive innocentii viguisse censeo, alias nec positivas nec naturales, quæ eo sensu, sive in ea significatione; uti legem concipere & definire solemus, nomine legis venire possunt, agnosco. Quamobrem & olim cum juris civilis prudentii addiscendæ operam navarem, & cum ea juris naturalis sive moralis scientiam conjungendam putarem, ex qua jus civile collectum,

D d d d 2

& tan-

& tanquam ex fonte suo derivatum , hujus juris præceptis prius animum imbuisse oportere existimabam ; utpote quæ nobis ad illam veram & simulatam philosophiam , scil. juris civilis prudentiam addiscendam faciliorem-viam pandit , ad utramque quoque disciplinam excolendam animum applicui. Cum autem hisce disciplinis addiscendis sat diu operam navassem , animum induxeram Doctoris in Jure civili gradum ambire , eumque honorem consequi , juxta receptam consuetudinem ac morem Disputationem Inauguralem de *Defensione sui* composuissem , atque in eadem varias quæstiones tam ex jure naturali sive morali , quam civili depromptas tractassem , meæ disputationi , uti moris est , adjeceram inter alia corollarium , quo affirmabam , *Vetustissimos mortalium vitæ integros scelerisque puros, nullas leges naturales habuisse.* Quæ opinio , quamvis haud nova , nec ab orthodoxa fide aliena sit , effugere tamen non potuit quorundam maledicentium fictas calumnias , qui in judicando nimis præcipites , eam tanquam absurdam , imo Pelagianismum redolentem , adeoque à fide orthodoxa maxime alienam , statim damnarunt. Ab ejusmodi probris & malitiosis calumniis , ut famam illasam conservarem , hujus corollarii defensionem suscipiendam duxi ; adeoque calamum arripui , & hanc quæstionem ad rectæ rationis examen vocandam , & paulo altius repetendam existimavi ; itaque prodiit tandem in lucem mea de *Juris naturalis origine Dissertatio* , in qua tanquam brevi quadam tabella primi hominis in statu innocentie degentis beatissimam conditionem , juxta ideam , quam de ea formaveram , depingere suscepi , ut omnibus ,

bus, quorum forte animus perversis quibusdam de me suspicionibus imbutus erat, constaret, meam de illo primorum parentum statu opinionem, neque novitatis perniciosæ, vel alicujus absurditatis, multo minus Pelagianismi notam præ se ferre. Verum cum nullus dubitarem, quin omnibus, quibus erat mens sana, satisfecissem. Ecce interjecto aliquo tempore, novus è cælo cecidit oppugnator strenuus, *Simon Henricus Musæus, in Acad. Kilon. Jur. nat. & gent. Professor*, qui contra Dissertationem meam *suas vindicias Juris naturæ Paradisei* in publicum protrudit. Cujus vindiciis defensionem meæ Dissertationis opponere haud diu moras nexi. Veniam spero mihi lectorum daturum, quod hanc quæstionem silentio hic præterire non possum; quippe cum paucorum forte in manus venerint hæ meæ Dissertationes, & proinde contingere posset, ut primo intuitu quidam hæc meas dissertationes inspicientes & in hanc positionem incidentes eam damnarent, necessarium duxi, hanc positionem meam hic etiam breviter examinare, & ab omnibus calumniis & probris vindicare: quamobrem quædam repetemus tantum argumenta & rationes, quibus eam adstruere elaboravimus.

Dixi me in statu integro nullas leges naturæ vel etiam positivam agnoscere, excepta lege positiva, qua interdixit Deus esu arboris scientiæ boni & mali. Haud me fugit sacrarum litterarum peritos atque Doctores statuere, Adamo hanc specialem legem positivam datam esse præter legem naturalem, quam Deus cunctis hominibus simul cum ipsa natura ingeneravit; adeoque nunquam homo potuerit esse exlex, verum ab

Ventilissimi
mortalium
vitiæ integri
scelerisque
puri, an
leges naturales
habuerint?

ipsis natalibus legibus naturæ devinctum & alligatum esse. Quod post lapsum verissimum, verum in statu integro sive innocentiae haud statuendum puto, sumpto legis naturæ vocabulo eo sensu, quo significat dictatum sive dictamen rationis, præcipiens justa & honesta, prohibens mala & turpia; vel quatenus significat regulam & normam actionum moralium obligantem ad id, quod rectum, cujusmodi obligatio faciendi id quod rectum est, etiam dicitur fugiendum quod turpe & indecorum ac injustum est, & proinde nihil aliud est quam dictatum rationis, quod proficiscitur ex contentione unius objecti cum altero, ut utriusque qualitate & natura bene cognita, discernere possimus quid malum, quid bonum, & proinde quid faciendum quid fugiendum. Objecta hic voco animi inclinationes vel desideria, quæ in actum deducere & exequi quis cupit, quæ antequam exequuntur, à ratione examinantur & ponderantur, an bona & justa, an mala & injusta sint, cujusmodi præviam cognitionem dictamen rationis excipit; hominem docens, quid facere, quid declinare & omittere debet. Quid verò bonum & justum, turpe & malum, apparet ex convenientia vel disconvenientia cum innatis justis & decori principiis, ex ejusmodi itaque facta collatione, procedit mentis sive rationis dictamen, hominem ad faciendum quod bonum & justum, & omittendum quod malum & turpe est, obligans. Hisce præmissis ad ipsam quæstionem examinandam procedimus, scilicet an homo in statu integro sive innocentiae vitam transegerit juxta ejusmodi dictamen rationis, vel duce naturam & intellectus rectitudinem pro norma & regula agendi habuerit: incorruptam

ptam enim naturam sequens haud deflectere poterat ab eo quod justum & rectum dicitur ratio, sive quod cum justis & decori sibi innatis principiis conveniebat. Quippe imaginis divinae particeps, habuit quoque in se omnium illarum virtutum semina & principia, quantum earum natura humana capax erat, quae in Creatore suo, cujus ad imaginem conditus erat, in summo perfectionis gradu concurrebant, ut ita dicam, & tanquam ex fonte suo quasi profluentes humanae naturae communicatae, eique innatae atque infixae sunt ex summa Creatoris benevolentia erga creaturam rationalem. Quidquid enim post lapsum ex oppositione vitii cum ejus contrario, tanquam virtutem concipimus, in Adamo nihil aliud denotat, quam illam incorruptam sanctae naturae suae inclinationem spontaneam, ad obsequendum naturae duci, quam sequens nunquam deviare poterat à justitiae tramite, & proinde naturae quasi impetu ferebatur ad praestanda ea officia, quae tum Creatori suo, tum proximo, tum sibi praestare devinctus erat, quaeque nobis per rectae rationis dictamen hac appellatione innotescunt. Itaque simplicis, id est, ab omni vitii labe puri, & proinde ejus quoque inexpertis naturae ductum & cursum sequens, semper in illud, quod rectum & justum, virtuti ac honestati consentaneum erat, tanquam unicum scopum collimabat, quamobrem nunquam poterat deflectere à recto tramite & simplicitate, id est, naturali impetu sibi innato. Hoc sensu status primævus, status innocentiae vocatur, quia non tam virtutis, quatenus opponitur vitio, & ex ejusmodi oppositione natura & qualitas à vitio discerni potest, & proinde

proinde cui inhæret necessitas quædam moralis, qua obligamur eam colere in totius vitæ cursu, obtinebat cognitio, quam ignoratio vitiorum, à quibus natura incorrupta abhorrebat, non metu pœnæ, sed naturali ad honestatem colendam impetu. Quamobrem Vir Amplissimus Lambertus Velthusius de princip. justî & decori, *Adamus non sub ratione boni, equi & honesti, & ut hæc malo, iniquo & inhonesto opposita sunt, cognoscebat & sectabatur virtutem: sed, sequens sanctæ naturæ suæ impetum, & eo pergens, quo eum sancta natura ducebat, virtutem colebat.* Quo sensu apud Macrobius, *Prima inter homines mali nescia & astutiæ inexperta simplicitas.* Hinc Tacitus, *Vetustissimi mortalium, nulla adhuc mala libidine, sine probro, scelere, eoque sine pœna aut coercitionibus agebant.* Erat illis, ut de Scythiis testatur Justinus, magis ignoratio vitiorum, quam cognitio virtutis. Quamobrem & justitia ingeniis culta, non legibus. Quippe vitæ integri scelerisque puri

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant;

uti canit Ovidius. Innocentiæ itaque primorum parentum statum vocamus, quia ab eo exulabant vitia & pravæ cupidines, quæ sua debent incunabula boni & mali scientiam & cognitionem sibi acquirendi illicitæ hominum cupiditati. Quod non eo sensu à nobis dicitur, quasi boni cognitio esset vitiorum mater, eaque per se illicita, & proinde in vitiis ponenda, neutiquam sane; verum quia comparare eam vix possumus, uti statim annotavimus, sine scientia mali; quoniam ex comparatione & contentione contrariorum, utriusque

utriusque elucescit natura & qualitas, & eatenus illicita & vitiis annumeranda, quia per illicitum quid comparata. Non in cognitione boni & mali consistebat hominis felicitas, sed in ignorantione vitiorum, id est, mali inexperta hominis simplicitate & natura ea quærenda. Ignorabat vitia, quia intellectui & voluntati inerat summa rectitudo, divinæ imaginis, ad quam conditus erat, certissima nota, & necessaria ac assidua comes. Ea autem non in cognitione boni & mali consistebat, sed in perfecta illa animi dispositione naturali, qua ad virtutem colendam ferebatur, quam semper sequens, appetebat, quæ imagini divinæ, id est, naturæ integritati conveniebant, & proinde placebant Deo, Creatori suo. Quamobrem nec anxius nec sollicitus erat, ne, sequens naturam ducem, erraret ac devia- ret à recto tramite, & deflecteret ad vitia: quippe mali expers nihil intus erat, quod eam sollicitudinem parere posset, unde non opus erat mentis discursum adhibere ad discernenda objecta, quæ appetebat, num bona vel mala essent, ne peccaret vel appetitu vel actu, animi inclinationem sequens. Vix enim potuisset deflectere ab eo, quod morali necessitate bonum rectumque erat, quia conveniens divinæ imagini, naturalem ac simplicem cursum tenens, id est, bene dispositam voluntatem atque inclinationem sequens, operabatur. Naturalem autem ac simplicem cursum si tenuisset, neque ad dextram neque ad sinistram deflexisset, recta atque regia via properasset ad metam, à fronte sibi propositam, id est, æternam vitæ beatitudinem. Huc referendum

E e e e

illud

illud Apostoli effatum ad *Philipp. cap. 3.* *Unum illud ago, ea quidem, quæ à tergo sunt, obliviscens, ad ea vero quæ à fronte sunt, euitens, juxta præfixum signum insequor ad palmam supervocationis Dei per Christum Jesum.* Quemadmodum linea recta est simplicissima, ita quoque rectissima & proxima ad assequendum scopum & finem propositum, cui insistens, à fine aberrari nequit. Est hæc Metaphora sumpta à cursoribus, qui cursu certabant olim in stadio, & magno impetu tendebant sive currebant ad metam, ut, ea primum arrepta, præmium adipiscerentur, vincenti à judice dandum. Quamobrem non quærent devia nec viarum anfractus, sed versus viam simplicem, id est, rectam ad metam properant, ut eam primum attingat. Meta, homini in vitæ cursu proposita, erat conservatio divinæ imaginis, ad quam formatus erat, quæ consistebat, uti dicere incepimus, in convenientia suarum actionum cum rectitudine illa menti & voluntati innata, ad quam ferebatur naturali quadam inclinatione & impetu. Nam, ut inquit Calvinus, *lib. 1. cap. 15, instit. In mente & voluntate summa erat rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obsequium erant compositæ, ita ut quicquid vellet Deus, vellet etiam mens; quippe illa ad obediendum inclinatio naturalis erat ei innata, ideoque in intellectu dicitur fuisse summa rectitudo.* Ad quem finem properabat procedendo simpliciter, sequendo motum naturalem juxta lineam rectam ac simplicem, verum ubi motus iste naturalis, quo recta ac regia via tendebat ad finem, per extrinsecum vel peregrinum motum, ut ita dicam,

cam, à peregrina causa originem trahentem, in alium finem determinatus est, statim admisit peccatum, quia recedendo ac deviando à regia via, continuo contrariis motibus à linea recta & simplici, qua ad finem properabat, quasi in circulares lineas ferebatur, quæ eum magis magisque à recto fine & scopo seducebant. Quippe peccatum Hebræis vulgo dicitur **פגשׁת**, quod denotat deflexionem à scopo; & solet attribui funditoribus & sagittariis, qui scopum haud assequi valent; adeoque non perperam refertur ad peccatum, dicique potest deflexio & aberratio à scopo, nobis in creatione & postea in lege proposito. Huc videtur respicere Cicero, dum dicit *peccare esse tanquam lineas transilire*, *Parad.* 3. Fr. Jun. de peccato primi hominis *cap. 2.* dicit *peccare*, quasi *pecicare vel pecucare*, pecudis modo lineas transilire, quas Deus & natura homini circumposuerunt, ex quo etiam veteres *pecudium & pecudiarium* τὸν προαίτια, hominem præcipitem, qui pecudis more extra ordinem lineasque ejus se infert temere appellarunt. Sic Adamus lineas sanctæ suæ naturæ, intra quas vitam ducere debuisset, transiit, devia sibi quærendo aberrandoque ab inclinatione ad bonum, secutus est consilia Serpentis. A recta autem via semel cum deviasset, statim variis inordinatis motibus & cupiditatibus huc illuc jactabatur, & pravis inclinationibus hinc inde distrahebatur, & deplorabilis rerum eventus illum docuit, summo cum generis humani detrimento, bonum, cujus jacturam fecerat, & malum, quod incurrerat. Itaque ex eventu perspiciebat, quid bonum, quid

E e e 2 malum

malum erat, & ipso usu intellexit, quanto felicitatis fastigio excussus, tandemque, in quanta miserix abyſſo versaretur, agnovit, ut inquit Fr. Burmannus *Synops. lib. 2. cap. 5. §. 3.* Comparaverat jam, proh dolor, non absque suo duntaxat, sed universi generis humani irreparabili dãmno, sibi scientiam boni malique; omnia jam noverat, quæ bona quæ mala erant; nec erat tum parvus & simplex sive innocens, ut ante, verum boni & mali scientiam sibi comparaverat, quam postea Ironice ipsi exprobrat Jehovah. Ea fuit in causa, ut se ad varias applicaret artes, quibus animum, pravis cupiditatibus agitatum corruptumque exsatiare posset suum, non contentus jam vesci cibus nullo cogente creatis, nec antro habitare, sibi invenit artes, quibus malis compositis desideriis satisfaceret. Unde colendi terram, dimovendi glebam aratro ad producendos fructus, quos ante per se dabat tellus, boni malique scientiam necessitas excipiebat. Quippe ut canit Poëta de aurea ætate sive statu innocentix,

*Ipsa quoque immunis, raſtroque intacta nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus,*

nulla laboriosa vel molesta hominis cura aut cultura accedente: verum innocentia cum cognitione boni malique commutata

*Semina tum primis longis Cerealia sulcis
Obruta sunt, pressique jugo genuere juvenci.*

Jam

Jam in sudore vultus victum quærendi & vitæ necessaria comparandi sibi incumbere necessitas. Ex-uti itaque simplicitate atque innocentia vetustissimi mortalium, simul etiam à simplici vitæ transigendâ ratione recefferunt, & quæsiuerunt sibi cogitationes multas, testimonium corrupti cordis humani post lapsum. Quamobrem sapientia florentissimus Rex Salomon: *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, sed sibi quæsiuerunt multas cogitationes. Fecit rectum, id est, simplicem, sincerum, innocentem, cum naturali rectitudine animi; omnis mali fecit inexpertem & ignarum, paucis contentum. Unde Cicero, quod verum, simplex, sincerumque est, id hominis naturæ esse aptissimum, ait, scilicet naturæ rationali, siue innatis honesti & decori principii, divinæ imaginis reliquiis. Simplex dicitur creatus, quia perfectus sine vitiis, ac nullius peccati macula vel labe contaminatus, & proinde nullis pravis cupiditatibus agitatus fuit: nam ubi vitiorum ignoratio, ibi nec pravæ tentationes vel cupiditates, verum integram & incorruptam naturam ducem pro regula & norma agendorum habebat, atque eam sequens virtutem colebat, & justitiæ originariæ consentaneas formabat actiones, propter voluntatis & intellectus rectitudinem, in cujusmodi rectitudine & originali justitia atque sanctitate protoplastorum poni debet summa felicitas ac beatitudo, in qua vitam ducebant, Paradisi incolæ. Illa convenientia actionum suarum cum justitia & rectitudine unicus sibi scopus erat, in quem collimabat unica sollicitudo, cæteris affluentibus rebus, quæ*

E e e 3 ad

ad vitam tuendam erant necessariæ. Quamobrem nec ideo homo miser est dicendus, quod scientiam boni & mali secum non attulit in mundum proveniens, sed miser, quod semetipse primæva simplicitate & innocentia exiit, ut deplorando eventu experiretur & cognosceret utriusque naturam, deflectendo à simplici & recto tramite, & devia quærendo. *Quid nocebit, inquit Plutarchus, si ablati malis, nulla erit prudentia, pro ea autem aliam habeamus virtutem, quæ non bonorum ac malorum, sed solorum bonorum sit scientia.* Unde dicere ausus Euripides,

Ἐντῶ μαθεῖν γὰρ εἶδεν ἠδιστὸ βίῃ
 Ἐἰς τὸ χαίρειν καὶ τὸ λωπεῖσθαι μάθης,

*Nihil discendo, suavissime transigitur vita,
 Donec gaudere ac dolere discas.*

Huc quoque pertinet quæ habet Cicero *de Nat. Deor. cap. 38.* cum ait, *Prudentiam constare ex scientia rerum malarum ac bonarum. Cui mali nihil est, nihil opus delectu bonorum & malorum.* Velim tamen, quamvis statuamus homines vetustissimos simplices ac innocentes fuisse, id est, eorum mentem non fuisse imbutam cognitione boni malique, ne quis sibi persuadeat propterea me Socinianorum opinioni subscribere, qui statuunt simplicem primum hominem factum, instar infantis, non vero sanctum aut justum, ut satis cuique constare possit ex iis, quæ disputavimus *de Statu innocentie.* Hanc opinionem I. *Dissert.* refutavimus. Statuebat olim Pelagius,

lagius, hominem in statu integro adeo puræ fuisse naturæ, ut nec bonus, nec malus, nec sapiens, nec insipiens fuerit, quasi fuisset tabula rasa, cui nihil inscriptum, sed cui omnia possunt inscribi, & quod iustitia, quam habuit, ei non fuerit naturalis, sed supernaturalis, quæ ipsi ut frænum superaddita, cum naturaliter concupiscentia laboraret, quæ cohibita fuit supernaturali isto dono; qua opinione nihil absurdus fingi, & æternæ veritati & per rationem & in Sacra Scriptura revelatæ magis oppositum excogitari potest. Creavit Deus hominem rectum, simplicem, scilicet iustum & sanctum, nullis vitiis contaminatum, vel pravis cupiditatibus agitatam, adeoque mali nescius & ignarus erat: natura vero propensum ad id, quod naturæ integritati, & innatæ menti ac voluntatis rectitudini erat conveniens. Quemadmodum vero intellectus proprium est ideas rerum, quæ ipsi repræsentantur, percipere; ita voluntatis proprium est appetere ea, quæ ab intellectu sibi offeruntur: atqui ut intellectus nunquam sine perceptione alicujus objecti, sive interni sive externi; ita voluntas nunquam absque appetitu & desiderio concipi potest; quamobrem vel in bonum vel in malum ferri debet, prout objectum intellectui repræsentatum, visum fuerit improbandum vel approbandum: divinior quippe ei ingenitus vigor cum non permitit penitus torpere nihil agendo, ita ut esset extra vitia virtutesque ex æquo; in utrorumque vero veluti confinio degere, creaturæ ratione præditæ prorsus impossibile est. Appetitum vero mali habere non poterat; quoniam purissimi, ut ita dicam, & sanctissimi

fimi Creatoris sui recens formatus, ejusque imaginis particeps, defectu nullo laborare poterat; nec sine ejusmodi perfectione vel rectitudine Deus hominem creare, nec hic sine ea existere poterat, cum alioquin sine suo, ad quem conditus erat, videlicet Deo suo fruendum, inque eo gaudendum, excidisset ac destitutus fuisset, nec opus ad Dei gloriam & tali conditore dignum fuisset, imo vitium esset in Deo, æque ac fabro vitium foret, si ferrum caderet cum rubigine, inquit sæpius laudatus Theologus Franc. Burmannus *Synops. lib. 2. cap. 1.* Mentem insuper, summa sapientia præditam Deus ipsi largitus fuerat, quam collocandam statuimus in perfecta Creatoris sui cognitione & amore, eamque eoque extendunt quidam, ut ejus vi in SS. Trinitatis mysterium penetrasse censeant. Cujus porro non leve argumentum, quod omnium animalium veluti censu instituto, singulis nomina, naturæ ipsorum convenientissima, imposuerit, quod finem suum perfectissime noverit, de mediis ei assequendo idoneis, optime judicaverit. Quæ omnia belle prædicat doctissimus Theologus, & dum viveret, Orator sacer facundissimus Herm. Witfius *Oeconom. fæder. lib. 1. cap. 2.* cum inquit: *Homo igitur à manu Creatoris sui recens, mentem divina luce illustratam, nitidissimæque sapientia exornatam, habebat, qua non modo naturæ rerum creaturarum callentissimus erat, sed & in supremæ increatæ veritatis contemplatione se oblectabat, oculis intellectus ad Dei sui perfectiones jugiter conversis, ex quarum consideratione, quid justum æquumque, quid se & Deo suo dignum esset, prudentissima*

dentissima ratiocinatione colligebat. Accedebat purissima voluntatis sanctitas in Deo, ut summa veritate, acquiescentis. Et paulo post: Hanc comitabatur ordinatio totius corporis temperies, cujus omnia membra, uti arma justitiæ, ad castæ voluntatis nuntum prompta sese expeditaque sistebant. Et pergit: Quæ de primi hominis sapientia mox disserui, illam eousque extendi debere arbitror, ut ipsum Trinitatis mysterium in innocentie statu incognitum illi non fuerit. Quando itaque statuo, hominum vetustissimum rectum, simplicem, & innocentem, ignarum boni & mali fuisse, non Pelagianorum vel Socinianorum castra sequor, ut nonnulli umbratici Theologiæ Doctorculi hanc notam mihi inurere voluere; verum hisce verbis nihil aliud significare volui, quam primos homines in statu innocentie nullam boni & mali habuisse scientiam, quatenus ex hisce juxta se invicem positis elucescit, quid bonum quid malum sit, cum utriusque natura ex ejusmodi oppositione perspicitur. Opponi autem sibi invicem nequeunt, nisi existant, non quidem positive, sed etiam private. Quod vero in statu primævo & integro, quem statum innocentie appellare solemus, nihil mali existere potuerit, vel ex eo patet, quia homo, uti cætera omnia individua, perfectus ad Dei imaginem conditus, non potuerit aliquo defectu laborare; quippe omnis defectus est privatio perfectionis; atqui omne malum est defectus, vel absentia, sive privatio alicujus boni, quod adesse deberet, antequam perfecta res dici posset. Ex quibus præmissis concludimus, in statu integro, ubi omnia

F f f f

homi-

hominis desideria, omnes voluntatis appetitus, & naturæ impetus respondebant naturæ rectitudini, nullam hominem mali ideam formare potuisse, & proinde legem sibi dictasse præcipientem bona & iusta facienda, mala & turpia ac inhonesta vitanda ac fugienda. Atque hoc sensu dicimus malitia Adamum infantem, prudentia vero & sapientia adultum fuisse, ut inquit Paulus 1 *Epist. ad Corinth. cap. 14. comment. 20.* Hisce enim addixit Deus regnum cælorum, summæ beatitudinis usuram, qui finis erat status Adami, ut ita dicam, puerilis, quoad ignorantem boni ac mali, quatenus legis naturæ objecta sunt, in cæteris vero virilis & adulti. Postquam vero statu innocentis sive simplicitatis excidit, simul semetipse exiit iustitia originali, & rectitudine intellectus ac voluntatis, & facultatem moderandi omnes naturæ inclinationes & actiones, ne deviant à fine & scopo, perdidit. Unicus autem scopus sibi erat propositus, scilicet cultus Dei sui creatoris, ejusque celebrandæ gloriæ amore & assidua diligentia tenebatur; quem, ut creatorem rerum visibilium & invisibilium, venerabatur, & imperturbato amore prosequabatur ut summum bonum, & auctorem ac fontem summæ voluptatis, quam intus experiebatur ex conscientis tranquillitate, ex suavissima cum Deo unitate, ex arctissima consuetudine & communione profluentem, & animum nullius mali sibi conscium, continuo recreantem & refocillantem. Quoniam Deo placebat eximium hoc opus, utpote ad sui conditum imaginem, sua quoque benevolentia amplectebatur, quam solam mereri,

reri, eaque sese dignos gerere unice vita integri scelerisque puri, elaborabant Protoplasti. Cætera, quæ ad corpus vitamque tuendam pertinebant bona juxta habentes, de iis non admodum solliciti, utpote quæ voluptas vix comparari poterat cum illa, quam intus sentiebant ex conscientiæ tranquillitate. Imo non aliam videntur ex illis voluptatem ac jucunditatem percepisse, nisi quatenus illa bona, tanquam divinæ summæ erga se benevolentiæ testimonium accipientes, eo magis magisque excitarentur ad deprædicandam, ob tantam rerum omnium sibi largitam affluentiam, Creatoris infinitam gratiam & propensam voluntatem ex toto corde & omnibus viribus, naturali quodam ac tenerrimo desiderio & impetu impulsæ. Quamobrem nihil ipsis optabilius, nihil jucundius, quam, naturam ducem sequentes, continuo properare ad finem beatitudinis sibi propositæ, cui desiderio satisfaciendo inserviebant omnes animi motus & naturæ impetus, à quo nullæ prævæ inclinationes vel illicitæ cupiditates aut cogitationes eos avocabant. Verum uti dicere incipimus, postquam finem, ad quem properabant, & recta sive regia via & simplici quodam cursu tendebant, deseruere, quærendo sibi devia, aliarumque viarum anfractus, plures sibi fines & scopos constituerunt, & non contenti scientiæ summæ boni, sibi voluerunt deplorando rerum usu indagatorem sive cognitionem mali acquirere. Unde dicuntur sibi quæsisisse ratiocinia multa. Hinc ad varias excolendas artes sese applicuerunt, non adeo ad sublevandam indigentiam & necessitatem, quam ad opes

augendas , vel potentiam acquirendam ; unde bella , cædes , rapinæ , aliaque id genus mala interjecto tempore in humanum genus grassata fuère. Huc referenda videntur quæ in hunc locum commentatus est Pineda , cum inquit : *Reſtitudo hoc loco eſt quædam ſimplicitas naturæ , paucis contentæ , nihil falſum , nihil fucatum , ſuperfluumque concupiſcentis , omnia vero ſimplicia , ſincera & recta amantiſ. Non inepte in hunc locum convenire videntur , Deum feciſſe hominem rectum , ſimplicem , candidum , non ſolum in ſua creatione & innocentie ſtatu , ſed primo illo ſeculo ſimpliciter & candide viventem , nullis vitæ ambagibus , nullis cogitationum involucriſ , nullis verborum fucis aut ſimulationibus agentem , à qua vitæ ſimplicitate deſciverunt poſteri , mille cupiditatibus atque vitæ diſpendiis aberrantes.* Hæc rationes breviter hic repetere nobis placuit , ut cuique conſtare poſſet , opinionem , quam tuemur , nec plane novam eſſe , ſed ab aliis Viris eruditis , & Orthodoxæ religioni additiſ , eam nos accepiſſe , nec etiam Pelagianiſmum aut Socinianiſmum redolere , ut quidam impoſtores , quibus maledicendi ſumma licentia , olim in vulgus diſſeminarunt. Verum , ut omnem ejuſmodi ſuſpicionem à nobis removeamus , adverſarii Simonis Henrici Muſæi argumenta , quibus oppugnare noſtram Theſin voluit , hic examinare nobis quidem incumberet ; verum cum hoc olim in peculiari Diſſertatione , cui titulum , ſupra à nobis annotatum , inſcripſimus , factum eſt , hic iterum repetere nobis tædium pareret ; quamobrem eam hiſce Diſſertationibus annectere nobis placuit , ut omnes , quorum

rum

rum fortasse in manus hæ Dissertationes inciderent, simul perspicere possent, quam lubrico nitantur fundamento *vindiciæ juris Paradisiaci*, quas statim allegatus auctor, Dissertationi nostræ *de juris naturæ origine*, olim opposuit.

Quemadmodum vero nullas proprie dictas leges naturales Adamum habuisse censemus, ita quoque statuimus, unicum hoc tantum præceptum positivum Deum ipsi imposuisse arbitramur. Quippe quod attinet præceptum Sabbathi, quod nonnulli homini primo quoque datum perurgent, nusquam patent in Sacro Codice istiusmodi legum de observatione Sabbathi vestigia, quæ primævis hominibus in statu innocentiz latæ fuerint. Quippe quæ hic superiore capite à Mose traduntur de sanctificatione Sabbathi, cur non dicta esse statuamus per anticipationem, atque non respicere hic Moysen primum illum mundi nascentis Sabbathum, primævis hominibus in Paradiso à Deo impositum, instar legis positivæ de non comedendo fructum arboris vetitæ, sed statum & tempus, quo Deus Israëlitis in peculiarem populum sibi adscitis, leges dedit promulgavitque tam morales & forenses, quam ceremoniales, eorumque Rempublicam peculiaribus fundavit legibus, quibus & à cæteris gentibus, verum Deum non venerantibus, segregavit. Non inficior sanctificationem Sabbathi continere moralem necessitatem, qua tenemur certo tempore cultui & sacris rebus peragendis vacare; verum frustra Adamo ejusmodi præceptum fuisset datum in statu innocentiz. Quippe cum naturali quodam naturæ impetu & desiderio ad Deum colendum continuo ferebatur, super-

Legis, de observatione Sabbathi primo homini datæ, nullum in S. Codice vestigium.

vacuum fuisset homini præscribere unicum aliquem diem ad vacandum Deo & rebus divinis, quippe si in hoc statu perstitissent vetustissimi mortalium toto suo vitæ tempore, non per septem dierum intervalla rebus divinis peragendis operam dedissent; nec futurum fuisset aliquid, quod hominem avocasset à contemplatione & cultu divino. Præterquam, ut annotarunt Viri eruditi, quod præceptum de vacando à labore & opere servili supervacuum fuisset in statu illo hominis felicissimo, in quo nihil erat, quod homini laborem & molestiam afferret. Huic addunt, si ab Adamo perpetua fuisset hujus præcepti traditio, & saltem apud Viros erga Deum pietate celebres observatio, cum Moyses promulgando legem, præceptum hoc annuntiasset Judæis, haud dubie antiquitatem ejus & religiosam observationem apud eorum majores commemorasset, quo facilius populum adigeret, ut hoc præceptum diligenter sancteque custodiret, & ad ejus observantiam magis devinciret. Quemadmodum vero legis virtus est non duntaxat imperare & vetare, sed etiam punire, summus quoque Legislatores, pœnali sanctione legem suam munivit, ut metu & formidine pœnæ magis commoveret hominem ad observandam legem sibi latam. Addidit itaque minas terroremque, cum inquit, *Nam in die, ex qua tæ comederis, moriendo morieris.* Pœna mors statuitur certissima & miserrima; hoc enim vult Hebraismus *moriendo morieris*, id est, necessario, ne tibi persuadeas, ullam spem veniæ reliquam fore. Uti dictum & sancitum, ita exequendum. Ne itaque tibi promittas peccati admissi veniam me daturum. Hæc sanctio legi adjecta
pura

pura est, nulla conditione modificata. Quam cito itaque peccaveris, in pœnam incurres legi adjectam, id est, *moriendo morieris*, sive uti diximus, mortis certæ sententiam & necessitatem incurres. Unde Symmachus vertit *θνητὸς ἔσῃ*, id est, *mortalis eris*, vitam post longam annorum seriem protractam, tandem cum morte commutandi necessitatem tibi imponet inobedientia & legis transgressio. Omne mortis genus hic denotatur, & quicquid hoc vocabulo comprehendere potest intelligitur. Cuncta namque corporalia seu temporalia incommoda, morbi, mors, labores ab infecto peccati fonte emanant. Diximus omnis generis mortem hic intelligi; adeoque corporalem & spiritualem, per quam anima peccando separatur à Deo, qui ei per gratiam suam spiritualem & divinam vitam donabat, & æternam *Rom. 6: 23. I Cor. 15: 21. Joh. 8. 51. Joh. 3: 14. 5: 16.* Augustinus quatuor enumerat mortes, I. Animæ, cum privatur Deo. II. Corporis, cum privatur anima. III. Rursus Animæ, cum & à Deo & à corpore separata, punitur. IV. Novissimam totius hominis, cum anima sine Deo cum corpore æternas pœnas luet. Hanc ultimam vocat *mortem secundam*, de qua *Apocalyps. 20.* Terriam vocat primam, ex duabus prioribus constantem. Hæc omnes mortes Deum homini interminari statuit. Non me fugit, multos & nobiles scriptores censuisse, non mortem corporis, sed animæ duntaxat esse significatam. Hanc opinionem Philo amplectitur, sed dissimiliter ab aliis, & quidem Philosophicè mortem animæ appellans corruptionem virtutis & assumptionem vitii in anima, quam solam statuit esse peccati pœnam

in

in homine : & hæcenus vocat mortem pœnalem ; quam Deus hic minatur , sed absque maledictione & cruciatu æterno. Huic etiam opinioni , sed alio sensu , subscribit Eucherius *lib. 1. comment. in Gen.* uti quoque Eugub. *in annotat. in Pentateuchum* , scribens , *peccatum Adæ non corporis , sed animæ duntaxat mortem attulisse* ; hanc tamen sententiam suam , postquam intellexisset adversari doctrinæ Ecclesiasticæ , in sua Cosmopœja mutasse tradit Pererius. Alii contra mortem corporalem hic intelligendam volunt , quandoquidem anima , spiritus immortalis , mori non potest. Et Deus ipse postea interpretatur de morte corporis , cum dicit homini *cap. 3: 19. Reverteris in terram ex qua sumptus es.* Hanc sententiam tuebantur olim Sadducæi & Epicuræorum sectæ addicti. Chrysof. *comment. ad Philipp. cap. 1: 3.* dicit , *uti vitæ nomen multas admittit significationes , ita quoque & mortis nomen. Quemadmodum autem vita est corporis , vita peccati , vita æterna immortalis , vita naturalis : tot etiam modis mors dicitur.*

Mors ,
primis
Parenti-
bus inter-
minata,
qua in re
consiste-
bat.

Per mortem itaque intelligimus tam corporalem quam spiritualem , quippe , uti dicere incepimus , phrasim ipsa in Scriptura , *moriendo morieris* , de quavis morte usurpari solet. De corporali *Genes. 26: 11. Exod. 21: 16.* & sic fere in omnibus sanctionibus pœnarum civilium *Jud. 13: 22. 2 Sam. 1: 12.* de spiritali & corporali simul *Ezech. 31: 8.* de utraque etiam hic phrasim intelligenda. Verum quæri etiam solet , cum Adam propter peccatum non in solam corporis mortem incurrerit , sed aliis quamplurimis incommodis & corporis malis , cum quibus quotidie conflicta-

conflictamur, cur Deus in tradendo hoc præcepto, solam mortis corporalis mentionem fecerit, silentio præteritis tot tantisque aliis malis, quibus violato illo præcepto non duntaxat Adamus, sed & omnes ejus posterii obnoxii facti sunt. Et cur Deus non sit comminatus Adæ poenas inferni? Respondet Hugo Robinsonius *Annal. mundi lib. 1. §. 48. Mortem solummodo & eam corporis, comminatur Deus; etsi poenæ in hac vita consecutæ sint plures, æternæ in futura. Mors enim (quod ipsi animadverterunt Philosophi, Arist. Ethic. 3. 6.) maxime omnium malorum est formidabilis, & quasi terminus ad quem alia tendunt omnia. Et maluit Deus imprimis eam poenam proponere, quam erant omnes necessario subituri, si Adamus peccaret; quam infernum animæque mortem denunciare, quæ resipiscentia & fide declinare potuit. Denique, pergit, ut S. monet Augustinus de Civ. Dei 3. 23. expressas fere nullibi reperias in veteri Testamento, vel æternæ mortis, vel suppliciorum apud inferos comminationem, vel æternæ vitæ gaudiorumque promissiones in cælo. Hæc nonnisi à Christo aperte clareque demonstranda erant in Evangelio. Quamquam æternæ vitæ, quam erant homines victuri obsequentes Deo, ex antithesi subobscurè mors æterna respondeat, nisi morte sua subveniret perituris Christus. Verba Augustini hic describam lib. 13. de Civ. Dei cap. 23. Propterea, inquit, comminatus est Deus Adamo mortem; de secunda morte nihil dixit, quia occultam esse voluit, propter dispensationem novi Testamenti, ubi secunda mors apertissime declaratur, ut prius ista mors prima, quæ*

G g g g

com-

communis est omnibus, proderetur ex illo venisse peccato, quod in uno commune factum est omnibus: mors vero secunda non utique communis est omnibus, propter eos, qui secundum propositum vocati sunt sancti, quos ante præscivit & prædestinavit, sicut ait Apostolus, conformes fieri imaginis filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus, quos à secunda morte per Mediatorem Dei gratia liberavit. Verum quomodo veritas sua divinæ constat comminationi, arbori isti additæ: dixerat enim Deus, quocunque die comederis de arbore scientiæ boni & mali, morte morieris. Constat enim Adamum per tot secula vitam prorogasse, ut annos ætatis absolverit 930. Gen. 5: 5. Sunt, qui existimant, divinam hanc comminationem accipiendam non de morte corporali, sed solum de spiritali, sive amissione gratiæ & imaginis divinæ, in qua spiritalis hominis vita consistebat. Verum hanc opinionem suo fundamento destitutam, jam annotavimus. Alii opinantur, verba illa Dei non continere sententiam definitivam, sed comminatoriam; quam non est necesse impleri, aut certe secundum rigorem impleri; qualis fuit sententia Dei adversus Ninivitas de futuro civitatis eorum post quadraginta dies excidio. Verum nulla hæc opinio nititur ratione. Quippe sententia Dei comminatoria & conditionalis tunc non impletur, cum deest conditio, sub qua pronuntiata, scilicet cum mutatus est is, & ad meliorem ductæ vitæ rationem redierit is, contra quem lata erat; uti disertis verbis declaravit Deus per Hieremiam cap. 18. Sed hoc non contigit Adamo, utpote.

utpote qui non statim admissi peccati poenitentiam egit. Respondent Irenæus & Justinus Martyr, revera Adamum & Evam mortuos esse eadem die, qua peccaverunt; si dies illa consideretur, non humano more, constans 24 horis: sed respectively ad Deum, cujus ante oculos mille anni, tanquam dies hesternæ, quæ præterit; nam uterque illorum infra millesimum annum supremum obiit diem. Verum hæc sententia sanioris opinionis Theologis nimis longe videtur petita, eaque potius allegorica, quam historica est; quoniam in tota Genesi diei nomen non alio sensu accipiatur, quam in propria significatione, adeoque humanitus, non divinitus. Aliis vero placet, illud *In quacunque die*, referri tantum debere ad illud *comederis*, non autem ad illud *morieris*; ut non significetur esum istius arboris non esse interdictum Adamo in unum aliquem certum diem vel tempus, ita ut quocunque die vel tempore comederet, omnino moriturus esset. Alii iterum statuunt, illud *In quocunque die comederis*, jungi debere cum illo *morieris*, non significari actum moriendi, sed necessitatem & debitum mortis, cui certo aliquo tempore satisfacere obstrictus esset. Verum eorum interpretatio videtur probabilior, qui illud *morte morieris*, interpretantur de morte actuali, & non tantum de necessitate moriendi; idque tam de morte spirituali, quam de corporali. Spiritualem mortem statim Adamus sensit, dum perdidit imaginem Dei, sic & æternam; nam mors hæc spiritualis ipsi æterna erat, & mansisset, nisi gratia intervenisset; mors quoque corporalis statim venit,

G g g g 2

cum

cum eo ipso momento, quo comedit, & comedendo, poenam lege statutam meritus est, statim mortalis factus sit, & miseris ac ærumnis mortis obligatus fuerit; ac quotidie quasi moriebatur, donec tandem animam efflaret, ubi tunc mors terminabatur in eo. *Omnes enim morimur, & quasi aquæ dilabimur, 2 lib. Reg. cap. 14.* Verissimum illud Gregorii hom. 37. in Euang. dictum, cum inquit, *Temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors est potius dicenda quam vita. Ipse enim quotidianus defectus corruptionis, quid est aliud quam prolixitas mortis? Corpus igitur Adæ in eodem statu permansisset, nisi peccasset: non enim paulatim fuit dissolutum aut vitiatum & ad mortem delapsum: at post peccatum cepit paulatim dissolvi & corrumpi, & ad interitum fluere, & ex eo tempore mors ei cepit dominari.* Ita ut, cum nascimur, mori incipiamus coram eo. *Incipimus enim, si forte nescis, tum mori, cum primum incipimus vivere, & mors cum vita protenditur, tuncque primum desinimus mori, cum à corpore mortis hujus per carnis mortem absolvimur, inquit Picus Mirandula de Ente & uno. Iter mortis ingredimur nascentes, inquit Seneca consolat. ad Marciam cap. 22.*

Ani-
mantibus
nomina
dat A-
dam.

Postquam Deus Adamum collocasset in Paradiso, cui tanquam Universi hujus principi, ab ipso existentiaæ sive creationis suæ momento summum imperium & dominium, dependens tamen & subordinatum eminenti & supremo ac independenti dominio & imperio hujus Universi conditoris Dei, deferre placuit Jehovahæ, voluit, ut sisterent se omnes ani-
mantes,

mantes, feræ, pecudes, volucresque omnium generum, ut iis nomina imponeret; cujusmodi nominum imponendi à Deo concessa est facultas & licentia Adamo, ut eo certiore eum faceret summus rerum arbiter & conditor Jehovah Deus, se divina benevolentia ac gratia hominem principem ac dominum omnium aliarum creaturarum designatum & creatum. Verum hæc non unica atque sola ratio est; voluit insuper Deus, ut ex aspectu & contemplatione, tum etiam contentione cum sua ipsius natura, agnosceret sui præ illis generis præstantiam, quantum animi dotibus & facultatibus inter eos eminebat, quibus eum decoraverat atque ornaverat Deus, ut eo vehementius ad laudes Creatoris sui prædicandas & celebrandas, gratiasque ei in totius vitæ cursu agendas, incitaretur. Tum etiam, ut imponendo nomina cunctis animalibus, conderet augetque linguam, qua mox generandi homines usuri erant. Denique, num ex omnibus illis adjutorium sibi conveniens inveniret, dispiceret. Quod patet ex verbis, *At homini non invenit adjutorium*. Cuncta itaque animalia, quæ è terra Deus formaverat, adducta ad Adamum, id est, tres species animalium, terrestrium, scil. bestix cicures, sive domesticæ, quæ sua natura mansuetæ, feræ silvestres & reptilia. Imo non solum animalia terrestria, verum etiam volucres omnes, earumque omnes species. Quippe *omne volatile cæli*, omnes complectitur species volucrum, ut supr. cap. 1: 20. Separat hic Moses volucres à terrestribus animalibus, quia non è terra, sed ex aquis productas prius dixerat

G g g g 3

Cap. 1:

Cap. I: 20. Has omnes Deus adduxit ad hominem. An vero singula & individua in universum ex toto orbe; an vero ex universis speciebus singula tantum paria, masculum & foeminam, parum referre, inquit Pareus, sibi tamen posterius magis probabile videri. Piscium vero non fit mentio, forte ad eum non sunt adducti; quia cum homine eam convenientiam non videntur habere, uti cætera animalia: si-ve quia ex illis nullum esse posse Adamo adjutorium certum erat; vel quia extra aquam statim interiissent; vel quia Deo non placuit. Hinc piscibus nulla dedit Adamus nomina, quamobrem nulla Hebræi habent propria piscium nomina. Terrestria itaque cuncta animalia & omnem volucrem coeli adduxit Deus ad Adamum, ut videret quomodo vocaret ea, scil. ut Adamus videns cuncta coram se adducta animalia, ipsis naturæ & formæ congrua imponeret nomina, ut alia ab aliis certis notis discerni possent. Huic autem divinæ voluntati obsequens indidit nomina cuilibet jumento cujusque naturæ maxime convenientia; unde perspicimus, eximiam hominis in statu integritatis sapientiam, qua singulorum animalium naturas norat: intima enim perspicere animantium, quorum nos tantum pelles intuemur, & in ipsam penetrare naturam, aptumque, quod naturæ respondeat, nomen accommodare, ingenii perspicacissimi atque scientiæ magnæ magnum est indicium, ut inquit Hugo Robinson. *d. l.* Rejiciendam merito sanioris doctrinæ Theologi statuerunt Cajetani sententiam, qui censet, per visionem

intellectualem, adeoque non realiter adducta fuisse ad Adamum cuncta animalia; quippe verba illa, *ut videret quid vocaret ea*, fatis indicant, juxta propriam eorum significationem, realiter ad eum cuncta animalia adducta fuisse, ut omnia oculis suis conspiciens, naturæ congrua animalibus imponeret nomina; quamvis intellectualis visio excludi non debeat, & proinde possunt intelligi hæc verba tam de intellectuali visione, quam de corporali. Adducta autem sunt à Deo, quod eo sensu non interpretandum, quasi pastoris instar à Deo illuc acta fuissent, verum quod Deus, qui cuncta moderatur, & cujus ab arbitrio & imperio omnes pendent creaturæ viventes; in eo enim sunt, vivunt, atque moventur: ejusmodi instinctum ac naturæ impetum & affectum singulis animalibus impressit, ut sponte sua sese coram Adamo sisterent, eum in finem, ut sibi nomina imponerentur, cujus imperio & potestati subjecta erant, & proinde majestatem comiter venerabantur naturali quodam impetu & ingenita propensione. Annotarunt Viri eruditi ex Mose Barcepha, quorundam fuisse sententiam, quam in libro, quem de Paradiso auctor edidit, refert, (quasi fuissent testes oculares, dum singulis animantibus nomina indidit primus homo) Adamum editiore loco Paradisi insidentem, augustaque auctoritate, ac majestate veneranda, talique vultus splendore, qualem emicuisse & effulxisse è facie Mosis *cap. 34. Exod.* traditur, voce articulata singulis animantium generibus nomina dedisse, unumquodque nominatim appellando: illa vero submissis capitibus prona,

& præ

& præ nimio decore, quo ille splendebat, intueri ipsum non audentia, singulatim præteribant, & suis ab illo appellabantur ex ordine nominibus. Quis non ejusmodi opinionem, tanquam aniles fabulas rejiceret? Hæc animalium ad hominem adductio ipsum potius edocebat, quomodo omnes creaturæ ab hujus Universi conditore Deo pendebant, ita ut ejus voluntatem nutumque observare necessum haberent. Ambigunt quoque nonnulli, quo tempore imposuerit Adam singulis animalibus nomina, & certissimum nominum impositionem factam fuisse, antequam Eva formata fuerit; tradit enim Moyse causam, cur Eva necessario creari debuerit, Adamum intellexisse ex eo, quod inspectis consideratisque cunctorum animalium generibus, nullum invenerit sui simile, cum quo societatem colere, & juxta benedictionem Dei propagandæ soboli, sine qua genus humanum brevi interiturum, mutua ope mutuoque auxilio operam dare posset. Verum cum in variis mundi plagis diversæ quoque animalium species dispersæ, ita ut in Africa & in Asiæ quibusdam regionibus inveniantur leones, tigres, elephantes, & aliæ id genus feræ bestię, quæ in Europa admodum raro conspiciuntur. In India apes; in Borealibus vero mundi tractibus ursi; & sic juxta cujusque regionis cœli temperiem, & alimenta, quæ profuerunt, animalium quoque diversæ species ibidemveniuntur. Quî fieri potuerit, ut tam brevi temporis intervallo, quod intercessit inter creationem omnium animalium, tum etiam volucrum cœli, & adductionem eorum ad Adamum factam, ut nomina nancisce-

nanciscerentur. Cujusmodi impositio nominum intra paucas horas facta fuisse censeretur debet; quippe non ambigendum, quin eodem die, quo creata, etiam nomina accepisse, ab extremis orbis oris & ultima Thule, ad eum locum, ubi Paradisum collocavimus, iverint. Vix enim credibile est, ut tam exiguo temporis spatio, ex tam longinquis & distitis regionibus ad Adamum accurrere potuerint, cum ne quidem avium celerrima tam brevi tempore advolare potuisset ad primi hominis domicilium. Verum admodum mihi probabile videtur mundi primordio, uti in certo orbis tractu, certa que regione Deo hominem e terræ limo formare placuit, ita quoque in eadem mundi plaga omnia animalia, omnes volucres coeli non procul ab eodem loco, quem primus hominum incoleret, produxisse, quæ deinde, uti per transmigrations diversas mundi plagas ac regiones homines occuparunt, ita quoque diversæ speciei & animalia in diversas regiones abiisse, ibique per propagationem totum terrarum orbem replevisse.

Linguam autem, qua in nominibus animantibus imponendis usus est primus homo, doctissimi quique Theologorum statuunt, Hebræam fuisse, quæ ante divisionem non appellabatur Hebræa: quippe cum a mundi primordio usque ad confusionem Babylonicam una duntaxat erat communis omnium hominum lingua, uti Moyses testatur *Genes. cap. 11.* varia quoque linguarum non obtinere potuit appellatio. Verum facta divisione populorum, sive potius familiarum, cui occasionem præbuit extructio turris Babylonicæ, ubi animorum nata discordia, & ædificantium inter se

In imponendis animantibus nominibus, qua lingua usus fuerit Adam?

H h h h

con-

contentiones, jurgia, dissidia orta, cœperunt se dissipare, & in varias Orientis plagas demigrarunt; & qui forte ejusdem gentis vel familiæ erant, in unam societatem coaliti, unde tot Respublicæ, Imperia ac Regna, quæ a parvis initiis procedente tempore ad stupendam magnitudinem creverunt, uti ex veterum monumentis perspicimus.

Linguarum novarum origo.

Ejusmodi autem divisio & separatio per singulare Dei judicium inter homines suborta, linguæ Hebrææ mutationis, id est, linguarum novarum originis procul dubio causa fuit. Quæ tamen non omnino plane novæ existimari debent, adeo ut nullam cum prima lingua, quam ipse locutus est Deus, & primo homini divinitus infusa est, haberet convenientiam, verum nova potius ratione dialecti, quæ dispersis per omnes terras gentibus necessario admodum mutata. Et sic procedente tempore, uti res humanæ variis mutationibus obnoxia, quoque magis magisque apud diversas gentes prima lingua mutata; ita tamen, ut si cum ea conferantur tot diversarum gentium linguæ, superesse videmus in iisdem manifesta indicia & rudera linguæ Hebrææ, quæ ex ea, veluti matre sua ortæ sunt, sive mediatè, sive *ἀμεσως*, uti annotavit vir varia eruditione florentissimus Campeg. Vitringa in suis observationibus *lib. 1. cap. 6.* Quod argumentum atque indicium est, in confusione illa Babylonica, sive potius discessu ædificantium turrim Babylonicam, non ortas plane novas linguas; verum novas dialectos, novumque idioma, mutationem quoque nominum appellativorum contigisse, ita ut eandem rem diversis nominibus denotarent, quod sæpius per abusum, tum etiam per gentium inter se commix-

mixtionem contingere potest. Recte J. Lipsius *ad Belg. cent. 3. Epist. 49. Errat, qui in re instabili maxime, id est, lingua quarit firmitatem: & addit, Invenimus a prima confusione infinitum linguas mutasse, variasse, multiplicasse, ut gentes hominum confusæ, & mixtæ inter se fuerint, & iterum propagatæ.* Verum hanc materiam tractandi nobis forte, volente Deo, alibi erit occasio; quamobrem hanc quæstionem hic altius repetere supersedemus.

Facta autem divisione, ea lingua, scil. Hebræa, quæ primo homini infusa divinitus, & ad posteros transmissa, ita ut communis omnium hominum esset lingua, & universæ terræ esset unum labium, id est, una lingua, & una pronuntiandi ratio usque ad destructionem turris Babylonice, post confusionem facta sit specialis in sola familia Heber, quo vivente contigit divisio linguarum, religiose custodita, & idcirco ab Heber postea dicta est *Hebræa*. Quamobrem Augustinus inquit, *Omnium hominum communis lingua remansit in Eberi gente: à cujus nomine nomen accepit. lib. 16. cap. 11. de Civ. Dei.* Et ibidem: *Quando turris Babylonica structa erat, non defuit domus Eberi, ubi ea, quæ antea fuit omnium, lingua remaneret.* Quod autem illa eadem lingua, qua usus est Adamus, cæterique mortales usque ad dispersionem gentium, quæ contigit occasione turris Babylonice ædificandæ, fuerit omnium linguarum prima, Eryma horum nominum *Adam, Eva, Ischa, Cain, Abel, Seth, Noach*, satis manifestè evincunt, cum ad Ebræam linguam hæc proprie spectent nomina, quæ non alia in lingua, nisi in Hebræa sola, locum

Hebræa
lingua
unde no-
men ha-
beat.

habent, aut non nisi obtorto collo in vicinas linguas trahantur. Hinc Hieronymus *Epist. 144. ad Damas. Ebræam linguam, qua vetus Testamentum scriptum est, esse initium oris, & communis eloquii universa credidit antiquitas. Et in Zeph. Nosse possumus linguam Ebræam omnium linguarum esse matricem. Lingua, inquit Seldenus, Ebræa est antiquissima, qua usi sunt non solum Ebræi vulgo dicti, verum etiam totius incolæ tractus, qua Syria latissime patet. Hujus itaque linguæ originem & natales deducimus ab Adamo, denominationem vero specialem ab Heber, in cujus, & aliorum sanctorum hominum familiis post confusio- nem Babylonicam integra permansit. Sed, ut dicere incepimus, hanc linguam Adamus non usu didicit, nec suo ingenio, quamvis summa sapientia florebat, excogitavit, vel invenit; verum instinctu quodam concepit divino. Unde Vir doctissimus Steph. Morinus exercit. de ling. primæv. cap. 7. *Cum nulla lingua sit naturalis, & primus homo statim a creatione sua coeperit loqui cum Deo, & cum sua conjuge, non potuit usu & communi aliorum hominum consensu linguam suam comparare. Quin varii defectus, qui in linguis, industria humana partim constitutis, animadvertuntur, satis evidenter demonstrant primævam illam linguam, quæ nomina rebus omnibus convenientissimæ ipsi suppeditavit fuisse divinitus infusam: minime enim verisimile est, perfectissimam potuisse illum constituere linguam in instanti, quoniam ejus posterii exemplo ejus linguæ edocti, vix imperfectissimas composuerunt. Cui etiam accedit, quod Eva eam protinus intellexit, uti patet ex colloquio cum serpente, quod vix adeo celeriter potuit**

fuisset fieri, si a viro didicisset, ac non eodem potius instinctu percepisset, quo acceperat Adamus.

Quamobrem Dei munus, non hominis inventum sermonem esse statuo, quemadmodum facultatem loquendi & verba enunciandi ad Deum tanquam primum principium & auctorem referendam puto; uti quoque primi mortalium a Deo edocti sunt nominarum naturæ congrua imponere, adeoque non pacto vel conventionem, uti summus Grotius & varia doctrina florentissimus Pufendorfius statuere videntur, linguam constituerunt aut excogitarunt primi homines, sed infusam & innatam elocuti sunt. Quamobrem egregie falli eos annotavimus, qui nullam linguam homini congenitam affirmant. Vid. *comment. in Hug. Grot. l. 3. cap. 1. §. 8.* Quoniam vero homo natus est ad colendam societatem cum sui simillimis, qui ejusdem secum generis & rationis participes sunt, linguæ usu ac sermone ad animi sensa alteri communicanda opus habebat. *Quemadmodum membris utimur priusquam didicimus cujus ea utilitatis causa habeamus, sic inter nos natura ad civilem societatem conjuncti & consociati sumus,* ait Cicero 3. *de fin.* Et *ibid. Præclare Chrysippus cætera nata esse hominum causa & Deorum, eos autem communitatis & societatis suæ.* Et Paulo post affirmat, *Homines natos esse ad congregationem & ad societatem generis humani. Arctissimum autem, teste Cicerone, ejus vinculum est, ratio & oratio: quæ docendo, discendo, communicando, judicando, conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate.* Quamobrem oratione Adamus non ante usus est, quam esset conjugem

Linguam edoctus est primus homo ab ipso Deo.

H h h 3

&

& sociam nactus, quacum sermones miscere & colloqui poterat. Præterquam quod ea maxime indigemus ad prædicandam Dei summi rerum Opificis gloriam, tum quoque divinum celebrandum cultum, ad ejus opem implorandam, iram deprecandam, & illustrandam quovis modo gloriam tum aures tum linguæ nobis condonatæ sunt, ut inquit Hug. Robinson. *annal. mund. lib. 1. §. 52.* Quoniam itaque homo natus five creatus erat ad celebrandos cœtus & societatem colendam, ratione & oratione eum præditum esse oportebat; utrumque proinde ipsi largitus est Deus. Prima itaque societas in conjugio est, quæ deinde latius propagata descendit ad liberos: deinde una domus. Deerat itaque adhuc adjutorium, cum quo societatem primus mortalium coleret, & colloqui posset; nihil enim natura fecit frustra, lingua & oratione se præditum experiebatur, quem in finem? nisi ut cum sui simillimis consuetudinem & societatem coleret. Ita enim ratio docuit homines linguæ & orationis usum homini largitum; quoniam ad societatem tuendam natus, quæ absque ea haud coli potest. Placuit enim Deo, ut animadverteret, omnium animalium, lustratione facta, nullum esse inter bruta adjutorium homini competens, cum quo commercium & consuetudinem habere posset, ut hanc inopiam perspicere eo ardentius sibi adjutorium condita Deo desideraret. Quamobrem *post agnitam indigentiam statim ad ædificandam uxorem Deus se accingens, immisit soporem Adæ, ut inquit Fagius comment. ad b. l.* De ædificatione Evæ ex costâ Adami, tum etiam de nomine, quo

UXO.

uxorem suam Adam ad se adductam appellavit, egimus *Dissert.* 1. quæ hic repetere supervacuum foret.

Huic autem pari conjugum benedicit Deus, dicens, *crescite & multiplicamini, & replete terram.* De hac benedictione egimus quoque *Dissert.* 1. Procreatio enim sobolis finis quoque, cur Deus Adamo voluit creare & ei adjungere adjutorium; brevi enim species humana in eo interiisset, si solus fuisset. Itaque mulier erat necessaria ad vindicandum ab interitu humanum genus per sobolis propagationem. *Si sine uxore, Quirites, possemus esse, omnes ea molestia careremus: sed quoniam ita natura tradidit, ut, nec cum illis satis commodè, nec sine illis nullo modo vivi possit; saluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati consulendum, dixit olim in oratione ad populum Metellus Numidicus, quum eum ad matrimonia capessenda adhortaretur, teste Gellio lib. 1. cap. 6. Hanc autem benedictionem in legem convertunt Ebræi antiqui, utpote qui, teste Seldeno de jure nat. & gent. lib. 5. cap. 3. Necessitatem matrimonii præcepto illo fructificandi seu propagationis multiplicationisque eousque sancire docent, ut ita eo teneri velint masculos omnes, ut quicumque expleto vigesimo ætatis anno, uxorem non duxerit, eum in illud committere scribant; nisi aut assiduo legis studio incumbat, acriori libidinis stimulo immunis, aut partium, quibus viri sumus, defectu, generationi impar sit. Et ad omnes pariter homines ac Noachidas universos præceptum hoc attinere volunt, tametsi illud in illustrioribus non enumerent. Nec aliter aliæ quoque gentes existimarunt,*
sta-

statuentes naturæ legis vinculo quemque ad generandum habilem, uxorem ducere devinctum esse. Quamobrem Plato *de LL. lib. 9. uxorem ducere quisque debet, cum annos habet triginta, cogitans, quod natura quadam humanum genus immortalitatem consequitur; cuius rei quisque natura summopere cupidus est. Nemo enim est, qui non desideret perpetuum apud posteros nomen habere. Genus itaque hominum hoc modo in sempiternum perdurat, quod filiorum filios relinquendo in unum & idem semper per generationem immortalitatem adipiscitur. Nefas autem est immortalitate sponte privare. Hac vero ex animo ille se privat, qui filios & uxorem negligit. Huc quoque referri debent illa Ciceronis *de fin. bonor. & malor.* Cum autem ad tuendos conservandosque homines hominem natum esse videamus: consentaneum est huic naturæ, & sapiens velit gerere & administrare Rempublicam, atque ut è natura vivat (id est, juxta naturæ sive rationis dictamen) uxorem adungere, & velle ex ea liberos. Videntur Romani admodum solliciti fuisse, ne cælibatu aliquid detrimenti Respublica caperet; unde legimus apud Valerium *lib. II. cap. 9. cælibes à Censoribus multatos, cum inquit, Camillus & Posthumius, Censores, æra pœnæ nomine, eos qui ad senectutem cælibes pervenerant, in ærarium deferre jusserunt. Et Festus auctor, Uxorium pependisse dici, qui quod uxorem non habuerit, æs populo dedit. Primus vero Augustus, teste Suetonio, in ejus vita cap. 39. ea dicta Julia de maritandis ordinibus. Hanc procul dubio intellexit Horatius in carmine sæculari,**

Pa-

- - - Patrumque
 Prosperes decreta super jugandis
 Fæminis, prolisque novæ feraci
 Lege marita.

Ubi Scholiastes: *Lex marita dicitur, quæ de mari-
 tandis ordinibus lata erat, quæ & Julia dicta est.*
 Deinde lata lex Papia sene Augusto per Senatum
 Anno Urbis 1000LXII. Papio Mutilo & Q. Pop-
 pæo secundo Coss. unde dicta *Papia Poppæa*, te-
 ste Isidoro *lib. 5. Sub Octavio Casare suffecti Consu-
 les Papius & Poppæus legem tulerunt, quæ à nomi-
 nibus eorum Papia & Poppæa nominatur, continens
 præmia pro suscipiendis liberis.* Duplicem causam
 ejus legis ferendæ refert Tacitus: *Incitandis cæli-
 bum pænis*, id est, augendis; sive ut legendum pu-
 tat Lipsius, *Incitandi cælibes pænis*; vel *intendendis
 cælibum pænis.* Ejus plurima fuere capita, de qui-
 bus nihil hic dicendi nobis incumbit necessitas, vid.
l. 21. ff. de hered instit. l. 48. de ritu nupt. Cave-
 batur in odium cœlibatus, contra eos, qui cœlibes
 manerent, ne ex testamento solidum capere possent,
 nisi intra dies centum legi paruissent. Verum ejus-
 modi leges postea Christianorum sacris initiati Im-
 peratores abrogarunt. vid. *tit. C. de infirmendis pæ-
 nis cælibatus.* Verro in lega Mænia apud Nonium
 in eunuchare: *Si quis patriam majorem parentem ex-
 tinguat, in eo culpa est; quod facit pro sua parte is,
 qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit, id est,
 procreare differt.*

Verum quod jus divinum attinet, neutiquam mi- Bene-
dictio
divina,
 hi videtur ex eo jure, sive positivo sive morali, o-
 bli-

vim legis habere, non videtur.

obligationem profluere, qua singuli homines alligati essent, ad generandum ætate habiles, & propagandæ soboli dare operam, non per vagum concubitum, sed legitimam viri & mulieris conjunctionem, juxta matrimonii primævam institutionem. Quippe illa benedictio divina non vim legis obtinet, uti paulo ante dicere incepimus, quoniam idem dixit Deus piscibus, quibus utique legem non tulit. Tantum hic Deus benedicit homini, ut ex ipsis verbis apparet. Probat hic duntaxat usum matrimonii tanquam rem licitam & necessariam ad propagandum genus humanum, & proinde homini virtutem & fœcunditatem indit, ut per maris & fœminæ conjunctionem, individuum vitæ consuetudinem ac societatem non nisi morte dissolvendam, continentem, uti cætera animalia, sibi simile procreent, ut per sobolem humana species conservetur & propagetur. *Adeo-que perperam Rabbini hisce verbis mandatum, quod violare nefas, contineri volunt, ut inquit Joan. Clericus comment. ad cap. I. 22. § 28. Vox enim Hebraica barach generatim significat, ubi de Deo sermo est, inquit, benefacere, & præsertim facultates augere.* Itaque nulla hisce verbis continetur legis virtus, nihil hic imperat Deus, vel vetat. Neque ulla lege opus, quæ homines singulos ad ineundum matrimonium, sive potius ad propagandum & procreandum sui simile obligaret, cum naturæ stimuli & appetitus hominem satis ad generandum sui simile impellunt, & huic officio sponte plus justo satisfaciunt naturæ instinctu atque impulsu; ita ut major virtus habeatur in cœlibatu sancte & caste vivere,

vere, quam naturæ stimulis agitatus matrimonium contrahere, *Epist. 1. ad Cor. cap. 7.* Quod si vel jus positivum vel morale conjugium singulis hominibus imperaret, omnino cœlibatus prohibitus, etiam si donum continentiae habentes, in eo castè viverent. Atqui contrarium docet Apostolus; matrimonium quidem suadet, sed non imperat, nisi iis, qui abstinere nequeunt, ut scortatio vitetur. Bona quidem res est conjugium, sed libera, nullam necessitatem continet, vel ex lege positiva vel morali profluentem, qua adstringerentur homines ætate habiles justum contrahere matrimonium, ut humanum genus conservaretur propagando sobolem. Adde necessitatem moralem, quippe dicat quidem ratio propagationem esse necessariam ad genus humanum conservandum & ab interitu vindicandum; verum non imponit necessitatem cuivis homini, qua adstringitur jam ætate & corpore habilis, uxorem ducendo, liberis procreandis dare operam; *ne nobilis speciei duratio unius ætatis spatio extingueretur*, ut inquit juris naturalis & gentium peritissimus Sam. Pufendorfius *lib. 6. cap. 9.* Verum dicat naturalis ratio cuivis homini procreandæ soboli operam dare volenti, ut illud faciat justo & legitimo modo, scil. per conjugium, sive viri & mulieris conjunctionem, quæ individuum vitæ consuetudinem, & indissolubilem copulationem continet, & proinde quemvis devincit, ut matrimonium contrahat, continentiae donum non habentem. Quisque enim justitiae & decori sibi innata principia sentit, quæ omnem vagum concubitum, & omnem scortationem turpem

dicant, & proinde tanquam rem illicitam vetant; omni enim turpitudini inest necessitas moralis, quæ prohibet omnia turpia & inhonesta, uti honestas præcipit facienda, quæ cum ea conveniunt. Itaque obligantur singuli homines ad ineundum matrimonium jure naturæ non simpliciter, sed sub conditione, scilicet continentia donum non habentes, qui de se non habent eam fiduciam, ut in cœlibatu castè & sanctè viverent. „Est itaque hæc obligatio „cum modificatione conjuncta, & proinde eos non „obligat, in quos ista animi corporisque temperies „cadit, ut desiderium posterorum ac in sexum foemini- „num proclivitatem digerere, castitatemque impol- „lutam fervare queant”, ut inquit statim allegatus auctor Sam. Pufendorfius *d. l.* Itaque naturæ jus, non tam præcipit matrimonium contrahere, quam quidem vetat absque matrimonio propagationem, sive sobolis procreationem. Libertatem itaque quisque habet ex jure divino naturali uxorem sibi adjungere vel in cœlibatu vivere; permittit quidem jus naturæ & divinum conjugium, sed non imperat. Non inficior multiplicari haud posse genus humanum, & proinde nec cœtus celebrari, nec societatem coli posse, ad quam colendam homo tamen natus est, nisi quisque ad procreandum aptus, propagationi det operam; verum cum naturæ stimulis plus satis incitentur ad Venerem, haud verendum, ne per defectum sobolis humana species aliquid detrimenti pateretur, & ad interitum properaret. Quamobrem cum naturali appetitu homo feratur ad propagandum sui simile, non opus ut jus naturæ ista præci-

præcipiat, in quæ instinctus naturalis fertur; verum cum iste appetitus nimis vehemens, opus fuit, ut sanctione pœnali illum compesceret ratio; ne contra justitiam & decorum, & homini innata principia ejusmodi appetitus in actum deducatur, & absque legitimo conjugio in mutuos amplexus ruerent, & Veneris furtiva captarent gaudia naturæ vehementi instinctu impulsæ mortales; cujus acres stimuli etiam in iis quandoque dominari maximè rerum usus docet, qui ad dictamen rationis totius vitæ cursum componere omni nituntur ope, tum etiam singulari erga Deum pietate & zelo religionis, quam profitentur, morumque innocentia & probitate sese in societate tanquam exemplar, ad quod cæteros se formare oporteret, eminere velint, vix eos cohibere possunt, adeo ut quandoque invicem corporis sui copiam gratis faciant sine consensu in vitæ communionem. Verum hæc sunt imbecillitates humanæ naturæ, quas etiam piæ mentes cum mortali hoc corpore circumferunt. Ex mero itaque jure naturali, quatenus per illud intelligimus dictamen rectæ rationis, obligans ad id quod rectum est, nullam obligationem procedere existimamus, qua homines ad matrimonium ineundum omnino tenentur, scilicet habiles ad generandum donum continentiæ habentes, sed liberum esse cuivis in coelibatu aut conjugio vitam transigere, recte mihi statuendum videtur, Cumberland *de leg. nat. cap. 6. §. 9.* etiam si matrimonium sit socialis vitæ fundamentum, qua tamen ratione motus contrariam tuetur sententiam.

Vir varia eruditione celeberr. Sam. Pufendorfius,

cum inquit, *Merum autem jus naturale spectantibus apparet, cum socialis vitæ fundamentum sit matrimonium, homines quoque omnino ad id ineundum obligari, prout tenentur ad omnia, quæ ad eum finem necessario faciunt; per modum tamen præcepti affirmativi, indefiniti & indeterminati, & quod non singulos necessario & quovis tempore obligat. Præcepta quippe affirmativa ad sui impletionem requirunt occasionem. Matrimonii autem contrahendi occasio non ex sola ætate, aut generandi aptitudine intelligitur: sed ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram; ac ut mas quoque sit idoneus ad gerendum partes patrisfamilias* Et paulo post: *Aliquando etiam presentium temporum & incumbentis functionis conditio de matrimonio cogitare non patitur. Multas itaque hæc lex naturalis admittit exceptiones & limitationes. Imo addit denique, non reprehendendum eorum cœlibatum, qui probabiliter prævident, sese in cœlibe vita, ad quam per continentiam exigendam habiles sese deprehendunt, haud ad ineundum matrimonium obligari. Adeoque, inquit, si quis sublimiori agatur genio, ut stimulos illos vel non sentiat, vel facile retundat, haud quidquam putandus est per naturam obligari, ut omnino præclaris suis conatibus per muliebres illecebras velut remoram injiciat. Quid ex hisce limitationibus & exceptionibus aliud concludimus, quam cuique liberum esse matrimonium contrahere, vel cœlibem vitam agere, adeoque nullam necessitatem moralem fingi vel excogitari posse, qua homines ad generandum idonei,*

nei, & in eo statu collocati ut familiam tueri possint, ad ineundum matrimonium obligarentur. Adeoque non videtur mihi Vir doctissimus sibi satis constare; cum ex eo capite, quod matrimonium sit socialis vitæ fundamentum homines ad id ineundum obligari statuit, concurrentibus illis circumstantiis, ut ita dicam, quas statim annotavimus; & paulo post addit, eum qui sublimiori agitur genio, ut illos stimulos, quibus ad Venerem incitari solent homines, vel non sentiat vel facile retundat, adeo ut in cœlibe vita caste & sancte sese gerere prævideat probabiliter, haud quidquam ad matrimonium contrahendum obligari. Quippe si juxta mentem Auctoris ponamus præceptum hoc non purum & absolutum esse, adeo ut omnes omnino statim obligaret homines idoneos ad generandum, verum indefinitum & indeterminatum esse, ad sui impletionem requirentem occasionem, quæ non in sola ætate aut generandi aptitudine consistit, sed etiam requirit ut copia quoque sit decentis conditionis, nec non facultas alendi uxorem & prolem nascituram; at ut mas quoque sit idoneus ad gerendum partes patrisfamilias; tum etiam ut cum præsentium temporum & incumbentis functionis conditione id conveniat: concedere tamen necessum habebit Auctor eo casu, quo nullum ejusmodi impedimentum obstat, quemque teneri matrimonium inire; quippe si ejusmodi occasio jam exstat, qualem describit Auctor, utique etiam præceptum, quod indefinitum & indeterminatum est non existente occasione ejusmodi, ea existente determinatum fit & obligat singulos, qui eam nati sunt,

sunt, ad ineundum matrimonium, & proinde nullum deliberandi tempus nec eligendi libera facultas, an cœlibem vitam, ad quam per continentiam exigendam se habiles deprehendunt, an vero matrimonium inire velint; quippe, ponendi sunt certi casus, quibus existentibus, præceptum vim obligandi habet, quin omni prorsum obligatione destituta, legis nomen non meretur. Si enim penderet omni casu ab arbitrio ejus, cui lex scripta, ejusdem impletio, perperam lex diceretur. Negari quidem nequit, legem naturæ sive dictamen rectæ rationis omnes omnino homines obligare ad ineundum matrimonium eo casu, quo quis propagationi humani generis operam dare velit; verum illa non descendit nec proficiscitur ex illa origine; ex qua Auctor noster obligationem ad contrahendum matrimonium deducit, sed principiis justitiae & decori homini innatis, quæ præcipiunt ut omnes actiones sint consentaneæ honestati & justitiæ: atqui propagatio nullo matrimonii & conjugii vinculo intercedente, eidem repugnat, & omnis vaga libido decus humanæ societatis polluit, vetitum ne quis propagationi operam det, non contracto prius matrimonio; adeoque non tam præcipit dictamen rectæ rationis matrimonium, quam vetat vagam libidinem; & dum illam vetat, indirecte præcipit matrimonium, eo scilicet casu, quando quis non habet continentiae donum, nec fiduciam in statu cœlibe castè se vitam traducturum, uti paulo ante dicere incepimus. Verum probabiliter prævidens cœlibem vitam castè acturum, liberam ipsi relictam facultatem existima-

existimamus eligendi, an velit vitam cœlibem agere vel matrimonium inire, etiamsi existat ejusmodi occasio, qua existente Auctor hominem ad ineundum matrimonium obligatum censet. Negari nequit hominem esse natum ad societatem colendam cum sui simillimis, eumque in finem ipsi & rationem & orationem datam esse, societatem autem hominum nullam existere, nec cœtus celebrari posse, nisi multiplicato genere humano; multiplicari autem nequit, nisi per propagationem legi naturæ sive rectæ rationi consentaneam; nulla autem propagatio legi naturali consentanea, quam ea, quæ fit per legitimam viri & mulieris conjunctionem & copulationem, individuum vitæ consuetudinem continentem, uti *Dissert. II.* annotavimus; qualem conjunctionem matrimonium vocamus; atqui medium, quod huic fini assequendo inservit, unicum est matrimonium: ergo omnes homines, quatenus ad socialem vitam ducendam nati sunt, devincti quoque, ut per propagationem species humana conservetur, & proinde ad contrahendum matrimonium, socialis vitæ fundamentum, cui societas humana sua debet incunabula, suaque conservatio. Quippe qui obligatur ad finem consequendum, ille simul devinctus est ea adhibere media, quæ ad finem assequendum idonea sunt; atqui homo natus ad societatem colendam; ergo obligatus etiam, ut pro virili humanum genus propaget, quia absque propagatione ad interitum properaret; quoniam vero nulla propagatio licita est & permissa, nisi ea, quæ fit per legitimam conjunctionem maris ac fœminæ; ergo obligatio ad societa-

K k k k

cietatem colendam parit quoque obligationem, qua quisque tenetur propagare sobolem, & proinde ad ineundum matrimonium. Neque sequitur conservationi generis humani satis prospexisse summum rerum Opificem, dum hominis naturæ innati tam acres stimuli, quibus ad sobolem procreandam naturali impetu fertur: ergo non opus est ejusmodi obligatione; quippe non sequitur, jus naturæ ista non præcipere, quia in eadem instinctus naturalis fertur, ut potius exinde appareat, naturam ista quam maxime voluisse observari, utpote incolumitatem generis humani conservantia, dum velut diffusa soli rationis dictamini eidem succenturiari jussit instinctum ita vehementem, ut difficulter admodum homo in contrarium niti queat. Quanquam solus instinctus per se non obliget, contingit tamen, ut ad aliquid obligemur, ad quod per instinctum quoque inclinabamus. Verum hæc argumenta non videntur mihi ejus esse ponderis, ut propterea sententiam Auctoris amplecterer. Fateor, hominem esse animal sociale, & obligatum esse ad societatem humanam colendam atque tuendam; verum inde haud sequitur, ergo quoque ad ineundum matrimonium naturæ lege singulos homines obligari. Non ex eodem dictamine profluit obligatio, qua tenetur societatem colere, & inire matrimonium; diximus paulo ante obligationem ad ineundum matrimonium non provenire ex dictamine rationis illud absolute præcipiente, verum ex dictamine rationis omnem scortationem & vagos concubitus vetante, & proinde indirecte & quasi per consequentiam obligante ad ineundum matrimonium non absolute, sed sub-

condi-

conditione, scil. casu, quo quis non habens donum continentiae propagationi velit operam dare, matrimonium inecat, ideoque ejusmodi obligatio est sequela præcepti vetantis scortationem & vagum concubitum, dum enim vetat naturæ lex unum, præcipit indirecte vel per consequentiam alterum, non quidem absolute, verum cum modificatione, si quis cœlibem vitam castè agere nequit. Quamobrem etiam non est præceptum universum genus humanum & singulos homines obligans, sed eos duntaxat, qui ad propagandam sobolem naturæ stimulis acrioribus feruntur. Præceptum vero, quo ad societatem colendam tenemur, alio fundamento & aliis rationibus nititur. Eiusdem quoque naturæ obligatio universalis singulos omnino homines alligans ad sui observantiam, eaque perpetua est, nullam exceptionem nec dispensationem admittens. Quippe illa procedit ex cognatione naturali, quam inter nos natura constituit, uti inquit JCrus Florentinus *l. 3. ff. de just. & jur.* Quamobrem hominem homini insidiari nefas est; scil. injuria vel damno afficere socium, vel eum offendere, lædere, vel aliquo modo iniquam illi conditionem inferre, quia societatem & cognationem, quam inter nos natura constituit, distrahit, atque ei repugnat, vetat recta ratio, quia præcipit contrarium: idque non intuitu quorundam hominum, sed universum mortale genus obligat, & singulos homines, qua homines, id est, ejusdem naturæ, originis participes, & eodem semine oriundos. Quamobrem hæc obligatio profluit ex necessitudinis arctissimo vinculo & dilectione proximi, adeoque ex lege morali, quæ universalis singula societatis mem-

bra obligat ad faciendum quod illa dicit, & proinde necessitatem moralem continet, quæ perpetuam obligandi causam habet, quoniam ejusmodi lex deducenda immediate ex divina justitia & sanctitate, quæ uti omnis mutationis expers, ita quoque præceptum sive lex ex eadem profluens sempiterna & perpetua est. Et sic quoque de omnibus illis legibus judicandum, quæ ex virtutibus divinis sive divina essentia, quæ omnium virtutum, quarum quædam rudera adhuc in homine post lapsum, propter imaginem divinam, ad quam primus homo conditus fuit, experiuntur, est fons atque origo; quæ principia justitiae & decori vocamus, ad quæ mens nostra omnia objecta & omnes appetitus naturæ tanquam ad Lydium lapidem explorat, num bona & honesta, mala & turpia sint, ex eorundem cum istis principiis convenientia vel disconvenientia dicitur quæ faciendæ, quæ fugiendæ & omittendæ sunt. Jam vero quis sana mente præditus affirmare auderet, necessitatem propagandi & proinde matrimonium contrahendi profluere, uti cæteræ leges morales, immediatè ex divina essentia sive virtutibus summo & perfectissimo Enti propriis, quæ divinam, ut ita dicam, essentiam constituunt, & proinde hominem obligant, quatenus divinæ imaginis & rationis particeps est. Quippe, quemadmodum creatio mundi, & omnium aliarum rerum productio processit ac dependit à liberrima Dei voluntate, ita quoque hominis efformatio, & omnium animalium tum aquatiliū generatio; uti eorum omnium creatio non fuerit necessitatis, sed voluntatis; ita rerum creaturarum existendi modum & tempus determinare ac definire à Dei placito ac libera penderet.

bat voluntate. Non placuit autem summo rerum Opifici, uti temporis momento singulæ res productæ; ita statim postquam existerent cœpissent, interirent; verum voluit atque decrevit prolongare existendi tempus per varios modos, qui cujusque rei creatæ naturæ maxime conveniebant. Homini cæterisque animalibus indidit facultatem generandi per conjunctionem & sexûs commixtionem, eumque modum maxime approbavit, quamobrem eis benedixit, & dixit, *fructificate & multiplicamini*. Verum quis ex illa innata naturæ facultate & appetitu, vel ex benedictione legem vel positivam, vel naturalem sive moralem profuere solidioribus quibusdam rationibus adstruere posset? Nullam illa verba legis virtutem continere, jam supra demonstravimus. Uti quoque annotavimus, nulla lege naturali sive rationis dictamine propagationem per legitimam conjunctionem suscipere singula societatis humanæ membra, adeoque etiam ea, quæ continentiarum donum habent, teneri, & proinde invitis quoque & castis agere cœlibem vitam volentibus propagandi necessitatem imponi. Haud enim illa facultas & appetitus generandi virtutem aliquam moralem continet, ex qua obligatio profueret, qua devincti essent singuli homines deducere in actum, quod obligatio sive rationis dictamen ex convenientia actus cum principiis justis & decori nobis innatis, dictat faciendum esse; nulla virtus, nihil honesti atque decori in actu generandi, neque in appetitu ad procreandum sui simile, nihil in eo quod vel a ratione procedit, nec cum ea aliquid commune habet. Quamobrem inquit Cicero 1. *Offic. Commune omnium animantium est conjunctionis appetitus &*

procreandi causa. Verum quatenus ordine certo legitimoque modo procreationis appetitus in actum deduci debet legis naturæ objectum est, differt multum conjunctio animalium, & matrimonium hominum. Nullam itaque iste appetitus, & ad propagandam sobolem innata naturæ inclinatio obligationem ineundi matrimonii producit; est tantum vis & facultas naturæ indita, quæ hominem cæteraque animalia idonea redderet ad propagandum, quoties natura illud appeteret. Verum quoniam absque ejusmodi propagatione nulla posset inter homines societas existere, ad quam colendam tamen homo natus est, & proinde hoc Dei decretum, quod in homine creando tanquam finem sibi proposuit summus rerum Opifex, necessario adimpleri debuit: nullum autem fini assequendo aliud medium inservire poterat, nisi multiplicatio humani generis; multiplicari autem non potuit absque propagatione; propagatio vero quæ ab homine ratione prædita suscipienda, requirebat legitimum, id est, rationi convenientem propagandi modum: nullus autem legitimus modus excogitari potest, præter conjunctionem viri & mulieris perpetuam vitæ consuetudinem continentem, scil. matrimonium; dicendum obligationem ad colendam societatem continere obligationem, qua quisque ad generandum idoneus tenetur operam dare soboli procreandæ, & proinde ad ineundum matrimonium; ex una itaque obligatione profluit altera, quamobrem concludendum cum Pufendorfio, cum socialis vitæ fundamentum sit matrimonium, homines quoque omnino ad id ineundum obligari. Verum admodum lubrico fundamento nititur hæc consequentia, homo est animal natum ad so-

cie-

cietatem colendam, ergo obligatus est ad incundum matrimonium, tanquam necessarium & unicum legitimum medium, quo per propagationem humanum genus multiplicetur, utque ex illa multiplicatione societas humana quasi nascatur & proveniat; atque hac ratione Dei decretum & voluntas exitum sortiatur. Fateor voluisse Deum multiplicari genus humanum, eoque multiplicato societatem inter se colerent mortales, quam naturalis ratio dicitur homini cum homine intercedere, quia ejusdem naturæ participes, eodemque semine oriundi. Verum quemadmodum hominis creatio non fuerit necessitatis, sed voluntatis, utpote quæ omnino pendeat à Dei beneplacito, qui in se omnia possidens, & nullis rebus externis egens, quo magis perfectum atque beatum se efficere poterat, hominis creatio non potuit ex necessitate deduci; & sic quoque non fuit necesse, ut humani generis multiplicatio fieret per propagationem; quippe qui per suam infinitam potentiam par hominum potuit absque naturali propagatione efformare & efficere ut existerent, eodem modo potuisset hominum multas myriades producere: itaque cum ejusmodi decretum & voluntas Dei arbitraria & libera fuerit, nullam quoque necessitatem, quæ proflueret ex dictamine rationis, impositam homini arbitramur, qua tenerentur singula societatis membra incundo matrimonium societatis excitandæ causa, propagationi dare operam, ut hac ratione decreto & voluntati divinæ satisfaceret. Ut socialem vitam agere possent, sufficit prona ad propagandum sui simile humana natura, & indita facultas ad generandum habilis & idonea, quæ nullam producit obligatio-

tionem ad ineundum matrimonium, quæ ex dictamine rationis dimanaret, ob convenientiam ejusmodi actus cum principiis justis & decori, sive divina aliqua virtute, cujus in homine propter divinæ imaginis communicationem adhuc reliqua vestigia: nullum enim in generando decus, nulla virtus moralis, sed naturæ facultas & appetitus cum reliquis animantibus, omni prorsus ratione destitutis, nobis communis. Quamobrem nulla hic moralis necessitas, qua ad generandum, & proinde ad matrimonium ineundum obligarentur singuli homines; sumpta lege, sive jure naturali eo sensu, uti supra annotavimus, quo significat regulam actuum moralium, obligantem ad id, quod rectum est, scil. quod rectum, justum & decorum atque honestum est, quia convenit cum virtutibus moralibus, ex sanctitate divina dimanantibus, & proinde primo homini ad divinam imaginem condito, insitis atque innatis, ideoque necessitatem moralem habentibus, ex qua obligatio oritur, qua tenemur facere omne illud, quod cum illis convenit. Non inficiamur, quicquid decreto divino satisfaciendo inservit, bonum, æquum & justum esse, verum negamus omne illud, quod decreto divino inservire potest, moraliter bonum ac justum esse, scil. moralem necessitatem imponere, qua quisque tenetur in actum deducere, quod huic consentaneum esse novit, nisi ejus naturæ sit, ut dimanet ex virtute sive divina sanctitate, & proinde talis est actus, qui cum rationis dictamine conjunctus, sive ex eo profluit, eumque moderatur, ut sit conveniens cum ratione, sive cum justis & decori nobis innatis principiis. Quippe alibi demonstravimus,

mus, & in nostris in Grotium *de jur. bell. & pac.* commentariis, & Dissertatione *de Orig. jur. natur.* jus naturale varias admittere significaciones, & non uno eodemque sensu semper venire. Aliquando enim in genere significat omne illud, quod justum, æquum & bonum est, quia conforme & conveniens decreto & voluntati divinæ; atque hoc sensu brutis omnibusque individuis secundum innatas ipsis operandi regulas, & fini, ad quem assequendum creata sunt, conforme operantibus, applicatur. Quippe individuum, quod secundum naturæ suæ regulas existit & operatur, juxta Dei decretum justè & benè operari dicitur. Omnia enim individua habent finem ad quem tendunt, quia iste finis ex decreto & divina voluntate dimanat, externos motus & actiones rectas ac justas vocamus, quatenus huic fini inserviunt. *Quod congrua media ducant ad propositos fines, jus est à Deo naturæ datum*, inquit Ivon *de jur. nat. in præfat.* Quamobrem alibi diximus, eum à vero non aberrare, qui per jus & institutum naturæ latè sumptum, intelligendum statuit regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque naturaliter determinatum concipimus ad certo modo existendum & operandum. Verum quemadmodum illæ regulæ a liberrima divina voluntate procedunt; ita quoque operationes istis conformes justæ quidem vocari solent ob convenientiam cum fine, quem Deus sibi proposuit, dum cuique individuo indidit ejusmodi appetitus, inclinationes, sive qualitates, & aptitudinem, ut ita dicam, quæ eadem idonea reddere posset, ut per suas operationes finem

determinatum assequerentur. Verum sufficit hic naturalis appetitus, & naturalis dispositio ad illum assequendum; & quatenus unumquodque operatur modo naturali cuique dispositioni & naturæ cujusque proprio, justè operatur. Hujus generis quoque propagatio cujusque individui ex naturali appetitu proveniens, quæ juxta cujusque naturalem dispositionem peragitur, ab homine & brutis animalibus per conjunctionem corporalem & commixtionem sexus, alia alio modo. Bonus autem & justus propagandi actus, quatenus cum decreto & voluntate divina, tum etiam determinato à Deo sine convenit, & ei assequendo inservit. Verum non justus dicitur propter necessitatem aliquam moralem, quæ actui isti inhæret, adeo ut omitti non possit, quin peccatum admitteret homo, quasi divinæ voluntati non obtemperasset. Quippe illa, quæ necessitatem moralem continent, ejus naturæ sunt, ut absque peccato omitti nequeant, quia ex ipsa divina sanctitate, uti dicere incepimus, profluentia, perpetuam eamque universalem obligandi causam habent, eaque non justa nec bona, quia procedunt à divina voluntate, atque ad certum finem determinata, quæ sibi Deus proponere voluit, dum singula individua produxit, verum justa & recta per se & sua natura, quia ex divina essentia & Dei virtutibus immediate profluunt, quæ homini normam ac rationem vivendi & agendi præscribunt, quam in totius vitæ cursu observare, & quibus omnes, quæ ab eo proficiscuntur, actiones convenire oportet, & propter illam convenientiam justæ dicuntur. Hinc alio

alio sensu iusta dicitur hominum propagatio, alio sensu brutorum. Iusta illa dicitur, non eo duntaxat, quia convenit fini & decreto divino, quod ad illum actum propagandi destinavit, verum etiam quatenus convenit cum ordine & institutione divina vetustissimo mortalium Adamo revelata, scil. quatenus legitimo modo per conjunctionem viri & mulieris perpetua & nunquam interrumpenda intercedente copula, fieri debet. Iusta brutorum propagatio, quatenus duntaxat respondet fini, sive multiplicationi generis sui. Omnem igitur vagum concubitum excludit ordo, quem homo in omnibus dictis & totius vitæ cursu observare tenetur dictante ratione. Itaque modus propagandi ex dictamine provenit, & profluit ex jure naturæ, & sensu, sumpto juris vocabulo, quo significat regulam obligantem ad id quod rectum est; cujusmodi obligatio duntaxat cadit in hominem rationis capacem. Ipse autem propagandi actus, & ad illum naturalis appetitus ex jure naturæ, sumpto eo sensu juris vocabulo, quo significat convenientiam appetitus naturalis, & eum excipiens ipse actus, cum naturæ stimulis ad finem assequendum innatis, quæ obligationem nullam producit ex rationis dictamine provenientes, & proinde universalem, perpetuam & indispensabilem, ut ita dicam, obligandi causam habentem. Verum istiusmodi appetitum in actum deducendi, vel non, hominis arbitrio relictum. Quatenus itaque consideratur matrimonium tanquam merus actus propagandi, liber est, id est, non obligat ratio singulos homines ad illud incundum: verum quatenus hu-

mani generis propagatio non aliter, nisi per legitimam conjunctionem viri & mulieris fieri debet, dictante ratione, eatenus obligat dictamen singulos homines, qui huic operam dare velint, matrimonium inire.

Status
primo-
rum
morta-
lium in-
nocen-
tia.

Status innocentia, in quo primi mortales vita integri scelerisque puri vitam transegerunt, in Paradiso collocati, maxime elucet ex descriptione, quam de iis tradit Moyses, cum in hujus capituli epologo ambos depingit nudos, nullo indumento tectos, quo tegere se homines solent, tum ut caeli injurias a corpore propularent, tum etiam ne obscenis corporis membris detectis, generis sui dignitas & aestimatio, qua omnibus creaturis, & potissimum brutis animantibus antecellit, tam foedo aspectu vilesceret, & praestantiae suae aliquid detraheretur. Quippe cum naturae humanae insitum est studium conservandae dignitatis ac existimationis nostrae, solemus omnem contemptum à nobis amoliri, & proinde eas quoque corporis partes tegere, quarum usus nos brutis magis, quam creaturis ratione praeditis similiores efficit, & proinde aestimationem quam maximè imminui earundem nuditate existimantes, apud omnes fere moratiores gentes receptum sollicitè ista membra tegere, quae natura ipsa ob foeditatem abscondere videtur. Quippe in bruta animalia si oculos convertimus, experimur partes quasdam obscenas mittendis excrementis destinatas, prudentem naturam sic plumis, pilis, cauda, cutisque contractione contexisse, ut earum penitus lateat turpitudine. Nudus tamen homo in mundum prodiit, nudus

nudus in Paradiso à Deo collocatus. Primo intuitu inverecundiæ videtur partes tegendas non tegere, cum vix, uti dicere incepimus, ullæ inveniantur nationes, paucis exceptis, quæ belluino more vitam agunt, ubi detectis hisce membris in publicum procedere moris est. Herodotus in Clio scribit, magno esse apud Lydos cæterosque Barbaros probro, hominem conspici nudum; imo natura docente moventeque, Barbari etiam sub Zona torrida, vestem non patientes, pudenda tamen tegunt. Verum ratio habenda status hominis ante & post peccatum. Cur vestiti incederent in statu primo primi mortales vitam transigentes, utpote qui justitiæ & sanctitatis atque innocentiae purissima veste ornati intus & foris placebant Deo. Cur aliquo tegmine circumdati in publicum prodirent, qui adversus cœli injuriam nulla indigebant tutela, cum nec ex nimio frigore vel æstu incommodum sentirent. Cœli enim hæc intemperies peccati comes est & sequela. Præterquam quod corpore vasti, nullis conflictati morbis, vel naturæ imbecillitatibus obnoxii, quibus admodum debilitatur valetudo, nullum sentiebant incommodum ex variis anni temporibus. Verum nonne ipsa verecundia & pudor adeo obscœnas partes tegendas suadet? Imo vero maximè suadet, & honestas præcipit. Nec ambigendum, quin ejusmodi membra velamento aliquo texissent, si ex nuditate sua verecundiam ac pudorem sensissent. Verum unde pudor & verecundia in ipsis nasceretur, qui nullius mali ideam habebant; nascitur enim pudor, ex conscientia pec-

cati; nullius autem mali sibi conscii primi mortali-
 um, nullam quoque erubescendi rationem habebant. Quamobrem R. Salomon ait, eos ignaros fuisse pudoris, quoniam nec experti essent, quid intersit inter bonum & malum. *Etiamsi*, inquit, *Adam scientia præditus esset, qua animalibus nomina imposuit, a prava tamen concupiscentia immunis fuit, usque dum de arbore vetita comedisset: inde autem in eum prava concupiscentia intravit, ac quid inter bonum & malum discriminis sit, expertus est.* Itaque in statu integro ignarus boni & mali, nullam quoque ideam formare potuit pudoris & decori. Quippe cum me fugit quid sit impudentia, aut illud malum, quo æstimatio mea imminui possit, nullam possum habere ideam pudoris & decori, sub notione pudoris & decori: & cum ignoro, quid me lædere possit, nullam possum habere ideam boni ut oppositum malo. Quamobrem nec erubescerat nuditatem adspiciens adhuc illibatus & integer à peccato; in opere enim Dei inhonestum non erat, omnem adhuc ignorabant turpitudinem Protoplasti, nondum experti quicquam doli vel fœditatis, nondum libido improba extra arbitrium commovebat membra; nondum enim legem in membris suis senserant, repugnantem integræ naturæ sive mentis inclinationi sanctæ & puræ ab omni peccati labe, quam sequentes & eo pergentes, virtutem colebant: itaque non erant solliciti, ne quid contra pudorem admitterent: nec aliquid in corporis membris suspicabantur, quo alicujus probri notam subirent. Verum postquam à fine suo & recto tramite devias-
 in-

integritate & naturæ suæ sanctitate exuti, moralem Dei imaginem amiserunt, inde statim inordinati & à sine alieni motus mentem occuparunt, unde quoque & cogitationes & operationes inceperunt esse malæ & inordinatæ; quia non respondebant amplius integris animi inclinationibus, sed pravæ voluntatis appetitui erant conformes. Hinc cujus bonam ante peccatum admissum hucusque ideam habuerant, ejus illos jam pudebat; unde tegumento induere illa membra cœperunt, quorum adspæctus jam probri & inhonesti ideam in mente excitabat; pudebat itaque illos nuditatis suæ, cujus sensus ipsis manifestabat aliquid mali contraxisse. Pudor enim semper oritur ex re mala, & cum conscientiam quis istius mali habet, tum ipsum pudet. Sic fuit in Adamo: ex hoc pudore, quo perfundebantur, constat, primos mortalium non habuisse mentem puram. Pudor enim, uti diximus, originem habet ex malo, ut cum sentit homo, se deprimi in miseriarum statum, vel infra dignitatem. Conscius erat homo dignitatis suæ, quam amiserat: ornatus enim fuerat divina imagine, sanctus, justus, & ab omni vitii labe illibatus fuerat status primævus, hoc statu felicissimo sua culpa jam exciderat, ab illo summo dignitatis fastigio, in omnium miseriarum abyssum se egerat præcipitem, jam non amplius mens corpori imperabat, corporis imperio fervebat animus peccati labe contaminatus; experiebatur se jam videre malum esse quod fuerat bonum, nuditatem sanæ suam, miseriam, & turpitudinem, seque nihil habere de suo. Jam displicere nuditas cœpit,

quæ

quæ non solum turpis non erat, sed decora etiam fuerat innocenti. Illum ergo puduit, cernentem se nudum. Antea illum pudere non poterat, cum nihil inordinati in corpore, nihil impuri in animo foret. Dolebat, se jam scire quæ didicerat, pudenda ergo campestri tegebat. Quod tegumenti genus etiamnum apud multas gentes barbaras in usu. Campestris denominationem habet, uti alibi annotavimus, à genitalium succinctorio, quo utebantur Romani juvenes in gymnasiis & palæstris, scil. in campis, unde Horatius *1. Epist. 11.*

Incolumi Rhodos & Mytilene pulchra facit, quod Penula solstitio, campestre nivalibus auris.

Unde Augustinus *de Civ. Dei lib. 14. cap. 17.* Porro *campestris* Latinum quidem verbum est, & ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: unde qui ita succincti sunt, *Campestratos vulgus appellat.*

Consuerunt itaque folia fici, ut subligacula formarent & succinctoria. Emendare festinant opus Dei imbecilles, quasi turpe aliquid humano corpori Dominus creator indidisset; jam honoris, dignitatis, ac honestatis tutelam in fici foliis emendicabant, ut inquit Pellicanus *comment. ad cap. 3. Genes.*

Hactenus Moses historiam creationis & omnium rerum diem natalem, atque naturæ humanæ præstantiam & summam felicitatem descripsit, idque secundum rei veritatem, prout de ea divinitus Prophetico spiritu fuit edoctus. Hoc vero fuit aureum illud seculum, quod fabulis suis involverunt Poëtæ, & quod cepit initium cum primi hominis statu innocentis.

DEFEN-

D E F E N S I O
DISSERTATIONIS
D E
ORIGINE JURIS
NATURALIS

O P P O S I T A

SIMONIS HENRICI MUSÆI,

D. & in Acad. Kilon. Jur. Nat. & Gent. Prof.

Vindiciis Juris Nat. Paradisei contra prædi-
ctam dissertationem nuper editis.

CLARO ET GENEROSO
V I R O
D. JOHANNI HUYGENS

S. P. D.

G. V. M.



erè olim dixit Cicero 1 off. Nihil est amabilius nec copulatius, quam morum similitudo: in quibus enim eadem sunt studia, eadem voluntates, in his fit ut æque quisque altero delectetur ac se ipso: efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitia, ut unus fiat ex pluribus. Ex eodem fonte singularem tuum erga me amorem, & incredibilem benevolentiam, quã me semper fueris amplexus, originem suam habuisse mihi persuadeo: eamque in causã fuisse existimo, quod tuorum in me meritorum magnitudo eo creverit, ut etiamsi omnia, quæ a me proficisci possunt, in te conferrem grati animi testimonia, nullam tamen eorum partem assecutus videar; nisi summa tua liberalitas, quæ in multis mihi cognita est, imbecillitati meæ succurrat. Cum olim Ultrajectum, natalem meam urbem, omnibus rebus affluentem, quas in summis deliciis mortales habere solent, in qua bonæ artes &

A 2

disci-

disciplinæ florent, studia colendi causa te contulisses, vix in te incideram, quin statim me cepisset cupido, qua incitabar, arctam tecum familiaritatem & consuetudinem contrahendi occasionem quærere. Cui voto feliciter respondit eventus: & gratulor mihi quotidie de jucundissima tua consuetudine, cujus tantos cepi fructus & quotidie adhuc capio, ut nihil mihi in vita vel optabilius, vel amabilius quicquam posset contingere, quam te familiarissimè uti. A qua familiariter vivendi ratione nec ipse alienus mihi unquam visus fueris: quoniam à te nunquam aliquid fuerit prætermisum, quod mutue consuetudinis usuræ infervere posset. Eadem studia, eademque voluntates, quibus impellebamur ad excolendum iisdem artibus & disciplinis animum, mutue amicitie & contracte consuetudinis non tantum causam & fundamentum, verum arctissimum ejus conservandæ quoque vinculum haud immerito conjicio. Quippe una eademque studia colendi animorum concordia efficiebat, ut sæpissime mutuam quæreremus consuetudinem; qua, ad augendam & conservandam amicitiam, nulla magis idonea ratio, vel fortius vinculum excogitari queat. Verum quod eadem disciplinæ, iisdemque studiis applicando animum, me in tuam familiaritatem & amicitiam insinuaverim, tuis debeo admonitionibus, quibus me exhortatus fueris sæpissimè, ut cum juris civilis prudentia, cui eo tempore uterque operam dabamus, juris naturalis scientiam conjungerem: utpotè quæ omnium publici privatique juris fons est, ex quo purissima hauriuntur juris civilis fundamenta. Hinc aliæ gentes jus civile, quia illa æquitate, sive rectæ rationis

tionis dictamine tanquam fundamento subnixum est, sibi proposuere ut normam & regulam, ad quam suas leges componerent: quippe jus sine æquitate summa merito vocatur injuria; recta ratio sive æquitas anima legis est: quemadmodum tantisper homo vivere dicitur, dum anima corpori conjuncta est: ita tantisper vivit & viget lex, & nomen legis meretur, quamdiu æquitatem pro comite habeat, & cum ea ligata pari passu ambulet. Quid enim aliud est jus, quam ars equi & boni? unde juris notitiam nobis acquiremus, nisi ab ipsa æquitate, id est, recta ratione. Quia hac æquitate Romanorum leges nitebantur, per totum fere terrarum orbem invaluere, tanquam exemplum, ad quod cæteræ gentes suas formarunt leges. Ita justum & æquum visum est omnibus jus Romanum, ut, qui Romanis legibus non tenentur, illud tamen tanquam æquitati naturali maximè consentaneum libenter sequantur, & suas leges per has interpretentur, inquit *Damboud.* in prax. civ. rer. cap. 12. Jus civile Romanum naturali & civili æquitate ante omnes pollet, & ad illud ubique recurrunt. *Servin.* playdoy.

Inter leges omnium gentium, nulla reperitur magis justa & rationi consentanea, quam quæ est in libris juris Romani. *Cont. lect. jur. cap. 9.* Idque non mirum, quippe quod ex purissimo illo fonte rectæ rationis, sive juris naturalis, id est, divini moralis & necessarii, & illo omnium legum naturalium compendio decalogo, *Moyse in monte Sinai tradito*, originem ducit. Cum enim indies magis magisque homines negligenter diligenter examinare rationis dictamina, placuit

cuit summo Legislatore viva voce, qua magis afficiuntur mortales, leges naturæ quasi renovare, & ad earum obedientiam, cum metu pœnarum, tum præmiis, hominem tergiversantem impellere, & invitare. Hinc Martianus legem munus & inventum Dei pronunciat. l. 2. ff. de ll. Ad harum legum naturalium exemplum, alii principes in sua civitate leges condidere; ut inter Egyptios Mercurius Trismegistus: quem eas a Moyse quasi de manu in manus accepisse tradunt. Ab Ægyptiis Græci, a Græcis Romani olim petierunt, missis in Atticam legatis, qui jura ejus populi describerent, & Romam deferrent: ex quibus primo decem tabulas, & interjecto aliquo tempore hisce duobus adhuc additis, leg. XII. tabb. composuerunt, quas fontem omnis publici privatiq; juris Liv. 3. cap. 34. finem æqui juris Tacitus vocat. Hinc magnam legum Romanarum cum Mosaicis consensionem animadvertimus. Merito igitur rem sanctissimam vocat civilem sapientiam Tullius, cujus origo tam augusta est: merito ejus cultores Sacerdotes, id est, sacerorum Antistites appellantur: utpote qui huic rei sanctissimæ cœlitus missæ præsumunt & operam dant, ejusque curam gerunt. Itaque merito, qui animum juris civilis prudentiæ applicare, justitiam colere, boni & æqui profiteri notitiam velit, oportet eum primo naturalis juris scientiâ, ejusque præceptis animum imbuisse, utpote quæ ad illam veram non simulatam philosophiam, scil. juris civilis prudentiam addiscendam, faciliorem nobis viam pandit: dicitur enim jus civile collectum & tanquam ex fonte suo derivatum, nempe juris naturæ & gentium præceptis; qua-

quare ejus prudentia non immerito quoque vocatur rerum divinarum scientia, continens ea, quæ ex ipsa divina profluunt natura. Quomodo quis sibi jurisperiti nomen applicare audeat, qui ipsam juris artem ignorat? Quid enim aliud est jus quam ars æqui & boni? quis juris peritus, nisi qui ejus notitiam profitetur l. i. ff. de just. & jur. qua ratione autem ejus cognitionem sibi quis compararet, qui, quid æquum, quid bonum sit, ignorat? æquum est quod cum ratione naturali ejusque dictamine convenit. Unde si quis de æquitate juris vel legis disputare ac judicare velit, oportet eum rectæ rationis dictata in consilium adhibere, quoniam ex ejus convenientia vel disconvenientia cum ratione sive recti & honesti, æqui & justī nobis innatis principiis, quid æquum, quid iniquum, quid justum & injustum sit perspicimus. Quam multa sunt juris civilis capita, ex jure naturæ desumpta, quæ perperam explicantur; quia sæpissime ab illis non intelliguntur, quos juris ejus, ex quo originem habent, fugit notitia. Ita quam utilis & necessaria juris naturæ scientia, facile ex hisce colligimus, & neminem mihi fore hominem persuadeo, qui non idem tecum, Vir Amplissime, sentiet. Non opus est hic multis verbis, ubi tot magnorum virorum, quorum fama nominis & terras & mare implevit, adsunt testimonia. Nondum credo memoria tua excidisse, quæ de utilitate ejus disputantem audivimus virum summum, literarum & Historiarum scientia ætatis nostræ facile principem, JOHANNEM GEORGIUM GRÆVIUM, earundem in alma Trajectina Academia Professore, cum nobis Ciceronis, quos de officiis scripsit libros, quibus vera continentur juris naturæ fun-

fundamenta , diligenter , ornate , atque distincte explicaret. Extant præterea GROTII , SELDENI , PUFENDORPII , RACHELII , aliorumque de hac disciplina doctissima scripta , e quibus perspicimus quoque eorum de utilitate juris hujus judicium . Verum in hac disciplina excolenda , eadem , quae in cæteris , observanda est ratio ; scilicet ut non quorundam virorum auctoritas , sed sua cuique ratio sit regula & norma , secundum quam de veritate judicat , & ea tanquam duce utatur , quo ad notitiam veri perveniat , cujus investigationem hominis imprimis propriam esse olim dixit Cicero I. off. utpote qui labi , decipi , errare , turpe ducatur . Verum in ea inquirenda non multos quis faciet processus , qui usum rationis contemnens , ab aliorum ore & auctoritate pendet . Quamvis enim quis doctrina & ingenio sit florentissimus , tamen non desinit esse homo , id est , multis erroribus obnoxius , quos nonnulli cæco impetu , nullo rationis propriae discursu adhibito opiniones amplectendo , avidissime imbibunt , & tanquam infallibilem veritatem defendunt , quo contingit ut errantium numerus augeatur , & veritas supprimatur ac in obscuro lateat . Quia hanc veritatis investigandae rationem , quam aliis commendo , imprimis ipse secutus sum , postquam tuis , Vir Amplissime , exhortationibus , quae magni apud me erant ponderis , incitatus , me totum huic disciplinae excolendae dedissem , comperi quod rerum usus quotidie nos docet , doctrinam nimirum neque ingenii acumen efficere , ut ab erroribus immunes simus . Quippe neque Grotium , neque Seldenum , neque Pufendorfium , quamvis doctrina & eruditione excellent , in omnibus tamen veritatem

rem assecutos fuisse mihi persuadeo. Quamquam opinionem suam, quam quis putat vero consentaneam, obnixè defendere, & aliis tanquam veritatis fundamento subnixam persuadere velle, a ratione non sit alienum. Donec ejusmodi ipsi argumenta & rationes suppeditentur, quæ eum errare convincunt. Summa enim esset arrogantia sive potius insania, si quis ejusdem mecum conditionis particeps, id est, iisdem erroribus obnoxius, suam de re aliqua opinionem pro veritate obtrudere vellet, a qua recedere fas mihi non esset: & dum sibi liberum judicium arrogat, eo me velit spoliare. Quamobrem nihil videtur absurdius, quam, si quis a communi opinione, quæ jam adeo inveterata est, ut pro infallibili veritate ab innocente plebe habeatur, recedat, vel alicujus viri, cujus magna est propter summam doctrinam auctoritas, ejus opinioni adherere nolit, quia sibi videtur a vero aliena, id est, dictamini suæ rationis contraria, eum statim omnibus probris & fictis calumniis prosequi, & tanquam hæreticum, id est, orthodoxæ & veræ fidei ac religionis hostem, & consequenter Reipub. perniciosum civem, utpote dogmata regię religioni, a cujus quieto exercitio civitatis tranquillitas, & salus pendet, divulgantem, civitate ejiciendum arbitrari: vel saltem ut mitigarent pœnam, famæ suæ non levem notam incurrunt, cujus conservatio bono & honesto civi non minus chara, quam ipsa vita esse debet. Non desunt hodie ejusmodi homines, quibus aliorum a sua opinione divortium, statim stomachum movere solet, ideoque quasi furore agitati iis statim aquam & ignem vellent interdicerè, si judices essent, quorum sententiam, ubi
B dili-

diligenter examinarunt, sæpius ipsi fateri coacti sunt, se nimis in judicando fuisse præcipites, similes illis, quos Celsus in l. 2. ff. de ll. inciviles appellat, qui non tota lege perspecta, sed aliqua ejus particula proposita, judicant vel respondent. Verum incommoda hæc sunt perferenda tanquam humanæ naturæ vitia; & nihilominus quisque suum debet sequi iudicium, & propriis niti rationis suæ viribus, si innumeros velit fugere errores, adhibita illa cautione, quam alibi descripsi. Hæc libertas, quam mihi arrogavi, & cuius competere existimo, in causa fuit, quod olim & nuper verbis & publicis scriptis quidam bilem suam contra me evomuerunt, mordicus suis præjudiciis, & communibus ac veteribus opinionibus adherentes, quasi nihil novi excogitari posset, quin simul esset perniciosum: omnia autem ipsis nova videntur, quæ rationis vi e tenebris quis in lucem protraxit, cum nihil iis sit vetustius, quoniam ex ipsa ratione ortum trahunt. Iisdem erroribus & præjudiciis, author VINDICIARUM juris Paradisei occupatus videtur, contra quas hanc meam defensionem in lucem propello; nullus enim dubito, quin, si ratio tantum apud eum valuisset, quantum præjudicia, hæc publicando vindicias summam illius juris, cujus publicum docendi suscepit munus, ignorantiam non fuisset proditurus. Quod autem hanc meam defensionem, quam necessario injustis authoris vindiciis opponendam censebam, tibi offero, Vir Amplissime, ipsa postulat a me æquitas; quæ continuo auribus nostris insufurrat suum cuique tribuendum, scil. si quædam in hoc libello, qui sibi tuum inscribit nomen, occurrant,

vant, quæ tibi placere possent, ea tanquam fructus
& tuarum exhortationum, & jucundissimæ consuetu-
dinis tibi debeo, ita ut jure eos vindicare posses, tan-
quam tua opera & cultura tibi acquisitos. Præter-
quam quod tam multis tibi sim devinctus nominibus,
ut merito ingratum me diceres, si aliquam testandæ
meæ erga te propensæ voluntatis, & summæ obser-
vantia occasionem prætermitterem. Accipe itaque
hoc utcunque sit leve & parvum munus tanquam gra-
ti animi, apud quem nullum tuum erga me officium
intermoriturum existima, & mutua necessitudinis te-
stimonium, & eodem me prosequi amore ac volunta-
te, qua te complexus sum, perge, vale.



A D

DISSERTATIONEM P R I M A M.

§. I.

Prima thesis, quam a me rejectam defendit, ac affirmat author vindictarum, hæc est: *Jus naturale esse homini coævum.* Cujus thesios veritatem non adeo defendit, quam quidem occasione ejus impugnat illam positionem, qua asserui, jus quatenus significat omne illud, quod justum & æquum, seu decreto divino congruum est, etiam brutis cæterisque individuis, secundum naturam ipsis innatam operantibus, applicari posse. Nos, priusquam singularem de jure brutorum quæstionem examinabimus, quædam ad adstruendam thesin nostram negativam, in medium proferre conabimur. Notandum in hac thesi per jus naturale me non intelligere rectam illam animi dispositionem, qua homo in statu integro inclinabatur versus ea, quæ naturæ suæ integritati respondebant, & Deo creatori suo placebant, ideoque justa, bona & recta erant: eo enim sensu homini jus naturæ ab ipso existentæ suæ
mo-

momento tribuimus; quemadmodum enim homo, qua animal rationale, sine anima concipi nequit, ita anima non potest existere sine voluntate, neque voluntas sine appetitu; iste autem appetitus seu inclinatio illa cum deberet esse conformis sanctæ divinæ imagini, qua ornatus erat homo, semper ferebatur in bonum; neque a recto illo tramite deviare poterat procedendo, id est, innatas sibi inclinationes, & bene dispositam voluntatem sequens; verum recedendo & deserendo regiam illam viam, id est, rectas & ex animi integritate & recta dispositione proficiscentes inclinationes rejiciens, & malo ac pernicioso Serpentis præbens aures consilio, se suosque posteros in omnium miseriarum conjecit labyrinthum; ita ut contententes beatissimam illam conditionem cum corrupta nostra natura, merito cum Propheta *Isa. 1: 21.* rogemus: *Quomodo effecta est meretrix urbs fidelis? Et plenissima jure, in qua justitia pernoctabat, ea nunc homicidarum plena est. Et Jerem. lament. cap. 4: 1. Quomodo obscuratur aurum, mutatum insigne aurum præstantissimum; diffunduntur lapides sanctitatis in capite omnium vicorum Filii Tzionis pretiosissimi, qui taxandi essent auro purgatissimo: quomodo reputantur pro utribus testaceis, opere manuum figuli.*

S. 2. Per jus naturale hic intelligo illam regulam actuum moralium, obligantem ad id quod rectum est; ideoque legem naturalem; seu dictatum rectæ rationis, quod ex contentione illorum oppositorum scil. boni & mali, justi & iniqui, seu ut Grotius inquit, ex convenientia vel disconvenientia actionum nostrarum cum natura rationali, sive primis nobis innatis

honesti principiis, indicat, illam esse bonam, ideoque præceptam, hanc malam, ideoque vetitam esse: omne enim, quod bonum & justum est, necessitatem nobis imponit, ut illud faciamus; quod malum est, ut ab eo abstineamus. Legis itaque objecta sunt rectum & iniquum, justum & injustum, illud subjectum præcipiendi, hoc vetandi, illud comitatur præmium, hoc pœna: lex autem nobis innotescere, ideoque obligare nequiret, nisi præcesserat distinctio boni & mali; ex natura enim boni & mali fluit vel jussio vel prohibitio, ex illa iterum vel præmium vel pœna. Est enim tam arcta eorum concatenatio, quia ex ipsa Dei natura profluunt, ut posito uno alterum ponatur necesse sit; consistit itaque legis vis in illa notitia boni & mali, quia sine illa non procedit obligatio scilicet cum effectu; notitia autem consistit in distinctione justici & injustici; distinctio ad illam pertinet animæ facultatem, quam intellectum vocamus; ejus enim officium est objecta discernere, prout unumquodque visum fuerit: quomodo autem mens objecta discerneret, nisi prius existant? Cum autem nihil possit existere, nisi existentia suæ causam habeat, omnis autem causa revera debeat esse ens positivum, quod revera est & existit; quod enim non est, agere non potest, ideoque producendi aliquid incapax, hinc nullum ens privativum, ut ita dicam, cognosci potest, nisi positivum præcedat, quod quasi istius causa est; hujus absentia, seu defectus est quasi istius productio, quemadmodum unius corruptio est alterius generatio. Unde concludimus, bonum revera existere ac semper extitisse per se, quia veram habet existentia suæ causam, malum

lum vero non exstitisse, quia nullum productionis suæ authorem vel causam habet, nisi ipsam boni privationem seu absentiam, quæ cum nihil sit, id est non ens, nulli rei potest essentiam vel existentiam tribuere. Cum autem nulla eorum, quæ existunt, alia possit excogitari causa, nisi Deus, summe perfectus, summe sanctus, summe bonus, omnia, quæ produxit, sui similia esse necesse fuit, id est, in suo genere bona & perfecta; quippe si aliquid mali adfuisset, ex nihilo produxisset nihil, quod contradictorium est: verbum enim producere, si sumatur pro creare, est ex nihilo facere aliquid producendo rem, quæ & existentiam habet & essentiam; creare enim est agere, non agit autem, qui nihil facit; omni enim actione continetur aliquod factum, omne vero factum relationem habet vel ad eum, à quo procedit, vel ad rem, cui applicatur. Quando itaque ad originem omnium individuum respicimus, quæ a Deo creata dicimus, significamus actionem, seu opus, vel factum Dei, quod extra Dei naturam refertur semper ad subjectum, quod revera existit & veram suam existentiam & essentiam intercedente opere seu facto, a Deo tanquam prima causa; habet.

§. 3. Cum itaque summum bonum sit omnium rerum causa, necessario omnia, quæ produxit, in suo genere bona esse debere; quippe si aliquid mali admixtum fuisset, non potuisset esse rerum principium; cum malum sit privatio boni; ubi itaque illud est, nihil est; nihil autem non potest agere, ideoque aliquid producere: ex parte autem bonum, ex parte malum esse non posset, esset enim contradictorium simul existere & non
exi-

existere. Quia itaque debuit esse aliquod rerum hu-
 manarum principium, a quo omnia esse suum habent,
 illud bonum fuisse oportet, quia debuerat esse ens,
 quod agere posset, & consequenter omnia, quæ pro-
 duxit, bona esse debuerunt, quia omne sui producit
 simile, & impossibile est, quod ex bono posset dima-
 nare malum. Præterea quod ex illo, quod perfectum
 est, non possit imperfectum proficisci, ideoque omnia,
 quæ creata sunt, bona & perfecta sunt in suo genere;
 si autem malum ipsis aliquod inhæsisset, aliquid de-
 fecisset, ideoque imperfectum fuisset, quod creatoris
 naturæ adversaretur. Hinc concludimus jus naturale,
 quatenus significat *regulam actuum moralium, obli-*
gantem ad id, quod rectum est, homini cœvum non
fuisse: quippe quoniam illa regula seu lex naturalis,
nihil aliud est, quam dictamen rectæ rationis, id est,
distinctio quædam justi & injusti, boni & mali, ab
anima seu intellectu profecta, & nobis oblata, ut fa-
ctorum & dictorum haberemus rationem: cum autem
 illa distinctio ab anima produci nequeat, nisi prius exi-
 stant objecta seu illa duo contraria, quæ distingui de-
 bent, ex quorum contentione anima dijudicat illud
 justum, hoc injustum esse, consequenter leges natu-
 rales in statu integro nullæ obtinere, quod bonum
 & malum, legis objecta tanquam inter sese opposita,
 non extiterint. vid. §. 4. *Dissert. de orig. jur. nat.*
 Quis enim ideam boni tanquam malo oppositi habe-
 re posset, qui mali ignarus est, nisi vellet paradisci
 juris Doctor eam nobis innatam esse, quæ opinio vel
 summæ insaniam vel summæ impietatis certum esset te-
 stimonium. Non contradico mihi, quando malum
 dico;

dico, legis objectum; objectum dico non quia est aliquod positivum, ideoque eandem quam cætera haberet originem, sed quatenus cadit sub idea intellectus, qui non tantum potest concipere bonum tanquam ens positivum, verum etiam ejus contrarium seu oppositum scil. malum tanquam ens privativum: contrarium merito vocatur, quasi contra naturam, scil. illam, quæ in statu integro sanctam & rectam referebat Dei imaginem; hinc inquit Aug. de civit. Dei. *lib. 5. cap. 9. malas voluntates non esse a Deo, quoniam contra naturam sunt.* Quemadmodum enim omnium materiæ motuum, quemadmodum omnium mentis inclinationum eadem est causa universalis, nempe ipsius author naturæ, hinc omnes motus secundum lineam rectam natura sua ducuntur, nisi a causis externis & peculiaribus determinati in lineas circulares ipsarum inventu agantur: sic omnes, quas a Deo accepimus inclinationes, rectæ quidem sunt, & ad bonum utrumque unicè tendunt, nisi ipsius naturæ impulsus a causa quadam peregrina in malos fines deflectatur: hæc vero causa peregrina eadem est, quæ omnia, quibus afficimur, mala invexit, & inclinationes labefactavit. vid. Malebr. *lib. 1. de inquir. verit.* Ille primævi nostri parentis a recto tramite, sive naturæ impulsu deflexus, vera peregrina causa appellari potest, in non faciendo, quod faciendum erat, ideoque in absentia defectus ejus, quod adesse debebat, consistens.

§. 4. Argumenta, quæ juris paradisei Author adfert, persuadent mihi illum sensum nostræ Theseos plane non intellexisse; præsentem nostrum statum, quem corruptum vocamus, confundens cum primævi

C

in-

integri hominis conditione; & malo posito principio, malas inde deducens consequentias, & ratiocinationes, Coævum voco, quod homini integro congenitum & innatum fuit; nihil autem ipsi innatum fuit, nisi quod divinæ respondebat imagini: quoniam autem illa imago consistebat in rectitudine intellectus & voluntatis, ita nihil ab hisce facultatibus proficiscebatur, quam quod rectum & bonum erat; erat enim omnibus rebus creatis innatus motus ad bonum, quia summum bonum earum omnium erat principium, quemadmodum omnium principium & causa, ita & finis; si autem finis bonus, ita ille motus, quo a principio ad finem tendimus, utrique respondere debet; quatenus itaque omnia ad finem suum tendunt, eatenus eorum motus seu inclinationes bonas vocamus, quia huic fini respondent, posito inter hominem, & cætera individua, quæ ratione carent, hoc discrimine, quod homo finem, ad quem cursum suum dirigit, & tanquam metam, qua nostra salus & beatitudo continetur, arripere conatur, noverit, ideoque non exco quodam impetu ad finem suum, verum rationis præeunte lumine tendit, quod repræsentat ipsi creatorem suum, tanquam causam & principium existentiz & essentiz suæ, & fontem tot beneficiorum, quæ ex illo in se derivata erant, & adhuc singulis momentis redundabant: itaque non timebat ut vindicatore peccatorum, sed venerabatur ut creatorem, & diligebat tanquam tot in se beneficiorum scaturiginem. Quoniam intellectui ut talis observabatur, voluntas semper & continuo motu ad illum finem tanquam unicum bonum ferebatur. Istos motus seu inclinationes illas, quia
 ex

ex ipsa imaginè, qua ornatus erat homo, fluebant, naturales & homini congenitas, ideoque coævum dicimus: justæ quidem erant, non quasi ex boni & mali notitia provenientes, ideoque legi conformes, verum quia rectitudini intellectus erant consentaneæ. Longè a nostro scopo aberrat Auctor, quando illud homini coævum dicit, quod hodie ipsi innatum est, & argumentatur a corrupta nostra & ad vitia prona animæ nostræ dispositione, ad puram & integram, nullisque maculis adpersam primævi parentis naturam. *Sed & illi in errorem pravi sunt, inquit pag. 54. §. 13. qui illud, quod naturale atque coævum homini dicimus, minus distinctè & æquivoçè concipiunt. Sed qui possunt alii distinctè concipere, cujus ipse confusam habes ideam, ideoque minus distinctè proponas. Ita pergit Author, Si quis species illas practicas, quas leges naturales dicimus, homini non esse congenitas, nec infantibus impressas, sed per usum rationis adultæ, ex contemplatione conditionis humanæ, ab intellectu agente produci, vel illud etiam homini coævum dici posse statuunt, quod per vires rationis ab ipso, postquam ex infantili emerit inscitia, doctrinæ vel meditationis adminiculo accedente, investigari potest, etiamsi ab ipsa nativitate ipsi actu non inexistat, a vero sensu primæ nostræ Thæseos aberrat. A quorum errore non est immunis semiantinomus noster, putans ex actuali instituta boni & mali comparatione legem naturæ emeruisse, quod infra refelletur. Quid per species illas practicas intelligit, explicat, pag. 36. §. 14. scil. Lumen illud practicum, regulas legales eminenter continens, quod*

C 2 cum

cum Grotio dictamen rectæ rationis dixeris, semper omnibus & infantibus inexistere, adeoque dum naturale est, esse congenitum; dum congenitum, esse coævum. Facile hæc omnia possem concedere Authori, si tantum præsentis hominis conditioni applicaret; quippe hinc hodie dictata rationis leges naturales vocamus, quia nobis innata & cordi insculpta sunt, ideoque congenita & coæva, licet non statim atque nati sumus ipso actu ratiocinari valeamus, ideoque judicare ex boni & mali contentione, quid justum, quid injustum, & consequenter quid facere, quid fugere nos doceat ratio; attamen legis objecta & facultas ea ratiocinando cognoscendi, penes nos residet, de qua statim. Verum æquiparat Author nostram naturam vetustissimorum mortalium integritati, & argumentatur ab hodierno rerum usu, ad præteritum hominis statum, quia hodie in nobismet ipsis experimur legis requisita, ideoque ipsam legem; sequitur etiam primos homines, qui eandem nobiscum habent originem, ejusdem fuisse conditionis participes, scil. iisdem, quibus nos, legibus obligatos. Quæ opinio mihi videtur adeo absurda & a recta ratione aliena, ut mirer, quod potuerit invenire suum authorem. Ex ipsa legis naturæ definitione crassissimum Authoris errorem satis clare perspicimus. Est brevis legis definitio, scil. quod sit *recta ratio, jubens quæ justa & bona sunt, prohibens contraria.* Author definit regulam, *intrinsicè justa cum vi coactiva indicantem, & intellectui ipsius animæ tanquam tabula inscriptam à natura penicillo.* Quam definitionem
 Au-

Authoris gratiâ etiam admittimus ; quippe si eam examinemus, coincidit cum altera : regula enim illa, quæ indicat justa cum vi coactiva, ipsa lex est ; justa enim indicando, prohibet contraria, scil. injusta ; ex natura justæ, quod indicat, provenit prohibitio injusti ; quia omne, quod justum est, id est, quod convenit cum illis honesti, & recti nobis innatis principiis, & intellectui inscriptis, moralem habet necessitatem, quæ nos ad illud faciendum obligat, cui faciendi, ut ita dicam, obligationi inhæret altera, qua tenemur fugere illud, quod huic contrarium est, quod malum vocatur. Regula autem, quæ indicat cum vi coactiva quæ justa sunt, ideoque ad ea facienda nos obligat, satis indicat, nostram a bono aversionem, ideoque malum jam existere ; quippe coactio voluntatis præsupponit ejus reluctationem adversus eam rem, quæ coactionis objectum est : quia autem indicatur, non tantum continetur ipsâ justæ naturâ, verum subjectum requirit cognitionis capax, quod & ea, circa quæ illa regula versatur, & finem, cui ista coactio inservit, novit : objectum ejus est justum, finis, ut hominem tergiversantem ad illud faciendum induceret, ita vis illa coactiva satis indicat homini bonum, & malum. Legis itaque objecta sunt justum & injustum, bona & mala ; at ubi omnia bona & recta sunt, justo & iniquo nullus est locus : in statu integro omnia justa fuere & recta, itaque deficientibus legis objectis, ipsa lex defecit ; quippe cum legis virtus consistat in jubendo vel vetando, illa duo necessario requiruntur, bonum quod jubetur, malum quod prohibetur : quia autem o-

mnium rerum principium bonum est, ideo omnia, quæ ab eo producta fuere, bona esse necessario sequitur; impossibile enim est ex bono posse derivari malum, consequenter nisi bonum homini congenitum, & coævum fuisse, id est, simul cum ipso homine originem habuisse? si nihil nisi bonum, unde mali cognitio? quia autem nulla lex naturalis sine jussione vel prohibitione, itaque sine illis objectis boni vel mali, illud istius, hoc hujus objectum est, concipi nequit, sequitur nullum jus, legem significans, homini puro & integro fuisse congenitum, ideoque coævum.

§. 5. Verum consideremus hominem, primæva quidem integritate exutum, & omnibus implicitum corruptelis, innumerisque pravis cupiditatibus, & inordinatis animi motibus agitatam, non adeo tamen omnibus hisce obrutum, quin reliqua adhuc in corde sint illa honesti & decori principia, ad quæ tanquam ad Lydium lapidem examinare queat omnia, quæ vel dicere vel agere, in animo est, & ex illa cum iis convenientia vel disconvenientia judicare, num sint bona vel mala: quatenus autem jam hominibus non solum ista boni principia innata sunt, verum ipsis simul ab ipso nativitatis momento quasi inhæret, tanquam hæreditarium quid, ad malum propensio, hinc statim legis objecta in se ipsis experiuntur, quæ adhibito rectæ rationis lumine distinguere a se invicem satis valent, ideoque quid faciendum, quid fugiendum, ipsa dictante ratione, non ignorant; eatenus jam jus naturale homini coævum dicimus. Notandum tamen obligationis execu-

executionem sive sanctionem pœnalem, quæ necessario malum comitatur, tantum pertinere ad eos, qui ipso actu bonum a malo distinguendi facultate gaudent; itaque infantibus quidem legem innatam dicimus, quatenus legis objecta ipsis simul innata sunt: existentibus enim illis objectis, statim locum sibi lex vindicat, quia bono & malo semper inest necessitas, qua adstringimur, illud facere, hoc fugere; verum licet eo sensu lex quidem infantibus innata sit, vim tamen suam exserere nequit, antequam cognoscatur ab eo, quem obligat; itaque quamvis ab initio quidem obliget in genere; in specie tamen cum effectu neminem obligat, nisi qui jam ipso actu obligationis capax est, id est, qui intelligit, quid bonum, quid malum sit; ponendi enim sunt termini habiles.

§. 6. Quia autem nullum ens obligationis capax est, nisi quod distinguendi inter bonum & malum facultate præditum sit: quod enim obligari nequit, huic non potest præscribi lex, sine obligatione lex nihil operatur; ea enim quasi legis anima est; tolle obligationem, legem sustuleris, non in se, quatenus bonum semper ex sua natura obligationem illud faciendi inducit, verum respectu hominis omnem vim suam amittit. Hinc Author juris paradisei occasionem arripit impugnandi nostram Hypothesin, qua asserimus jus naturale, quatenus in genere dicitur pro omni eo, quod justum seu divino decreto congruum est, homini cum brutis commune esse. Verum argumenta, quibus eam evertere conatur Author, tam cruda mihi videntur, ut vix mihi per-

sua-

suadere potuiffem, ea ex ore juris naturæ & gentium Professoris proveniffe, nifi femetipsum speciofo hoc titulo ornatum, libello fuo præpoſuiſſet: quam bellum oportet eſſe gregem, cujus Doctor noſter ipſe caper eſt, quanta de illis nobis polliceri poſſumus, qui ſub hujus Antecęſſoris auſpiciis huic juri dederunt operam! velim eos monitos, ne nimiam de ſtudiis & doctrina ſua habeant fiduciam, quando ſe putant magiſtro fere æquales eſſe, facile ſe deciperent, & ſibi aliquid ſcire perſuadentes, nihil ſcirent, & cupientes ſeſe naturalis juris ſcientia a brutis diſtinguere, ſemetipſos iis redderent ſimiles. Fundamentum, quo Authoris argumenta ſubnixæ ſunt, eſt illa obligationis ſeu legis incapacitas, quæ brutis ratione carentibus inhæret: ubi enim nulla ratio eſt, ibi nullum jus eſſe poteſt, & conſequenter nulla obligatio, quia ratio eſt juris ſubjectum. Bruta autem carent ratione; ergo etiam jure ſeu lege. Ratio hæc eſt; quia lex, quæ jubet bona, vetat mala, requirit ſubjectum, quod juſti & injuſti poſſit habere notitiam, ideoque quod diſtinguendi inter bonum & malum facultate præditum ſit. Quæ facultas, quia ab anima dependet, nulli enti niſi rationali, id eſt homini, ſolum aſcribitur; & conſequenter ille ſolummodo juris capax eſt. Libenter hæc omnia concederem, ſi per jus naturæ intelligatur regula actuum moralium, obligans ad id quod rectum eſt, tanquam oppoſitum iniquo: quia enim huic obligationi ad rectum ex dictamine rectæ rationis procedenti, ineſt & juſſio & prohibitio, ea ad bonum, hæc ad malum perti-
ners,

nens, requiritur subjectum rationis capax, qua ducere rectum ab iniquo, justum ab injusto discernere valeat, ut dixi §. 10. *dissert. meæ*. Quippe frustra alicui subjecto injungeretur obligatio, qua teneretur facere quod bonum est, & fugere quod malum est, nisi distinguendi illa a se invicem esset facultate præditum. Hæc itaque vocis significatio tantum hominem respicit, cui Deus rectam largitus est rationem, ut ejus vi, corruptâ pestifero serpentis inflatu naturâ, cognoscere posset, quæ ipsi incumbere facienda, quæ fugienda. Recta enim ratio jam commode dici potest judicium de rebus, num justæ sint vel iniquæ. *Mæstert. de just. ll. Rom.*

§. 7. Verum quando per jus significamus in genere omne illud, quod justum est & æquum, brutis omnibusque individuis secundum innatas ipsis operandi regulas, & fini, ad quem creata sunt, conformes operantibus, applicatur. Nam individuum, quod secundum naturæ suæ regulas existit, & operatur secundum æternum decretum Dei, fontis omnis justî & æqui, juste & bene operari dicitur. §. 9. *dissert. meæ*. Omnia enim individua finem habent, ad quem tendunt; quia autem iste finis ex decreto & voluntate Dei dimanat, eatenus motus seu actiones rectas & justas vocamus, quatenus huic fini inserviunt. *Quod congrua media ducant ad propositos fines, jus est, a Deo naturæ datum* inquit *Ivon. de jur. nat. in præfat.* Hinc diximus. §. 9. cum a vero non aberrare, qui per jus & institutum naturæ late sumptum, intelligit regulas naturæ uniuscujusque individui, secundum quas unumquodque natura-

D

tura-

turaliter determinatum concipimus, ad certo modo existendum & operandum. Hæ autem regulæ sive motus rebus innati, ab æterna lege dimanantes, qui tanquam media ad finem obtinendum necessarii sunt, leges naturales vocantur, seu jus naturæ dicitur: lex enim seu jus naturæ in genere sumptum, quomodo-cunque illud applices, nihil aliud est, quam divini numinis impressio, cujus solius communicatione vim illam assumunt, qua bonum semper aliquod suapte natura appetunt, & ad proprios fines diriguntur. Quamobrem Plato *legem naturalem in feminibus positam esse*, inquit, quia vim quamdam feminibus innatam animadverteret, qua singula ad proprios actus, propriosque fines propendunt & inclinant. Verum notandum quod dixi in eodem §. quando illas operationes a jure naturæ proficisci statuo, me statim Dei æternum decretum, quod æternam legem vocamus (quia divina ratio nihil ex tempore concipit, sed æternum habet conceptum, hinc æternum divinæ rationis conceptum, jure optimo æternam legem appellare possumus) hoc dico decretum semper justum & æquum, secundum quod omnes illæ operationes determinantur, & eatenus juris naturalis participare dicimus, concipere. Quod ut apertius ostendam, in memoriam revocandum, quod superius dixi, scil. omnium rerum unum & idem esse principium, a quo & existentiam suam & essentiam habent, illud principium omnibus quoque finem assignasse, in quem singulæ feruntur, & simul ipsis media ei assequendo idonea concessisse: iste autem finis, quia ex divino decreto & concep-
tu

tu profluit, immutabilis est, quia immutabilis, necessitatem imponit cuique individuo, qua semper in eum finem fertur: hac necessitate continetur obligatio, quia nihil ex divina voluntate seu ratione proficiscitur, quin statim illud subjectum obliget, ad quod illa voluntas seu istud decretum pertinet: quod enim Deus decrevit, etiam vult; quod autem vult, semper & necessario vult; quemadmodum autem vult finem, ita etiam media, quibus ad illum finem pervenimus, qui vult consequens etiam vult antecedens, sine quo illud consequens assequi non possumus. Quia autem subjecta, quæ divinæ voluntati subsunt, eandem quidem habent causam suæ existentiae, verum non easdem qualitates (sunt enim quædam animata, quædam inanimata; illorum iterum quædam rationalia, quædam irrationalia, pro ut unumquodque subjectum constitutum est) ita mediis, quibus unumquodque finem assequitur, utuntur, licet ad eundem scopum colliment, qui est divinæ voluntatis executio; qua ratione legi naturali satisfaciunt, quia legem adimplere est facere id, quod cuique ab ea imperatur; in quibusdam sufficit inclinatio & impetus, ab authore naturæ ipsis impressus ad finem consequendum, in aliis inclinationem ratione moderari necesse est, omnibus tamen necessaria divini numinis impressio & communicatio: motus autem seu media illa, seu actiones, quæ fini præscripto assequendo inserviunt, propter convenientiam cum illo fine, ideoque cum natura rationali, sive voluntate divina rectas, & justas vocamus; quia ex natura cujusque individui proveniunt naturales;

D 2

quia

quia fini seu decreto divino congruæ, justas; quia utrique respondent, naturaliter justas vocamus, sive quod ipsa natura, id est, Deus, qui sano sensu ipsa natura est, ipsis hujusmodi inclinationes indidit ac implantavit.

§. 8. Quamvis hæc divini numinis impressio & communicatio in omnibus rebus perspiciatur, multo tamen clarius in homine; quippe qui rationis particeps finem novit, & de mediis, quibus ad eum perveniendum est, judicat, recta ab iniquis eodem orationis acumine discernit, & secundum ea vitæ rationem instituit: ex eodem tamen fonte provenit & finis & media ad finem, scil. divina voluntate sive ratione, cui obtemperare æque ac cætera individua obligatus est. Verum magna est differentia, quantum ad juris legumque naturalium adimpletionem. Bruta cæteraque individua legibus naturæ seu Dei decreto satisfaciunt, cum inclinationem & impetum naturæ sequuntur; ista enim inclinatio ipsis regula & norma est agendorum, dum eam sequuntur, semper ad finem tendunt. Homo vero legi & obligationi obtemperat, quando actiones ejus rationi & lumini naturali respondent, id est, cum examinat num inclinationes ejus sint legibus naturæ congruæ, easque exequatur, ubi judicaverit illis esse consentaneas, sin minus supprimat: quippe cum inordinatis animi motibus & pravis cupiditatibus obnoxius sit, quæ a proposito fine, & mediis ad eum consequendum idoneis eum avocare possunt, ideo examinare prius debet inclinationes suas, priusquam iis obtemperet; quod in statu integro non opus erat, licet finem & media noverit: quando

do enim inclinationum cum fine suavem harmoniam in semetipso experiebatur, statim judicare poterat eas sequendas, & illa voluptas, qua cum quotidie perfundeat quieta actionum & inclinationum conscientia, ad finem assequendum eum continuo incitabat, & ad eodem modo operandum, & vitæ instituendæ rationem.

§. 9. Hinc igitur naturæ jus, quod cæteris rebus & animantibus innatum est, nullo modo discrepare ab eo diximus, quod homini insitum est, scil. quoad originem, quatenus ex uno eodemque fonte emanat & derivatur, nisi quod qualitas utentium differt. *Mæstert. de just. ll. Rom.* Eicet diversa instrumenta qualitatis vel constitutionis varietate, diversum edant sonum, idem tamen aëris motus ejusdem causa est: optime H. de Roy de eo quod justum est: *Profecto non de jure naturali, quin vero ne quidem de ullo in rerum natura jure quærendum est, an inclinatione naturali, an ratione humana ejus operatio fiat, sed an in se bonum & æquum spectandum est. Potest enim id, quod natura omnia animalia docuit, ita intelligi, ut operatio per rationem hominum propria sit, operatio autem per inclinationem cæterorum animantium naturæ adscribatur, nec tamen eo minus utraque ad eundem naturæ finem, eundem justitiæ naturalis scopum tendat.* Hinc approbavimus Ulpiani definitionem, qui *jus naturale* definit, *quod natura omnia docuit animalia*, neque illud ipsum diversum quid & separatum existimavimus ab eo, quod hominis proprium est, nisi quod utentium differat qualitas: quemadmodum in quibusdam creaturis naturæ admiranda opera magis:

cernimus, quam in aliis, quamvis omnes ejusdem naturæ participant; ita etiam in quibusdam creaturis splendidiora videmus juris naturæ specimina, licet ejusdem juris omnes sint participes. *vid. dissert. §. 17.* Quatenus cujusque individui fert natura, eatenus divinum ipsi communicatur lumen seu jus naturæ; unum tamen principium, unus idemque fons & scaturigo, ex qua lumen illud derivatur, neque jus illud, licet subjectum, cui illud communicatur, facultatem distinguendi inter justum & injustum non habeat, ratione tamen caret, cum ab æterna lege proveniat, quæ est summa ratio in Deo existens; ideo actiones seu inclinationes brutorum, & aliarum creaturarum secundum naturam ipsis innatam operationes, fini suo conformes, ideoque æternæ legi consentaneæ, merito justæ dicuntur, & juri naturæ adscribuntur. Verum objicit nobis juris paradisei umbraticus Doctor, pag. 51. *intrinsicum esse justæ prædicatum, ideoque nullam creaturam, nullam actionem a justitia creatoris, ab externa ratione justæ dirigente, proprie justam dici. Imo ne quidem lex æterna, quæ non differt a justitia, & sapientia Dei substantiali, cui sua beneplacita ex genio infinitæ perfectionis attemperat; secundum quam res creatas conservat & dirigit, gubernat, lex proprie dicitur: nisi ad creaturam rationalem, quæ sola legis est capax, referatur. Bruta, inquit, pag. 52. §. 10. à Deo ligantur, non obligantur; adeoque cum sine lege sint, motus illorum recti dici possunt, quatenus ab æterna sapientissimi creatoris ratione ita reguntur, ut in genere suo boni sint atque perfecti: justæ vero absurde dicuntur. Ponamus interim rectitudinem*

nem illam naturalem brutorum figura justitiæ colorari posse, quatenus est conformis ad creatoris justa beneplacita, nullumnè erit essentielle discrimen inter illam & rectitudinem moralem personarum. Nonne si essentialiter distinguantur genera brutorum a genere humano, alia est illorum, alia hujus perfectio; & dissimilimorum dissimilis rectitudo.

§. 10. O plumbeum pugionem! quid justum aliud est, quam quod legitimum & legi consonum est, quodcunque est secundum naturam cuique individuo innatam, quia voluntati divinæ & æterno decreto congruum est, juri seu legi consentaneum est, ergo justum, atqui omnes motus, omnes actiones brutorum secundum naturam ipsis innatam huic conveniunt, ergo merito justas vocamus. Hinc natura dicitur optima justitiæ magistra, quæ nullo vocis ministerio, nullo literarum usu indigens, propriis ac tacitis viribus justitiam omnium cordibus infundit. Natura cordibus omnium animalium certas insculpsit notitias, quas cum observant & secundum quarum dictamen cum agunt, faciunt quod bonum & æquum est; ideoque quod justum, *Mæstert. de just. ll. Roman. lib. 1. cap. 7. Hac de causa penes nos contigit, ut etiam ex omnium animantium natura & actibus, illis vid. quæ naturæ eorum conveniunt, quadantenus confirmari soleat id, quod justum est. Huic juri plerumque adscribitur, quod naturalis nomine vulgo juridice appellatur. H. de Roy de eo quod justum est. Lib. 1. cap. 2. Hinc concludit Aug. de civ. Dei. lib. 19. cap. 21. Justitiam ad normam naturæ dirigi oportere, cum id ipsum justum sit, quod secundum naturam est: scil. unumquodque*
in

in suo genere: inde etiam Conan. *Comment. lib. 1. cap. 1.* statuit, non licere jus a natura sejungere, cum illud nobis non opinio, sed innata quædam vis afferat: auctore Cicerone *lib. 2. de Invent. & lib. 2. de legibus*, inquit, *Hanc igitur sapientissimorum sententiam, legem neque ingeniis hominum excogitatam, neque fictum aliquod esse populorum, sed æternum quoddam, quod universum mundum regeret, imperandi prohibendique sapientia, ita principem legem & ultimam Dei mentem esse dicebant.* Quia hæc imperandi prohibendique scientia ad omnium individuorum finem spectat, ut ad eum tendant, ideo motus & inclinationes ipsis innatæ sunt huic fini, ideoque æternæ legi sive imperandi, præscribendique scientiæ conformes; quia conformes, ideo justæ dicuntur, quia omne, quod convenit legibus, justum est; naturaliter justum, vel quod cujusque naturæ conveniat, vel quia ab ipsa natura sive Deo dependeat, & omnibus creaturis communicetur. Quare fit, ut quæ sunt naturæ, ipsi quoque Deo tribuere soleamus; ut Ovidius, cum inquit: *Hanc Deus, & melior litem natura diremit.*

§. 11. Verum negat Author legem illam æternam proprie legem appellari, nisi referatur ad creaturam rationalem, quæ sola legis capax est: sed nescio quo fundamento hæc Authoris ratiocinatio subnixæ est: legem vocamus regulam & normam agendorum, quod apud Græcos observare possumus, qui, quo legem vocabulo nominant, eodem etiam utuntur, cum normam & regulam exprimere volunt: quid autem æternum decretum Dei, quod legem æternam vocamus, aliud est, quam regula & mensura, secundum quam
omnia,

omnia, quæ a Deo fuere producta, ad finem suum diriguntur, ideoque istis norma & regula operandi, juxta illam ordinationem, & gubernandi rationem, quæ optimum nos ad finem certis mediis, atque ad eum ipsum accommodatis, instituit atque dirigit. Sed pergit Author, *Bruta ligari, non obligari, ideoque sine lege esse, & consequenter motus illorum recte dici possunt, quatenus ab æterna sapientissimi creatoris sapientia ita reguntur, ut genere suo boni sint atque perfecti. Iusti vero absurde dicuntur.* Illam differentiam inter ligare & obligare, quasi hoc supponeret legem & ad illa solummodo referri subjectum deberet, quod legis ideoque obligationis capax est, nunquam apud probatos auctores me legisse memini, neque ullum horum novi discrimen, nisi quod illud simplex, hoc sit compositum: quemadmodum obligare lege, seu obligare legibus aliquem dicimus, ita aliquem ligare legibus, apud *Stat. 4. & Sylv. 3. 15.* legimus. Imo legem a ligando potius derivari, quam a diligendo nonnulli volunt, quia obligat ad obedientiam, id est, ligat subjectum ad faciendum illud, quod ipsi a superiore imponitur. vid. *Burman. Synops. lib. 4. cap. 2.* Quod autem ad finem suum tendit, utendo mediis ei assequendo idoneis, facit quod sibi faciendum incumbit, ergo legi satisfacit; nam legem seu jus diximus in genere esse, quod semper bonum & æquum est; tale esse & quidem necessario, ideoque semper & necessario obligare seu ligare, decretum seu voluntatem Dei probavimus. Ex hac cujusque individui finis descendit, ideoque ad eum consequen-

E

quendum omnia, quæ creata sunt, ligata sive obligata sunt, eo adhibito discrimine, quod, quemadmodum inter hominem & belluam cæterasque res creatas, diversam finem cognoscendi, ita quoque diversam eum assequendi rationem animadvertimus: omnia tamen eo collimant, ut legi æternæ, quæ omnium legum naturalium fons & origo est, obediunt: obediunt alia sequentia naturæ inclinationes, obedit homo præeunte lumine rationis: quia enim nihil est, quod legis æternæ sive divinæ rationis non est particeps, fit ut lex naturalis non profus dici possit essentiam ab æterna lege diversam ac separatam habere, imo enim pars ipsius est, ab illa sola pendet & promanat, ab illa denique vim & robur omne suum assumit, inquit quidam & quidem ex mente *D. Thomæ* in prima *secundæ quæst.* 91. *art.* 2. Quod autem juri naturæ seu divinæ rationi & voluntati convenit, justum est, hinc justus motus brutorum, qui fini conformes, ideoque legibus seu juri naturæ consentanei sunt. Sed objicit Author. Nul- lumne igitur erit essentiale discrimen inter illam re- ctitudinem naturalem brutorum, & rectitudinem moralem personarum? Imo erit, non originis & com- munionis, sed perceptionis & usus: docet nos il- lud Cicero *offic.* cum inquit: *Sed inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodque præ- sens est, se accommodat: paulum admodum sentiens præ- teritum aut futurum. Homo autem anima ornatus, id est, divinæ particula auræ, ideoque rationis par- ticeps est, per quam consequentia cernit, principia* ¶

Et causas rerum videt, earumque progressus, Et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, rebus presentibus adjungit atque annectit futuras, facile totius vitæ cursum videt, atque ad eam de-
 gendam præparat res necessarias. Quibus paulo post adjungit: nec vero parva vis naturæ est rationisque, quod unum hoc animal sentit, quod sit ordo, quid sit, quod deceat in factis dictisque, quis sit modus. Ille finem, ille media, & convenientiam inter utrumque novit, ad illum & secundum regulas, ex rationis fonte derivatas, vitæ cursum dirigit ac instituit: verum quid præ cæteris animalibus habet præcipuum, nisi quod ille rationis præeunte lumine, si-
 ve rationis dictamine ad finem tendat, cætera ex inclinatione ipsis innata ad eum ferantur, eumque assequendo juri naturæ satisfaciant, satisfaciendo iusta operentur. Quæ operationes non ratione carent, licet subjectum ejus capax non sit, ut superius diximus. Ut vero sententia nostra solidiori fundamento niteretur, argumentis ex rationis lumine petitis, sacræ Scripturæ auctoritatem adjunximus, & allegavimus. Ps. 148. Ubi Psaltes exhortatur omnes creaturas ad laudandum creatorem suum: *Laudate eum omnes exercitus ejus.* vers. 3. *Laudate eum. Sol & Luna; laudate eum omnes stellæ.* Et vers. 5. *Stare ea fecit in perpetuum, & in seculum, præceptum posuit & non transgredientur.* Cujus Psalmi sinistrum me agere interpretem, sinistre judicat Author, quia verbum *præcepti* proprie intelligo, cum tamen non minus improprie quam *laudandi prædicatum*, ad corpora cœlestia referatur. *Quod*, inquit, *ex divino placito*

*cito proprietates illorum naturales ortæ sint, quod ordinati motus ad creatoris beneplacitum conformentur, concedo. Sed quid concedis, quod negare non posses, si causarum causam, id est, Deum agnoscis, verum, inquit, quod beneplacitum illud creatoris, vi impressæ inclinationis sapientissime corpora cælestia & quaslibet creaturas inanimatas ad fines motusque præstitutos dirigens, proprie jus dicatur, pernego. Equidem cum lex sit oratio, a prudentia legislatoris ad subditos profecta, duplicem rationem connotat, alteram in *legislatore*, alteram in *subdito*; illam *normantem*, hanc *normandam seu normatam non perperam dixerit*. Hic iterum sibi non constat juris paradisei Author, quia iterum confundit, quod toties distinguimus, scil. jus seu legem quatenus ad rectum obligat, ideoque a malo avocatur, unum jubet, alterum vetat, subjectum requirit distinguendi bonum a malo præditum facultate, ideoque rationis capax: quatenus autem jus significat, quod semper bonum & æquum ac justum est, eatenus ad omnium rerum seu animatarum seu inanimatarum operationes fini suo, id est, decreto divino, fonti omnis æqui, boni, & justii, conformes, pertinere judicavimus, quod etiam superius probare conati fuimus, non opus itaque ut iterum repetamus. Ad secundam itaque thesin progredimur.*

THE-

T H E S I S II.

Originem juris nat. ex nondum corrupta primævi parentis natura petendam esse negamus, affir. Author.

§. 12. **Q**uia jus naturale, significans regulam ætuum moralium obligantem ad id quod rectum est, homini non fuisse cœvum statuimus: hinc sequitur, ejus juris originem atque principium ex nondum corrupta, nullisque maculis adpersa primævi nostri parentis natura haud esse deducendam: quippe cum ipsi nihil congenitum, & cœvum esse potuerit, quam quod ex imagine Dei creatoris sui profluebat; nihil ipsi naturale fuit, quam quod bonum, justum, & rectum erat, scil. in se, non tanquam oppositum mali, ex qua oppositione jam ideam recti & justi concipimus, & rectum dicimus, quod judicavimus, ex illa contentione nostrarum actionum cum primis honesti principiis convenientiâ, & malum vocamus ex ejus disconvenientia, sive potius ex defectu seu absentia ejus, quod adesse deberet, id est, ad bonum non tantum propensio, seu appetitus, sed etiam istius executio: quippe anima nostra non solum intellectu, sed etiam voluntate prædita est, quæ necessario semper ad aliquod objectum fertur; diviniore enim ejus ingenitus naturæ vigor, non permittit eam torpere nihil agendo: quemadmodum enim anima non potest esse sine cogitatione, ita voluntas nequit esse sine appeti-

E 3.

tu

tu, neque appetitus sine fine, ad quem tanquam objectum fertur. Illa autem causa seu illud principium, a quo earum facultatum, quibus anima prædita est, originem deducimus, nullum finem sive objectum habet nisi semetipsum, quia neque errare potest, aut ultimum finem suum constituere in entibus, quæ omnia in se non concludunt bona: potest quidem fines minus principales habere, qui omnes tendunt ad conservationem entium, quæ creavit, verum omnes illi tendunt ad gloriam tanquam finem principalem; vult quidem existentiam & conservationem creaturarum, sed ad sui gloriam: cum autem nullum habeat finem præter semetipsum, animæ nostræ finem facile cognoscimus: qui autem finem nobis proposuit, etiam inclinationes nobis indidisse necesse est, quæ sunt perpetuæ impressiones ipsius voluntatis, a quo & omnia producta sunt ac dependent, quibus homo continuo in statu integro ad finem suum tendebat; quippe necessarium est, ut illæ inclinationes omnino similes sint inclinationibus creatoris; cum autem illæ omnes necessario nullum finem habere queant, præter ipsum creatorem; hinc semper ferebantur integri hominis inclinationes seu appetitus ad creatorem suum, ut finem: quia omnia in se concludit, ideoque nihil extra se, sed quemadmodum omnia ab illo sunt, ita sunt etiam propter illum, & ad illum tendunt. *Rom. 21: 36.* principium est, medium & finis. Quoniam autem primi hominis inclinationes versus illum finem tendebant, errare, neque peccare poterat, quamdiu illas sequebatur; quoties autem tendebant ad illum finem,

to-

toties ad bonum & rectum ferebantur, quod eo fine continebatur omne id, quod sub idea boni & recti nobis repræsentatur: cum enim idem finis est, quod principium, hinc utrique applicatur, quod de singulis prædicatur, fons omnis justitiæ & æquitatis Deus est, atqui principium & finis unum idemque est; quia omnia est in omnibus, hinc qui ad finem tendit, ad Deum tendit, si ad Deum, simul ad bonum & æquum fertur: est enim extra omne dubium Deum non posse alium operationum suarum habere finem, quam se ipsum. Hinc omnia produxit propter se ipsum, non quod illis indigebat, verum ex libera voluntate; quia autem sui ipsius finis est omnia in se concludens, non alium finem quam se ipsum, ad quem res feruntur, habere voluit: volens autem creare hominem rationalem; id est, animam, sive ut olim dixerunt, divinæ particula auræ ornatum, duabus prædita facultatibus intellectu & voluntate, ut posset non solum percipere finem, sed ad eum quoque vitæ rationem dirigere, ita nullum ipsi nisi se ipsum finem posuit: quemadmodum percipiebat finem intellectu, ita voluntate ad eum ferebatur; quippe voluntas nihil aliud est quam impressio perpetua Authoris naturæ, quæ mentem humanam fert semper ad finem intellectui propositum; Deus enim operatur in nobis & velle & perficere. *Philip. 2: 13.* Qui cum bonus & rectus sit, homo rectum & bonum operari dicitur, quamdiu ad finem properat, & ei assequendo mediis utitur idoneis: quia vero iste finis est immutabilis, propter immutabilem Dei naturam, (quæ quemadmodum per-

perfecta est, ita quoque immutabilis; quippe mutationi obnoxium esse, est imperfectio) ita quoque istum finem semper vult; vult autem, quia omnia in se ipso concludit, ideoque nihil extra se vel præter semetipsum velle potest: nihil enim vult, nisi perfectum, bonum, & iustum; itaque nihil præter se ipsum, omnia sunt in se & a se, & quidem necessario, quia nullam sui habet causam. Hinc hominem creare volens, voluit hoc propter seipsum: quia propter semetipsum, ideo huius finis ipse esse debuit, ad quem continuo tenderet, & ita simul quod bonum & rectum erat, operatur: quippe tendens ad finem & utens mediis huic fini consentaneis, faciebat quod decebat eum, & facere obligatus erat. Hæc autem Dei immutabilitas & voluntatis divinæ constantia ipsi necessitatem seu potius obligationem imponebat, qua tenebatur, properando ad finem, Dei decreto seu voluntati satisfacere, quæ obligatio in statu integro tanquam lex in se considerari posset, respectu necessitatis, qua obligabatur homo actiones suas isti fini, ideoque voluntati divinæ congruas, formare.

§. 13. Semper autem huic respondebant, quoties inclinationes sequebatur. Si nostra natura non esset corrupta, non opus haberemus quærere, num inclinationes seu voluntas nostra fini, sive iustitiæ & æquitati conveniat nec ne; verum ad id cognoscendum sufficeret consulere internam actionum cum fine harmoniam, & voluptatem ac tranquillitatem, qua nostra conscientia ex illa convenientia operationem nostrarum cum fine fruebatur; itaque nihil aliud seque-

queremur, quam voluntatem & appetitum, qui nos semper ad finem duceret: verum quia per fidem novimus naturæ ordinem peccato eversum fuisse, & in nobismetipsis quotidie experimur inclinationes inordinatas esse, ita ut semper nitamur in vetitum, semper cupiamus negata, alia ratione procedere tenemur, & cum tuto non possimus fidere iis, quæ sentimus, & ad quæ inclinamus, prius examinare ea oportet, quæ in nobis appetitum excitant, & inclinationes producant, an fini consentaneæ sint, id est, num convenient cum innatis nobis honesti & boni & justii principiis ex justitiæ fonte promanantibus, quæ in nobis adhuc experimur. Quamvis enim peccatum omnia corruperit, non tamen omnia destruxit: habemus adhuc inclinationem versus finem nostrum tanquam summum bonum; sunt in nobis adhuc veteris imaginis rudera quædam, quæ docent nos quid deceat in dictis factisque; habemus adhuc impressiones illas Authoris naturæ, verum recedimus ab illis mentis aberratione & perversitate. Quoniam autem post lapsum expertus est mortalium vetustissimus, se a recta posse aberrare via, & indies magis in se ipso sentiret aversionem à primis illis sibi innatis inclinationibus, & dominari in se illi-citas nefariasque libidines, quibus inservire malebat, quam rectæ rationi, id est, innatæ sibi ad bonum inclinationi, obtemperare, sibi ipsi diffusus est, & omnes naturæ impetus, antequam exequeretur, ad rectam rationem, adhibito discursu mentis, & objectorum, ad quæ ferebatur, cum primis illis honesti principiis instituta comparatione, tanquam ad Lydium lapidem examinabat: postquam eorum peregisset exam-

F

men,

men, & circumstantias secum reputasset, iudicium sequebatur, quod eum docebat, quid cum fine suo conveniebat, ideoque bonum, quia bonum, ideo faciendum ipsi incumberebat; quid ab eo alienum ideoque malum erat, & consequenter fugiendum esset; ideoque sibi ipsi legem dictabat, quoniam ex illa contentione objectorum iudicare posset, quid bonum adeoque præceptum, quid malum adeoque vetitum erat; quod dictatum revera lex est, jubens bona, prohibens contraria.

§. 14. Ex quibus facile perspici posse mihi persuadeo, quo fundamento nitatur, quod iudicavimus in magno errore illos versari, qui volunt jus naturale, significans legem seu regulam actuum moralium obligantem ad id quod rectum est (quæ prohibitionem iniqui seu injusti includit) homini fuisse coævum, & consequenter, *ejus originem sive principium ex nondum corrupta nullisque maculis primævi nostri parentis adspersa natura petendum esse.* Miror hic iterum incredibilem juris paradisei Vindicis stupiditatem, tarditatemque ingenii, sibi persuadentis, hac thesi me voluisse statuere, justitiæ atque honestatis officia ex corrupta hominis natura derivanda esse, qui ex incorrupta hominis natura leges naturales (quibus ea continentur) originem habuisse negavi, atque hujus negationem alterius affirmationem includere autumat. Hinc inquit, thes. 2. pag. 57. §. 16. *Quam fæde prolabantur, qui honestatis atque justitiæ officia ex corrupta hominis natura, quam integra derivare malunt; docent errores Pelagii, Hobbesii monstrosæ, Ethicorumque Philosophorum falsæ de jur. nat. opiniones.*

§. 15. To-

§. 15. Toties jam diximus Deum omnis æquitatis, omnis justitiæ & honestatis esse fontem & originem: quippe cum sit summe perfectus, necessario etiam est summe sanctus; si sanctus, ergo summe justus; quoniam enim est prima causa, a qua omnes res dependent & productæ sunt, oportet illum esse quoque causam ejus, quod sub idea justii & recti nobis repræsentatur: cum autem officium nihil aliud sit, quam quod rectum est, quod decet in dictis factisve, quod convenit, & rationi consentaneum est, hinc ex eodem fonte promanasse, ex quo omne illud, quod justum, quod bonum, & rectum est, derivandum esse diximus. Quod enim rectum est, id perfectum officium esse definiunt Stoici. Dei sanctitas sive justitia nobis norma esse debet, ad quam vitam componere debemus, a qua omnia officia, quæ vel ipsi Deo, vel proximis vel nobismetipsis debemus, petenda sunt. Sed differt multum eâ officia adimplendi ratio primi nostri parentis ab illa, quæ post lapsum in statu corrupto adhibenda erat: quia enim in ipsius intellectu & voluntate summa rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obsequium compositæ erant, ut inquit Calvin. *inst. lib. 1. cap. 15.* sequens naturales suas inclinationes, omnibus naturæ officiis satisfaciebat, Deum colebat, proximum diligebat, ad finem sibi propositum tendebat. Itaque quamdiu ad rectitudinem formatæ erant singulæ partes, nil nisi bonum & rectum volebat; & consequenter officio satisfaciebat. Quia vero hodie multis pravis cupiditatibus agitamur, quæ voluntatem & inclinationes nostras sæpissime ab officiis, quæ nobis incumbunt, flectunt, non cæco im-

petu eas jam sequi debemus, verum illæ prius examinandæ sunt, num honesti & iusti nobis innatis principiis convenient; deinde iudicandum, quid bonum & honestum sit, ideoque nobis faciendum, & quidem necessario, ita ut si illud omittamus, peccatum committamus: omne enim honestum & rectum habet in se faciendi necessitatem propter immutabilem Dei naturam, ex qua illud ipsum descendit; huic autem faciendi necessitati inest necessitas abstinendi ab eo, quod huic contrarium est; omnis enim virtus seu omnis rectitudo, & omne officium in actione consistit, ut dicit Cic. *offic.* quia autem illa obligatio ad honestatem seu officii adimpletionem, semper & continuo sine ulla intermissione obligat, hinc continuo omnes actiones nostras huic conformes esse requirit summa Dei sanctitas: ita ut eo ipso momento, quo actio illa deficit, malum committamus; itaque illa intermissio seu iste defectus illud est, quod malum vocamus.

§. 16. Quando itaque nostras inclinationes examinavimus ad prima nobis innata principia, quæ leges naturales seu jus naturæ vocamus, quatenus fini nostro respondent & semper in se bona & æqua sunt, statim nobis inde elucescit quid faciendum, quid fugiendum est; quod iudicium seu dictatum, jubens quæ cum illis habent convenientiam, vetans quæ ab illis recedunt, lex est naturæ, quæ nihil aliud est quam conclusio, quam ex illis contrariis, seu boni & mali oppositione, formamus; ex qua conclusione nobismetipsis legem facimus: non quod nosmetipsos obligamus, (quippe superius diximus illam dimanare necessario ex divina voluntate sive ratione,) verum quod

ex.

ex rationis discursu deducimus, quid cum natura rationali sive primis innatis honesti principiis, ex ipsa natura, sive velis naturæ causa profluentibus, conveniat nec ne, & consequenter quid præceptum, quid prohibitum concludamus; illud præmium, hoc pœnam sequitur. Hinc dicitur, *Rom. 2: 14. gentes, quæ legem non habent*, scil. illam legem, quam Deus in monte Sinai promulgaverat, & per Mosen tanquam legislationis ministrum populo Israelitico datam, vid. *Mal. 4: 4. conf. Job. 1: 17. Gal. 3: 19. Deut. 5: 5. naturaliter ea, quæ legis sunt, facere, atque sibi ipsis legem esse.* Licet imago Dei in ipsis sit corrupta, quâ naturaliter ad justa & recta ferebantur, manserunt tamen quædam reliquiæ & rudera, & justia ac boni principia ac ideæ, ex quorum collatione cum suis inclinationibus, judicare queant, quid sui officii sit, ideoque quid faciendum, quid fugiendum dicat ratio. Verum pag. 61. §. 23. argumentum deducit ex ipsa mea Hypothesi; qua tanquam proprio gladio me ipsum jugulare dicit, quod ita concipit. Dixi in §. 3. *Dissert. meæ leges naturales esse rectæ rationis dictamina*; atqui alibi dixi, *rectam rationem post lapsum esse corruptam*, hinc sequitur leges naturæ ex incorrupta natura sive ratione ante lapsum, petendas esse. Ratio illa est, per quam principia & causas cognoscimus, consequentia cernimus, similitudines comparamus, objecta discernimus, quid nobis conveniat judicamus, & ut uno verbo dicam, ejus vis omnis consistit in intellectu & voluntate: recta dicitur ex convenientia inclinationum cum fine, sive justo & decoro. Hinc §. 28. diximus, nos per rectitudinem, quam

rationi tribuimus, intelligere optimam illam animæ dispositionem & inclinationem versus ea, quæ hodie per oppositionem contrariorum, justa & recta vocamus. Talis autem dispositio non dicenda est lex naturæ, verum juri & legibus congrua inclinatio. Hanc rationem corruptam esse docet nostra ab illis honesti nobis innatis principiis aversio, & ad malum propensio; hinc antequam voluntatem nostram exequimur, prius examinanda an sit hisce boni & honesti principiis congrua, & objecta, ad quæ inclinamur, cum illis contendimus, & postea judicamus, quid cum illis conveniat, ideoque faciendum nobis incumbat, quid ab illis alienum sit, ideoque fugere debeamus; hoc prohibitionem, illud jussionem includit. Ex illo itaque mentis discursu & ratiocinatione lex conflatur, non obligatio; quippe quæ ad superiorem nos ducit summum & supremum, liberrimum legislatorem Deum, omnis justii & recti fontem.

§. 17. Rectæ itaque rationis dictamina vocamus leges naturæ, quia ex illo dictamine nobis constat, quid prohibitum, quid vetitum sit. Recta dicitur, quia nobis dictat quid innatis ipsis justii & decori principiis conveniat, ideoque quid justum & rectum sit: corrupta, quatenus voluntas, quæ in statu integro semper ferebatur ad id, quod honestum, & naturæ integræ sive imaginii divinæ consentaneum erat, jam mittitur in vetitum & a fine aberrat.

THE-

T H E S I S I I I .

*Rationem naturalem juris naturæ fundamentum
ac basin esse neg. affirm. Author.*

§. 18. **Q**uia sanctitatem sive imaginem divinam fontem esse diximus, ex quo omne illud, quod honestum & rectum appellamus, profluit; ita oportet eam quoque esse fundamentum & basin, qua illud innititur, quippe cum sit inter fundamentum, & quod eo sustinetur necessaria quædam relatio; fundamentum enim dicitur, quod sustinendæ rei alicui inservit; hinc si fundamentum aliquod concipimus, simul concipimus rem aliquam, quæ eo fundamento indiget: quippe fundamentum illud est, sine quo res subsistere nequeat, quin statim collaberetur, necessarium itaque oportet in cogitatione & fundamentum & illud, quod eo sustinetur, simul existere, respectu istius relationis; ita ut quando concipimus jus aliquod naturæ seu morale, profluens ex ipsa Dei natura, sive sanctitate, quod aliquo fundamento subnixum statuimus, non aliud excogitari possit, quam eadem Dei sanctitas, quia nullum aliud principium habere potest, & consequenter idem illud, quod principium est, debet quoque fundamentum esse. Humanam itaque rationem juris naturæ fundamentum ac basin constituere absurdissimum mihi videtur, ac idem esset quasi homo sibi ipsi jus aliquod statuisset, quod ex ratiocinandi facultate deductum, cum ea inciperet vigere, & quoque interiret, & iisdem mutationibus, qui-

quibus ratio, obnoxium esset; quod esset reuera jus naturæ cerebrinum introducere, ex densissimis mentis tenebris & vacillantibus quibusdam conjecturis petitum. Qui itaque fundamentum juris rationem humanam statuit, omne jus, & omnem potius obligationem tollit: cum enim jus naturæ oportet esse immutabile, nullum jus naturæ constituit, qui illud tanquam fundamento niti affirmat: est enim essentia ejus, quod sit immutabile, quia immediate profluit ex divina essentia sive imagine, hinc oportet ejusdem quoque esse naturæ, cujus principium & causa, atqui immutabilitas ita necessario causæ inhæret, ut sine ea illam nequeamus concipere, quin ipsam tollamus essentiam; ideoque ipsum jus tolli necesse est, qui statuit illud mutabile esse.

§. 19. Quamobrem statuimus rationem humanam potius medium sive instrumentum esse, quo ea, quæ juris naturalis sunt, cognoscimus. Hanc cognitionem sive notitiam acquirimus, quando ea, quæ intellectus percepit, conferimus cum innatis nobis honesti & fini nostro congruis principiis, vel cum natura rationali, & ex eorum cum ea convenientia vel disconvenientia, quid justum, quid bonum est, discernimus, ac judicamus; præsupponit quidem notitia boni rationem, cujus ope objecta percipimus, distinguimus, & de natura ac qualitate eorum ratiocinando judicare valemus, cujus ratiocinandi facultatis rationem fundamentum esse recte dicimus, quia huic necessario inhæret, & sine ea nequit subsistere; verum ridiculum esset, illam quoque dici fundamentum eorum, quæ duce nostra ratione nobis innotescunt.

§. 20. Ve-

§. 20. Verum inquit Author, pag. 65: §. 19. *indolem legalem ex creaturæ rationalis essentia fluere, tanquam necessarium consequens; ideoque legis basim esse naturam rationis creatæ.* O subtilissimam ratiocinationem! ex qua ejusmodi fluit consequentia; scil. quod ex naturæ rationalis essentia fluit, illud debet esse fundamentum ejus, quod inde fluit; atqui Deum esse, fluit ex creaturæ rationalis essentia; ergo istius, ut ita dicam, Deitatis est fundamentum: quippe quemadmodum illud, quod justum est; ex essentia creaturæ rationalis, ita & Deum aliquem esse, omnium eorum, quæ existentiam & essentiam habent, principium; ex hominis fluit essentia; qui justum concipit, summum ens aliquod concipere debet, unde illud proficiscatur, tanquam ex fonte, quod summum illud ens est, a quo omnia sunt, & conservantur; id est, quemadmodum ex hominis essentia, quæ in anima potissimum consistit, fluit esse aliquod ens, quod summa ratio est, cujus, ut ita dicam, essentialiter & rationaliter participes facti sumus; sic etiam ex illa participatione sequitur, nobis inesse quosdam divini luminis radios, qui nobis tanquam lucerna, justum ex ingenii tenebris in lucem protrahunt, & honesti & recti innata principia docent, quæ ex essentia hominis fluere dicuntur; quia propter illam divini luminis communicationem, animæ nostræ insculpta sunt; verum absurdum esset hinc concludere, quicquid immediate profluit ex essentia sive ratione, eam hujus esse fundamentum; quippe hac ratione illud, quod necessario subsistit per aliud,

G

di-

diceremus causam subsistentiæ ejus, à quo dependet: sic Deum esse fuit ex essentia nostra, quia rationalitas æque ac justitiam & honesti principia causam & principium præsupponunt, unde derivantur & nobis communicantur, quam causam oportet esse ejusdem fundamentum, cujus est principium: nam fundamentum ex eodem fuit principio, unde res, cui inservit, quemadmodum ratio mentis ad Deum est naturalis & necessaria, ut ratio inter fundamentum & illud, quod ea sustinetur, ita quod essentiæ nostræ causa est, idem illud quoque ejus fundamentum est, per necessariam illam relationem. Hinc legimus *cap. 17. act. Apost. In ipso sumus, movemur, & vivimus.* Id est existentiæ, motus sive inclinationum, & rationis nostræ principium & causa est, ac semper manet nostrum fundamentum, quo nitimur, quia per eum subsistimus, & sumus quod sumus. Quod existimus, cum omnibus rebus creatis nobis commune est; quod movemur, solummodo cum brutis; quod vivimus, hominis tantum proprium; vivere dicitur, quia rationis particeps est, cujus vi admiranda Dei opera contemplando, creatoris potentiam, perfectionem, justitiam & summam novit sapientiam. Hinc dicitur Deum *in nares ejus inspirasse vitæ spiraculum*; Gen. 2. 7. & *factus est in animam viventem*, id est, factus est rationalis: vivere enim proprie dicitur, qui ratione utitur, & intellectu & ratione præditus est: quare Hebræi contendunt vocem illam originalem, quæ *spiraculum vitæ* significat, ad hominem solum pertinere. Hinc Johan. in *Evangelio suo. cap. 1. vitam*
 &

& rationem ita copulat, quasi a se invicem separari nequirent; in *principio*, inquit, *erat sermo, verbum vel λόγος sive ratio*, ut commentatores illud explicant, & in ipso scil. verbo *vita erat*. Sic etiam vivere & frui anima, id est, ratione uti, conjungit *Salust. in bel. Catilin.* ubi inquit, *Is demum vivere & frui anima videtur* &c. Omnia autem per hunc sermonem facta sunt, sine eo factum est nihil, quod est. Ab illa ratione, quæ erat in principio, nostræ essentia sive vitæ & rationis, in qua essentia hominis consistit, causam derivamus. Si essentia nostræ causa est, ergo quoque fundamentum subsistentiæ; quippe per eum existimus, & in ipso vita nostra seu ratio est; quod autem essentia causa est, etiam causa & fundamentum est eorum, quæ ex essentia fluunt, scil. illorum, quæ per divini luminis communicationem rationi nostræ impressa sunt: quippe in ea nostram essentiam consistere neminem negaturum mihi persuadeo; omnia autem necessario illi impressa fuere, quæ ex divina imagine, ad quam conditus erat homo, immediate proficiscebantur; omnia ex ea immediate profluebant, quæ sanctitati summi & supremi entis congrua erant, itaque nulla, nisi quæ bona, recta & justa erant: quippe cum ideam boni in nobis experimur tanquam entis positivi; sequitur nullam causam ejus esse præter Deum, quia nullum ens, nisi unum, quod omnium rerum causa est, excogitare possumus: si causa, ergo quoque fundamentum, ut jam diximus; ab illo enim, per illum, & in illo sunt omnia. Intellectus noster medium est sive instrumentum, quo rectum

& bonum cognoscimus, discernimus, ac intelligimus, quemadmodum speculum instrumentum est, quod imaginem alicujus objecti nobis repræsentat: ipsa autem imago inest objecto, tanquam suo fundamento. Iraque errasse mihi non videor, quando rationem naturalem negavi adeo juris naturalis fundamentum & basin esse, ut unum sine altero existere non posset: non eo sensu quasi jus, quatenus ex divina imagine profluit, id est, illæ fini congruæ inclinationes homini non fuissent congenitæ: verum quatenus illa cognitio boni & mali legis objecta, ideoque ipsæ leges, ipsi in statu integro non fuere congenitæ, licet animam habuerit rationalem, quam fontem & fundamentum legum naturalium, justitiam & decori statuit Auctor, quasi illud, quod per oppositionem contrariorum, justum & injustum dicimus, eodem modo cognoverit ille, qui omnis mali expertus nullam ejus ideam habere potuerit. Verum ad aliam Thesin progrediamur, qua Author crassissimum suum errorem magis adstruere conatur.

T H E S I S I V.

Tam arctam concatenationem esse inter rationem hominis, & jus nat. ut a se invicem divelli nequeant.

§. 21. **E**x iis, quæ statim de fundamento juris naturæ disputavimus, sequitur tam arctam concatenationem inter jus nat. & rationem, qua homo præditus est, fingi non posse, ut a se
invi-

invicem ulla ratione sejungi possent : ita ut posita ratione naturali, alterum poni necesse sit. Scio ubi lex est, quod ibi debeat esse subjectum rationis capax, quod obligari potest; verum inde non fluit, quod ratio legem includat: ita ut subjectum ratione præditum, statim quoque legibus alligatum concipiamus, quæ eum ad bonum faciendum impellerent, & a malo deterrerent: toties enim diximus, leges naturales per mentis discursum seu ratiocinium innotescere, distinguendo justum ab injusto, deinde formando conclusiones, ex quibus constat, quid faciendum, quid fugiendum sit, ideoque quid præceptum, quid prohibitum sit, in quibus virtutibus consistit legis vis & essentia : est enim lex, ut inquit Chrysippus, præceptrix faciendorum, & prohibetrix non faciendorum vid. *l. 2. l. 7. ff. de leg.* Quæ facultas distinguendi inter bonum & malum, & ratiocinandi vis rationi tanquam subjecto suo inest; verum ridiculum planè est, inde concludere jus sive naturæ legem nostræ rationi tanquam inseparabile quid inhærere, scilicet in statu integro, ut vult subtilissimus juris paradisei Doctor noster, qui hic iterum statum corruptum cum integro confundit, & ab illo ad hunc argumentatur, quod ubique animadverto, unde tot absurdæ conclusiones, quas ex malo principio deducit. *Connecti*, inquit, *pag. 56. §. 30. rerum adjuncta cum subjectis, quibus inhærent per se patet; verum illorum ab his separari alia possunt, alia non possunt. Ex horum numero (scilicet quæ à subjecto separari non possunt) legem esse naturæ, respectu creature rationalis, supra jam probatum est.* (Egregiè vero)

cum natura legalis sit proprietas, ex humanæ rationis essentia fluens. Ita ut lex naturæ nequeat divelli a ratione, cui tanquam subjecto necessario inhæret. *Quæ arcta concatenatio, inquit, §. 13. cum ratione humana efficit; ut omne animal rationale, quod legem naturalem habeat, sit animal rationale. Tolle hominem, tolles jus naturæ. Tolle jus naturæ, tolles hominem.* Absurdissima consequentia, quam potius ex Authoris summâ ignorantia, quam calliditate perfectam existimo. Considerat hic hominem tanquam subjectum, cui innatum est jus, sive naturæ lex a primo nativitatis momento implantata est, jubens bona, vetans contraria: utpote qui rationis particeps distinguere valeat, postquam rationis usum exercere potest, quid justum quid injustum sit; idque eo quod in semetipso experitur legis objecta, ex quorum contentione dijudicat, quid malum, quid bonum est; quippe prohibitio & jussio relationem habent ad bonum & malum, ideoque necessarium est, ubi lex locum habeat, illa existere. Hinc arcta jam hodiè illa concatenatio inter jus & rationem; ut nullum sit animal rationale, quin habeat legem naturalem. Habet quidem justî principia, verum sæpissimè ab illis deflectit; quoties autem omittit agere, quod illis principiis conforme est, actio hæc conformis illud est, quod bonum appellamus, omissio sive defectus actionis, malum vocatur: semper autem bono inest necessitas moralis, quâ obligamur ad illud faciendum; itaque omnis intermissio sive defectus illius actionis, quia à bono abstinentia; malum est, & inde lex. Per actionem non intelligimus externam operationem,

nem, quando cum effectu aliquid agimus, verum internam quoque voluntatis ad bonum propensionem: quippe iste voluntatis ad aliquod objectum appetitus actio vocatur, & agere dicitur, quatenus nunquam quiescit, verum semper movetur & inclinatur versus aliquod objectum; quia autem hæc duo legis objecta concurrunt in homine, bonum scilicet & malum, illud in actione, hoc in defectu sive actionis privatione consistens, eatenus lex ad hominem pertinet, & quia duo illa legis objecta post lapsum inseparabilia sunt ab hominis naturâ, hinc æta illa concatenatio inter legem & rationem humanam, ut omne animal rationale legem naturalem habeat; quia & objecta existunt rationi tanquam subjecto suo inhærentia, & distinguendi a se invicem, ideoque concludendi quid bonum, quid malum, quid faciendum, quid fugiendum, quid præceptum, quid prohibitum sit, facultate præditum est.

§. 22. Verum si eodem modo à nostro præsentis statu, ad integram primævi nostri parentis conditionem vellemus argumentari, nullus dubito, quin statim perspiceremus summam absurditatem: omne animal rationale (dicitur) legem naturalem, quia lex fluit ex essentiâ hominis, quæ in ratione consistit; omnis autem homo tale animal est, ergo omnis homo habet legem naturæ; & nullus ab illâ immunis esse potest; si nullus, ergo necesse est Adamum, licet integrum, etiam leges naturales habuisse, quia etiam rationis fuit particeps; atqui nulla ratio sine lege, neque ulla lex sine ratione, legis enim

nim fons & fundamentum est, sequitur iisdem no-
 biscum legibus fuisse alligatum; si iisdem legibus o-
 bligatus fuerit, iisdem quoque vitiis obnoxium fuis-
 se necesse est, quippe obligatio, quæ ex lege descendit,
 præsupponit subjectum habere notitiam illius rei,
 quæ obligatione continetur; continetur obligatione
 actio & omissio sive actionis defectus, & privatio;
 actio ad bonum, omissio ad malum pertinet, ad illam
 impellimur præcipiendo, ab illa avocamur prohi-
 bendo; qui omittit illud, quod agere debuisset;
 malum committit, quia deficit in agendo, vel
 ut dicam in persequendo finem suum; qui omit-
 tit facere bonum, ille in agendo vel persequendo
 deficit, ergo malum committit, jussionem unum,
 alterum prohibitionem includit: obligatio utrum-
 que amplectitur, hanc iterum lex. Rogo jam, quan-
 do mali ideam habuerit Adam, sive quando illius
 defectus & privationis notitiam nactus fuerit, sine
 dubio postquam omisit facere, quod ipsi incumbere-
 bat; omnia agere debuerat, ad quæ eum naturæ
 integræ inclinationes impellebant, quæ, quoniam
 ex ipsa divina imagine fluebant, semper eas sequen-
 do ferebatur ad bonum sive finem suum; quippe
 quoniam omnium motuum seu inclinationum cau-
 sam esse ipsum diximus naturæ authorem, qui cum
 nullum nisi seipsum finem habeat, necessario omnes
 inclinationes, quæ ex incorruptâ naturâ profluebant,
 ad illum finem tendebant, & consequenter ad bo-
 num & rectum: quamdiu itaque illas inclinationes
 sequebatur, bonum operabatur, non ex lege, sed
 liberrimâ voluntate: non diligebat Deum, quia lex
 jubet

jubet, diliges Deum ex toto corde, verum ipsâ impellente naturâ; non diligebat uxorem tanquam proximum suum, quem lex jubet diligere ut se ipsum, verum ex naturæ quodam impetu tenerrimo illam prosequeretur amore. Statim autem atque inclinationes, quas tanquam ducem sequebatur, neglexerat, in malum deflexit finem, & iste motus naturalis, quo rectâ viâ ad finem suum ferebatur, continuo contrariis motibus ab illâ lineâ rectâ, quæ ad finem tendebat, quasi in circulares lineas determinabatur, quæ ab illo fine plane alienæ erant, & quasi sine finem magis magisque a fine suo seduxerunt: commisit itaque malum noster primævus parens, postquam ab illo motu naturali, qui illum secundum rectam lineam ad finem suum ac summum bonum ducebat, recessit, & rectam viam deserendo viæ peccatorum institit, & ambulavit in consilio improborum, & ita a fine suo aberravit.

§. 22. Ab eo ipso momento expertus est varios in se motus, quibus quasi a fine retrotrahebatur, & in alium inellebatur, qui necessario malus esse deberet, quoniam unus tantum sit finis qui bonus, propterea quod una tantum sit causa, quæ omnia in se comprehendit, & nihil nisi quod ens positivum sit, producere queat; ideoque nihil quod malum est: si autem ab illo omnia, ergo extra eum nihil, quod principium & finis esset aliorum individuorum, quippe impossibile est esse aliquod ens summum, quod omnia in se concludit, & a quo omnia existentiam & essentiam suam habent, & præter illud ens aliud concipere, quod aliorum individuorum causa esset:

H

illa

illa enim multiplicatio causarum tollit ideam Dei, quippe si Deum non possimus concipere, nisi tanquam ens simplicissimum, perfectissimum, unum, summum, independens, reverâ Deum negat, qui eum non concipit tanquam solam, unicam omnium rerum causam, si omnium causa sit, etiam finis; nam omnia *ab illo & ad illum*: unicus itaque hominis finis Deus, si unicus finis, ergo necessario ad eum tendere homo in statu integro debuit, & ferebatur quoque ad eum sequens inclinationes suas innatas, & per divini luminis communicationem rationi impressas; illas sequendo bonum operabatur, quia faciebat, quod fini consentaneum erat. Verum postquam naturalem sistit cursum, & innatæ propensionis ad finem quasi restitit, & ulterius non fuit progressus, verum gradum retulit, statim in operando illud, quod bonum erat, defecit, ideoque admisit in se peccatum. Dederat ipsi Deus legem, naturalis inclinatio ad obedientiam ipsum impellebat, Diaboli consilium eum ab officio suo avocabat, si illam secutus fuisset, perseverasset in operando, quod fini suo respondebat, ideoque quod bonum erat; verum præbendo aures Diaboli consilio, naturalis iste ad bonum motus interruptus est, quæ interruptio fuit interstitio & cessatio ejus operis, quod ipsi impositum erat, sive si velis privatio ejus motus, quo inclinabatur ad faciendum, quod integræ suæ naturæ conveniebat, quâ interruptione malo dedit occasionem. Illa autem obedientia, quam legi præstare debuisset, non ex lege provenisset, verum ex eodem naturali motu; nam (ut inquit Calvin.

inst.

inst. lib. 1. cap. 15.) in mente & voluntate summa erat rectitudo, & omnes organicæ partes rite in obsequium erant compositæ, ita ut quicquid volebat Deus, volebat mens, quippe illa ad obediendum inclinatio naturalis erat, & innata, ideoque in intellectu dicitur fuisse summa rectitudo. Postquam igitur motus naturalis versus lineam rectam seu rectam viam ad finem tendens, per extrinsecum vel peregrinum motum a peregrinâ causâ originem trahentem, in alium finem determinatus est, per privationem continuationis inclinationis innatæ, statim malum commisit, quia recedendo a recta & regia via bonum operari neglexit, & malum fecit, quia a fine deviabat: sine autem semel amisso, statim animus variis inordinatis motibus, & pravis inclinationibus hinc inde distrahebatur, & miserabilis eventus docuit eum summo cum humani generis detrimento bonum, cujus jacturam fecerat, & malum, quod incurrerat. Finem suum quasi e longinquo videbat, non ignorabat, quid ipsi ad illum arripiendum, faciendum incumberebat; sentiebat adhuc inclinationem versus universale bonum scil. finem suum; dictabat illi conscientia hæc sequendas esse, verum contrariis motibus continuo a fine recedebat, tanquam navis furentis maris fluctibus jactata, portui, ad quem tendit, inhæret quidem, verum intrare nequit.

§. 23. Quæ cum ita sint, merito negamus tam arctam esse inter rationem & naturæ jus concatenationem, ut illam sine lege, neque legem sine illâ concipere possimus; quippe cum lex inducit obligationem, qua tenemur facere bonum, & malum fugere, opus est, ut illud subjectum, quod obligatur, habeat noti-

tiam illius, quod præcipitur, & prohibetur; nihil prohibetur autem, nisi malum, nihil præcipitur, nisi bonum: oportet itaque subjectum rationale ea objecta legis, circa quæ prohibendo vel præcipiendo versatur, cognoscere, antequam cum effectu obligari potest. Cum autem malum cognoscatur per privationem boni, bonum a malo distinguere, ideoque internoscere nequit, & consequenter ejus naturam examinare, antequam aliquid deficiat, quod subjecto obligationis istius capaci inesse debuisset; quippe diximus illam absentiam sive privationem boni esse mali causam. *Accuratio sententia est eorum, (inquit Walæus in enchirid. relig. reform. cap. de peccato,) qui formam peccati ens privativum seu privationem esse statuunt, quemadmodum cæcitas in oculo est privatio potentie visivæ, quæ debebat inesse. Nam peccatum nihil aliud est, quam carentia bonitatis & justitiæ, quæ debebat inesse, tam principis activis, quam actionibus humanis.* Quando itaque vetustissimus mortalium ideam vel cognitionem mali habuerit, facile perspicimus, scil. postquam deficit ab integritate sua, itaque post lapsum scientiam boni & mali sibi acquisivit: ex cognitione enim mali facile cognoscebat bonum, scil. illas propter divini luminis communicationem impressas rationi inclinationes ad finem suum, a quo aberraverat, quia illum finem pro objecto habebant; ad bonum tendere, quæ his contrariæ erant, quia ab illo fine deviabant, ad malum tanquam objectum suum ferri: quippe ille, ut ita dicam, a fine retrogradus erat privatio illius ad bonum voluntatis, sive naturalis motus, ideoque malus; ex hac itaque oppositione lucefcit, quid fugiendum,

dum, quid faciendum erat: quia enim ista bonitas fluebat ex divina natura, moralem continebat necessitatem & obligationem, qua tenebatur illam amplecti, & quod ei contrarium erat, contemnere & fugere; cujus naturæ omnes isti appetitus erant, qui naturalem ad bonum motum perturbabant; omnis enim intermissio vel cessatio ejus mala est, quia continua est obligatio, a qua nunquam dispensari possumus propter immutabilem Dei naturam: si itaque bonitas continet moralem necessitatem faciendi, ergo quoque abstinendi ab eo, quod ipsi contrarium est; omnis autem interstitio sive cessatio ab illa actione, quæ ei inservit, ei contraria est, quia est ejus privatio, sive tollit id, quod adesse debuerat, quæ contrariorum natura est. Quod ex actione profluit, bonum, quod ex privatione descendit, malum vocatur; malum, quia deficit bonum; bonum, quia adest, quod adesse debuerat: quod revera existit, & existentia causam habet, duo tantum sunt extrema, medium inter ea non datur, itaque vel bonum vel malum esse debet, quod a nobis proficiscitur, illud præcipitur, hoc prohibetur, utrumque ex necessitate morali fluit, illud præmium, hoc pœna comitatur, & ecce legem, quam homo sibi fecit ex contrariorum oppositione. Si ea in statu integro locum obtinuerit, quod necessarium est ex mente nostri Authoris, quia inde legem naturæ obtinuisse affirmat, integer neque perfectus potuit esse vetustissimus mortalium; quippe cum inter ea, quæ lege prohibentur, vel jubentur, & ipsam legem necessaria sit relatio, ita ut requiratur malum, quod prohibetur, & bonum, quod præcipitur: obliga-

tio autem, quæ ex lege descendit, & ad subjectum rationale pertinet, antequam effectum & vim obligandi fortiat, debet præcedere notitiam ejus, quod obligatione continetur; quippe omne bonum vel malum morale obligationem imponit per illam necessitatem, quæ illis tanquam inseparabile quid inhæret, non quod lex illud bonum vel malum propter prohibitionem vel jussionem constituat, quemadmodum leges positivæ & humanæ: itaque oportet in moralibus præcedere cognitionem, nam ex illa obligatio deducitur; in rebus humanis præcedit lex, & per legem cognoscimus quid præcipiatur, ideoque faciendum nobis incumbat, quid prohibeatur ideoque fugere debeamus. Itaque antequam lex naturæ nobis innotescat, adeoque obligationem imponat, necesse est ut subjectum rationale quid sit malum sciat: malum esse diximus privationem boni, id est ejus quod deberet inesse rei alicui, antequam perfecta & bona dici queat; in statu integro leges obtinuerunt, ergo defecit aliquid, unde notitiam boni & mali sibi acquisivit primævus noster parens, & consequenter defecit, quod inesse debuisset ejus naturæ: si vero defecit aliquid, oportet illud à causa, a qua res illa existentiam & essentiam suam habet, profectum fuisse, si ab illa defectus, ergo non perfecta; si non perfecta, ergo non prima causa: prima enim causa nulla perfectione orbari potest, non aliunde, quia quod æternum est, ab aliis rebus non pendet, neque quicquam ab illarum actione patitur: neque vero a se, quia natura omnis suam perfectionem appetit: ita vel prima datur aliqua causa vel non: atqui necessaria est aliqua causa,

un-

unde omnia producta fuere, ergo oportet eam esse perfectam, & consequenter omnia, quæ producta sunt, in suo genere perfecta fuisse; si perfecta, ergo nihil defecit; si nihil defecit, ergo nulla boni & mali notitia; si nulla eorum cognitio, ergo nulla lex; quippe descendit ex illa cognitione lex & obligatio; ideoque subjectum requiritur illa notitia præditum. Illa quidem notitia non cadit nisi in hominem tanquam rationale animal, verum ubi omnia bona sunt, ubi nihil deficit, quomodo ibi defectus; ideoque mali notitiam & ideam habere, & consequenter bonum a malo distinguere possumus: ideoque ipsa notitia boni & mali tanquam inseparabile quid rationi non inest, verum facultas illam distinguendi & acquirendi sibi notitiam existentibus objectis, vel intellectui innatis ideis, recte animæ dicitur inhærere, ita ut ab illa divelli nequeat.

§. 24. Nullus itaque dubito, quin juris paradisi Doctor noster facile ex hisce perspiciet, quam absurdæ consequentiæ ex illa arcta inter rationem & legem sive jus naturæ concatenatione profluunt. Quod si per jus naturæ intelligat illud, quod ex divina fluit natura, & consequenter semper æquum & justum est, absurdissimum esset, quod dicit, *tolle jus, tolles hominem, tolle hominem, tolles jus*; quasi homo juris & justitiæ fons esset: quæ consequentia ex eo sequitur, quando rationem juris fundamentum statuimus; itaque oportet illum divinum numen aliquod esse plane negare, quicumque huic opinioni subscribit; homo enim non statuit ipsum jus, sed juris applicationem facit, quia juris subjectum est.

T H E-

THESIS V. & VI.

Concipientem rectam rationem concipere simul aliquod jus naturæ. Teste enim Osiandro jus nat. nihil aliud esse quam rectitudinem rationis.

§. 25. **Q**uia arctam illam inter jus sive legem naturæ & rationem concatenationem negavimus, ita ut posita ratione naturali alterum poni non sit necesse, & id ipsum rationibus probare conati fuimus; sequitur in conceptu nostro jus & rationem a se invicem posse distingui, ita ut una sine altero posset existere, & sibi invicem ita non cohærere, ut non possumus concipere rectam rationem, quin simul concipere deberemus legem aliquam naturæ, quæ rationi nostræ ita inhæret, ut ab ea divelli neque separari posset: quia teste *Osiandro* jus naturæ nihil aliud est, quam *rectitudo rationis*; quippe si *rectam* rationem hominis integri fuisse dicimus, simul concedimus ipsi jus sive legem naturæ innatam fuisse, quia rectæ rationi oportet inesse rectitudinem, cujus respectu recta dicitur, quæ rectitudo est ipsum jus naturæ sive lex naturalis, prohibens recta, & vetans contraria; ubi igitur recta ratio est, ibi obtinet lex naturæ. Annotanda hic iterum admiranda Musæi nostri stupiditas, qui hanc *Osiandri* assertionem defendendam suscepit, quia sibi persuasit, me ejus propositiones oppugnasse, propterea quod rationem & legem vel ejus rectitudinem ab eo confundi mihi persuaserim, cum inquit pag. 68. *Sed postquam negavisset semiantinomus noster necessariam connexionem, naturam inter & legem naturæ,*
mox

mox statum controversiæ immutat ; & saltu sophistico cum majore confundit , (scil. rectam rationem non posse concipi, quin jus naturæ simul concipiatur) toto cælo distinctam Osiandri assertionem ; jus naturæ a rectitudine rationis non differre. Alia vero est quaestio , de necessaria connexione rationis cum lege , alia de identitate rationis & legis. Quis unquam , cui mens sana est , talia cogitavit , nisi ipse noster Author , qui vix novit semetipsum , dum rationale animal , id est , cæteris brutis longe quid præstantius esse vult , & nihil minus quam ratione utitur : quippe impossibile est , quod sibi potuerit persuadere , nullum se discrimen statuisset inter rationem & legem , sive ejus rectitudinem , ut inquit , §. 36. pag. 68. nisi fuerit præjudiciis suis plane obcæcatus , & quasi delirans. Nescio quid absurdius fingi aut excogitari posset , quam legem & rectitudinem confundere cum ratione. Quanquam vero absurdissima illa opinio , ab ea tamen non alienus videtur Doctor noster ; ideoque defensionem Osiandri suscipiendo , semetipsum oppugnat , & proprio jugulat gladio , ut alibi de me inquit. Satuit in hac thes. 6. rationem & legem a se invicem differre , ita ut lex & ratio copulanda quidem , verum non confundenda sit : verum pag. 65. vult rationem non solum juris fontem & fundamentum ac basin , ideoque & causam esse , ut probavimus superius , verum humanæ essentia ita inhærere , ut sublata essentia , tollatur jus , & sublato jure , tollatur essentia : quippe essentia sive ratio nostra vel juris & legis naturæ causa est , vel lex ipsa , vel neutrum ; causa autem esse

I

ne-

nequit, quia tum ex hominis arbitrio penderet, & consequenter jus naturæ esset mutabile, quod contradictorium est, quia jus naturæ est jus morale, fluens ex natura divina, ideoque immutabile: vel *ipsa ratio* lex est, & sublata essentia tollitur jus, & sublato jure tollitur essentia, quemadmodum corpore dissoluto, forma quoque ac figura evanescit: vel *neutrum* est, verum tantum medium, quo notitiam nobis justii & injusti acquirimus, cui opinioni nos subscribimus: jure itaque quod de me sibi persuadet, sibi applicare potest. Quod Osianderi propositiones oppugnaverim, occasionem mihi dedit illud argumentum a rationis rectitudine petitum, quasi illam rationis rectitudinem, quæ ab ipso existentia momento hominis rationi insita fuit, ideoque recta dicebatur, legem sive jus naturæ vocarem, ideoque homini leges naturales congenitas fuisse, negari nequeat. Notandum autem, quando Osiander rationem rectam esse ipsum jus naturæ dixit, ex eo me non concludere, ipsum rationem & legem unum idemque esse voluisse, verum rectitudinem, cujus respectu recta ratio dicitur, cum lege naturali confundere, quia illam rectitudinem legem naturæ vocat: cum per eam nihil aliud intelligamus, quam optimam illam animæ dispositionem & inclinationem versus ea, quæ nos in corrupto statu, ex contentione nostræ voluntatis cum recti & honesti innatis principis, bona & honesta vocamus. Talis autem dispositio non lex naturæ dicenda, verum juri & legi congrua inclinatio.

§. 26.

§. 26. Hæc enim rectitudo non dictatum est, indicans actui alicui ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali, illud bonum esse, ideoque faciendum, hoc malum esse, ideoque fugiendum, quia bonum, præcipi, quia malum, prohiberi: verum est tantum convenientia inclinationum & actionum, quæ a nobis proficiscuntur cum fine, ideoque bonæ & rectæ appellantur, & illa dispositio sive animæ habitus *rectitudo* dicitur. Si lex esset, deberet esse rationis dictatum; si dictatum, oportet discursum seu ratiocinium mentis præcedere; si ratiocinium, debuissent existere objecta, de quibus ratiocinando judicaret: nam ratiocinium est, quod intellectus relationes vel differentias inter res plurimas judiciis perspicit; ad minimum itaque ad ratiocinandum requiruntur duo objecta, ita ut, qui circa bonum ratiocinari velit, oporteat considerare ejus contrarium, qui de mali natura disputare velit, oportet ut consideret naturam boni: quemadmodum qui concludere velit, omne, quod est rotundum, non esse rectum, prius debeat scire, quid sit rectum, quid sit rotundum, & utriusque habere ideam: & omne quod rotundum est, non posse quadratum esse, oportet eum scire quid sit circulus, quid quadratura, antequam concludere posset circulum posse vel non esse quadratum; sic etiam qui quid prohibitum, quid præceptum sit concludit, antea novisse oportet quid bonum, quid malum sit, quomodo unum noverit, qui ignorat alterum. *Alterum ex altero*, ut Plato ait, *verticibus inter se contrariis deligatum est.*

stuleris unum ; abstuleris utrumque. Atqui omnia in statu integro bona, unde ergo mala? si non male, unde legis objecta? deficientibus legis objectis, deficit prohibitio & præceptum, in quibus consistit legis vis; hisce itaque deficientibus, ipsa lex defecit. Attamen vetustissimus mortalium non caruit rectitudine rationis, id est, habuit animam rationalem, quæ ex bona & ordinata dispositione semper cupiebat, quæ creatori placebant, & naturæ suæ integritati congrua erant, ideo recta & bona; scil. in se, quatenus consentanea erant imagini, qua Deus ex incredibili benevolentia hominem ornaverat, vid. *dissert.* §. 28.

T H E S I S VII.

Affir. Author.

*Esse relata jus naturæ & rationem, ut nullum
jus sine ratione, nulla ratio sine jure
fungi possit.*

§. 27. Si hanc relationem hodie obtinere, & præfenti hominis conditioni applicare velimus, vera thesis est; si de integro statu intelligatur, falsissima, & eo sensu a nobis rejecta est. Rationi hominis adhuc quidem inhærent recti & justici principia, quibus olim inclinationes respondebant, & actiones erant conformes; ideoque sponte nulla legis obligatione, vel pœnarum metu inductus faciebat, quod rectum & bonum erat. Verum

rum postquam à recto tramite aberravit, ille motus naturalis ad finem suum, contrariis motibus quasi absorbebatur, & voluntas hisce principiis justis & decori congrua, mutata inclinatione, & motu naturali secundum lineam rectam ad finem, ideoque ad illud quod honestum & rectum erat, quia fini conveniens, inverso, in alium finem determinabatur, qui cum contrarius necessario erat fini isti, in quem naturæ integritate ferebatur, malus esse deberet, & consequenter omnes inclinationes, omnes actiones huic congruæ malæ & iniquæ ac injustæ erant: itaque rectè dicimus hodie relata esse jus & rationem, ut nullum jus sine ratione, nulla ratio sine jure fingi aut excogitari possit, quia simul cum istis honesti & recti principiis, integritatis & divinæ imaginis rudibus, rationi quoque tanquam inseparabile quid inhæret ab illis principiis aversio & ad malum propensio quædam, qua semper cupimus negata, & fini nostro contraria, ideoque injusta. Hinc lex quoque rationi adeo cohæret, ut ab ea divelli nequeat; nam existente boni & mali notitia, legem quoque sibi locum vindicare probavimus; imo etiam antequam actualem (ut inquit Author) notitiam, quam rationis usu nobis acquirimus, nondum quis habeat, lex tamen ad eum pertinet, quia existentibus legis objectis, bono & malo, statim lex, sive jus naturæ obtinet; ex ipsa enim boni & mali natura fluit faciendi, & fugiendi necessitas, ex illa jussio, & prohibitio, ideoque lex naturæ.

THESIS 8, 9, 10, 11, 12.

§. 28. **H**isce thesibus continetur objectio, quam mihi ipsi feci, deducta ex ratiocinationibus eorum, qui legem naturæ, propter arctum illud inter rationem & jus naturæ vinculum, in statu integro obtinuisse obnixe contendunt, quamobrem ita argumentantur. *Hanc rationem* (quæ fons & fundamentum ac basis juris naturæ est, ita ut unum sine altero non posset existere, verum posita ratione naturali, necesse sit aliquod jus, sive legem aliquam naturæ homini congenitam fuisse, propter arctam illam inter jus & rationem concatenationem) *hanc igitur rationem* (inquiunt) *Deus soli homini largitus est, ut quemadmodum cætera animalia impetu quodam naturæ regantur, ita homo rationis lumine duceretur, & ea moderatrice omnes suas actiones ad divinam gloriam augendam dirigeret, itaque per animal rationale, intelligi volunt animal cæteris animalibus impetum & inclinationem naturalem sequentibus, longe præstantius, omnes actiones secundum rationem ejusque dictamen dirigens ac formans, easque ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali re-etas vel prævas dijudicans, ideoque quid facere vel fugere debeat ejusdem rationis acumine novit, ex quo sequitur hominem nunquam ex legem fuisse, quippe cum sit impossibile hominem qua animal rationale, sine ratione id est anima rationali concipere, ita etiam impossibile est hominem sine jure aut legibus naturalibus unquam vitam transgisse.* Postquam Deus mundum

dum construxerat, & omni decore atque ornatu instruxerat, dandi ei erant incolæ. Hinc omnis generis animalia *aquatilia*, *ærea*, & *terrestria* condendo consumpsit quintum sextumque diem,

Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ :

Terra feras cepit : volucres agitabilis ær.

verum:

Sanctius his animal, mentisque capaciùs altæ

Deerat adhuc,

homo scil. operum Dei visibilium *colophon*; utpote quia anima rationali ornatus, Deum creatorem suum intelligere, operum magnitudinem capere & in eo producendo cum potentiam, tum etiam bonitatem & summam sapientiam admirari & conditorem suum æternis laudibus prosequi poterat. *Atque tali creatura opus erat in hoc mundo, cum sine ea Deus frustra omnia condidisset, nec gloriam suam ex rebus conditis accepisset; & cæli ipsi ac universæ creaturæ in vanum Dei gloriam prædicassent* (Psal. 19: 1.) *& montibus tantum ac sylvis surdisque saxis eam enarrassent, cum creaturæ rationali, ac creaturarum voces intelligenti eam testari solum queant;* inquit vir doctrina & eruditione quondam florentissimus Francisc. Burm. in *sua Synops. l. 1. cap. 42.* Natus itaque tandem homo est, idque ultimo creationis die, quod summæ divinæ bonitatis & benevolentiæ erga hominem argumentum fuit: scil. antequam rudem illam & sine imagine tellurem in hominis finxit effigiem ille opifex rerum; moderantum cuncta Deorum, voluerit terram, futurum hominis domicilium, omnibus rebus tum ad vitam tuendam, tum etiam

etiam ad pompam & honorem, quem homini tanquam mundi domino cæteræ creaturæ exhiberent, necessariis instructam esse. Hinc inquit Philo, causam editurus cur homo post omnia reliqua conditus sit, *Haud prius regem advenire oportebat, quam ei domicilium, & palatium, & quibus indigebat, essent præparata. Quemadmodum & herbas Deus ante animalia condidit, ut mox pabulum reperirent.*

§. 29. Ecce igitur quamobrem homini Deus rationem largitus sit, scilicet ut tollens ad sidera vultus, deinde in terram oculos conjiciens, & admiranda Dei opera, quibus & cælum & terra ac mare abundat, mentis oculis adspiciens, horum omnium esse aliquam causam, a qua sunt producta, ideoque existentiam & essentiam suam habent, perspiceret. Quæ *productio* ejus *potentiam*; *ordo* & *finis*, in quem omnia collimant, *sapientiam*; *conservatio* præbendo quæ vitæ sustentandæ inserviunt *bonitatem* primævum hominem abunde docebat. Quod si in semet ipsum oculos vertebat, & a capite usque ad calcem examinabat, & sui generis præ cæteris creaturis præstantiam, utpote ad divinam imaginem conditum, secum reputabat; eo majora sapientiæ & bonitatis expertus fuit documenta, quo cæteris creaturis præstantior fuit. Quæ meditationes Adamum ad Dei amorem ut veri sui boni officiumque suum nullo legis impulsu vel præmiorum promissione, aut poenarum metu, induxisse credere par est; Deum enim ut unicum suum bonum pernoscebat; voluptas, qua perfundebatur ex beata illa cum Dei unione & consuetudine, ipsum impellebat ad finem suum, ideoque

que satis efficaciter ad officium suum adigebat, nec ab hoc officio avocabant eum inordinati animi motus, cum omnes inclinationes, quia ab eadem causa, quæ finis erat, ad eundem finem eum ducebant, in ipso enim *vivimus, movemur & sumus.*

Spiritus intus alit, totaque infusa per artus,

Mens agitat molem. Virg. Æneid. 6.

Ex hisce facile perspicimus, in quo præstantia generis nostri præ cæteris animalibus sita est, in ratione scil. divinæ illa auræ particula; quamobrem cœlestem scintillam divino semine factam, ideoque nos mentes è divina mente delibatas habere, sensere olim Poetæ,

Denique cœlesti sumus omnes semine oriundi,

scil. nos etiam *Dei sumus, ejus sumus progenies*, ut inquit Paulus, cum Atheniensibus de ara, in qua inscriptum erat DEO IGNOTO, sermonem habens, accommodans se Poëticæ locutioni, qua nihil aliud significare voluit, quam nos mente potissimum ad Deum accedere, & propter hanc similitudinem ejus progeniem, sobolem, seu filios dici. Nec mentis sive rationis hujus parva vis est, quod unum hoc animal scil. homo quia rationalis, intelligit causam, finem atque media, & in totius vitæ cursu ratione tanquam duce utitur; cum cætera animalia quantum sensu moventur sese accommodant ad id, ad quod cæco quodam naturæ imperu feruntur, & finem ad quem tendunt ignorant: verum & id ipsum præstantiæ nostræ præ cæteris creaturis argumentum est, quod ejusdem rationis acumine sentimus, quid sit ordo, quid deceat in factis dictisque, qui modus; quod & per-

K

cipien-

cupiendi & discernendi objecta facultate præditi simus; quod concludere valeamus, quid rationi nostræ conveniens est, quid ab ea alienum, ideoque ex convenientia vel disconvenientia cum illa dijudicare possumus, quid rectum, quid iniquum sit, ideoque quid facere; quid vitare debemus.

§. 30. Hæc itaque rationis facultates, intellectus & voluntas, testantur qua sumus origine nati, & quantum brutis animantibus inclinationem naturalem, & impetum sequentibus, causam unde illam habent, & finem ad quem collimant ignorantibus, præstamus. Objiciet mihi fortasse Cavillator noster ea quæ §. 18. *dissertat. meæ* leguntur, quæ pag. 70. & 71. §. 39. adducit, ut læsæ majestatis humanæ reum me esse ostenderet, & quæ jam allegat, ut me contradictionis convinceret: quippe quoniam dixi, præstantiam generis nostri non tantum in eo sitam esse, quod causam; finem, & media cognoscamus, verum in eo quoque nos cæteris creaturis longe præstare, quod sentimus quid sit ordo, quid sit quod deceat in dictis factisque; quid rationi nostræ conveniens sit vel non; itaque quid fugiendum, quid faciendum sit, ejusdem rationis acuminè judicare & concludere valeamus: cum cætera animalia impetum naturæ sequantur, & inclinationi inserviant, eamque tanquam moderatricem & regulam actionum observent: contra homo rationis particeps, omnes actiones secundum ejus rationis dictamen dirigit, ac format, & inclinationes prius cum illo dictamine sive ratione contendit, atque ex earum cum illa convenientia vel disconvenientia justas & legibus congruas, vel pravas esse judicat, illas exequi,
has

has suppressere se obligatum perspicit. *Verum ex eo non esse metiendam hominis præ cæteris creaturis felicitatem scripsi* §. 18. *dissert. meæ. scil. quod cum omnes creaturæ inclinationem & impetum naturalem, tanquam regulam & legem actionum suarum sequantur, solus homo omnes naturæ impetus ac propensiones, omniaque quæ vel facere vel dicere desiderat, prius ad rectam rationem tanquam ad Lydium lapidem explorare queat, imo debeat, ut sibi posset constare, num cum recta ratione & jure naturali consentiant, quæ exequi in animum induxit, & inde concludat quid facere, quid fugere & declinare debeat. Majorem enim perfectionem & felicitatem existimo; nunquam ab eo quod rectum est deviare posse (quam perfectionem, solus Deus ens perfectissimum possidet) quam quotidie anxium esse, num recta sint & juri naturæ convenient, quæ noster desiderat animus. Deploranda mihi videtur potius hæc justî & injusti notitia, quam pro tanta felicitate habenda. Quamobrem igitur nos miserî homunciones tot laudes de generis nostri præstantia prædicamus? quare cæteras creaturas nobismetipsis longe inferiores existimamus? An ideo, quod aliæ creaturæ tantum impetu regantur naturali, nos soli anima rationali præditi, justum ab injusto distinguere valeamus; num igitur præstantia generis nostri in sola boni & mali notitia consistit? imo vero respondebitis; nam sine ea anima non esset anima. Revera miserî sumus & non multum a brutis differimus, quando in ejusmodi ratiocinationes prorumpimus, & majestatem generis humani protervè obterit meus Accusator, quando in illa notitia præstantiam nostri gene-*

ris consistere affirmat: quippe si in illa consistat, cæteris creaturis longe inferiores sumus, utpote quæ sese conservarint in eo statu, in quo à Deo collocatæ erant, & a fine suo nunquam aberrarint, & de perfectione sua nihil imminuerint, vel detraxerint, ideoque nullo defectu, nullo vitio laborant, & consequenter nihil mali contraxerunt. Contra homo peccatum admittendo, semetipsum perfectione sua, id est divina imagine, ad quam conditus erat, exiit, & a summo illo felicitatis fastigio egit præcipitem: amissa autem Dei imagine, statim voluntas & inclinationes, quæ huic semper respondebant & congruæ erant, jam a fine suo aberrabant, & in propriam ruebant perniciem, quippe cum summum & unicum bonum sine illo contineretur, necessario quo ab eo erat remotior, eo propior erat ruinæ: integritate itaque orbatus, summo cum humani generis damno docuit bonum quod amiserat, & malum quod contraxerat, & ita ex miserabili eventu boni & mali scientiam nactus fuit; ergo in defectu perfectio, in integritatis ruina felicitas, in boni amissione præstantia generis nostri consistit; quippe ex boni privatione mali cognitio. Quis non summam opinionis hujus videt absurditatem?

§. 31. Profert Author idem argumentum, scil. *respectu mutationis quæ in homine, propter liberi arbitrii & præcellentis naturæ abusum accidit, bruta in genere suo dici possunt perfectiora, quatenus in integra sua naturali perfectione perstitcrunt. Sed & illa inquit natura corrupta de immota brutorum integritate superbè triumphat.* Quibus verbis inesse videtur contradictio, & summa absurditas: quod enim illud quod

quod corruptum est, triumphat de eo, quod integrum est & incorruptum, vel ideo fit, quod unum altero dignius & præstantius est, ideoque in majore pretio habendum; vel quod unum vicit alterum, quo sensu possumus dicere scelera ferrea illa ætate triumphasse de pietate, cum jam *victa jacebat*; ut inquit Ovid., *metam.* vitium autem virtute præstantius, ideoque corruptum esse integro dignius & pluris æstimandum, idem est ac si vellem minus esse id, quod plus est, quod contradictorium est; si scelera triumphant quod victa jaceat pietas, si corrupta natura nostra triumphat, quod sese integritate exuerit, egregia fane victoria, cui egregius debetur triumphus; in curru triumphali positus noster Auctor, capite corona ex ramis arboris scientiæ boni & mali facta circumdato cui subjuncto serpente, & antecedente Astrea virgine onusta *fraudibus, dolo, insidiis* tanquam catenis, sequentibus brutis, immotam suam integritatem tanquam in ferculis spolia gestantibus, & relicto Paradiso certaminis campo, in mundum tanquam victoriæ & trophæorum theatrum superbe triumphans intrat: non amplius jam in ignoratione vitiorum versatur, verum boni & mali notitiam integritatis ruina nactus, ecce similis factus est Deo, cognoscens bonum & malum, præstantiæ humani generis certissimum testimonium. Quam absurdæ & ab omni sana ratione alienæ deducuntur ex eorum opinione consequentiæ, qui in notitia boni & mali præstantiam generis humani consistere affirmant, nullus dubito, quin ex hisce facile perspicui possit, modo quis non omnem rationis usum condemnat. Humani enim generis ornamentum & præ-

stantia, non ex corruptione vel defectu, aut vitio, quod post lapsum contraximus, postquam boni & mali notitiam nobis comparavimus, petenda est; ea quippe multum de ea detraxit: verum in mente ejusque rectitudine consistit, utpote qua potissimum ad Deum accedamus; quo autem similiores Deo, eo cæteris creaturis præstantiores. Quoniam vero illam rectitudinem, id est divinam imaginem, *essentialem perfectionem* amisimus, multum quidem de præstantia generis nostri detractum est, & irreparabile damnum ei allatum, verum non in totum deperdita est; est enim nobis etiamnum percipiendi & ratiocinandi reliqua facultas, qua & causam & finem intelligimus & media fini congrua cognoscimus, objecta percipimus, principia & causas rerum cognoscimus, consequentias cernimus, similitudines comparamus, in cognitionem rerum aut occultarum aut admirabilium penetramus: sunt adhuc nobis rudera divinæ imaginis, scil. justii & honesti principia, ad quæ examinare possumus inclinationes nostras, & ex contentione earum cum illis dijudicare, quæ bonæ quæ malæ sunt, ideoque quas sequi, quas suppressere debemus. Itaque non in vitio sive naturæ nostræ corruptione, verum mente scil. divinæ ista auræ particula, anima sive ratione nostra, intelligendi, percipiendi, ratiocinandi, & se determinandi versus ea, quæ sequenda sibi judicavit, facultate ponenda est præstantia generis nostri: illa nos docet cujus generis sumus, & quantum cæteris creaturis præstamus, quæ tantum vel ab alio ad finem moventur, vel sese movendo ad finem quidem tendunt, sed cæco tantum impetu; homo vero qui rationis partici-

ticeps

ticeps est, omnia rationis duce peragit, cognitus ipsi finis, cognita media sunt, quibus ad illum perveniendum est. Verum, ut jam diximus, illa intelligendi & percipiendi, illa ratiocinandi, & ex ratiociniis conclusiones formandi facultas, non præsupponit legem, ita ut ubi ratio sit, ibi lex naturæ quoque esse debeat, ubi lex, ibi boni & mali notitia, tanquam fundamentum præstantiæ generis nostri: quippe longe cæteris creaturis præstantior fuit homo in statu innocentiae, a quo omnes pravæ cupiditates, omnia vitia exulabant, nullo defectu laborabat natura, sed summa perfectione, summa rectitudine, in qua divina imago consistebat, ornatus erat; finem cognoscebat, nihil percipiebat, nihil volebat, nisi quod huic fini consentaneum erat; quia omnes inclinationes integritati respondebant, nil cupiebat nisi bonum, nihil faciebat nisi rectum, quia actiones semper inclinationibus erant conformes.

§. 32. Verum negat Author pag. 73. *hominem ratione pollentem, non posse considerari sine aliquo dictamine habituali seu lumine practico, quod agenda & vitanda indicat.* Certe si sine vitio, sine corruptione considerari potest, ergo etiam sine lumine illo practico: quippe illud dictamen habituale est argumentum habitus nostri vitiosi, qui ex corrupta nostra natura provenit: si ex corrupta profluat natura, in integro statu obtinere non potuit; quod enim dictat quæ agenda & vitanda sunt, illud nos docet esse aliquod vitium sive malum, a quo abstinere debemus, ideoque in perfecta natura aliquid existe-

existere, quod vitio laborat; cum autem idipsum nullam causam habeat, quam eam, quæ summe perfecta est, necessario non potest existere: debet autem existere si ejus ideam habeamus. Quia obligamur ut illud declinemus, (obligatio autem sine notitia ejus qui obligatur, vel rei quæ obligatione continetur, non est obligatio, saltem vi sua destituta est) oportet ergo existere; si existat, vel a se vel ab alio existentiam habet; à se habere nequit, quia (ut diximus,) si esset causa suæ existentiae, nullo laboraret defectu; quia omnia appetunt perfectionem sui: si ab alio idem dicimus, quia illum oportet esse primam causam, ideoque perfectissimam; si perfectissima, ergo nihil ab ea productum, quod defectu vel vitio aliquo laborat, propter illam necessitatem de qua supra disputavimus; scilicet quod ab illo qui summe perfectus est, nequeat aliquid produci imperfectum; ubi nullum vitium, ibi nullum vitandi sive prohibendi objectum; ideoque tali habituali dictamine, de quo somniat noster Doctor, non opus; illud enim nobis acquisivimus existentibus objectis, ex quorum contentione quid faciendum, quid fugiendum erat, didicimus; itaque non impossibile fuit *hominem ex legem unquam fuisse*, verum necessario eum in statu integro vitiis purum, propter illam innatam ad finem rationi sive intellectui rectitudinem, qua semper volebat, quod divinæ imagini conveniens ideoque bonum & rectum erat, legibus solutum fuisse affirmandum est; attamen faciebat, quod natura sive voluntas divina exigebat, verum non ex necessitate legis, aut obligationis

tionis intuitu , dictamine rationis præeunte , quod ipsum docebat , quid isti voluntati consentaneum erat , ideoque præceptum , quid ab eo alienum erat , ideoque vetitum : verum ex inclinatione & motu naturali , ad finem suum tendebat , ideoque legi divinæ , sive naturali satisfaciebat , & ita operabatur quod ipsum decebat , & rectum ac bonum erat.

§. 32. Verum objicit Auctor , *nostram a Deo dependentiam legem naturæ necessario involvere* : quod concedo , sed quomodo ; scil. quia Deus omnia in se concludit , & nihil vult præter se , ideoque sibi finis est ; hinc omnium rerum finis esse debet , ad quem tendunt , sive cujus gloriæ celebrandæ inserviunt ; cum autem illa Dei voluntas immutabilis sit ; hinc semper idem debet esse finis , idem motus , quo ad illum ferimur ; ab eo nunquam deviare , nunquam aberrare licet : hæc autem Dei voluntas , quæ semper refertur ad se ipsum , nobis lex est , qua obligamur ad faciendum id , quod fini est consentaneum ; hic finis , hæc divina voluntas norma & ordo est , secundum quem hominis actiones in statu integro dirigi deberent , eique esse conformes , & hujus respectu non potuerat esse exlex ; id est , sine norma sine ordine vivere ; Deus enim est Deus ordinis : verum quia inclinationes ex divina imagine fluentes , semper cum voluntate , ideoque cum norma & ordine a Deo præscripto , consentiebant , omnes actiones quæ ab illo proficiscebantur , quia rectitudini voluntatis , sive ex integra & incorrupta natura profluentibus inclinationibus , congruæ erant , juri naturæ sive divino morali respondebant , ideo-

L

que

que justæ & rectæ, & ab illa rectitudine & congruentia actionum *cum norma sua dignitas illa & pulchritudo hominis innocentis in oculis Dei, quæ gratia creatoris illum dignum reddebat, ut inquit Auctor pag. 71. §. 42. & ita Deus sanctitatis suæ & justitiæ radium videbat in ectypo suo.* Quamobrem statuo cum Auctore nostro, *nullum tempus hominis a lege vacasse: non innocentie periodus, propter illius perfectionem & dignitatem, scil. si lex significet illam convenientiam inclinationum & actionum cum fine, & imagine sive voluntate divina, quæ semper bona & justa, & fons omnis justitiæ est.*

§. 33. In illa convenientia & rectitudine voluntatis, hominis in statu integro perfectio & dignitas collocanda est; quippe quo propius ad eum accedimus, eo perfectiores & digniores sumus, quia causa nostra nihil perfectius, nihil præstantius, vel dignius excogitari queat; atqui illa voluntatis, intellectus, sive inclinationum rectitudo, nos Deo simillimos reddebat, quia in ea ipsa Dei imago consistebat, ergo oportet hominis perfectionem & dignitatem in ea sitam fuisse: verum quando per legem intelligimus dictatum rationis nostræ *jubens bona, vetans mala*; statim voluntatis nostræ defectum animadvertimus, qui defectus nobis imperfectionem, imperfectio dignitatis diminutionem indicat; quippe quoniam non tendimus continuo ad finem nostrum, & negligimus media quæ nos ad eum ducunt, idque propter mutationem motus nostri a linea recta ad circularem, quæ nos a fine abducit; hinc satis perspicimus quod nobis non adest, quod ad-

adesse debuisset; iste defectus malus, quia boni est privatio; ubi autem bonum abest, ibi necessario malum obtinet, quia inter duo illa extrema nullum datur medium: ratio autem, cui insunt adhuc boni & honesti principia, quando inclinationes & appetitus cum illis conferat, clare jam perspicit quid bonum, quid malum sit, ideoque quid facere, quid fugere debeat. Quali comparatione inclinationum in statu integro opus non erat, quia sequens inclinationes suas homo, tanquam actionum regulam & normam, legi satisfaciebat, quia divinæ voluntati ejus appetitus, & naturalis motus semper respondebat, itaque olim sponte & inclinatione naturali leges naturales observabat, quia naturalem sequens motum actiones semper fini & mediis ad illum assequendum necessariis conveniebant, ideoque juri congruæ erant, nulla adhibita comparatione unius cum altera; nam una tantum erat recta & regia via, quam sequens a fine aberrare non poterat.

§. 34. Hodie vero, quia voluntas nostra non respondet fini, ideo, antequam eam exequimur, examinanda est, an cum recti & honesti principiiis, ideoque cum fine conveniat nec ne, ex qua contentione judicium, & dictatum sequitur, nobis indicans quid iniquum, & consequenter quid prohibitum, quid præceptum sit, ideoque illud faciendum, hoc fugiendum concludimus; & ita legem nobis dicimus. Quamvis Author distinctionibus abundat, quibus obruat lectorem, attamen hæc illum fugit, quam si percepisset, nullus dubito, quin magis distincte & apte ac ornate de juris naturæ origine dis-

putasset, neque opus fuisset, ut tantam distinctionum copiam, neque antiquorum Patrum totam turbam in auxilium advocasset; quippe persuadeo mihi semetipsum hisce distinctionibus adeo obruisse, ut vix intellexerit de quo disputabat: quod clare perspicio ex allegatis Patrum testimoniis, quorum nullum mihi occurrit, quod aliqua ratione nostræ disputationi applicari queat, neque ullum verbum, ullam sententiam invenio, ex qua concludere possemus, illos de nostra disputationis subjecta materia cogitasse: verum vel de lege Dei positiva in Paradiso mortalibus data, vel legibus naturalibus, scilicet rectæ rationis dictatis, vel de Decalogo legum naturalium renovatione, facta in monte Sinai, adstante Moyse, & lapideis Tabulis inscripta & Moyfi ab ipso summo legislatore data, ut tanquam minister suus eam populo promulgaret: tantum autem testimoniorum copiam habet, ut si omnia describere vellemus, parvum conficeremus libellum, & nullum hujus laboris caperemus fructum, nisi quod tempus & charta inutiliter essent consumpta; ex uno vel altero testimonio quod describemus, satis perspicimus, quam intempestive ad suam opinionem adstruendam ab eo allegantur.

T E R T U L L I A N.

advers. Judæos. Cap. 2.

Namque in principio mundi, ipsi Ade & Evæ legem dedit, ne de fructu arboris plantatæ in medio

dio paradisi ederent: quod si contra fecissent, morte
 morerentur: Quæ lex eis sufficeret, si esset custodita.
 In hac enim lege Adæ data, omnia præcepta recogno-
 scimus, quæ postea pullulaverunt data per Moysen,
 id est, diliges dominum Deum tuum de toto corde tuo
 & ex tota anima tua; & diliges proximum tanquam
 te; & non occides, & non mæchaberis, & non frau-
 daveris, falsum testimonium non dices. Honora pa-
 trem tuum & matrem, & alienum non concupisces. Pri-
 mordialis lex est enim data Adæ & Evæ in paradi-
 so, quasi matrix omnium præceptorum Dei. Deni-
 que si dominum suum dilexissent, contra præceptum e-
 jus non fecissent, si proximum diligerent, id est semet
 ipsos, persuasioni serpentis non credidissent, atque
 ita in semet ipsos homicidium non commisissent, exci-
 dendo de immortalitate, faciendo contra Dei præce-
 ptum, à furto quoque abstinuissent & de fructu arbo-
 ris clam non degustassent, nec à conspectu domini Dei
 nostri sub arbore delitescere gestissent. Nec falsum af-
 severanti diabolo participes efficerentur, credendo ei
 quod similes Deo essent futuri. Atque ita nec Deum
 offendissent ut patrem, qui eos de limo terræ quæ ex
 utero matris figuraverat. Si alienum non concupis-
 sent, de fructu illicito non gustassent. Igitur hæc
 generali & primordiali Dei lege, quam in arboris
 fructu observari Deus sanxerat, omnia præcepta le-
 gis posterioris specialiter indita fuisse cognoscimus, quæ
 suis temporibus edita germinaverunt. Eiusdem est
 enim postea docere legem, qui ante præmiserat præ-
 ceptum: quoniam & ipsius est, erudire postea, qui
 ante justos formare instituerat. Quid enim mirum,

si is auget disciplinam, qui instituit, si is perficit, qui cœpit. Dinique ante legem Moyſi ſcriptam in tabulis lapideis, legem fuiſſe contendo non ſcriptam, quæ naturaliter intelligebatur & à patribus custodiebatur. Nam unde Noë juſtus inventus, ſi non in illum naturalis legis juſtitia præcedebat? unde Abraham amicus Dei deputatus, ſi non de æquitate & juſtitia LEGIS NATURALIS, &c.

A T H A N A S.

de incarnat. Verb. Dei.

Deus enim bonus eſt, vel potius fons bonitatis. Bonus autem, nullius rei invidia tangitur: Unde nulli eſſentiam invidens, ex non entibus univerſa creavit, per ſuum verbum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, inter quæ, præ omnibus humanum genus miſericordia proſequutus eſt: Animadvertens enim eos conditione ſuæ naturæ perpetuo ſiſtere non poſſe, majus quiddam illis elargiturus non ſimpliciter, ſicut reliqua in terris animantia, quæ bruta ſunt, humanum genus creavit, ſed ad ſuam ipſius imaginem illud effiguravit, deditque illis ſuæ rationis dotem, ut veluti umbras quasdam ac lineamenta rationis poſſidentes rationalesque effecti, perſeverare poſſent in beatitudine, viventes veram, & revera Sanctorum in paradifo vitam. Animadvertens rursus arbitrium defectumque hominis utroque vergere, mature hanc gratiam, quam ipſis dederat, legis & loci præſidio communitam voluit. Introduxit igitur eos in ſuum
ipſius

ipsius paradisum, edictumque præscripsit, ut si gratiam illam conservarent probique permanerent, fruerentur in paradiso sine mœrore, sine anxietate hilarissima vita, præter etiam id, quod ipsis in cœlo immortalitas destinata erat. Sin autem prævaricationem facerent, & ad improbitatem averterentur, cognoscerent se per mortem pro ipsorum natura corruptionem subituros: neque victuros in paradiso, sed extra paradisum postmodum morituros, & in morte corruptioneque permansuros esse.

H I E R O N Y M.

Tom. IV. Epist. ad Algal. quæst. 8.

Ista lex quæ in corde scribitur, omnes continet nationes: & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat. Unde omnis mundus sub peccato, & universi homines prævaricatores legis sunt: Et idcirco justum judicium Dei est, scribentis in corde humani generis: Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret homicidium, adulterium, furtum, & omnem concupiscentiam esse malum: ex eo quod sibi ea nolit fieri? Si enim mala esse nesciret, nequaquam doleret sibi esse illata. Per hanc naturalem legem, & Cain cognovit peccatum suum, dicens: Major est causa mea, quam ut dimittatur. Ex Adam & Eva cognoverunt peccatum suum, & propterea absconditi sub ligno vitæ. Pharao quoque antequam lex daretur per Moysen, stimulatus lege naturæ sua crimina confitetur, & dicit: Dominus justus, ego autem, & populus meus impii.

Idem

Idem in sermon. de fide & Lege Nat.

Natura enim leges suggeret, scimus ex nobis ipsis quid bonum & quid malum. Posuit Deus in natura legem non scriptam, quæ illustrat mentes nostras. Nullus dicat legem non legeram, nesciebam quæ ad legem pertinent. Nam si negaveris communem legem, arguet te naturæ lex. Vis discere quod Deus naturæ inseverit leges, quæ discernant quid bonum & quid malum? -- Vis videre frater, quantum valeat innata lex?

§. 35. Quorum legum hæc Patrum testimonia mentionem faciunt? scil. naturalium, id est, earum, quæ per Moysen ministrum renovatæ sunt. Naturalis autem lex vocatur, quia descendit ex divina imagine, ex Dei voluntate & decreto, unde omne jus, omnes leges morales, quæ & naturales vocantur, derivantur & originem suam habent: quia autem Deus nullum aliud potest habere objectum, quam se ipsum, ideo sua voluntas semper & continuo ad se ipsum, tanquam ad objectum & finem suum inclinatur & tendit; præter se ipsum nihil est, quod potest appetere, amare, & velle, quia in se omnia concludit: ille enim solus bonus, rectus, justus; si autem nihil præter se ipsum cupiat vel velit, necessario omnia propter se ipsum produxit, si omnia propter semetipsum sint, quæ fecit, necessario omnia ad eum tendere voluit tanquam finem, ideoque nullas alias inclinationes eis indidit; ex illa jam necessitate fluit obligatio, qua tenemur ad eum finem cursum nostrum dirigere, & ita voluntati divinæ

vinæ, quæ nobis lex est, & quidem immutabilis, propter immutabilem Dei naturam, satisfaciendo, juri sive legi naturæ congrue vivebat homo in statu integro. Si vero per leges naturales intelligamus dictatum rectæ rationis, indicans actui alicui, ex convenientia vel disconvenientia cum ipsa natura rationali, vel innatis nobis honesti & justii principiis, inesse moralem turpitudinem, aut necessitatem moralem, (scilicet illam ex divina voluntate descendentem obligationem) ac consequenter ab auctore naturæ Deo talem actum vetari aut præcipi. Hoc sensu leges naturales in statu corrupto obtinent, & hominibus jam innatæ dicuntur propter innatas ad malum inclinationes, nam existentibus objectis, existit quoque lex, ut superius probare conati fuimus: quia autem menti inhærent & boni principia, & ad malum etiam inclinationes, hinc legis objecta in se experitur homo, ideoque statim lex ad eum pertinet; nam ubi illa, ibi statim necessitas faciendi & abstinendi; faciendi necessitas ex justificatione, abstinendi ex prohibitione descendit, illa ex natura boni, hæc ex natura privationis boni, id est mali, immediate profluit: itaque statuunt quidem patres, ad quorum testimonia Author refugit, leges naturales homini innatas atque insculptas esse, verum inde Author non potest concludere, quod ubique velit probare, scilicet hominem ratione pollentem nunquam fuisse exlegem, id est, sine dictamine habituali seu lumine practico, quod agenda & vitanda indicat, verum simpliciter docent homini legem fuisse innatam, quod etiam affirmo: verum non dicunt illam legem, quæ est, ut inquit Tullius, recta ratio, natu-

M

ræ

ræ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat; obtinuisse, ante dictamen habituale, indicans nobis quid convenit cum rectitudine nostræ rationis, id est, cum innatis illis honesti principiis, ideoque bonum est, quid ab iis alienum est, ideoque malum; hoc abstinentiam, illud actionem involvit; verum homini tantum legem fuisse innatam, quod nunquam negavimus, verum distinximus tantum inter jus sive legem naturæ, quæ profluit ex ista divina voluntate & Dei decreto & per divini luminis communicationem omnibus innata creaturis, easque omnes obligat ut ei voluntati sive decreto satisfaciant; cui satisfaciendo legem observant; per illam autem communicationem inclinationes ita diriguntur, ut semper huic fini sint conformes, ideoque actiones ex iis proficiscentes justæ vocantur, & legi naturæ congruæ, quæ etiam est dictatum habituale rationis, prohibens quæ vitanda & jubens quæ agenda sunt; quia illud dictatum habituale præsupponit habitum vitiosum ex corrupta natura originem trahentem, in integro statu obtinuisse neminem hominum probaturum mihi persuadeo, neque patrum probant testimonia. Nullus autem dubitat Author, quin satis *evidentem Thesum, præmissarum, illa perpetui & paradisei juris patronorum selecta testimonia, roborent & illustrent veritatem*: verum crede mihi, ea producendo, nihil effecisti, quam quod manifestam hujus juris prodideris ignorantiam, quod intempestiva tua applicatio satis illustrat: nihilominus contentus videretur victoria, quam huc usque de nobis deportavit, eamque ulterius prosequi in animo

mo

mo habens, tertiam producit dissertationem, tanquam pharetram plenam adhuc sagittis, in meam perniciem collectis; sed addamus nobis animum, nondum mihi adeo grave inflictum vulnus, ut victoriam adversario cederem, licet toto primitivorum patrum munitus agmine; nullo enim veritas indiget auxilio, ipsa quam nuda & omni destituta auxilio, invicta tamen & immota stat, contra Authoris nostri furibundi impetus, & plumbea in me vibrata tela.





A D

DISSERTATIONEM S E C U N D A M.

§. I:

Postquam Author juris paradisei in dissertatione quæ præcedit, theses quasdam à nobis rejectas tanquam falsas, cum *inviecto veritatis robore, tum saniorum communi opinione*, quæ ipsi certa & infallibilis est judicandi regula, subnixas probare conatus fuerit; in hac dissertatione argumenta, quibus præcedentium Thesium falsitatem & theses nostræ fundamentalis (quâ *in statu integro nullas leges naturales obtinuisse contendimus*) veritatem adstruimus, evertere conatur: verum ubique animadverto, ejus de naturæ lege confusam ideam; ita ut semper ad distinctiones, quarum magnam in cerebro collegit copiam, confugere necesse habeat, si se ipsum intelligere velit, quibus me sæpe adeo confundit, ut ingenuè fatear, me aliquando conjecturis mentem Authoris assequi debuisse. Absurdam, inauditam, & falsam vocat Thesin illam, quâ leges naturales vetustissimos habuisse morales nego. *In statu*
in-

*innocentiæ, inquit, nullis adpersa maculis enituit justitia: ergo a justitiæ culmine jus, a morum intaminatâ pulcritudine legem moralem segregat: in throno primævæ integritatis floruit rationis integritas: ergo a rationis complemento intellectum, vel ab intellectu notitiam separat: in theatro originalis justitiæ viguit dexterrimus liberi arbitrii usus. Ergo a voluntatis dexterritate liberum arbitrium, a plenâ libertate, libertatem ipsam sejungit: denique in illa serena die noctem, in luce tenebras, in perfectione defectum, in Lynceo mentis visu cæcitatem, in rationis regno, & gloria triumphali servilem necessitatem, in sapientia ignorantiam quærit. Absurdiora merito mihi videri possent hæc Authoris ratiocinia; retorqueamus ea; & facile illud perspiciamus. In statu integro enituit nullis maculis adpersa justitia; hinc nulla verba minacia fixo ære legebantur, pœna metusque aberant, dum sponte mortales faciebant quod bonum & rectum erat, non naturali lege, sed nativa caritate, & innata inclinatione impulsî, ut inquit Burmann. in sua *Synops. cap. 1. lib. 2. Floruit rationis integritas*: hinc vitiorum ignoratio, & intellectus rectitudo, quæ est rationis complementum, quia nullo laborabat defectu, voluntas & inclinationes huic integritati & rectitudini erant consentaneæ, actiones etiam ei respondebant, ideoque justæ; notitiâ erat intellectus ornatus, sed quali, scil. quam ex objectis externis, vel ideis innatis sibi acquisiverat, ideoque perfectam & rectam, quia omnia perfecta & bona erant, quæ vel externe vel interne animo representabantur, hinc nullæ in mente nisi bonæ idæ: *Viguit in theatro originalis justitiæ dexterrimus liberi arbitrii u-**

M 3

sus

fus. Hinc summa libertas, quia pravis cupiditatibus & inordinatis animi motibus non inferviebat protoplastus; cognoscebat finem suum, sciebat in quo summum consistebat bonum, scilicet illa mentis & conscientiae tranquillitate, profluente ex illa inclinationum & actionum cum fine convenientia; ea notitia faciebat hominem versus finem inclinare, eo continuo ferebatur voluntas: quippe voluntas nihil aliud est, quam impressio ad aliquod objectum, quod intellectus sibi repræsentat tanquam sibi conveniens; quia autem summa gaudebat libertate, ideo quo inclinabat, eo sese determinare poterat, & ita objecto adhærere; *Libertas enim nihil aliud est, quam vis illa qua mens impressionem illam versus objecta nobis arridentia, deducere potest, & hoc pacto efficere, ut inclinationes nostræ cupiam objecto defixæ adhæreant.* Corrupta autem hominis natura, & amissa originali justitia, libertatem quoque amisimus, id est; nosmetipsos determinandi ad id, quod novimus bonum nobis esse, & fini ad quem tendimus conveniens, ideoque cupimus & volumus, facultate orbati sumus; quippe libertas est, facere quod volumus, quod *volumus autem, non agimus, verum quod nolumus, hoc perpetramus,* ut inquit Apost. *epist. ad Rom. cap. 7.* idque quia servi peccati sumus: hinc lege fuit opus, quæ voluntatem ad malum propensam dirigeret ad bonum & rectum; quia enim libertate abutimur, legis servi facti sumus, *dominari enim ea nobis dicitur,* & non amplius quod lubet facere licet, verum quod lex nobis indicat, & imperat: ferena jam illa die in noctem mutata, lege tanquam lucerna pedibus nostris indigemus, quæ nobis indicat quibus

bus in tenebris ambulamus, quibus laboramus vitiis, quantum de perfectione, qua olim eramus ornati, post lapsum detractum sit, quanta jam sit mentis cæcitas, cum olim essemus lucis filii, unde harum miseriarum cognitio, nisi ex lege; ita ubi lex obtinet, ibi tenebræ, ibi mentis cæcitas, ibi servitus, ibi defectus, non a lege tanquam prima causa; lex enim ipsa bona est, sed per legem, tanquam speculum, quod nobis maculas & defectus ob oculos proponit; atqui in statu innocentia lex obtinuerit; ergo in serena die noctem, in luce tenebras, in perfectione defectum, in lynceo mentis visu cæcitatem, in rationis regno & gloria triumphali servilem necessitatem quærit noctambulo nofter. Sed videamus qua ratione hæc Authoris metamorphosis nititur, scil. confusa, ut diximus, beatæ primævi hominis, conditionis idea, quam ubique nostræ corruptæ naturæ æquiparans, semper absurdas inde deducit consequentias, quamvis distinctionis remedio eas evitare conetur, passim in discutiendis argumentis nostram thesin oppugnantibus, idipsum videbimus.

§. 2. Primum argumentum quod oppugnandum sibi statuit vindex juris paradisei, in §. 3. *meæ dissertationis* proposui; scil. cum arctum illud vinculum inter rationem & jus naturæ, quasi una non posset esse sine altero, negavissem, probare conatus fui jus naturæ sumptum pro regulâ actuum moralium, obligante ad id quod rectum est, ideoque ad fugiendum quod injustum est, separatum & diversum quid esse ab ipsa ratione, propterea quod eo sensu nihil aliud sit, quam dictatum rectæ rationis, profluens ex distinctione justii & injusti, boni & mali, sive ex illa convenientia vo-
lun-

luntatis & appetitus nostri cum primis illis nobis innatis honesti principiis, ex qua contentione judicamus quid a nobis ratio postulat, quid facere quid fugere nobis injungit, utrumque includit obligationem seu necessitatem moralem, a qua nunquam dispensari possumus, nequidem ab ipso Deo, quia nihil suæ naturæ contrarium facere potest: quia vero ista nobis incumbit obligatio, æquum ut habeamus notitiam ejus, quod obligatione continetur, aliter enim obligatio nullam posset habere efficaciam, vel nullam adstringendi vim; atqui obligatio qua tenemur ad faciendum quod bonum est, quoque includit obligationem ad fugiendum quod malum est, hinc eodem momento quo concipimus obligationem, necessario etiam concipimus illa duo obligationis objecta; quia autem objectis inest hæc obligatio sive moralis necessitas, quæ jubet vel vetat, hinc unum sine altero concipere nequeo, & unum præsupponit esse alterum, tolle unum tolles utrumque, scil. quatenus in idea mentis existunt: & esse & non esse simul concipio. Bonum sive justum non possum concipere sine obligatione ad faciendum illud; cum autem illud ^{re} facere continuam includit actionem, & omnis intermissio sive cessatio actionis eadem obligatione prohibetur, quia est boni privatio, quemadmodum quies est privatio motus, hinc sub idea mali nobis repræsentatur; quippe ubi bonum abest, necessario adest malum; nullum enim datur medium, ideoque statim atque conscius sum, me fecisse quod rectum & justum est, simul scio me nihil omisisse quod facere debuisssem, & eodem momento quo justum

stum concipio, simul concipio illud adesse quod adesse debuerit, scil. illud factum; quando injustum concipio, simul abesse quod adesse debuit, nimir: omissionem sive facti privationem: nullum contrarium sine contrario altero, unum alterum supponit, & ex eorum oppositione elucescit utriusque natura. Hoc itaque sensu, dixi rationem & jus non esse unum & idem, quia ratio nihil potest percipere, antequam existunt objecta, quorum ideam percipit; attamen ratio manet ratio; quemadmodum cera quidem apta est ad varias recipiendas figurationes, verum oportet illam prius existere, quam recipiet; atqui malum non concipimus nisi deficiente bono, ergo nullam ideam mali homo habere potuit, nisi postquam boni amissionem & defectum perceperit, quando defectus sive privatio boni, statim eum ad ipsum bonum quasi manu ducebat; quippe non posset habere ideam sive notitiam istius defectus, nisi simul haberet ideam istius rei, quam amiserat; propter illam relationem inter defectum & rem deficientem, defectus mali, res ipsa boni ideam homini repræsentabat.

§. 3. Hinc injuste carpit Author vindiciarum ea, quæ diximus scil. *nullum jus esse sine injuria*, unum alteram præsupponere; ideoque nullam nobis legem innotescere, nisi habeamus boni & mali, juris & injuriæ ideam; quippe quoniam legem definimus dictatum rectæ rationis, id est, distinctionem quandam justii & injusti, quæ involvit jussionem & prohibitionem, non existentibus hisce duobus contrariis, distingui a ratione non possunt, & consequenter

N

quenter nos informare nequiret, quid bonum, quid malum, quid faciendum, quid omittendum sit. Ex hac nostra propositione tale format Author argumentum: *Ubi nulla est injuria, ibi nulla lex est; in statu innocentiae nulla fuit injuria: Ergo in illo nulla lex fuit.* Hic iterum confuse disputat juris paradisi Doctor, divina cum humanis confundens. Distinguit primo inter injuriæ conceptum vel notitiam & injuriæ prohibitionem sive reatum. Quod si majoris sensus est inquit: *Ubi nullus est injuriæ conceptus, ibi nulla lex est: distinguendum erit, inter injuriæ conceptum in mente legislatoris, & subjecti passivi spectatum.* In mente legislatoris conceditur conceptum legis & injuriæ tempore simul esse, dum enim concipit legislator legem, simul concipit peccatum, injuriam lege prohibitam, & vindicandam. Hoc respectu minor negat, nempe in statu innocentiae injuriæ conceptum in mente supremi legislatoris, qui propter omniscientiam, præterita & futura novit, & quem injuriæ casus sive jam emergat, sive emersurus, nullus fugit, non fuisse; si injuriæ conceptus ergo quoque lex. Si Author disputationis limites non transfiliisset, non opus fuisset hac distinctione inter conceptum in mente legislatoris & subjecti passivi spectatum. Injuriæ quippe idea semper includit legem, id est, prohibitionem; quemadmodum omni bonitati inest jussio ex natura ejus fluens, ita oportet tam in legislatore, quam in subjecto passivo & legis conceptum & injuriæ simul esse tempore; disputatur enim hic de jure naturæ, cui ista moralis necessitas inest. Verum illud notandum, quod summus legislator propter omniscientiam

scientiam futura æque ac præsentia novit; *vocat enim quæ non sunt, tanquam essent.* Subjectum vero passivum nullam sibi acquirit notionem, nisi per objecta, quæ percipit, vel per innatas ideas; itaque eorum quæ jam existunt demum ideam habet & concipit. *Si autem in mente legislatoris fuerit injuriæ conceptus in statu innocentia: ergo & lex obtinuit & injuria: nam lex ex ipsa natura Dei fluit, eamque creaturis rationalibus posuit, atque ad ejus observantiam & injuriæ fugam obligavit, ideoque justitiæ meritum & reatum injuriæ concepit.* Hic in totum aberrat a quæstione nostra Author, & sibi ipsi contradicit; nam status innocentia: cujus mentionem facit, satis indicat, cui injuriæ conceptus, cui lex applicari debet. Ante diximus, ne Author divina humanis misceret; nullam esse juris ideam, quin simul existat injuriæ conceptus, per illam juris privationem nobis communicatus, quia unum per alteram internoscimus; hinc nullam legem nobis innotescere, nisi habeamus prius justitiam & injustitiam, quia lex sive dictatum prohibens injusta, præcipiens recta, ideoque distinguens inter bona & mala, illa duo contraria requirit, ex quorum oppositione fluit & jussio & prohibitio, objectis inhærens.

§. 4. Si de lege æterna sermo sit, nulla nobis quæstio reliqua est: Æterna dicitur, quia ex ipsa Dei natura emanat, ideo neque principium neque finem habet: cum autem nullum Deus habeat finem præter sese ipsum, ita nullum finem præter semetipsum creaturis constituere potuerit, ad quem tendere ne-

cessitate morali, ex eadem natura habente originem, obligantur; quippe cum Deus necessario nullum obiectum, nullam ideam, nullum finem habere queat quam se ipsum, quia omnia in se possidet, ideo voluntas continuo ad se ipsum fertur, ex qua necessitate oritur obligatio, qua ad eum tanquam unicum finem & summum bonum tendere, & media ei assequendo idonea adhibere tenemur: quamdiu ad illum voluntas inclinatur, & actiones huic respondent, & volumus & agimus quod bonum & rectum est; quando ab eo contrario motu, & perversis animi inclinationibus deviamus, facimus quod malum est, quia bono contrarium; contrarium, quia illud tollit: bonum agimus, quando actiones fini respondent, quia ad eum non pervenimus, nisi operando quod rectum est: nam quoniam summe sanctus est, necessario amat rectum & abhorret ab eo quod malum est, quia naturæ suæ contrarium; hinc ad eum tanquam finem nostrum tendentes, necessario per illa media, quæ ei assequendo idonea sunt, ad eum perveniendum est; impossibile enim est finem assequi per media, quæ ei sunt contraria; media autem illa sunt, *bonum*, *justum*, & recta operari, & agere; quare ipsa obligatio, qua ad finem assequendum tenemur operari, simul includit obligationem ad operandum bonum, idque continuo sine ulla cessatione, quia ipsa cessatio malum producit, propterea quod sit boni privatio. Quemadmodum Deus sibi continuo & semper obiectum ac finis est, quoniam omnia in se possidet, ideoque nihil aliud præter se ipsum vult, aliis creaturis continuo quoque finis est,

ad

ad quem tendere voluit ; si continuo nobis debeat esse finis , semper & continuo operandum nobis quod bonum , & rectum est , utpote quod est unicum medium quo ad finem perveniendum . Exinde perspicimus quare Deus non vult quod malum est : scilicet quia nihil vult quam semetipsum , quoniam omnia in se possidet ; malum autem est extra se , ideoque sibi contrarium ; tollit enim quod est , est entis privatio , ideoque non res non ens , quamobrem non potest esse objectum divinæ voluntatis , quippe si vellet existeret , sed quia contraria sunt velle & non velle , ideo non vult malum , quia volendo malum nihil vellet ; quia autem vult se ipsum tanquam finem omnia in se possidentem , hinc malum nolit , quia a fine recedit & illum rejicit : malum enim diximus esse boni privationem , nullum autem datur medium ad eum perveniendum nisi boni operatio ; quod itaque huic adeo contrarium est , ut illud medium tollat , necessario a fine alienum esse debet , & consequenter non potest talis voluntas cadere in eum , qui sibi finis est ; nam sibi ipsi finem esse , & finem non velle contradictorium est , nam quia vult , sibi finis est , vult autem quia omnia in se possidet ; & extra se nihil est quod vellet tanquam non possidens ; omnium enim causa est , ideoque nihil potest deficere : si omnium causa sit , quia voluit ut existerent , voluit autem propter se ipsum , ideo omnia habent relationem ad se ipsum , & consequenter iterum sibi & omnibus quæ produxit finem esse voluit . Fluit itaque ex Dei natura ut nobis sit finis , fluunt ex eadem natura media quibus finem assequimur ,

quimur, nam qui vult finem etiam vult media ei assequendo idonea. Quia finis necessario summe bonus est & rectus, (nam illud *omnium rerum causam & finem esse* includit *esse & existere*; existere autem bonitatem involvit, nam malum non potest aliter concipi, nisi tanquam boni privatio, ideoque quod existentiae & essentiae contrarium est, & consequenter alius rei causa esse nequit) si finis inquam summe bonus, oportet media ei assequendo idonea ejusdem esse naturae, ideoque si ad eum tendamus & quidem necessario, quia necesse est ut nobis sit finis, eadem necessitate qua ad eum tendere, etiam quod bonum & rectum est operari obligati sumus. Hæc autem obligatio, hæc necessitas ex ipsa Dei natura fluens, nobis immutabilis lex est, obligans ad bonum & rectum operandum; obligatio autem qua ad bonum faciendum ex lege hac morali descendens, tenemur, simul nobis imponit necessitatem abstinendi à malo, quia fini est contrarium, ideoque Divinæ voluntati repugnans. Et ecce legem moralem ex Dei natura profluentem, ideoque æternam, ab æterno enim sibi finis & objectum fuit, ideoque aliter non voluit, neque potuit, immutabilis & semper idem est, ideoque constans & perpetua debet esse voluntas ejus; quia autem præsentia & futura novit, & non solum habeat ideam eorum quæ sunt, sed etiam quæ non sunt, in quorum numero est malum, sive peccatum, injustum, (quod tantum est defectus atque aberratio mentis humanæ & per se revera nihil, ideoque extra eam non intelligitur) hinc Deum ab æterno habuisse injuriæ conceptum, id est, privationis

tionis juris, ideoque tanquam nihili alicujus, nemo negare potest, nisi vel sit atheus, vel mente captus: & quoniam iste conceptus includit Dei non velle, hinc involvit prohibitionem, & quidem necessariam, ex ipsa natura injuriæ provenientem; quippe non est injuria quia non vult Deus, verum non vult quia est injuria: nam si Deus posset eam velle & non velle, non esset moraliter mala; quemadmodum autem Deus vult bonum quia est bonum, ita non vult malum quia est malum, utrique inest necessitas, illi faciendi, huic abstinendi: necessitas vocatur, quia ex ipsa Dei natura profluit bonum, id est, facti necessitas, qua simul continetur prohibitio mali, quia est illius privatio: unde abstinendi necessitas non dependet a voluntate, quemadmodum leges positivæ, propter illam necessitatem, sed in se continet præcipiendi & vetandi obligationem immutabilem, ideoque vetando non illicita, neque præcipiendo debita fiunt, sed quia objecta per se & suapte natura licita & illicita sunt, hinc præcipiuntur & vetantur. Non præcedit itaque injure naturæ jus, sive lex injuriam, ideoque injuria est posterior lege, verum simul existunt, nam propter disconvenientiam cum jure sive natura rationali, habet in se prohibitionis necessitatem, quia contra jus est, & consequenter vetatur. Quæ cum ita sint, non satis admirari possum distinctionem mei adversarii, inter conceptum injuriæ in mente legislatoris & subjecti passivi spectatum, ut probaret in statu innocentia fuisse injuriæ conceptum, ideoque legem obtinuisse, quia in mente summi legislatoris concep-

tus

tus injuriæ fuerit, imo conceptus fuit quia lex præcedit, *Quippe statim atque legislator æternus creaturis rationalibus legem posuit, quæ effectus est divini illius imperii, & justitiæ meritum, & reatum injuriæ concepit, obligans pariter ad legis observantiam, & fugam injuriæ.* Nullus dubito quin facile ex hisce perspecturus sit lector, quantum aberret a scoponostro Author, & quam redicula sit distinctio, quam occasione sui argumenti excogitavit; redicula, quia plane inutilis, in quibusdam etiam absurda, injuriæ conceptum ab ipsa lege separans, quasi successive & gradatim procederet Deus; voluntas a conceptu, conceptus a voluntate diversus esset; imo ipsam legem moralem evertit, prius aliquid & posterius statuens: quod enim Deus intelligit, hoc simul vult, & quod huic voluntati contrarium, non vult ipso eodemque momento, uno enim intuitu omnia inspicit, intelligit, tam ea quæ non sunt, quam quæ sunt, & simul vult, ac non vult; nihil itaque prius in voluntate quam intellectu, neque in intellectu quam voluntate.

§. 5. Ipse Author confitetur *pag. 109. §. 4.* se plane a mente nostra in præcedente paragrapho divagasse, sed qua intentione nescio, nisi quod in distinguendo lectori fortasse ostenderet solertiam; quippe multas consulto non describo distinctiones, quas e cerebro protrudit, ne inutiliter charta periret, ideoque de *actuali, possibili, præsentis, futuro* injuriæ conceptu, qui in legislatore humano locum habet, quia non est nostri fori nihil disputabimus. Ad *idealem & experimentalem* injuriæ notitiam bene & distincte a se invicem internoscendam, progrediemur.

mur. Quibus cognitis videbimus quid sit conceptus *confusus* quid *distinctus*: quid *notitia implicita*, quid *explicita*. Quid cognoscamus, nunc *in actu primo*, nunc *in actu secundo*, nunc *in potentia*; quæ tempora distinguenda sint quoad *explicitam notitiam*, scil. *antecedens legem positivam & consequens*. Quid sit habere ideam *boni & mali disjunctim*, quid *copulate*. Quid sit effectus legis *principalis*, & *proximus*; aliaque innumeræ ejusmodi distinctiones nobis tandem ad veram juris naturæ, perducent notitiam. Animadvertens itaque Author me non de juris & injuriæ notitia sermonem habuisse, quæ cadit in hominem, ut ipse Author se satis clare perspexisse tradit, ex §. 3. 4. 18. 19. 20. *dissert. nostræ*. aliam habet in promptu iterum distinctionem, ut majorem argumenti propositionem enervet: quæ hæc est, quod, *ubi nulla injuria, ibi nulla lex vel jus naturæ est*: scil. respectu hominis rationalis, quatenus non potest habere ideam boni & mali, quæ sunt objecta legis circa quæ prohibendo & jubendo versatur, & consequenter legem ignorat; quippe antequam possumus obligari ad aliquid faciendum vel fugiendum, requiritur notitia eorum, quæ prohibentur vel præcipiuntur; illa vero notitia non acquiritur, nisi existentibus objectis, quæ ab intellectu percepta distinguuntur & discernuntur, examinantur, & cum innatis honesti nobis adhuc reliquis principiis conferuntur, ex qua contentione dijudicamus quid faciendum quid fugiendum est, quod hisce convenit justum, quod ab iis recedit injustum denominamus, & hinc jus, hinc injuria; ex illa enim oppositione utriusque internoscitur natura. Verum respondet nobis Au-
 O
 thor.

thor distinguendo inter *notitiam idealem & experimentalem*. Notitiam experimentalem vocat, quam experientia sibi administravit, sive jam speculatione mentis excitatam confirmavit, aut illustravit, eam iterum subdivisit in *propriam vel alienam*. *Propria incapacem* asserit author, quia *hæc cum innocentia damno fuisset conjuncta*: Neque etiam *alienæ*, quia tanto intervallo, unus post alterum hanc fatalem experientiam non contraxit, ut anticipantis casu potuerit erudiri. *Majorem de experimentali injuriæ notitia intellectam falsissimam putat*: violatio enim legis unde injuriæ notitia, nihil ad vim & formam legis pertinet, licet per aliquot dies, menses, annos, imo secula infracta perstitisset, & a nemine violata fuisset, nihilominus vim & vigorem suum conservat: Ponamus itaque Adamum legem in statu innocentie non violare: adeoque experimentalem peccati & injuriæ notitiam sibi comparare non potuisse; minime inde consequitur legem illi non fuisse positam. O stupidum & tardum ingenium! nonne vides quomodo hic iterum legem ex ipsa natura divina profluentem, quæ omnibus creaturis posita est, ut fini conformiter operentur, quia sibi finis est & continuo ac semper manet, cum rectæ rationis dictamine confundas, nobis indicante ex convenientia vel disconvenientia cum rationali natura quid bonum, id est, quid fini, cui in integro statu sponte & ex inclinatione naturali impulsu convenienter etiam agebamus, congruum, quid contrarium sit, ideoque malum, & consequenter quid præceptum, quid vetitum est, hoc abstinentiam, illud actionem involvit; alia est juris significatio sumpta
pro

pro eo quod semper æquum & bonum est, scil. quod fini respondet; respondet autem fini, quia ex eo fluit & dimanat; eadem enim causa qui finis: alia est significatio legis sumpta pro regula actuum moralium obligante ad id quod rectum est, si hæc obligatio est vinculum quo adstringimur ad faciendum quod finii conveniens est; ideoque ad operandum bonum & rectum, cui inest simul necessitas ad fugiendum quod huic est contrarium: necessario enim homo ad aliquod objectum inclinatur, ad nullum autem inclinare debet nisi ad finem, hinc obligationi ad finem assequendum ideoque ad justum & bonum operandum, inest necessaria prohibitio, omnis intermissionis, & omissionis operationis istius, quia boni est privatio, quæ sub idea mali nobis obvenit; si itaque obligatio hominem adstringat non solum ad illud quod rectum est faciendum, verum etiam fugiendum quod est malum & iniquum, oportet ut habeat & facultatem percipiendi & distinguendi quid rectum quid malum sit; quomodo autem ista animæ facultas, quæ intellectus vocatur, objecta percipiet & percepta distinguet nisi existant quæ distinguere & percipi debeant; nullum autem malum concipi potest nisi tanquam privatio & defectus boni, qui extra mentem humanam, ut diximus, non intelligitur, ideoque ab homine non concipitur, nisi jam existit, id est, homo sibi conscius sit istius privationis, vel defectus, sive mentis suæ aberrationis, & hæc scientia ipsi ideam mali sive injuriæ repræsentat, & quasi perducit ad illam rem quæ deficit, scil. ipsum bonum & justum, & ita in notitiam boni & mali rationis penetrat acumine, quæ merito *experimentalis*

& *idealis* vocatur; ab experientia enim nobis ideam mali formamus, ex illa autem notitia legem sibi fecit homo, id est, officium suum novit, quid sibi faciendum quid fugiendum sit, de quo superius egimus: sed quando hanc sibi comparavit notitiam? scilicet cum statu integro excidisset, erat enim *illa cum innocentiae damno conjuncta*, ut inquit ipse Author, ideoque tum demum expertus est obligationis vim, qua adstrictus erat ad facienda ea, quæ in innocentiae statu sponte secundum legem, ex divina profluentem natura faciebat; verum non ex legis sive obligationis præcedente notitia, scilicet per dictatum illud rationis quod nobis bonum & malum indicat, præcedente eorum notitia, ideoque ad illud faciendum præmio, ad hoc fugiendum metu pœnæ impellit & obligat.

§. 6. Verum annotanda hic non levis Authoris absurda contradictio: Qui cum in hoc §. in statu integro hominem non habuisse experimentalem injuriæ notitiam recte affirmat, attamen dictamen ei tribuit habituale sive lumen practicum, quod *agenda & omit-tenda indicat* pag. 73. §. 40. ex ratione autem fluit illud, quod quid agendum & quid vitandum sit indicat, simul in nobis boni & mali ideam sive notitiam excitet; itaque illud dictamen præsupponit existentiam eorum, circa quæ versatur; nullius enim objecti concipere esse possumus, nisi quod jam existit, sive sub idea entis positivi vel privati representatur intellectui: nihil enim a mente nobis dictari potest, nisi quod naturaliter percepit, (naturaliter hic adjicio, quia sermo est de lumine practico nobis congenito ideoque naturali) nam illud dictamen a mente præsupponit percep-

ceptionem eorum, quæ dictantur; nihil autem a mente percipitur, nisi quod existit, & ipso actu, scil. objectum, quod percipitur. Deus aliter ideam injuriæ five mali habet, scil. extra se in creatura existentis; homo autem non extra se, sed in se ipso tanquam subiecto eam considerat: istum defectum five boni privationem, sub idea quidem nihili, quatenus est privatio, concipit, verum quatenus huic adhæret contraria dispositio five motus fini contrarius, a corrupta sua inclinatione & voluntate proficiscens & existens, revera in mente conceptum format; experitur quidem in se privationem motus recti, sed non ipsius motus, attamen contrarii, ideoque mali, ex quo contraria jam voluntatis descendit determinatio, five mentis inclinatio, in ejus aberratione a fine consistens. Dictamen itaque hoc habituale, quod agenda & vitanda nobis indicat, involvit notitiam boni & mali, objecta dictaminis, & consequenter experimentalem notitiam injuriæ five mali, per experientiam *comedendo de fructu arboris scientiæ boni & mali acquisitam*. Sed negat Author, hominem experimentalem notitiam injuriæ in statu innocentiae habuisse; ergo neque tale dictamen habituale, five lumen practicum, ipso actu five experientia quæsitum, & inde practicum dictum, habuit; nam necessario tale dictatum involvere experimentalem notitiam, statim probare conati fuimus; & consequenter in eo statu legem obtinere non potuisse affirmamus: & hæc Authoris distinctio luce clarius contradictionem ex ignorantia doctrinæ, quam profitetur, fluentem, nobis ostendit.

§. 7. Duo hic Author adducit argumenta, ad encr-

vandam majorem, quod *ubi nulla injuriæ est notitia, ibi nulla sit lex*; verum quod primo loco ponit, secundo erat ponendum: scil. primo statuendum nullam injuriæ esse notitiam nisi experimentalem, quæ & speculativam & idealem involvit, experienciã enim boni & mali acquisitã cognitione, statim circa eam mens speculando versari potuit, & utriusque sibi formare ideam, quippe comedendo de fructu arboris boni & mali, cognovit bonum, quod amiserat, & malum, quod incurrerat, & ita mali & boni notitiam fuit nata; Unde *arbor experientiæ* quoque appellatur a quibusdam, quia experturus esset quid amisisset: hac autem experimentali injuriæ & mali notitia nondum contracta, nulla quoque lex obtinuit naturalis, quippe probavimus ex notitia juris & injuriæ jus sive legem hominem sibi dicere, & inde deducere, quid prohibitum, quid præceptum sit, ideoque quid sibi faciendum, quid fugiendum incumbat, quid præmium, quid pœna comiteretur: nam quemadmodum ex sanctitate divina fuit prohibitio mali, & boni jussio, sic ex justitia ejus fuit pœnarum & præmiorum distributio. Sanctitas Dei est lex & norma, ad quam vitam componere debemus: justitia corrigit actus hominum eam lædentes & quidem necessario, ita ut malum necessario comiteretur punitio; quippe quemadmodum prohibitio mali necessaria est, ita etiam ejus punitio; ex prohibitione profluit puniendi necessitas, utraque a Dei sanctitate & justitia dimanat: ita nullum malum concipimus sine puniendi necessitate, quæ pœnalis legis sanctio necessaria est, ad refrænandas & coërcendas pravas libidines, & nefanda facinora, quæ corruptã fer-

serpentis pestifero inflatu naturâ, homo continuo meditatur; & sanctio illa, quæ a lege separari non potest, quia ejus virtus est imperare, & punire, satis indicat præsentem hominis naturam corruptam esse & omnis generis sceleribus & vitiis abundare, quæ prohibendi & puniendi necessitatem secum adportant. A quibus cum immunis integra & incorrupta primævi parentis natura esset, non opus erat lege vel sanctione aliqua tanquam fræno, ad refræandos inordinatos & intempestivos animi motus; nullis enim pravus cupiditatibus agitabatur, nullæ immoderatæ libidines ejus possidebant animum, itaque nullas leges habebat, ad coercendam ejus malitiam; naturalem enim naturæ impetum ex recta dispositione animæ proficiscentem sequens, semper ad id, quod bonum & rectum vocamus, impellebatur: quippe cum in mente erat summa rectitudo & integritas, nil nisi quod fini & integritati, sive divinæ, qua ornatus erat, imagini respondebat, volebat vel appetebat: itaque nullis commaculatus vitiis, nullis pravis illicitisque cupiditatibus agitur, nullo pœnarum metu opus, qui eum a malo detereret; vel nullo præmio, quod ad justitiam colendam eum induceret, cum sponte ad eam ferebatur ex amore & inclinatione innata propter divini luminis communicationem, ad finem suum assequendum. Respondet ad hæc Author *legis principale munus esse dirigere & obligare liberum agens. Secundarium, refrænare pravos affectus, ex statu naturæ corruptæ emergentes: respectu illius normæ & vincula sunt homini coæva: Respectu hujus fræna sunt, quæ lubricitati*

tati humanæ originem debent. Sed videtur Author non in memoriam revocasse definitionem legis naturalis, quam tradidit pag. 55. §. 14. scil. *illam esse regulam intrinsece justam, cum vi coactiva indicantem*; Si sit regula cum vi coactiva conjuncta, ergo indicat esse aliquem superiorem, qui potestatem obligandi habens, etiam puniendi facultatem habet eum, qui negligit facere illud, ad quod faciendum lex sive regula illa obligans ad id, quod justum & rectum est, eum adstringit: quippe in illa consistit vis illa coactiva, ut si subjectum sponte non præstet, quæ sibi facienda incumbunt, quia per legem ipsi injunguntur, pœnarum metu ad ea præstanda cogatur, & talis vis coactiva semper legem comitatur, tanquam inseparabile quid; quippe cum necessario obligatione naturali obstringamur facere, quod justum & rectum est, ex eadem necessitate profluit illa vis coactiva, ut, nisi bonum operemur, iram in nos divinam provocemus, & pœnæ nos reddamus obnoxios; frustra enim potestas obligandi, nisi huic cohereret facultas subjectum cogendi, ut præstet, quæ ipsi facienda a lege vel superiore imposita sunt: ita obligationi semper inest vis coactiva, huic iterum metus pœnarum, quippe non solum præmiorum exhortatione, verum etiam pœnarum metu efficiuntur boni *l. 1. ff. de just. & jur.* Itaque concedo Musæo nostro, legis principale munus esse dirigere & obligare liberum agens, scil. subjectum, quod facultatem habet se determinandi versus ea, ad quæ obligatur peragenda, & hanc obligationem esse vinculum & normam; homini cœvam; quatenus ex
 Dei

Dei sanctitate descendit hominis ad finem obligatio, eatenus ex eodem fonte quoque descendit prohibitio & jussio; est enim illa sanctitas norma & lex agendorum, imperans bona, prohibens contraria; itaque cum vi coactiva conjuncta, ut nisi fini suo subjectum, cui obligatio incumbit, congrue operetur, pœnas, quas meretur, daturum sit; nulla enim jussio, nulla prohibitio sine puniendi necessitate, quippe ex eadem necessitate, ex qua profiscitur prohibitio mali & jussio boni, etiam descendit necessitas puniendi, ita ut nunquam possimus concipere legem sine illa sanctione pœnali, quemadmodum ab obligatione non potest separari vis coactiva, verum quatenus illa obligatio ex rectæ rationis dictamine procedens, debet innotescere ei, qui obligatur, statim quoque illa vis coactiva cum puniendi potestate conjuncta, indicat nobis defectum & privationem integritatis nostræ, id est malum sive peccatum, quod experimentalis notitia, *comedendo de fructu arboris scientiæ boni & mali sibi* acquisivit vetustissimus mortalium: qui a recta via, qua ad finem suum, ideoque ad bonum operandum ferebatur, deflexus, indies magis magisque in se ipso sentiebat illicitas nefariasque libidines & cupiditates, quibus inservire malebat, quam rectæ rationi obtemperare; hinc necessarium dictamen conscientiæ, quod informabat eum de officio suo, idque sub comminatione gravissimi supplicii, si omitteret agere, quæ rectæ rationis dictatum ipsi indicabat, cum rationali natura, sive rectis innatis honesti principiis consentire. Hinc recte consideratur

P

ratur lex tanquam frænum, ad pravos & inordinatos animi coërcendos, & refrænandos motus, verum errat noster Author, quando hoc *secundarium sive minus principale legis munus esse putat, lubricitati humanæ debens originem*; quippe probavimus principale legis esse munus dirigere & obligare hominem sive liberum agens, cui obligationi inest vis coactiva, & pœnarum metus, eamque sine illa concipi non posse, propter moralem illam necessitatem ex sanctitate sive natura divina proficiscentem; quæ unam & alteram involvit.

§. 8. Postquam Author de experimentalis injuriæ notitia quædam disputavit, ad idealem transit, & ita majorem concipit: *qui nullum injuriæ habent notitiam speculativam, illis lex non est posita*. Hic tot distinctiones evomit Author, ut vix risu me abstinere potuerim, mecum reputans, quomodo forte fortuna mihi cum scholasticorum principe res esset: Varias itaque notatiæ hujus distinctiones, quarum supra mentionem fecimus, cum maximam earum partem enumeravimus. Sunt equidem, inquit, *rerum conceptus vel confusi vel distincti*, scil. nimis distinguendo confusi fiunt, probat itaque hujus distinctionis veritatem admodum clare confusus Authoris juris & injuriæ conceptus, quem sibi distinguendo acquisivit: *notitia iterum alia est implicita, alia explicita*, vellem Authorem sese circa hanc distinctionem tam explicite explicasse, quam forte implicite animo concepit: *Cognoscimus aliquid nunc in actu primo, nunc in actu secundo, nunc potentia*. In hanc me opinionem adductum, in principio nostræ defensionis testatus

status sum, scil. Authorem multa implicite & potentia cognoscere, quæ explicite in actum non potest deducere. Vellem parvam ejus potentiam habere me portiunculam, melius ejus distinctiones intelligerem, & consequenter distinctius ad eas responderem. Verum si confusam saltem ipsi exhibuerim ideam, ipsi satisfacisse colligere possum ex §. 8. pag. 112. quippe talem injuriam notitiam primis parentibus tribuens, iniquum esset distinctam ejus a me requirere ideam, cujus intellectus cum eorum sagacitate, & *mentis lynceo visu* nequidem comparandus. *De implicita*, inquit Author, *aut saltem possibili notitia intellecta major, utcunque tolerari potest. Qui enim legem & quid lege præceptum sit cognoscunt, implicitate etiam prohibitum esse cognoscunt, quod legis præcepto repugnat. Qui virtualis conceptus quoniam involvitur in conceptu, legis etiam præceptiva, personæ obligatæ, quæ hujus notitia sunt imbutæ, possunt adhibita debita attentione, actualem etiam injuriæ notitiam, si non distinctam, quæ sæpe est difficilis, propter ignorantiam futurorum contingentium, & intellectus humani angustiam, confusam saltem sibi comparare: quæ vero actu non comparant, potentia saltem jam obtinent vel proxima vel remota: pro ut attentionis industria nunc sequitius, nunc solertius appropinquant.* Superius jam diximus, quod Author hic nobis concedit, obligationi, qua adstringimur ad faciendum, quod bonum est, etiam inesse prohibitionem a malo, idque quia ei inhæret moralis necessitas, qua continuo & semper operationem a nobis requirit, id est ut nunquam intermittamus &

cessemus operari, quod fini congruum & conveniens est, propter immutabilem Dei voluntatem, qua semper vult se ipsum tanquam finem & objectum sui ipsius; quia autem omnis intermissio & cessatio hujus operationis est boni privatio, omnis autem boni privatio malum, hinc jussio vel præceptum ad faciendum, quod bonum est, id est ad continuo & semper operandum & agendum, quod fini consentaneum est, continet prohibitionem ejus, quod huic operationi contrarium est, quod malum vocamus; quemadmodum enim unius jussio ex Dei fluit natura & sanctitate, ita quoque alterius prohibitio ex eodem fonte dimanat, ut superius probavimus: cui itaque innotescit præceptum boni sub notione legis tanquam oppositi malo (quippe ex natura boni fluit illud esse præceptum) ille simul cognoscit prohibitionem mali tanquam bono oppositi, ex cujus natura fluit hoc vetitum esse. Ex oppositione contrariorum diximus, quod utriusque nobis annis notitiam, ex notitia lex profluit: itaque quæ de implicita vel explicita notitia garrit Author noster, nullius momenti sunt; incumbit ei ante omnia probare, obtinuisse illa objecta, quæ necessario existere debent, antequam nobis constare queat, quid sit jus, quid injuria quid bonum, quid malum, non in se consideratum, verum respectu hominis rationalis, qui ex eorum oppositione ideam boni & mali, juris & injuriæ sibi format. Uno tantum modo hanc notitiam nobis comparamus, scil. ex privatione sive defectu & absentia unius alterius naturam cognoscimus, nam justum per oppositum injusti, malum per

per oppositum boni & vice versa novimus; ubi illam distinctionem facere non possumus; neutrius cognitionem habemus, atqui in statu innocentiae non potuit hæc distinctio fieri, quia non existebant objecta, quæ distingui debuerant, ergo eorum notitia acquiri non potuit, neque implicita neque confusa, neque actu primo vel secundo, ideoque & major & minor *in statu innocentiae injuria ideam nullam obtinuisse, ideoque nec leges*, vera est; nam utcunque distinguit Author, antequam ullam notitiam obtinuisse probare conatur, unde conceptus injuriæ sive mali, antequam idea defectus extitit, ipsi prius probandum incumbit: si extitit defectus, etiam ejus defectus, qui sub idea mali nobis obvenit, quia est privatio ejus, quod adesse deberet, notitiam habuit, non implicitam, sed explicitam, non confusam, sed distinctam; nam confuse aliquid concipere fuisset summum vitium ejus intellectus, cui lynceum mentis visum tribuimus; non potentiam, sed ipso actu, nihil magis ridiculum mihi videtur, quam inter actum & potentiam Authoris nostri distinctio; potentiam enim notitiam obtinere est nullam obtinere, quippe contradictorium est, obtinere ideam potentiam & non habere actu, idea enim includit existentiam, quæ necessario actu præfens est intellectui, ut ipse affirmare videtur Author, pag. 111. §. 7. potentiam habere notitiam, idem est, ac si dicerem facultatem habere acquirendi quod nondum habeo, potentiam habeo injuriæ notitiam, id est facultatem eam comparandi: atqui sine perceptione mentis nulla idea, sine objecto nulla

perceptio; ergo potentiã habere ideam est nullam habere, potentia actum excludit: nulla autem idea, quin actu existat, existente autem idea, existit objectum, cujus idea intellectui repræsentatur; atqui non existente objecto, cujus perceptione ideam habemus, non existit quoque idea: hinc impossibile in statu innocentix, ubi omnia perfecta & bona erant, ideoque perfectas & bonas in nobis ideas producebant, mali id est defectus boni & perfectionis sive ejus quod adesse debebat, antequam res perfecta & bona dici posset, nos ideam habuisse; omnis enim idea, quam nos formamus, vel innata est, vel ex creaturis acquisita; atqui in intellectu erat summa rectitudo integritatis fundamentum, creaturæ singulæ in suo genere perfectæ & bonæ, hinc neque rectitudo intellectus, neque perfectio creaturarum mali ideam nobis repræsentare poterat, & consequenter nullam habuimus notitiam, nisi ut ipse Author dicit *cum integritatis & innocentie damno acquisitam. Quod implicitam habuerint injuriæ notitiam, negari nequit ab illis, qui illis legis notitiam tribuunt* inquit Author, & hoc fundamento nititur Authoris injuriæ conceptus; atqui negamus in illo statu obtinuisse legis notitiam, & rationibus probavimus, quippe ex injuriæ notitia legis notionem statuimus perfectam.

§. 9. *Si vero de explicita injuriæ notitia questionem instituimus, inquit juris paradisei Doctor, duo tempora distinguenda sunt: nempe antecedens legem positivam, de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali, & consequens. In hoc injuriæ pænæque*

notitiâ actuali confusa saltem Adamum non caruisse statuit. Atqui ante transgressionem legis positivæ non habuit scientiam boni & mali, id est, non cognovit bonum, quod amiserat, & malum, quod incurrerat: ex amissione integritatis, quæ in intellectus rectitudine consistebat, & voluntatis ac mentis a fine aberratione, perspicuens defectum suæ perfectionis, & privationem motus recti, quo ad finem ferebatur, boni & mali notitiam cum integritatis jactura sibi comparabat: quemadmodum legis transgressio ipsum admonebat peccati, quod in se admiserat, ita etiam injuriæ ideam ex eadem transgressione sibi acquisivit, quia per ea cognoscebat justitiæ privationem; quemadmodum ea consistebat in continuo exercitio juris, scil. operatione ejus, quod fini congruum ideoque justum, rectum & juri sive necessitati morali conveniens erat, ita injuria consistebat in omissione & intermissione illius operationis & exercitii juris sive justitiæ: injuria enim dicitur, quod non fit jure, quod justitiæ adversatur, adeoque ejus operationem tollit; ex quo iterum concludimus jus injuriam præsupponere, & sine illa nullum jus nobis, neque legem naturalem innotescere: prior enim transgressio legis boni & mali notitia, & injuriæ ideâ, hæc iterum prior dictamine rectæ rationis; quippe ex illa notitia distinctionem boni & mali acquisivimus, id est ex illa notitia descendit lex, quia prohibitio & præceptum ex natura boni & mali originem habet, quoniam necessario huic inest per necessitatem illam moralem, ex natura Divina profluentem, qua bonum,
quia

quia bonum, præcipitur, & malum, quia malum; prohibetur: quia enim *debitum vel illicitum est per se & suapte natura, necessario a Deo jubetur vel vetatur*, Grot. *de jur. bel. & pac. cap. 1. §. 10.* Si autem per transgressionem legis injuriæ notio, hinc ante illam nullus injuriæ conceptus, neque confusus; neque distinctus, neque actu primo neque secundo; quippe si injuria est, quod fit contra legem, ergo ante transgressionem legis nulla injuria; si nulla injuria, ergo nulla ejus idea: formamus enim, ut diximus, ideas ex objectis vel extrinsece existentibus, id est, ex creaturis, vel ideis innatis; atqui illæ in statu innocentie nihil nisi bonum, rectum, justum, & quod fini congruum erat, intellectui repræsentabant, ergo nullius injuriæ conceptum, ante experimentalem juris & injuriæ, transgrediendo legem positivam, notitiam acquisitam, hominem habuisse affirmandum persuasi sumus.

§. 10. Concedo Authori, *Adamum in innocentie statu igneæ mentis vi, in specierum naturalium atque moralium facillime potuisse penetrare veritatem*: id est, ut ipse sese explicat, rerum moralium & physicarum præsentium, quæ intellectui vel per ideam innatam, vel res creatas repræsentabantur: quid autem per ideam ipsi repræsentabatur, nisi Deus tanquam unicus & solus finis, in quo summa voluptas & summum consistebat bonum; hunc diligere, amare ex toto corde, & toto animo & omnibus viribus, continuo impellebant eum tot benevolentie erga se testimonia; hinc venerabatur Deum ut creatorem, diligebat ut benefactorem, & tot in se bene-

neficiorum originem & fontem; nihil desiderare poterat præter finem suum, quia quo ei propior, eo majorem persentiscebatur voluptatem; nullæ intellectui ofusæ vitiorum tenebræ, ideoque clariorem summi entis possidebat notitiam, & quo clarius erat idea, eo perfectior. Huic contemplationi tanquam unico objecto inclinatio & voluntas adhærebat, & ita sponte satisfaciebatur legi, quæ nobis ab ipso Christo tanquam omnium legum moralium finis proponitur, id est, *diliges dominum Deum tuum ex toto corde, omnibus viribus tuis*. Itaque res morales, in quarum veritatem lynceo mentis oculo penetrabat, erant Dei bonitas, sapientia, potentia, quas contemplando magis magisque ad finem assequendum, eique continuo adhærendum incitabatur; hæc erant objecta, quæ ex Dei perfectissima natura immediate manantia, hominem continuo ad altiora surgere & sublimiora speculari impellebant. A Deo ad creaturas descendens, & in eas oculos conjiciens, iterum ad Deum convertebatur animus, tanquam causam & authorem non solum & existentiam & essentiam, verum etiam summæ perfectionis, mirabilis venustatis, quam singulæ creaturæ in suo genere præ se ferebant, summæ Dei *bonitatis, sapientiam & potentiam*, invicta testimonia. Quæ eo magis admirabatur, quanto perfectiorem & clariorem sibi perspicacis mentis lumine acquisiverat notitiam. Credis itaque, cujus intellectui nil nisi quod perfectum, bonum, justum, fini conveniens, id est omnibus numeris absolutum & perfectum erat, repræsentabatur, imperfectionis, mali, injusti, & defectus vel privationis justitiæ ideam habuisse? qui ipse dicis, te adeo

Q

sua-

suaviter afficere aliquando vitæ paradisiæ, ter quaterque beatæ per jucundam recordationem, ut ægre possis ad injuriæ peccati, pænæque ideam traduci: quanto difficilius credere possumus injuriæ conceptum potuisse cadere in eum, qui vitæ integer scelerisque purus, nihil nisi bonum, justum, & rectum, meditabatur, quoniam intellectui summa rectitudo inhærebat, quæ continuo eum ad operandum & ad meditandum, quod rectum & fini congruum erat, instigabat.

§. II. Verum ut Author absurdas evitaret consequentias, quæ ex suo injuriæ conceptu derivantur, distinguit inter *confusam & distinctam ideam*, & in absurdiora prorumpit ratiocinia; *confusam injuriæ ideam* ei tribuens, quem mentis acumine nobis præcellentem, facilius in rerum, quæ ipsi obveniebant, naturam penetrare potuisse affirmat: quid enim ad conceptum injuriæ acquirendum aliud requiritur, quam privationem justitiæ sive juris, id est, inclinationis & voluntatis, & actionis cum fine sive natura rationali disconvenientiam concipere, *itaque non opus, ut omnes actus, qui contra legem emersuri sunt, vel emergere possunt, animo verset: illarum circumstantias ponderet, reatum, pœnas, pœnarumque proportionem trutinetur*, ut quis *distinctam injuriæ ideam* sibi acquirat. Injuria enim nihil aliud est, quam quod jure non fit, & justitiæ adversatur; itaque quando concipio aliquid justitiæ sive juri, id est; bene, & recte dispositæ & ordinatæ ad finem animæ inclinationi contrarium, statim ideam injuriæ habeo adeo *distinctam*, atque illa est, quam istius dispositionis, sive fini & integritati & divinæ imagini congruæ rectæ animæ inclina-

clinationis habeo: verum quid me ad illam contemplationem juris & injuriæ adduxit, scil. illa experimentalis juris & injuriæ notitia, legem quidem positivam, attamen omnes etiam morales & ex Dei natura sive imagine profluentes leges, quibus sponte satisfaciebat olim protoplastus, complectentem, transgrediendo acquisita. Quippe illa transgressio legis positivæ causa fuit privationis integritatis & divinæ imaginis, itaque perfectionis & rectitudinis intellectus nostri, qua nihil præter finem cupiebamus, ideo continuo ille finis erat intellectus objectum, & voluntatis appetitus: verum postquam statu integro inobedientiâ sua excidisset mortalium vetustissimus, alium voluntatis in se expertus est appetitum, plane diversum ab illo objecto, cujus idea unica erat voluptas mentis, unicus finis, in quem omnes inclinationes collimabant, ideoque justæ & rectæ, & divinæ imagini congruæ: itaque quemadmodum justitia consistebat in convenientia inclinationum & actionum cum fine, ita injuria, sive id quod justitiæ contrarium est, collocanda est in disconvenientia voluntatis & actionis cum natura rationali sive fine; sed unde illa convenientiæ & disconvenientiæ notitia, nisi ex dictamine rectæ rationis? Unde illud dictamen, nisi ex contentione inclinationum cum innatis & etiamnum nobis reliquis honesti principii? Ex qua contentione sequitur mentis judicium, quod nobis indicat, quid faciendum sit, quid fugiendum, & consequenter quid malum sit, quid bonum: verum unde illud judicium, scil. ex illa notitia boni & mali, quam sibi homo acquisivit suo cum irreparabili damno? unde illa notitia? a facultate, quam

habet intellectus, objecta, quæ sibi repræsentantur, & percipiendi, & percepta distinguendi: perceptio includit objectorum existentiam, ab existentia igitur perceptio, a perceptione notitia & idea. Itaque unica tantum injuriam percipiendi ejusque conceptum formandi ratio, scil. per disconvenientiam actionum & inclinationum nostrarum cum innatis justî & recti principiis, sive naturâ rationali, præcedente dictamine rationis, cujus facultate malum ab iniquo discernimus, non *confuse*, sed *distincte*, non *potentiâ*, sed *actu*, idque *primo & secundo*, *implicite & explicite*. Quippe quemadmodum est una tantum ratio existendi, scil. per privationem justitiæ sive juris necessarii, ex Dei profluentis sanctitate & perfectissima natura, ita unus tantum percipiendi modus.

§. 12. Ab injuriæ conceptu ad ejus prohibitionem transit Author, pag. 11. §. 14. *Si de injuriæ prohibitione*, inquit, *argumentum concipiatur, & negetur, in illo statu legem extitisse, in quo nulla sit facta injuriæ prohibitio: distinguendum iterum inter prohibitionem explicitam & implicitam: hanc omnia legalia præcepta, etiam verbis agentibus expressa involvunt, ut ejus respectu major concedi possit, sed neganda sit minor: Adamo in statu innocentia, nullam factam esse injuriæ prohibitionem: Quia obligans ad legis observantiam, obligat etiam ad vitandam ejus transgressionem. Est hoc argumentum petitio principii; diximus enim superius, quemadmodum bonum necessario præceptum est, quia ei inhæret necessitas moralis ex Dei sanctitate fluens, quæ in eo consistit, quod necessario amet bonum, abhorreat autem a malo, ex qua sanctitate pro-*

profluit jus morale sive divinum necessarium, origo & principium omnium legum, naturalium & moralium, quæ per rectæ rationis dictatum nobis innotescunt; ex illa necessitate jam descendit jussio ejus, quod ex divina natura positive & necessario, tanquam a sua causa & origine manat, *justum* scil. & *rectum*; illa justitia enim & rectitudo adeo necessario in divina essentia concurrunt & ab ea profluit, ut sine ea ipsam divinitatem concipere non possimus; hinc rectitudinem intellectus, id est, conformitatem & convenientiam cum causa & sine suo imaginem divinam vocamus, scil. similem causæ principali; quemadmodum ex illa necessitate originem suam trahit præceptum boni, ita simul ex eadem necessitate proficiscitur prohibitio mali; imo jussio bonitati, prohibitio injuriæ adeo arcte inhæret, ut unum sine altero concipi non possit; boni enim & mali notitia simul jussionem vel prohibitionem dictat. Verum antecognitionem boni & mali, nulla etiam notitia prohibitionis vel jussionis, illa hanc involvit propter illam necessitatem seu obligationem, quæ omni morali bonitati vel turpitudini inest, quæ necessario jubet illam, vetat hanc. Atqui nulla obligatio, nulla moralis necessitas, quatenus pro lege sumitur, nobis innotescit sine dictamine, nullum dictatum sine notitiâ boni & mali, illi jussio, huic inest prohibitio; nulla notitia boni & mali sine perceptione, nulla perceptio sine existentia eorum, quæ ab intellectu percipiuntur, & ita nobis repræsentantur, ut de iis judicium ferre possimus, & scire quid faciendum, quid fugiendum, & consequenter quid præceptum, quid prohibitum sit. Hinc concludimus in statu innocentiz fuisse legem,

jussionem boni, prohibitionem mali, quatenus jus morale contineri dicimus sanctitate Dei, & ita etiam illam rectam rationem, imperantem bona, prohibentem contraria, idque necessario, uti modo explicavimus: verum quatenus lex sumitur pro dictamine rectæ rationis, quæ nobis ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali indicat quid bonum, quid malum sit, idcoque requiratur notitia boni & mali præexistens, quia jussio & prohibitio ex eorum natura cognoscitur, negamus ullam legem naturalem obtinuisse, & consequenter neque jussionem vel prohibitionem explicitam vel implicitam, in statu integro, per dictamen rationis homini factam fuisse. Sed sponte fecit & omisit, quæ nos facimus vel omittimus, quia præcepta vel vetita, per illud lumen practicum sive habituale dictamen, ex notitia boni & mali, recti & injusti descendens, novimus. Et quemadmodum, ut statim diximus, una tantum ratio est perveniendi ad notitiam mali, sive percipiendi injuriam, ita unus tantum modus est, quo prohibitionem ejus percipimus: nam injuriam continuo comitatur prohibitio, & illa sine hac concipi non potest. Nullus dubito, quin ex hisce facile perspiciet Author, quam longe à vero aberrat, quod statuit in eodem paragrapho, *præcepta affirmantia, nisi expresse sanctio pœnalis adjiciatur, explicite injuriam vix prohibere*; quæ assertio plane Dei sanctitatem tollit: quippe quia jus morale, scilicet legem naturæ quoad originem necessario ex Dei sanctitate fluere, ex hac iterum necessitatem imperandi justa, & prohibendi contraria sive injusta, ex necessaria autem prohibitionem iterum sanctionem pœnalem as-

fir-

firmamus. Nam si liberum esset in Deo actionem in se malam non punire, etiam liberum Deo esset eam non prohibere, atqui necessaria est prohibitio, ergo etiam necessaria pœna; ridicula est illa distinctio, implicite vel explicite, quia ideam mali non possumus separare a notitia prohibitionis, neque hanc iterum a sanctione pœnali, sive necessitate puniendi; est tam arcta eorum concatenatio, ut una, ut ita dicam, cogitatione, omnia amplectamur, idque uno eodemque cogitandi modo, ex illa cogitatione legem nobis, mentis præeunte discursu, facimus, præexistente jam boni & mali notitia.

§. 13. Minorem quoque probatu difficilem esse inquit Author, pag. 118. §. 15. & vix me probaturum asserit prohibitiones illas: *Non adsumes in vanum nomen Domini: Non occides; non furtum facies; non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium; non radiasse in intellectu hominis innocentis. Quamvis forte ad actualem illarum comprehensionem neque ab extrinseco objecto, neque se ipsum excitaverit.* Vix mihi possum persuadere Authorem semetipsum intellexisse, propter illam contradictionem, quæ paucis hisce verbis continetur. Affirmat Author radiasse in intellectu hominis innocentis leges illas negativas; & actualem earum comprehensionem ab intellectu separat. Aliquid intelligere & percipere, & illud non comprehendere, contradictorium mihi videtur: quæ enim sibi magis contraria sunt quam intellectus, & ignorantia? intellectus excludit ignorantiam, ignorantia intellectum. Qui possumus solis affici radiis, & ejus fulgorem non per-

percipere? qui radiasse in intellectu Adami leges statuere possumus, & illarum comprehensionem illum non habuisse? cui lynceus mentis fuit visus, quem virum adultum nihil fugere potuit, quod fuit in intellectu, quin ejus distinctam haberet notitiam: quid est intelligere aliud, quam aliquid percipere? quid percipere, quam aliquid comprehendere? quid comprehendere, quam notitiam habere eorum, quæ percepimus? quid intelligimus, quod simul non novimus, & quid novimus, quod non simul percipimus, & comprehendimus? unum ab altero separari nequit. Itaque si in intellectu hominis innocentis radiassent illæ prohibitiones, eas quoque percepisse & comprehendisse affirmandum est; atqui hæ prohibitiones ex corrupta hominis natura descendunt, scil. quatenus per dictamen rectæ rationis nobis innotescunt, ex contentione nostrarum inclinationum cum primis innatis honesti principiis, quod nobis indicat eas vel cum illis convenire vel ab iis recedere, quæ cum illis convenientiam habent bonas esse, & quia bonæ, ideo jussionem involvere, quæ ab iis recedunt, malas esse, & consequenter prohibitionem includere; illæ prohibitiones corruptæ nostræ naturæ clara sunt testimonia, & nostram a vero sine aberrationem nobis indicant, eas percipiendo simul percipimus bonum quod amisimus, & malum quod inobedientia contraximus, tot vitiorum, tot scelerum, tot pravarum cupiditatum, quibus quotidie agitamur, matre; quas coerceri & prohiberi legibus, generis humani quam maxime interest; itaque quando prohibitionem percipimus, simul quoque

que rem prohibitam concipimus; illa prohibitio, quia relationem habet ad rem, quæ prohibetur, statim nobis indicat prohibitionis objectum, scil. malum sive peccatum, cujus servi facti sumus, postquam propter lapsum integritate sua & divina imagine homo exutus est: cum antea sponte venerabatur Deum creatorem suum, non opus erat præcepto, vel conscientia dictante, *non adsumes in vanum nomen Domini*; cum diligebat impetu naturali proximum suum, non opus erat præcepto, quo cavebatur *non occides*; cum omnibus adfluebat rerum copia, & sua sorte contentus erat, *nulla furti facta prohibitio*, id est, conscientia tranquilla propter inclinationum & actionum cum fine & voluntate divina convenientiam, nullius ipsum admonebat facti contra legem vel voluntatem divinam admissi, & consequenter nullius sibi vitii vel peccati conscius, nullam prohibitionis ex vitii natura profluentis notitiam habebat. Frustra hic allegatur a juris paradisi Doctore nostro, AUTHOR *novellarum Reipub. literariæ*, quæ gallicè conscriptæ, editæ sunt in *Mense Majo, Ann. 1685. Artic. 5.* Qui laudatur ab his, culpatur ab illis, prout unicuique visum fuerit, quanquam in quibusdam de orbe literario bene fuerit meritus, non desinit tamen homo esse, id est, multis erroribus obnoxius, quod satis manifeste ostendit argumentum illud a Doctore nostro ex istius authoris antedictis *novell.* desumptum, quo probare nititur legem positivam in paradiso latam nobis indicare claram prohibitionis, & injuriæ ideam paradisi inquilinum concepisse: Quemadmodum

R

dum

dum enim legis positivæ habuit notitiam, sine scientia boni & mali, ita prohibitionis notionem sine injuriæ idea habuit, scil. notitiam & ideam habuit ejus, quod percipiendo intelligebat, & intelligendo percipiebat, existerat objectum, scil. præceptum, quo percipiebat prohibitionem; intelligendo autem promulgationem, percipiebat objectum sive præceptum de non comedendo de ligno scientiæ boni & mali; illa enim prohibitio non injuriæ ideam necessario involvebat, quippe non ex injuria, verum liberrima Dei voluntate profluebat: poterat vi rationis suæ intelligere & percipere jussionem & prohibitionem, quæ ipsi a Deo vel viva voce vel revelatione promulgabatur; vim enim verborum sive proprietatem vel animi sensuum significationem intelligere poterat, & quid hisce denotabatur distinctius & clarius, quam nos hodie, percipiebat, ideoque quæ actio, quæ inclinatio jubebatur vel prohibebatur, eum fugere non poterat, licet nullam notitiam boni vel mali haberet. Verum absurde argumentum ab illa lege positiva deductum applicatur prohibitioni morali, quæ injuriæ tam necessario inest, quam bonitati morali jussio tanquam inseparabile quid inhæret: quamobrem injuriæ idea prohibitionis notitiam quoque involvit, quia propter illam necessitatem moralem a se invicem divelli neque separari queant; itaque quando lex naturæ nobis dicit aliquid prohibitum esse, præsupponit ideam ejus, quod prohibetur, in nobis existere; sine mali sive injuriæ notitia non potest nobis innotescere obligatio, qua tenemur fugere, quod prohibitum est,

est, quia illa notitia est nobis tanquam promulgatio istius prohibitionis, & consequenter obligationis, qua tenemur omittere, quod prohibitione continetur: quippe, ut diximus superius, ratio, quæ nobis dicitur quid prohibitum est & quid consequenter fugiendum, in nobis simul cogitationem injuriæ si-ve mali, prohibitionis objecti excitat, propter illam relationem prohibitionis cum re prohibita, id est, eodem momento, quo per illud dictamen prohibitio nobis innotescit, concipimus injuriam tanquam ejus objectum, ex cujus natura prohibitio quasi fluit, & sine illa a nobis concipi nequit: prohibetur enim injuria propter se, quia justitiæ adversatur, ideo nunquam ab ea separari potest. Non repetemus hic quæ superius disputavimus de tempore, quo illam injuriæ & consequenter prohibitionis homo sibi acquisivit ideam, & quando lex moralis pro dictato rectæ rationis sumpta ipsi innotuerit, scilicet cum transgressione legis positivæ, injuriæ, scientiæ boni & mali nobis acquisita experimentalis notitia, ex distinctione boni & mali & contentione eorum cum integritatis & divinæ imaginis deperditæ rudibus, id est, honesti nobis adhuc reliquis principiis, quid fugiendum ideoque vetitum, quid faciendum, ideoque præceptum concludimus, & ita legem nobis dicimus.

§. 14. Denique si de injuriæ reatu major intelligatur & ita concipiatur: *in quos non cadit injuriæ reatus, in illos non cadit lex*: ut falsam rejicit Author. Aberrat hic iterum a quæstione, legem positivam confundens cum naturali, quod probat Authoris inversum argumentum, quod in me retorquet:

R 2

Qui

Qui potuerunt reatum injuriæ & peccati contrahere, illis lex fuit posita: atqui in statu innocentiae homines injuriæ & peccati reatum potuerunt contrahere; Ergo. Verum quis unquam potuisse homines in statu integro peccati & injuriæ reos fieri negavit? non opus hic argumentis, ubi rerum adsunt testimonia; satis id confirmavit primorum parentum lapsus: verum quæ lex ipsis posita fuit, cujus occasione injuriæ reatum contraxerunt? lex scil. positiva, quam transgrediendo mali & boni, juris & injuriæ scientiam nacti fuere, summo cum humani generis detrimento. Nisi enim legem habuissent, peccare non potuissent, nisi peccare potuissent, legem ipsis pœnalem non tulisset Deus, inquit Author pag. 121. Peccare potuisse confirmavit rerum usus: & quomodo? transgrediendo legem positivam, nimir. ante promulgationem ejus legis nulla prohibitio, nisi quæ lege morali propter necessitatem illam, quæ bonitati ex divina profluenti natura necessario inest, continebatur. Verum quia ea per dictamen rationis nobis innotescit, ante contractum injuriæ reatum, nullam hominem ejus ideam habuisse probavimus, quia ex notitia injuriæ descendit notitia prohibitionis, propter illam necessariam relationem inter prohibitionem & rem prohibitam. Debuisset Author probare, in quos non cadit injuriæ reatus, in illos cadere legem naturalem seu dictamen rationis, ex convenientia vel disconvenientia actionum, quæ a nobis proficiuntur, cum ratione naturali, iis inesse vel bonitatem vel turpitudinem moralem, ideoque necessario a Deo præcipi vel vetari nobis dictans; diximus enim

enim quid præcedere oportet, antequam per dictamen rationis lex naturæ nobis innotescere queat. Itaque quicquid Author disputat de lege positiva, nullius momenti, & ab ea ad leges naturæ non valet consequentia, antequam Author probaverit Adamum in statu innocentia, ante experimentalem injuriæ notitiam, & ante contractum peccati reatum, habuisse leges naturæ, id est, dictamina rectæ rationis nobis indicantia ex convenientia vel disconvenientia cum rationali natura, quid justum, quid injustum sit, quid jus, quid injuria, hæc nobis indicando simul indicat, quid prohibitum, quid præceptum sit, quia juri & injuriæ inhæret prohibitio vel jussio, ita ut notitia vel idea unius involvat notionem alterius.

§. 15 Primo enervato argumento ad secundum oppugnandum transit, desumptum ex §. 4. *dissert. nost.* quod ita se habet: *Qui non potuit habere ideam boni & mali, nullum jus, nullam naturæ legem habuit, quæ eum impelleret ad faciendum, quod bonum statuerit, & fugiendum quod judicaret malum: atqui in statu integro sive innocentia, boni & mali, justi & injusti non habuit ideam, ergo lege naturali caruit.* Ea subnixum ratiocinatione, quod cum notio mali plane primævum hominem integrum & illibatum à peccato fugeret, boni quoque notitiam non habuisse statuimus; quia illud nisi per suum oppositum cognoscitur, ex oppositione illorum contrariorum elucescit utriusque cognitio. Non possumus ad hanc veritatem adstruendam fortiori uti argumento, quam illâ bonum & malum percipiendi

ratione, quam quisque in se ipso experitur; non opus autem ut illa objecta percipiamus per denominationes, sub quibus usus loquendi nobis ea repræsentat; possumus enim bonum æque sub idea entis positivæ, & malum sub idea entis privativæ, quam earum denominationem concipere; illas ex usu habent, ipsa autem idea ex objecti qualitate formatur, quæ ex eadem oppositione cognoscitur: itaque hic quæstio est, num boni ideam sub notionem boni habere possimus, sine notionem & ideam mali: quod impossibile est, quia semper bonum & malum concipimus tanquam sibi invicem contraria & opposita; nunquam rem aliquam bonam esse percipio, nisi simul eam omni malo & vitio carere concipiam, neque malam esse, nisi per privationem boni judico: contraria sibi invicem esse nemo negabit, jam contrariorum ea est natura, ut posito uno alterum poni necesse sit, si unum sustuleris, abstuleris utrumque: ipsa etiam idea mali, quia sub idea privationis boni nobis repræsentatur, necessario in nobis excitat ideam boni, quoniam privatio involvit respectum vel relationem ad rem, quæ per privationem sublata est: quemadmodum itaque per privationem rei, quæ sublata est, acquiram notitiam, ita per ideam mali, quia involvit privationem boni, & ita quasi manu ductio est ad rem ipsam, notitiam boni mihi acquiram, id est, per defectum rei deficientis notionem mihi comparo, & ita cognosco quid sit deficere, quid existere, sive actu præsens esse, illud præsentiam, hoc absentiam voco, illam sub idea boni, hanc mali mihi repræsentam. Itaque hæc contra-

rio-

riorum natura est, ut, quia sibi invicem contraria sunt, unum cognoscatur per alterum, quia unum sine altero percipi nequit; illa enim oppositio sive contrarietas singulari numero contenta non est, sed ad minimum duo requirit objecta, quia unum alterius respectu contrarium dicitur, sub uno tamen mentis conceptu cadunt, licet sibi invicem diversa sint, ita ut hujus conceptu respectu discordiam hanc contrarietatem vocare possimus. Quemadmodum itaque concipio malum tanquam bono contrarium & oppositum, hinc affirmo, vetustissimos bonum & malum non scivisse, quia unum cognoscitur per suum contrarium & oppositum alterum, & quandoquidem hujusmodi rerum cognitione sub idea boni & mali Adami mens non erat imbuta, nullus etiam locus supererat legibus, quæ ejus actiones regerent, ut bonum operaretur & malum fugeret. Quædam in medium hic nullius ponderis profert ratiocinia Author, quibus hanc veritatem evertere conatur. Primo legem in genere sumptam distinguit a speciebus, scil. *jure permissivo, præceptivo, & prohibitivo*. Quasi in paradiso potuisset obtinere lex naturæ præcipiens, cum lege prohibente non copulata, quæ duæ legis virtutes ad ejus essentiam, ut ita dicam, tam necessario requiruntur, ut sine illis omnis legis vis evanescat: quid enim aliud est lex naturæ, quam recta ratio, imperans bona & recta, vetans contraria? unum continet alterum propter illam necessitatem moralem, quæ ex divina sanctitate fluit, quâ quemadmodum necessario imperantur bona, ita contraria, id est, mala
necessario

necessario vetantur , ut latius superius explicavimus : obligatio enim ex hac moralitate descendens quemadmodum necessariam ad bonum jussionem , ita a malo necessariam prohibitionem continet : Quare jus morale sive divinum necessarium , quod naturale etiam vocatur , imperat bona , prohibet mala ; & sine illa prohibitionem concipi a nobis nequit , quia sine dictamine jus sive lex naturæ nobis innotescere nequit ; nullum dictatum sine præexistente boni & mali notitia , quia ea sunt legis objecta ; nulla autem mali notio sine prohibitionem , quoniam prohibetur , quod per se & sua natura malum est , ita ex ipsa quasi mali natura descendit hæc prohibitio ; nullus mali conceptus sine prohibitionem , ergo nulla lex naturalis sine ea ; ex mali notitia boni notio , ex boni & mali notitia lex ; quorum uni necessario inest jussio , alteri prohibitio , ergo nulla lex naturalis , quin simul & jussionem & prohibitionem contineat . Hinc cadit illa distinctio inter ideam boni & mali *disjunctim* vel *copulate* . Lex enim naturæ utrumque & bonum & malum amplectitur , quia utriusque requiritur præexistens notitia , antequam ad legis naturæ notitiam perveniamus . Sed quid si concedamus Authori distinctiones suas , non poterit tamen evitare contradictiones , quas ex Authoris boni & mali idea deducimus : quippe si lex præcipiens , & prohibens in statu innocentiae simul non obtinuerit , verum præcipiens prius obtinuerit , quia bonum prius fuit malo , quomodo potest statuere , in statu integro hominem potuisse habere ideam prohibitionis : ut videre est *pag.* 118. §. 15. Quippe quemadmodum ex idea boni profluit idea legis præcipientis ,

tis, ita ex idea mali sequitur prohibitionis idea, ut ipse statuit Author, pag. 124. §. 12. quia bonum & malum sunt objecta legis præcipientis, & prohibentis: atqui in statu innocentiae in intellectu radiasse leges prohibentes *non occides, non in vanum adsumes nomen Domini*, affirmat Author: Ergo & boni & mali ideam copulate in statu innocentiae habuisse censendum est, & frustra Authoris contradictoria distinctio, inter legem præcipientem & prohibentem, & ideam boni & mali *disjunctim* vel *copulate*: præsertim quia pag. 112. asserit, eum, qui *cognoscit præceptum quid sit, etiam implicite quid lege prohibitum sit cognoscere*. Ergo idem nobiscum statuit Author, scil. legi præceptivæ etiam inesse prohibitivam, quod præsertim propter moralem illam necessitatem de lege nostra naturæ affirmandum est: in eo itaque nostra ab Authoris opinione differret, quod quia in innocentiae statu defecerit idea boni & mali, homini legis conceptus innotescere non potuerit ubi *legis objecta non existunt, ibi legem nequidem fingi & concipi posse* concedit mihi Author, pag. 124. §. 12. atqui legis objecta in statu innocentiae non extiterunt, ergo ne legis quidem conceptus homini potuit innotescere: minor ita probatur. Quod quemadmodum nulla potest concipi lex sine legis objectis, ita nulla idea objecti alicujus formatur, nisi existente objecto, cujus idea nobis repræsentatur: Atqui malum in statu innocentiae non extitit, quia nihil defecit, ergo ejus ideam homo habere non potuit; si nullam ejus ideam, ergo nullam quoque legis notitiam habuit, quippe malum esse prohibitionis objectum affirmavimus. Ad quod duo regerit Author, primum

S

est:

est: *malum nunc referri posse ad legem, quæ prohibet: nunc ad actionem cum lege pugnantem. De lege in casu obliquo prædicatur. De actione in casu recto. Illa malum prohibet, hæc mala est. Aliud ergo est mali prohibitio, alia mali perpetratio: aliud malum a lege repræsentatum, aliud in moribus expressum.* Quamobrem Author tot iterum distinctiones proferat, non video; licet enim injustum ad legem, licet ad actionem referatur, malum & injustum semper manet legis objectum; & nulla mali prohibitio sine mali notitiâ sive idea, quippe per illam nobis prohibitio innotescit: & malum, quod lege nobis repræsentatur, sub notione mali nobis repræsentari necesse est, unde illa notio, nisi ejus idea existat, quod enim nobis repræsentatur, ejus notitiam habemus vel non, si notitiam vel ideam non habeamus, repræsentari nobis non potest, quia quod repræsentatur nobis, illud percipimus; ex perceptione enim repræsentatio; si percipiamus, ergo ejus habemus notitiam & ideam, cui prohibitio inhæret ex natura mali: Quod Author distinguit inter *mali prohibitionem & perpetrationem: & prohibitionem nobis ante mali perpetracionem innotescere: ideo legem posse obtinere, antequam a subjecto violetur, illud potius legi positivæ & civili applicari potest, quam naturali, ex mali enim perpetracione scientia boni & mali, ex boni & mali idea, notitia prohibitionis, & præceptionis, ex illis dictamen rectæ rationis, nobis indicans actui alicui ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali sive justii innatis principiis, inesse moralem necessitatem vel turpitudinem, & consequenter ab auctore naturæ Deo, talem actum vetari vel præ-*

præcipi: hoc autem dictamen lex naturæ vocari solet, ideoque actio non vocatur mala, quia prohibetur, sed prohibetur, quia mala est, ipsi malæ actioni inhæret necessaria prohibitio, quæ nunquam ab ea separari potest; ideoque mali objectum semper comitatur prohibitio, & prohibitionis objectum semper est malum, unum sine altero nequit concipi. Concedo ideam mali hodie posse existere sine reali existentia, id est, sine ipsa perpetracione, secundum opinionem Authoris, verum nego nos illam nobis sine experimentalis notitia, & actuali perpetracione acquisivisse; nunquam autem prohibitionis sine mali objecto ideam nobis repræsentare possumus: itaque quomodocunque distinguit, nunquam legem concipimus sine ideâ boni & mali, nulla idea sine existentia objecti, cujus idea nobis repræsentatur, hæc iterum ab experimentalis notitia boni & mali; & inde lex, dictans nobis quid bonum, quid malum, ideo quid præceptum, quid vetitum sit.

§. 16. Quod attinet impossibilitatem percipiendi bonum sub notione boni sine existentia alterius contrarii, scil. mali, de qua quædam disputat Author in §. 24. pag. 127. ejus in præcedenti §. rationem dedimus, quæ repetere operæ pretium non esse duximus. Itaque ad tertium argumentum transeamus, ita sese habens: *Qui sponte recta & justa fecerunt, sine cognitione legis fecerunt: sed primi parentes in statu innocentie recta & justa fecerunt sponte.* Ergo: Qui nullis pravis cupiditatibus agitantur, nullis vitiis vel peccatis contaminati fuere, quibus ab officio, quod rectæ rationis dictamen ipsis dictat faciendum, avocantur, sed sponte liberrima ex voluntate fecerunt, quod

divinæ imagini congruum erat, & fini respondebat, ideoque justum & rectum operabantur, legibus non opus habebant, quarum finis est, ut hominem, qui vitiis implicatus, semper in vetitum nititur, & cupit negata, ad officium revocant, ejus actiones dirigunt, ut sint legibus conformes, id est, ut bonos non solum metu pœnarum, sed præmiorum quoque exhortatione efficiant. *l. 1. ff. de just. & jur.* finis hic legis, & corrupta hominis natura, quæ coercitione, & pœnarum metu opus habet, spectanda est; si qui viri boni sponte legem observant, non tamen legis ignari sunt. Non evertit argumenti veritatem, eorum spontanea observantia; ea enim non eximit illos a corruptione naturæ, ideoque legis vinculo solvit. Quippe, ut diximus, ex corruptione boni & mali scientia, ex hac dictamen habituale, dictans quid prohibitum ideoque quid fugiendum, quid præceptum ideoque faciendum sit. Dictamen hoc omnibus commune, ideoque omnes legibus alligati. Itaque sponte agere est impetu & naturali inclinatione ferri ad id, quod bonum & rectum est, nullo præcedente dictamine rationis, nobis ex convenientia vel disconvenientia inclinationum, & appetitus nostræ voluntatis cum natura rationali, indicante quid bonum, vel malum, justum vel injustum sit; ideoque sponte agere non tollit in inclinationibus & actionibus justitiam & bonitatem moralem, id est, cum lege morali ex natura & sanctitate divina profluente convenientiam, ideoque legis observantiam, quamobrem non tollit legem naturæ ejusque observantiam in se, verum ejus promulgationem sive notitiam per dictamen rectæ rationis nobis acquisitam; illa per scientiam

tiam boni & mali , hæc per integritatis amissionem nobis innotescit. Sinistrum propter defectum judicii opinionis nostræ agit interpretem juris paradisei Doctor, quando pag. 103. §. 27. inquit. *Author vero spontaneum opponit illi , quod ex formidine pænæ homines faciunt ; quasi dicturus , olim ex dispositione innocentie illos , hodie ex formidine pænæ observare legem : quasi formido pænæ spontanei motus principia delere , & voluntatem cogere proprie possit , quam tralatitium est cogere non posse.* Sponte facere hic est nullo legis intuitu , vel nullo rectæ rationis præeunte dictamine , quæ nos informat de eo , quod nobis incumbit faciendum , operari , quæ recta & bona sunt , & fini congrua ; itaque spontaneum hic opponitur legi sive rectæ rationis dictamini , quod pænæ semper comitatur , propter illam malum puniendi , ex sanctitate Dei proficiscentem necessitatem. Verum hoc dictamen non tollit voluntatis liberam ad quodcunque objectum determinationem , neque spontaneos ad bonum & rectum motus ; spontaneus ille motus hominem legis vinculo non solvit , quæ eum singulis momentis dictat officium suum , quod si negligat exequi , vel corrupta natura eum ab hoc avocet , formido pænæ ad illud exequendum revocat ; corrupta enim natura nostra legis & pænæ formidinis causa est , a qua cum nemo sit immunis , etiam lege ejusque sanctione pænali solutus esse nequit ; quod si in illa vitia , quæ in pectore recondita circumferimus , non prorumpimus , Dei singulari gratiæ tribuendum est , sicut illi spontanei motus ad bonum & rectum operandum non ex natura nostra originem habent , verum Dei benignæ voluntati

tati adscribendi, qui operatur in nobis & velle & perficere secundum suum beneplacitum, Phil. 2: 23.

§. 17. Quartum, quod Author impugnat, argumentum pag. 133. §. 29. ita se habet: *Ubi nulla est necessitas puniendi, ibi nulla lex: Sed in statu innocentiae nulla fuit necessitas puniendi, ergo, &c.* Necessitas puniendi inest prohibitioni; est enim lex præceptum, quo imperantur honesta, & prohibentur contraria, supplicioque afficiuntur improbi, & boni præmiis honorantur, & a malorum injuriis vindicantur. l. 1. §. 1. ff. de just. & jur. quod M. Cicero passim inculcat; unde legem definiens, ait: *Lex est recti præceptio, pravique depulsio. lib. 2. denat. Deor.* Hinc l. 7. ff. de ll. dicitur, quod sit *legis virtus imperare, vetare, permittere, punire*; cum enim imperat bona, prohibet contraria sive mala, sua sceleribus supplicia, & virtutibus decernit præmia. Hinc recte statuimus legem ejusque sanctionem pœnalem supprimendæ hominum malitiæ inservire; adeoque ubi nulla scelera vel flagitia perpetrantur, ibi nullus legi ejusque sanctioni pœnali locus superest, malitia hominum legum & pœnarum causa est; est enim *lex coercitio delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur: l. 1. ff. de leg. præceptrix faciendorum, prohibitrix non faciendorum, l. 2. ff. eod. præses bonis & malis*: quemadmodum, ut diximus, legis virtus est *prohibere*, ita etiam *punire*, quia enim prohibentur mala, hinc prohibitioni semper adhæret pœna, sive puniendi necessitas; ea enim ita necessario profluit ex prohibitione, quam ex mali natura proficiscitur prohibitio, una involvit alteram. Ridicula illa Authoris distinctio *inter san-*

sanctionem pœnalem, sive pœnam repræsentandi necessitatem, & ipsam pœnæ executionem. Non dicimus ubi nulla pœnæ executio est, ibi legem non esse; nam executio pœnæ est legis præexistentis quasi sequela, & illa legem esse præsupponit, verum ubi nulla necessitas puniendi est, legem ibi obtinere negamus, quia illa necessitas oritur a necessitate prohibitionis; ubi autem est prohibitio, ibi legem quoque esse sæpius ipse affirmavit Author: quia autem prohibitionis objectum est malum, quod enim prohibetur, ideo quia malum est prohibetur, ergo ubi existit malum, ibi quoque existit prohibitio; ubi prohibitio, ibi quoque puniendi necessitas, quia malum punire æque ac illud prohibere necesse esse probavimus. Itaque omni prohibitioni sanctio illa pœnalis, qua peccatorem pœnas daturum cavetur, inest; necessitas itaque puniendi continetur prohibitione, executio applicatur peccandi actui, sive mali commissioni, prohibitio autem continetur lege, ergo lege continetur puniendi necessitas. Verum *fungamus*, inquit Author, *Rempublicam, in qua omnes sunt viri & cives boni, ut deficiens legis transgressio puniendi necessitatem auferat: ipsæ tamen leges in viridi persistent observantia: eoque majorem obtinebunt auctoritatem, quo minus violantur.* Fingat Author quoque post lapsum homines legum moralium tam sanctos cultores, ut nullus earum transgressor existat, attamen leges in viridi persistent observantia: fingat quoque humanum genus tot vitiis corruptum; ut etiam justissimus mortalium septies cadat uno die, vitam legibus & rectæ rationi congruam ducere, ut legibus opus non habeat, & pœnarum metu non indigeat, ideoque

que puniendi necessitas nulla requiratur, facile perspiciemus summam fictionis absurditatem, ad ipsam veritatem adstruendam ab Auctore juris paradisei allegatam: scio fictionem in re ficta tantum operari, quantum veritas in re vera, verum nunquam ex re ficta veritatem deduci potuisse mihi persuadere potui: possumus fingere montem aureum existere, verum absurda esset consequentia, quia existentiam ejus mihi repræsentato, ergo revera existit: nullus dubito quin relicta patria sede inter ejus monticolæ nostrum Authorem inveniremus, si veritas responderet fictioni. Absurda itaque & ridicula est consequentia a fictione, id est, ab eo quod non est, neque esse potest, ad illud quod necessario est, & esse debet, quia illud aliter esse posset, scilicet eodem modo se habere, quemadmodum id finximus. Tale est illud Authoris ratiocinium ad argumentum nostrum enervandum, quando fingit Rempublicam, in qua omnes cives sunt viri boni, qui legibus obtemperando, puniendi necessitatem auferunt, leges tamen in viridi persistunt observantia: qualem fictionem corrupto generi humano & omnibus vitiis obnoxio quoque applicare voluisse Authorem mihi persuadeo, quia de eo nostra disputatio: Quod absurdissimum simul & contradictorium est: Vult enim impugnare majorem, propositionem, scilicet. *Quod, ubi nulla necessitas puniendi est, ibi quoque non obtineat lex, & fingit Rempub: in qua omnes cives sunt viri boni, sed ubi omnes sunt mali, necessitatem puniendi a contrario inferendum est obtinere, atqui homines ad malum*

lum natura prœni, ergo necessitas puniendi obtinet; sed unde puniendi necessitas? a prohibitione mali; unde prohibitio mali? ab ipsa natura mali: ergo ubi malum obtinet, ibi prohibitioni locus; ubi prohibitio, ibi necessitas puniendi; ubi necessitas puniendi, ibi lex viget, prohibere est legis virtus, & virtus prohibitionis puniendi necessitas; nam ipse Author definit legem *dictamen habituale, quod quæ agenda, quæ vitanda indicat*, id est, quæ præcepta, quæ prohibita sunt docet, pag. 73. §. 40. Contradictio inde elucescit, quod, cum tale dictamen tribuit homini integro, statum hominis fingat sine puniendi necessitate, quæ ex ipsa prohibitione fluit, quia ejus objectum malum est, licet ipsa pœnæ non requiratur executio; nam lex prior est necessitate puniendi, & hæc ipsâ pœnæ executione: puniendi necessitas inhæret prohibitioni, executio sequitur perpetrationem ejus, quod prohibitum est. Absurditas in eo consistit, quod a lege prohibitionem, a prohibitionem necessitatem puniendi separat; quemadmodum enim omne malum necessario prohibetur, ita quoque necessario punitur. Quæ si legi morali, de qua disputamus, applicantur, eo absurdiora, quo divinæ essentiæ magis contraria: ex qua & prohibitionem mali & necessitatem puniendi, simul & quidem necessario proficisci probare conati fuimus; ita ut sublata ea necessitate, tollatur quoque sanctitas, sublata sanctitate tollatur justitia, sublata justitia perfectio tollatur, atque adeo totam divinam essentiam negaremus. Quippe justitiam, sanctitatem, aliaque Dei attributa adeo necessario in divina essen-

T

tia

tia concurrere necesse est, ut una sublata, tota tollatur essentia. Quod Author argumenti majorem propositionem invertat, & nullam necessariam connexionem statuatur inter legem & pœnam, nisi ita ordine inverfo argumentum proponatur: *ubi nulla lex est, ibi nulla puniendi necessitas*: concedo; quippe ipsam prohibitionem legem esse affirmat Author, dum dividit leges in præceptivas & prohibitivas, imo præceptivis prohibitivas inesse statuit: ex prohibitione iterum pœnæ necessitatem fluere nobiscum opinatur. Itaque perinde mihi est num necessitas, vel lex priore loco ponatur, modo a prohibitione puniendi necessitatem non separet, sed copulet & pari passu ambulare faciat. Perperam etiam ex §. 32. *nostræ dissert.* eruit prædictum argumentum, quasi lege necessitatem puniendi priorem statuisssem, cum nullum quidem verbum in illo §. habeatur, ex quo Author illud posset erure: *Quamdiu ad rectitudinem formatae erant singulae partes, nil nisi bonum volebat & justum; nulla lege, nullo pœnarum metu opus erat, quoniam nullis vitiis, a quibus metu pœnarum avocari & deterreri debuisset, erat contaminatus.* Et postea: *Ad supprimendam & coercendam hominum malitiam leges fuere latae, ubi vero nulla scelera aut vitia vel flagitia perpetrantur, ibi nulla lege, nullo præcepto aut pœnarum metu opus est: lex enim est delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur, coercitio l. 1. ff. de ll. ideo itaque leges promulgatae, ut sua sceleribus supplicia, virtutibus præmia constituerentur.* Ex hisce Authoris argumentum formari potest, scil. *ubi nulla lex est, ibi nulla puniendi necessi-*

cessitas, atqui in statu integro nulla lex, ergo &c. Sed contra affirmat Author, quod statim negavit, legem posse vigere sine puniendi necessitate, quippe si nulla necessitas sine lege, ergo ubi lex, ibi puniendi necessitas, & ubi necessitas puniendi, ibi lex: itaque mihi perinde est, quomodo invertat Author argumentum, consequentia ita probatur, quod ad suppressendam hominum malitiam leges fuere latæ, ergo ubi lex, ibi vitia, legis objecta, quæ prohibentur & coercentur, obtinent; ubi hæc deficiunt, deficit lex, defecerunt autem in statu integro, quod satis probatum puto, ergo lex defecit; si lex, ergo necessitas puniendi: quippe prohibetur, & punitur quia malum, prohibere & punire legis virtutes sunt; ubi hæc, ibi lex locum sibi vindicat.

§. 18. Movet hic Author quæstionem *num citra sanctionem pœnalem legi ratio nulla constare posset.* Si de legibus moralibus sive naturalibus disputatio futura est, extra omnem controversiam est, quin ei adhærescat pœnalis sanctio, propter illam necessitatem & obligationem moralem, quæ omni actui illicito & legi naturæ contrario inhæret, ideoque talem actum non solum vetat, verum huic prohibitioni pœnam adjicit, ut si quis talem actum admittat, obnoxium se reddat pœnæ delicto proportionatæ; quippe ex eadem necessitate, ex qua profluit prohibitio, dimanat quoque pœnalis sanctio: ita ut dictatum rectæ rationis, quod nobis indicat, quid bonum & justum, quid malum & injustum sit, simul nos obliget ad faciendum illud, ad hoc fugiendum, idque sub damnationis pœna, qui negligit

T 2

facere,

facere, quæ scripta sunt in libro legis. Hæc sanctio generalis est, omnibus legibus adhærens, quæ a Deo ter Opt. Max. originem habent, ideoque imprimis ad moralia pertinet; quemadmodum ex justitia & sanctitate divina proficiscitur prohibitio mali, ita ejus punitio; quod itaque prohibetur, prohibetur sub sanctione pœnali, quod Deus fortis ultionum in legis transgressores graviter sit animadversurus. *Nam ego, inquit, Deus tuus Deus fortis & zelotes sum, visitans iniquitatem patrum in filios, in nepotes & in abnepotes, in eos qui odio prosequuntur me. Exercens vero benignitatem in millesimos a patribus, qui diligunt me, & qui observant mandata mea. Exod. 20.* Quoniam itaque a summa Dei justitia non possumus separare punitionem mali, ita a legibus, quæ ex sanctitate & justitia profluunt, quales sunt omnes leges morales sive naturales, sanctio pœnalis divelli nequit: hinc eodem momento, quo rectæ rationis dictamen nos informat de eo, quod vetitum est, simul in nobis excitat pœnæ ideam, cujus metu sæpissime avocamur & deterremur a perpetracione mali. Quod civiles leges attinet vel præcipientes vel prohibentes, ut eas distinguit Author, semper eas comitatur clausula pœnalis, licet non expressa, saltem tacita; in omnibus legis præcellit vetantis auctoritas, ita ut, etiamsi verbis suis lex jubeat, vi tamen prohibeat; præsertim lex civilis, cujus tota pœnæ potestas consistit in prohibendo, puta ne quem lædamus, quapropter has sancire solet aliquâ pœnâ, illud enim vetitorum proprium est, ut inquit Conan. *comment. jur. civ. lib. 1.* Hinc virtutes, quas
Mo-

Modestinus de lege prædicat, collective sumuntur, id est, non tribuit uni legi vim jubendi, alteri vim prohibendi, & puniendi, verum unam & alteram virtutem collective de lege prædicat, & recte in iustis, & vetitis virtutem legum ponit, quia cum quid jubetur, censetur prohiberi contrarium. Conan. *eod. loc.* Objiciunt leges quasdam ferri, quibus pœnalis clausula non adjicitur: quod necessarium non est, quippe si nulla certa pœna constituitur vel exprimitur, arbitraria est, vel potius imperfecta lex dicebatur, in qua sanctio omissa erat: Hinc lex Cincia, cujus meminit Tacitus, imperfecta ab Ulpiano vocatur in Regul. tit. 1. *Imperfecta lex est veluti Cincia, quæ supra certum modum donari prohibet, & si plus donatum est non rescindit.* Principales enim ad legem constituendam partes erant *Proœmium, Capita, Sanctio.* Proœmium Rogatorem, itemque jussorem legis & Plebisciti, locum & tempus Rogationis, quique vir primum suffragium tulerat continebat. Capita legis, quæ vel interspatiis vel numeris distincta, tot erant, quot illis, qui legem conscribebant, esse placuerat. In sanctione ponebatur primo, ut cæteris legibus contrariis solutus esse videretur, qui eam servaret aut ferret: deinde ne abrogari derogarique liceret. *Rosin. antiq. Rom.* Tertio statuebatur pœna in eum, qui contra legem faceret, quæ potissimum pars *sanctio* vocabatur. Hinc *sanctio legum, quæ novissime pœnam irrogat iis, qui præceptis legis non obtemperaverint,* inquit Papinianus in l. 41. ff. de pœnis. Et sancti dicuntur muri civitatis, quia pœna capitis constituta est in

T 3

eos.

eos, qui aliquid in muros deliquerint: ideo & legum eas partes, quibus pœnas constituimus adversus eos, qui contra leges fecerint, sanctiones vocamus §. 10. *inst. de rer. div. Nisi legis sanctionem pœnamque recitasset.* Cic. in *Verr.* 6. *Sanctio* dicitur, quia efficit, ut legi sua constet auctoritas & sanctitas. Quare ipsæ leges sanctæ vocantur *l. 9. §. 3. ff. de rer. div.* quia sanctione quadam subnixæ sunt, id est, pœnali constitutione: *ut qui ibi aliquid commisit, capite puniatur.* Unde quidam commentator ad illud Horatii, *Satyr. 1. lib. 2. Incutiat tibi quid sanctarum inscitia legum.* Ad verbum *sanctarum*, aut *participium* est a *sancio*, id est, *firmatarum*: aut *nomen*, & significat *inviolatarum*; aut *sanctarum*, id est, *sacrarum*, ut *foedus sanctum* dicitur, & *sacrum*. Sanctum enim est, quod ab injuria hominum defensum atque munitum est. Hinc *sancire* apud Isidor. *lib. 15. cap. 4.* est confirmare, & pœnæ irrogatione ab injuria hominum defendere. vid. *Macrobi. lib. 3. cap. 3. Saturnal.* Hæc enim sanctio muniebat & obfirmabat leges adversus contemptum, & contumaciam eorum, in quos erant latæ, pertinebatque ad omnia legis capita, quæ lege continebantur, nisi quibus specialiter addita esset pœna ipsâ lege *l. 41. ff. de pœnis.* Quæ sanctio ad legem constituendam adeo necessario requirebatur, ut ea ommissa *lex imperfecta* vocaretur. *Sed quia inter leges quoque illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus pœna sancitur: Ideo in conclusione operis pœnam sancit extra hæc præcepta viventibus.* Qualis *lex fuit Valeria de provocatione*, & *lex Cincia*, illa a M. Valerio

lerio Corvo Cos. cum Q. Apulejo Pansa Ab U. C. 453. lata est: cui nulla pœna adjecta erat, nisi quod si quis contra eam fecisset, *improbe factum esset*: ut constat ex Liv. lib. 10. cap. 9. Eodem anno M. Valerius consul de provocatione legem tulit, *diligentius sanctam*. Tertio ea tum post reges exactos lata est. Et deinde. *Valeria lex quum eum qui provocasset, virgis cædi securique necari vetuisset, si quis adversus ea fecisset, nihil ultra, quam improbe factum adjecit*. Quæ tamen adjectio pœnæ loco esse videri posset, cum eam vim haberet, ut contra bonos mores palam factum esse decerneretur: quo quid esse queat viro bono dedecorosius, itaque famæ continebat læsionem, quam cum vita pari passu ambulare notum est, itaque non levis erat hæc pœna. *Ideo-que, id (qui tum pudor erat hominum) visum, credo, vinculum satis validum legis: nunc vix servo ita minetur quisquam, eodem cit. loc. inquit Livius*. Talis quoque fuit lex Cincia a M. Cincio. M. F. N. Alimento rogata tempore sui Tribunatus, & ab ipso Cincia nomen habens. Quare *imperfecta* appellata fuit, quia ut inquit Ulpianus, *supra certum modum donari prohibens, si plus donatum est, non rescindit*. Huic simile est, quod rescripsit Marcus Imperator l. 14. §. 14. ff. de relig. & sumt. fun. *Eum hæredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testator elegit, non recte facere: pœnam tamen in eum statutam non esse*. Vid. l. 3. §. 4. ff. de sepul. viol. Ejusmodi leges ob pœnæ defectum, qua sanciri debuerunt, pro imperfectis habentur, cum legis virtus non solum in imperando, vetando, & permittendo, verum potissimum

mum in puniendo consistat *dict. l. 7.* Hinc Augustus legem Cinciam antiquatam & contemptu oppressam, non tantum Scto facto restituit, verum certam ei addens pœnam ex imperfecta perfectiorem reddidit An. ab V. C. 737. C. Furnio, C. Silano Coss. *Oratores jussit causas, nullo accepto pretio, agere: qui secus fecissent, quadruplum acceptæ mercedis pendere.* Dio in *lib. 54.* Quamquam hujus legis nominatim non fit mentio, illam tamen ita intelligendam esse, constat ex Tacit. 13. *cap. 42.* ubi de Suilio famoso prævaricatore sermonem habens, ita scribit: *Ejus opprimendigratia repetitum credebatur Senatusconsultum, pœnaque legis Cinciæ adversus eos, qui pretio causas oravissent.* Ex hisce satis perspicimus nullam legem perfectam, id est, ab omni parte absolutam esse, nisi sanctio ei adjiciatur pœnalis, hac omissa vix legis meretur nomen: si tamen non sit expressa, pœna extraordinaria sibi locum vindicat, ita ut nunquam lex sine pœna aliqua in ejus transgressores vel arbitraria vel specialiter constituta concipi queat, imperfecta tamen, quoties illa pars legis in sanctione pœnali consistens deficit.

§. 19. A majori ad minorem argumenti oppositionem oppugnandam transit, qua negamus *in statu innocentia nullam sanctionem pœnalem extitisse*, scil. per dictamen rectæ rationis, quod legem naturæ vocamus, nobis promulgatam & repræsentatam; ita ut puerilis & ridicula sit argumentatio Authoris a lege naturæ ad positivam, quasi illa sanctione pœnali munita & in Paradiso promulgata, hanc propositionem fal-

falsitatis manifestæ convinceret. Legi naturali pœnam semper adhærescere propter illam necessitatem moralem & obligationem, quæ omni actui illicito, id est, honesti innatis nobis principiis contrario, inhæret, superius probavimus. Ita ut quando dicitur nobis ratio, quid malum ideoque prohibitum est, simul nos doceat ejus perpetrationem comitari pœnam; quia enim malum est prohibetur, quia prohibetur, punitur: quippe prohibere malum & illud non punire justitiæ & sanctitati Dei adversaretur, & plane contrarium esset. Itaque qui malum prohibet, etiam illud vult punire, quæ voluntas legis sanctio est, eique semper inest, ita ut nunquam nisi cum totius legis interitu ab ea separari queat. Atqui lex naturæ sive dictamen rationis sine præexistente boni & mali idea sive notitia nobis innotescere nequit, neque sine lege pœnalis sanctio; illam enim per legem novimus (ex oppositione, & contentione boni & mali utriusque nobis comparamus notitiam, ex notione mali ejus prohibitionem novimus, prohibitio puniendi necessitatem nobis indicat,) hinc in innocentix statu nullam pœnalem sanctionem homini innotuisse concludimus, neque explicite, neque implicite, quia illa distinctio nunquam potest applicari legi naturæ, quoniam una tantum eam cognoscendi & promulgandi ratio, scilicet per dictamen rectæ rationis, nos informans de eo, quod faciendum, quod fugiendum nobis incumbit. Vide quæ superius de hoc disputavimus.

§. 20. Cum prima legis cura sit imperare, quæ justa sunt, & honesta, veluti ut *Deum diligamus* &
V *proxi-*

proximum cap. ult. 3. distinct. pie sancteque vivamus, ne alterum ledamus, & jus suum cuique tribuamus l. justitia §. ult. ff. de just. & jur. neque quicquam aliud lex, quam mens & ratio sapientis, recte facta jubens, & a peccatis avocans, ut M. Cicero scribit, scil. pœnis, minis & sanctionibus efficit lex, ut earum metu quis a vitiis absteineat: hæc sunt quasi media, quibus lex finem assequitur. Inde statui- mus quod Author, pag. 153, §. 42. profert. ubi nulla scelera vel flagitia perpetrantur: ibi nulla lege, nullo præcepto aut pœnarum metu opus est. Legis enim finis est, ut metu pœnarum boni quoque efficiantur l. 1. ff. eod. boni non sunt nisi legem observant; quippe legi consentaneam vitam agere boni civis of- ficium est, & a legis observantia boni, justii, & re- cti est denominatio. Hinc concedimus legis prin- cipalem finem esse justitiam ejusque observantiam, quia observando legem, justum, & rectum operari dicimus, ideoque quod justitiæ conveniens est: quid enim justitia aliud a nobis postulat, quam ut legem observando, Regi quod ipsi debemus, & Proximo, & Reipub. & Amicis, cæterisque ad quos lex pertinet, suum tribuamus, & ita suum cuique tribuendo legi satisfaciamus, & justitiam, convenienter huic agendo colamus. Ad illa officia adimplenda suffi- ciebat olim naturalis inclinatio, quam sequentes, legi obtemperabant, & ita justitiam colebant, & le- gis finem hac ratione assequebantur. Verum ubi a recto illo tramite defleximus, ad innumera pro- lapsi vitia, oportebat homini metum pœnarum in- jici, quo perversa & ad flagitia prona natura ad of- ficium,

ficiam, id est, justitiæ cultum revocaretur. Nam secundum illud Horatii,

Vitiis sine nemo nascitur, optimus ille est:

Qui minimis urgetur.

Unde apud Platonem Hippiam majore sive de pulchro, inducit Socratem sic loquentem: *Multo plura faciunt mala omnes homines, quam bona, statim ab in-eunte ætate.* Talem quoque humanæ naturæ vitio-sitatem & ad malum propensionem Propertius me-morat:

Unicuique dedit vitium natura creato.

Hinc Theognis:

Ἄοδ'ένα παμπήδην ἀνθὸν καὶ μέτριον ἄνδρα

Τῶν νῦν ἀνθρώπων κελίῳ καθορᾶ.

Neminem omnino hominum, qui nunc sunt,

Sol despicit bonum & moderatum.

Atqui nemo bonus, nemo moderatus, verum naturâ ad scelera & vitia propensus, ideo legis pœnarum-que opus remedio, cujus finis est justitia & legum observantia. Sed qua ratione hominem impellit ad observantiam, nisi metu pœnarum, & hoc est quod dicitur metu pœnarum bonos efficere, per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellendo §, 1. *inst. proæm.* hinc inquit Imperator in eod. §. *Impe-ratoriam Majestatem non solum armis decoratam, sed legibus quoque armatam esse oportet, ut utrumque tem-pus & bellorum & pacis recte possit gubernari.* Quo enim Respub. magis bonis civibus abundantior, eo florentior est: æquis autem legibus boni efficimur, id est, ad justitiam colendam impellimur; ubi au-tem viget justitia, ibi floret concordia, ubi con-

cordia obtinet, parvæ res crescunt, & a sordidis sæpissime initiis ad summum Majestatis perveniunt fastigium. Ubi nullæ leges, nullus pœnarum metus, crescit spes peccantium, & facile itur ad culpas, ubi nullum metuendum supplicium; impunitatis enim spes maxima peccandi illecebra est. *Respicite* ait *Phalaris* apud *Lucian.* *ad legum scriptores etiam irrogandarum pœnarum rationi & consuetudini plurimum tribuentes, quasi nulla ceterarum rerum utilitas spectanda sit, nisi metus malefactoribus sit propositus, ac certa spes constituta luendi pro supplicii flagitii.* Itaque a contrario ubi vitia & scelera perpetrantur, ibi pœnarum metu opus, & cum vitiis, cum sceleribus legem incepisse statuendum: quemadmodum singulis malis sua sunt remedia, ita leges tanquam remedium considerandæ, quibus pravæ hominum cupiditates coercentur, & iis quasi obviam itur, ne in alterius prorumpant perniciem: itaque *delictorum coercitio*, non secundarius, ut Author vult, verum primarius finis legis est, non civilis tantum, verum etiam naturalis. Hinc dicit *Apostolus* *Epist. ad Timoth. cap. 1. legem positam esse sceleratis, impiis, & peccatoribus, nefariis, & profanis, parricidis, homicidis, matricidis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, plagiaris, mendacibus, perjuris.* Quæ crimina lex naturæ coercet & prohibet, & hominem invitum cogit atque urget metu supplicii, ut ab iis abstineat, & ad obedientiam trahit, atque impellit formidine pœnæ.

§. 21. Argumentum, quod Author proponit pag. 115. deductum est ex §. 14. & 21. *dissert. nost.* scilicet *Primi parentes in statu innocentie ex puro naturali*

1113-

impulsu, & recta & bene disposita inclinatione libenter, & cæco impetu, ex naturali inclinatione, recta & bona & quæ hodie legibus naturalibus dicuntur conformia fecerunt: ergo sine obligatione & lege. Ad quod respondit Auctor, aliud esse ex naturali quadam dispositione, quod etiam in libere agentia, & perfectissimum illorum statum cadit, secundum rationem & legem agere: aliud ex cæco impulsu, seu puro instinctu naturali, ad agendum determinari, quod brutorum illorumque esse, quæ neque rationem, neque legem habent. Quod primi parentes ex cæco impetu nudoque instinctu naturali, adeoque citra omnem legem egerunt pernegatur. Per cæcum impetum idem quod per bene dispositam inclinationem me intelligere satis ex earum conjunctione videre est, quamobrem in eo a primis parentibus degeneres addidi, quod nos legibus & pœnarum metu præceptis naturæ obtemperamus, quibus illi ex recta & bene disposita inclinatione, & naturali eoque cæco impetu libenter obedientiam præstabant. Itaque cæcus impetus hic non excludit notitiam finis, quam homini præ cæteris creaturis ratione carentibus tribuimus, verum significat hominem, non ex legis intuitu, vel dictamine rectæ rationis, scientiam & notionem boni & mali præsupponente, ex quorum contentione legem consulari diximus, verum naturali inclinatione continuo ad finem assequendum, ideoque ad bonum operandum impellente, fecisse, quæ hodie justa & injusta ex convenientia vel disconvenientia cum relictis nobis innatis honesti principiis vocamus, ideoque ratio dictat vel facienda vel fugienda esse: quippe per illam oppositionem boni & mali notitiam nobis acquirimus;

rimus; rectum novimus per oppositum mali, justum per injusti oppositum, ex eorum notitia fluit lex, quæ dictat officium, quod nobis incumbit, idque sub pœnæ comminatione, ita ut si negligamus illud exequi, nos pœnæ subjiciamus. Neque eripit hæc naturalis inclinatio *homini libertatem, qua gaudet, ut inter plura bona proposita unum repudiare vel amplecti, unumque eligere præ altero nequiret*, brutorum instar, quæ cæco impetu & ex naturali instinctu agentia, non sponte, sed per intrinsecam necessitatem agere dicuntur; ubi enim nulla intelligendi, & objecta percipiendi facultas, ibi nulla potest esse electio, & libera voluntatis ad aliquod objectum determinatio; volumus enim & eligimus, quia percepimus, & percipiendo cognoscimus objectum, ad quod determinare ex præcedente objecti notitia voluntatem possumus. Verum libera hæc voluntatis ad finem sive objectum determinatio, ex ejus perceptione sive intelligentia profluens, (quippe voluntas est res cæca, quæ circa res nullas ferri potest, nisi prius ab intellectu ipsi oblata fuerint, & ita ab ea cognoscantur) nullam legem, nullum rectæ rationis dictamen præsupponit: ille enim vere libere agit, qui nullis legibus alligatus est; ratio enim, cujus vi finem nostrum novimus, subsistere potest sine illo dictamine, ut superius probavimus. In eo consistit error Authoris, quod homo rationis particeps, finem, ad quem movetur, intelligit, & normam actionum suarum novit, ideoque non ex inclinatione, sed secundum legis quoque præstitutz normam actus exercet, dictamen a ratione non separari posse putans; quemadmodum ratio inseparabilis ab homine est, itaque quodcumque homo agit

agit secundum rationem & legis normam, non ex cæco impetu, proficisci necessario statuendum esse vult: quasi cæcus impetus rationem excluderet, quia excludit legem sive rationis dictamen. Illa inclinatio naturalis, qua ad amandum Deum finem continuo incitabatur, comitem habebat rationem, id est, Deum tanquam creatorem suum tot beneficiorum, quæ in se ab eo derivata erant, & singulis momentis redundabant, scaturiginem cognoscentem continuo eum impellebat ad Deum suum ex toto corde, & totis viribus amandum; in actionum justitiam inquirere non opus erat, quia inclinatio & voluntas eum semper ad finem perducebant, easque sequens ei congruenter vivebat, & faciebat, quod hodie vocamus justum: voluptas, quam ex illa inclinationum & actionum cum fine harmonia persentiscebatur, quotidie eum inducebat, ad eundem tenendum vitæ cursum, & certiores faciebat, sequendas esse, tanquam regulam & normam agendorum, naturæ integræ & vitiis puræ inclinationes: non opus ad recte vivendum rectæ rationis dictamine, modo rectus rationis usus aderat; recte autem ea utebatur, quando intellectus & voluntatis rectitudinem, id est, ad finem propensionem & motum sequebatur: eam sequens fini congruenter & convenienter agebat, ideoque quod justum & rectum erat operabatur.

§. 22. Hinc merito prorupimus in ea verba, quæ Author, ut proprio jugulemur gladio, descripsit ex §. 19. *nost. dissert.* ita se habent; *Quæso nonne Deus omnia individua in suo genere omnibus numeris perfecta creavit? horum vero perfectissimus & præstantissimus est homo; utpote quem Deus anima, id est, divina particula*

ricula auræ ornaverit, ut posset percipere, & intelligere omnium individuorum, & totius mundi machinæ esse Authorem, & Creatorem, ejusque infinitam esse potentiam, suam præ cateris creaturis præstantiam, & dignitatem in imagine Dei, qua donatus erat, positam, supremi Numinis summa benevolentia & propensæ erga se voluntatis argumentum. Quæ cogitationes eum incitabant ad gloriam Dei sui creatoris, quantum posset extollendam, summoque ac tenerrimo amore suum creatorem prosequendum: Nullius autem obligationis vel legis intuitu, neque quia Deus præceperat, amabis Deum tuum ex toto cordo tuo; verum ex impetu & inclinatione ipsi innata tantus erga creatorem suum proficiscebatur amor, quem tot tantaque præclara & admiranda Dei opera, ac innumera ejus erga se benevolentia testimonia, magis magisque accendebant, & augebant. Nihil eum avocabat ab officio, quod Deus & naturalis amor ab eo postulabat, cum nullæ prævæ vel immoderate libidines ejus possidebant animum. Hinc non metuebat Deum ut vindicatorem peccatorum, sed venerabatur ut creatorem, ut principium, & causam suæ essentia, diligebat tanquam tot erga se beneficiorum fontem & originem. Putat Author contradictionem implicare, quod statuamus hominem integritate præstantem, ex contemplatione suæ dependentiæ & gratiæ divinæ ad amorem numinis incitari potuisse, nullius obligationis vel legis intuitu. Contradictionem & absurditatem implicaret, si hominem in statu suæ perfectionis & integritatis lege & obligatione naturali ad amorem numinis sui incitatum fuisse diceremus: lex enim est per-

ver-

perversitatis humanæ indicium, ubi illa homini innotescit, ibi simul ipsi sua imperfectio & corruptio ob oculos ponitur, scil. ad malum propensio, & ad vitia prona natura sua, quæ inclinationem naturalem, qua ad amorem Dei sui impellebatur, & ad finem suum continuo ferebatur, in alium plane determinavit scopum, qui eum a fine trahit, ideoque peccare facit; quippe quemadmodum bonum & rectum operari eum dicimus, qui ad finem suum tendit, ita malum operatur, qui a fine recedit, & a regia via, qua ad metam decurritur, deflectit, in quam reduci nequit nisi legis remedio. Legis itaque vel obligationis intuitu officio, quod lex naturæ a nobis postulat, satisfacere, involvit imperfectiorem, & naturæ corruptionem, id est, aversionem ab eo, quod rectum & justum est, & propensionem ad illud, quod injustum & malum est: ideoque non sponte, sed coacte agit, qui obligationis intuitu officium, quod ipsi incumbit, præstat. Boni enim, *Μόνοι ποῦσιν ἐκυσίως ἃ ποιεῖσιν ἄκοντες οἱ λοιποὶ διὰ τὸ νομὸν*, *Soli id voluntate faciunt, quod alii jure coguntur* inquit Xenocrates de Philosophis. Et ut D. Chrysofostomus *Dissert. 76. Si omnes boni essent, non opus esset scriptis legibus: Plus enim ibi boni mores valent, quam alibi bonæ leges*, ut inquit Tacitus de Germania, *nulla lege, nulla pœna, nullis coercitionibus opus erat, cum suoapte ingenio honesta peterentur*, inquit idem *Annal. 3.*

§. 23. Est enim legis finis, ut boni efficiantur homines; ubi autem omnes boni, frustra leges, frustra pœnarum metus. Ut recta & justa faciam, ut

X

legi

legi naturæ congruenter vivam, ut actiones huic respondeant, non opus cognitione boni & mali, justii & iniqui, neque legis requiritur notitia, ut officium, quod naturalis a me postulat ratio, præstem: sufficiebat in statu integro naturalem inclinationem sequi, quæ hominis integri voluntatem propter divini luminis communicationem semper ad finem, ideoque ad justum & bonum operandum impellebat. *Constanter illudante omnia retinendum, rationi nostræ hoc ingenitum, ob divini luminis communicationem, ut semper ad id, quod justum honestumque est, inclinet, & propendat. Hi vero sunt igniculi a natura hominibus dati, hæc sunt virtutum semina & elementa. Hæc elementa, hos igniculos, sive hanc ad boni propensionem (nam his omnibus eadem res significatur) omnium plane hominum mentibus inesse, idque præsertim initio, antequam ullus vel virtutum, vel vitiorum habitus contrabatur, dubitari non oportet. Bo-log. de leg. & æquit. cap. 4. Quod & confirmat Tullius, cum inquit. Naturæ jus est, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, gratiam, observantiam, & veritatem. Hi igniculi, hæc virtutem semina menti nostræ insita, hominem continuo ad rectum honestumque inclinare facit; atque in statu integro nullum habebat objectum, nisi mentis propensionem, imagini divinæ & integritati suæ conformem, inclinatio semper respondebat objecto, & objectum inclinationi, & suavis hæc harmonia eum certiore faciebat, sequendum esse naturæ impetum & inclinationem, id est, continuo adhærendum objecto; & ita fecit, quod*
fa-

facere debuit, idque libere & sponte, quia ex naturali inclinatione, non legis intuitu; Hinc Virgil. lib. 7. *Æneid.*

- - - - *Neve ignorete Latinos*

*Saturni gentem, haud vincolo nec legibus æquam,
Sponte sua veterisque Dei se more tenentem.*

Et Ovid. lib. 1. *Metamorph.*

Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.

Non excludit autem spontanea & ex naturali inclinatione proveniens legum observantia *liberi arbitrii usum*, *cujus officium est secundum normam agere*; ut inquit author: libere enim agit, qui sese determinare valet ad objectum, quod amat, & cui adhærere conatur, huic adhærendo agebat secundum normam, & rectitudinem moralem. Dei enim sanctitas nobis norma & regula atque lex est, ad quam vitam creaturæ rationales componere debent, huic conformem revera vitam instituebat mortalium vetustissimus, sequens integræ scelerisque puræ naturæ inclinationes & impetus, rectitudini, id est, divinæ imagini consentaneas, ideoque legi & normæ, id est, juri divino necessario sive morali & naturali quoque congruas. Sed objicit Author, quæ §. 20. *dissert. meæ* continentur, ubi notitiam justî & injusti ex inobedientia Adami provenisse statui: *Nisi inobediens fuisset Adamus, suaque inobedientia naturæ integritate semetipsum exuisset, nihil mali, nihil injusti innotuisset ei; verum in illa innocentia & vitiorum ignorantia transegisset vitam, qua ratione summam tandem beatitudinem, in arctissima Dei consuetudine positam, sibi acquisivisset; ex inobedientia itaque prove-*

nit injustitia, ex injustitia boni & mali cognitio. Quod si vero, inquit juris paradisei doctor, Adamus inobediens esse potuit in statu iuocentiae; & propter inobedientiam puniri: obligatus fuit ad normæ alicujus observantiam, cujus respectu inobediens fuisse dicitur; eoque legem habuit. Legem eum habuisse satis evincit lex positiva in Paradiso ipsi promulgata, ne de fructu arboris scientiæ boni & mali comederet. Quæ necessario obedientiam postulabat, & hominem obligabat huic conformiter vivere? sequens autem naturæ impetum & inclinationem, nullum inobedientiæ reatum contraxisset, verum præbens aures diaboli consilio, a fine & objecto suo recedebat, ignarus mali, quod incurreret, & boni, quod amitteret, id est, voluntas, cujus motus seu impetus, quasi serpentis colloquio interruptus, regia via & linea recta ad finem ferri solita erat, in aliud determinabatur objectum, alteri plane contrarium, non ideo, quod Deum odio haberet, vel sibi noceret, & ita legem naturæ violaret, ad cujus observationem continuo naturæ integritas & intellectus, atque voluntatis rectitudo eum impellebat, verum ut sibi beneficeret, & prodesset; fini suo esu istius fructus semetipsum similiorem faciendo, boni & mali acquisita scientia; si malum, quod contraheret, obsequendo diaboli consilio præscivisset, nunquam illud admissurum fuisse credo; quis unquam propriam carnem odio habuit? neque naturæ integritas, & intellectus ac voluntatis optima dispositio, ante peccatum commissum, potuisset eum impellere ad illud, quod naturæ integritati contrarium erat; itaque sub specie boni

boni & conditioni hominis favorabilis consilii hominem decepit serpens callidissimus; quamobrem non usus fuit argumento, quod naturali inclinationi, qua ad Deum & semetipsum amandum ferebatur (qui amor omnium legum moralium finis & summa est) adversabatur; non accusavit Deum, quem amabat ut summum bonum, creatorem, benefactorem, inclementiæ, neque injustitiæ; ad quam blasphemiam statim integer vitæ scelerisque purus exhorruisset homo; sed subdole quasi commendans Deum ita loquitur, quasi non posset credere, Deum, cujus tot tantæ summæ liberalitatis & bonitatis expertus fuisset testimonia, eum voluisse serio & absolute illam arborem, quam videbat *gratissimam esse oculis, & fructum bonum esse in cibum, & desiderabilem ad habendam intelligentiam*, excipere; cujus investigatio hominis maxime propria est, ideoque natura eo magis impulsus videtur ad faciendum, quod diabolus ipsi persuadebat; itaque cum bonus sit, & hominis curam gerat Deus, non poterat homini apparere ratio, cur Deus serio vetuisset, quod ipsi tam bonum, tam expetibile ad prudentiam conferendam videbatur; cum itaque nihil ipsis contra naturam huic inesse consilio apparebat, facilius ad illud exequendum inducti fuere, & aperti sunt oculi, scilicet mentis & animi, & senserunt se delusos a Satana; misera sane scientia a diabolo promissa! jam videbant malum esse, quod fuerat bonum; & cum antea tranquillus fuerat animus, nullus agitatus pravis cupiditatibus, senserunt motus inordinatos ab integritate, & divina imagine alienos, ideoque rebelles

per membra ipsorum se exferentes. Ex inobedientia erga legem a Deo ipsis datam, provenit injustitia, ex injustitia boni & mali cognitio, ex hac rectæ rationis dictamen, vetans mala, jubens bona.

§. 24. Unde sequitur argumentum, quod Author ex §. 18. 19. 20. elicit: *Legem imperfectionem implicare: ideoque locum non habuisse in statu innocentie.* Quia ex boni & mali cognitione profluit dictamen rectæ rationis, jubens bona, & mala prohibens, quam notitiam transgrediendo legem positivam nobis acquisivimus, necessario lex imperfectionem humanam involvit, transgrediendo legem integritate atque perfectione nosmetipsos exuimus, cujus privatio nobis mali repræsentavit ideam, ex idea & notitia mali boni cognitio, ex utraque lex profluit, dictans quid prohibitum, quid præceptum est. Illud enim dictatum, quod prohibitionem nobis indicat, statim in nobis excitat ideam mali, ideoque imperfectionis, per peccatum & inobedientiam erga legem primævis in Paradiso latam parentibus nostris, contractæ; quamobrem ex lege nostram miseriam cognoscimus, id est per legem, naturæ nostræ corruptionem & malitiam, ac ejus a fine suo aberrationem, ideoque perfectionis privationem, quæ uno verbo imperfectio vocatur, novimus: illa autem imperfectio sub idea mali nobis repræsentatur, quia consistit in absentia ejus, quod alicui rei deberet inesse, antequam perfecta & bona dici queat. Perfectus & bonus dicebatur homo, cum in intellectu & voluntate rectitudo erat, id est, cum inclinabatur versus finem suum, & ei respondebant actiones, ide-

ideoque justæ & bonæ vocari poterant , propter earum cum fine sive divina imagine convenientiam ; imperfectus dicitur hodie , quia integritate & divina imagine orbatus , voluntatis & intellectus rectitudinem , qua ad finem ferebatur , ideoque inclinationes & actiones , quæ ab eo proficiscebantur , quatenus cum fine conveniebant , & rectæ ac justæ erant , amisit , id est in alium collimavit finem & objectum voluntatis appetitus , quod necessario malum deberet esse , quia ab integritate & imagine divina alienum , imo huic plane contrarium erat , quia ejus privatio erat alterius productio , in qua consistit mali natura . Involvit itaque lex imperfectionem , quia prohibitionem mali continet , & in nobis statim quoque excitat ideam imperfectionis , sive boni privationis , quoties prohibendo a malo nos avocatur & metu pœnarum deterret . Hinc lex naturæ prohibitiva & pœnalis semper illam imperfectionem includit , quia per notitiam mali contracti per peccati reatum , nobis innotuit , itaque nullius momenti est , quod Author arguit , pag. 161. *legem paradisiacam homini in statu integritatis perfecto latam : Ideoque semper & indistincte legem imperfectionem non involvere.* Quippe superius §. 12. diximus quemadmodum legis positivæ mortalium vetustissimus notitiam habere potuit sine scientia boni & mali , ita prohibitionis cognovit vim sine injuriæ idea : illa enim prohibitio non profuebat necessario ex natura rei prohibitæ , quemadmodum prohibitio legum moralium ; ideo non idem habebat objectum , scilicet malum morale , id est , boni privationem & peccati reatum ,
trans-

transgrediendo legem positivam contractum ; qua transgressione boni & mali cognitionem & per illam legis naturæ obligationem cognovimus. Verum obedientiam hominis pro objecto habebat : scil. ut exploraretur ac probaretur, num antequam vere justus & rectus, cælestis præmii coronam acciperet, in obedientia & amore Dei sibi naturali & congenito, persisteret, probandæ obedientiæ occasionem nactus. Itaque lex illa positiva non involvebat imperfectionem, id est, homo sub idea mali illam prohibitionem non considerabat, sed tanquam divinum placitum, de re aliqua indifferenti, id est, quæ natura sua nec bona, nec mala erat; ideoque nec boni nec mali ideam homini repræsentabat, nisi post commissum transgrediendo legem peccatum. *Itaque ab eventu, capto experimento, quid bonum, quid malum esset, ipso usu intelligit, & tanto felicitatis fastigio excussus, tandem in quanto miseriæ abysso versaretur agnovit:* ut inquit Francisc. Burman. summus Theologus in Synopsi. *lib. 2. cap. 5. §. 3.* Itaque finis, & objectum præcepti erat; ut homo obedientiæ probandæ occasionem haberet, qua non præstita, integritate & divina imagine orbus est: itaque ex inobedientia justitiæ originalis amissio, ex hac justii & injusti, boni & mali cognitio: adeoque imperfectionis, & consequenter legis notitia; quare hoc præcepto totam legem naturæ contineri, & universæ obedientiæ symbolum ac tesseram fuisse, a Theologis affirmatur, scil. huic obtemperando toti legi naturali satisfacisset, quia illa nihil requirit, nisi voluntatis divinæ adimpletionem ex amore &

na-

naturali inclinatione profectam, ideoque non legis vel pœnarum intuitu. Hinc dicitur, Matth. 22: 37, 38, 39. Diligendum esse Deum *Ex toto corde*, quod iudicium & intellectum exprimit: scil. præeunte rectæ rationis lumine, quod nobis Deum tanquam summum & unicum bonum, existentia & essentia causam, beneficiorum fontem & scaturiginem repræsentat, ideo amandum dicitur, imo ad amorem nos impellit: *Ex tota anima*, id est, omni inclinatione & cupiditatibus, quæ nunquam a fine aberrare, sed in Deum solum ferri debent: *Ex tota cogitatione*, quod omnem animi vim & contentionem significat, ita ut nihil præter finem desideret, nihil præter Dei communionem rectamque & assiduam, cum eo tanquam summo bono, in qua unica voluptas, id est, conscientia tranquillitas consistit, consuetudinem cupiat: ideoque ad finem suum continuo tendit; ad eum tendens bonum & justum operabatur, & hac ratione legibus moralibus, quarum impletio est dilectio., Rom. 13: 8. & 10. obedientiam præstabat.

§. 25. Argumentum octavum, quod Author in hoc §. oppugnat, deducit ex §. 33. *nost. dissert.* scil. *Nos Deum peccati authorem constituere, si statuamus Adamum recenter e manibus purissimis sui Creatoris profectum, legibus vinctum & alligatum in mundum provenisse.* Quippe ubi leges, & jura vigent, imprimis naturalia, ibi peccata & vitia obtinent: eum enim in finem leges latas diximus, ad coercendam hominum malitiam, & ut metu pœnarum a vitio avocarentur mortales; imo ex vitiorum & malorum notitia legis cognitio. Leges enim naturæ ex rectæ rationis dicta-

T

mine;

mine; dictamen ex distinctione boni & mali, sive contentione illorum oppositorum cum ratione naturali, vel innatis honesti principiis; distinctio ex illorum notitia; notitia a perceptione intellectus; perceptio ab existentia objectorum, quorum idea intellectui repræsentatur; existentia unius a privatione alterius; privatio ab aberratione mentis sive voluntatis a fine in transgressione legis sive positivæ inobedientiâ consistente, originem habet. Præsupponit autem legis vinculum ejus notitiam, notitia contractum injuriæ reatum: quoniam per illam scientiam boni & mali acquisivimus; per hanc legem novimus præcipientem bona, prohibentem mala. Itaque si hominem legibus alligatum creavisset Deus, id est, si ab ipso existentia suæ momento ei innotuissent per dictamina leges naturæ; oportet quoque ei innata fuisse vitia prohibitionis objecta, ideoque non perfectus, sed imperfectus, id est, vitiis contaminatus, iisque obnoxius fuisset; quod naturæ divinæ plane contrarium esset, imo contradictionem involveret, quod a Deo aliquid productum fuisset, & nullam haberet existentiam, vel realitatem ut ita dicam, cum producere sit ex nihilo aliquid facere, quod & existentiam & essentiam habet; cum autem malum consistat in privatione boni, ideoque revera nihil est, nullamque habet realitatem, quia nullam existentia habet causam, non potuit homini inexistere, quippe omne, quod ei innatum est, revera debuit existere, & existentia consequenter causam habuit: atqui notio legis ex notitia boni & mali, prohibitionem & jussionem involventis, includit imperfectionem sive aberrationem mentis a fine, id est, privationem integritatis & divinæ

vinæ imaginis, sive rectitudinis intellectus & voluntatis, sequitur si statuamus Adamum vinctum legibus conditum, consequenter asserimus Deum peccati auctorem; quod a nemine sana mente prædico affirmari potest, propter illam in conceptu contradictionem, & impossibilitatem; impossibile enim, quod a bono possit dimanare malum, & ab eo, qui summe perfectus est, aliquid imperfecti produci, quod superius probavimus. Creavit itaque Deus hominem rectum, sanctum, sanum, salvum sine vitio, ut sæpe inculcat Augustinus: id est, simplicem, omnis mali expertem & ignarum, ideoque nullis legibus alligatum. Huc respiciens Salomon, inquit *cap. 7. Eccles. Deus creavit hominem rectum, sed sibi quæsiwerunt ratiocinia multa*: unde Scriptura eum non ἀβώον & sceleris purum, sed εὐθὺν *rectum* & integrum ac sanum appellat. Rectum, id est, *simplicem, sincerum* cum naturali rectitudine animi, qua continuo ad finem tendebat, operando bonum, exercendo virtutes ex sanctitate naturali & voluntatis ac inclinationum rectitudine profluentes, justitiam colendo, aliaque naturæ legis officia sibi imposita adimplendo. *Primum inter homines mali nescia & adhuc astutiæ inexperta simplicitas*, inquit Macrobius. *Erat illis magis ignoratio vitiorum, quam cognitio virtutis*; ut de Scythis inquit Justinus. Verum curiositate sua & præbendo aures perniciosissimo futuro humano generi Diaboli consilio, malum sibi conflare, & quid bonum, quid malum scire volentes, multa acquisiverunt sibi ratiocinia, ex quibus leges sibi ipsis fecerunt. Hinc apud Ciceronem *quod verum, simplex, sincerumque est, id naturæ hominis*

T 2

esse

esse aptissimum, scil. naturæ rationali, sive innatis honesti & justî principîis, divinæ quondam imaginis reliquiis; itaque ut ab ea nihil sit alienius, quam mendacium, vitium, fraus, & omnis a naturæ instituto aberratio. Ad illud, quod diximus, leges naturæ cum in finem latas esse, ut metu pœnarum avocarentur a vitiis mortales. Respondet Author vindiciarum de solis legibus pœnalibus, prout se habent in statu naturæ corruptæ, hoc procedere, quod indolem vitiosam præsupponant, quatenus sunt fræna necessaria præsentis malitiæ. Hinc leges, quæ non sunt explicite morales, quales verosimile est naturales ante lapsum fuisse, non vitiosam subditorum, sed sanctam indolem prærequirunt; pœnales enim leges non sunt nisi propter refrænandam malitiam. Verum nihil habent ponderis hæc ratiocinia, cum ex præsentî malitiæ leges innotescere cœpisse superius probavimus, qua non existente, lex sive rectæ rationis dictamen quoque existere nequit, quia illud ex notionè boni & mali deducitur; ita ut semper respiciat pravam & lubricam hominis indolem, quia illa legis objectum est, ideoque semper huic tanquam inseparabile quid pœnalis sanctio insit, ex natura mali profluens: nunquam poterit Author recte & distincte de jure naturæ ratiocinari, nisi ejus originem diligentius examinaverit; non opus ut huic argumento diutius insistamus, cum superius satis de eo disputavimus.

§. 26. Arg. 9. *Erat magis in homine ignoratio vitiorum, quam cognitio virtutis; id est, virtutem non cognoscebat sub idea virtutis, tanquam oppositam vitio, neque vitium, sub idea privationis virtutis; quippe*

quippe cum nondum existerat, nullam poterat ejus habere perceptionem neque ideam: quemadmodum nullam quis potest habere ideam intemperantiæ, qua talis, nisi habeat quoque ideam continentiam; una per alteram cognoscitur. Hinc optime quondam doctrina & ingenii acumine florentissimus Velthufius, (quem idem cum *Libertinis*, & *Antinomis* sentire vult Author noster, quia in utroque plane hospes, ideoque de eo judicat, quemadmodum cæcus de coloribus) inquit in sua disputatione de *pudore naturali*, *Adamum inter bonum & malum in statu integro nullum selectum fecisse; cum notio mali illum plane fugeret & eo sensu recte de primis nostris parentibus, cum adhuc essent illibati & integri a peccato, prædicatur, eos bonum & malum non scivisse: Nam ejusmodi, de quo nunc sermo est, non cognoscitur nisi per suum oppositum. Cum me fugit quid sit impudentia, aut illud malum, quo aestimatio mea imminui posset, nullam possum habere ideam pudoris & decoris, sub notione pudoris & decoris: & cum ignoro, quid me ledere possit, non possum habere ideam boni, ut oppositum malo. Et quandoquidem hujusmodi rerum cognitione sub idea boni & mali Adami mens non erat imbuta, nullus etiam supererat locus legibus, quæ Adami actiones regerent, ut bonum operaretur, & malum fugeret. Adamus non sub notione boni & equi & honesti, & ut hæc malo, iniquo & inhonesto opposita sunt, cognoscebat & sectabatur virtutem: Sed sequens sanctæ suæ naturæ institutum, & eo pergens, quo eum sancta natura ducebat, virtutem colebat. Quia itaque vitia ignorabat & mali nullam habebat noti-*

I 3

tiam,

tiam, non cognoscebat virtutem & bonum sub idea virtutis & boni, integram tamen naturam sequens huic consentaneas actiones formabat, & propter inclinationis & intellectus rectitudinem, qua semper ferebatur ad finem, in quem collimando bonum & justum operari dici poterat; in qua rectitudine humani generis ponenda est præstantia, & hominis summa beatitudo & felicitas. Plutarch. *de communibus notitiis*: *Quid nocebit, inquit, si ablati malis, nulla erit prudentia, pro ea autem aliam habeamus virtutem, quæ non bonorum ac malorum, sed solorum bonorum sit scientia, scil. eorum, quæ nos ad finem nostrum perducunt, quæ revera sunt inclinationes in statu integro homini innatæ sive congenitæ, ex divina imagine, id est, ista intellectus rectitudine proficiscentes;*

*Nihil discendo suavissime transigitur vita,
Donec gaudere & dolere discas.*

dicere ausus est *Euripides*: cognitio enim voluptatis, sub notione voluptatis, post dolorem ex mali reatu contractum innotuit. *Primi mortalium*, inquit *Seneca epist. 19. quique ex his geniti, naturam incorruptam sequebantur, eandem habebant ducem & legem.* Verum inquit Author noster pag. 164. interim enervando huic argumento suffecerit notabilis semiantinomi contradictio, his §. 40. verbis involuta? *Mentem habebat (homo in statu innocentia) summa sapientia ornatam, quæ consistebat in perfecta Creatoris sui cognitione, quæ eo usque extenditur, ut in ipsum Trinitatis penetrasse mysterium negari nequeat; imo & magnum sapientiæ argumentum est, quod omnibus animalibus coram eo productis imposuerit nomina*

mina eorum naturæ maxime convenientia. Qua ergo fronte cognitionem virtutis sapienti eripit: quomodo cum sapientia crassam virtutis ignorantiam conciliaverit. Quasi sapientia hominis eluceret in cognitione vitii sive mali: cujus notitiam cum perfectionis & integritatis amissione homo sibi comparavit, & consequenter multum de sapientia detractum est; ideo ut intellectus jam tenebris obvolutus non adeo clare perspicit neque ita distincte novit ea, quæ clare, & distincte intellexit Adam, & rectus animi habitus ipsi non permittebat judicare de re aliqua, nisi ea probe percepta, ita ut ab erroribus sibi facile caveret, perceptio autem requirit præsens intellectui objectum, ideoque ejus existentiam; vellem ut Author mihi explicare posset, quomodo cognitionem habuerit mali, cujus propter ejus absentiam nullam perceptionem intellectus habere posset: oportet enim ut cognitionem, & judicium præcedat perceptio sive idea ipsius objecti, cujus cognitio nobis ad judicandum viam pandit. Cognovit ea, quæ sibi necessaria, quæ imagini divinæ congrua & consentanea erant, id est, cognovit distincte & perfecte causam sive Creatorem suum, cui essentiam suam, & existentiam debebat, novit finem eadem contineri causa, ad quem tendere sibi bonum & appetibile ex interna voluptate, ex illa cum fine harmonia ejusque consuetudine profluente, non ignorabat, de mediis ei assequendo idoneis eodem rationis lumine judicabat, in qua consuetudine, & communionem summa hominis felicitas & beatitudo sita erat, ita ut huic nihil addi posset, quo augetur vel accresceret:

ceret: in eo enim consistit sapientia, ut noscamus quid felicitati, & beatitudini, ac salutis nostræ inservit, *cap. 14. Epist. ad Corinth.* consistit autem ea, ut eo perpetuo tanquam unico fine satiemur, fruebatur eo sequens sanctum naturæ institutum, tanquam medium fini assequendo idoneum.

§. 27. Oppugnat tandem Author illam *juris* derivationem, quam secundum Ulpiani mentem in §. 7. *dissert.* probavi, scil. jus ex justitiæ fonte mansisse. *Justitiam* dici quasi *justitium*, id est, juris vel naturalis vel civilis interstitio & cessatio, ut olim apud Romanos dies nefasti, quibus imperatum foro silentium, nullumque jus exercebatur. Ita in statu integro cum Astræa virgo in terris degebat, omne jus exulabat, ubi erat per omnes terrarum plagas altum juris silentium, nullus ejus usus aut exercitium hominibus fuit cognitum; suum cuique tribuere, alterum non lædere, honeste vivere, ex integra proflebat natura, non opus erat consulere rationis dictamina, quomodorem, quæ mihi ablata erat, vindicarem a raptore, vel fure; vel qua ratione defenderem me observato inculpatæ tutelæ moderamine adversus eum, qui me jam ipso actu invadit, vel probabile est me invasurum: itaque illud juris exercitium, quod homini in statu naturali nullius imperio subiecto, competit, ex dictamine sive legibus naturalibus deductum, nondum cognitum. Quisque suis rebus contentus, aliena invadendi non agitabatur cupiditate: verum cum integri vitæ scelerisque puri essent, nullus juris usus sive exercitium obtinebat: officia ex inclinatione & bene disposita vo-
lun-

suntate præstabant sibi invicem, & ita nullus locuſ
 injuriæ, & conſequenter legibus vel juris remedio
 five uſu non erat opus. Hinc definitur *juſtitia*, quod
 ſit *conſtans & perpetua voluntas, juſ ſuum cuique tri-*
buendi; ubi illa voluntas obtinet, ſponte ſibi invicem
 præſtant mortales, quod vi legum, & metu pœna-
 rum in corrupto naturæ ſtatu ſæpiſſime extorqueri
 debet: cum præſtant mortales, quod ſibi invicem
 debent, nulla actio, nullum juſ perfequendi, nul-
 lus juris aut legum uſus obtinet. *Primos illos diſ-*
que proximos mortales optimæ fuiſſe indolis, vitam-
que vixiſſe optimam, unde aurea hæc dicitur ætas,
 anquit aliquis. Hinc ſeculum illud aureum dicitur,
 in quo Aſtræa virgo e cœlis in terram migraverat,
 & ſumma vigebat juſtitia; itaque nulla verba minan-
 tia fixo ære legebantur, nec ſupplex turba time-
 bat judicis ora ſui. Quamobrem Alciatus, *juſti-*
tia, juſtitii, & juſti argutam pronuntiavit analo-
 giam. Hinc juſtitia quaſi in eâ juſ ſtet, & juſti-
 tiam, quaſi *juris ſtatum* appellatam tradit Iſidorus.
 Illa itaque juſ ſuum cuique tribuendi virtus ſive a-
 nimi habitus, qui in ſtatu integro obtinuit, ſiſtit le-
 gis ſive judicii uſum; & hinc juſtitiam appellatam
 non ſine ratione ſtatuiſmus. Cum enim præſtamus
 quod debemus, juſtitiam colimus, & nullum legum
 vel judicis auxilium implorari neceſſe eſt, & ita ſi-
 ſtitur judicii curſus ſive legis uſus. Lex & judici-
 um hic pari paſſu ambulant, quia juris exercitium
 cum lege vigere cœpit. *Verum, inquit Author, non*
poſſe alluſioni huic rationem conſtare pag. 166. voca-
bulo juris pro lege ſumpto: nihil enim eſt abſurdius,
Z
quam

quam lege cessante justitiam emergere: cum justitia sine lege, ad quam conformatur, nequidem concipi fingi que possit. Quod facile concedo Authori, si per legem intelligat illam Dei sanctitatem, quæ lex & norma esse debet, ad quam creaturæ rationales vitam suam componere debent. Huic congrue vivendo, juste & recte operari dicuntur, & legi morali satisfacere, ideoque justitiam colere; itaque non hæc nominis allusio significat cessationem legis naturalis, prout denotat illam necessitatem moralem, qua continetur faciendum quod bonum est, & consequenter ad fugiendum quod malum est, ex Dei profluente sanctitate, sive divina natura, cui obligationi sive legi morali satisfacere homo, quoties sequebatur inclinationes ex recta animi dispositione, sive divina imagine proficiscentes: verum prout dictamen conclusionem denotat, quam ex notitia boni & mali, eorumque oppositione, & contentione cum recti ac honesti nobis innatis principiis formamus, nobis indicantem quid rectum est, quid bonum, quid deceat in dictis factisque, quænam nobis officia tum Deo, tum proximo præstanda incumbant; quid etiam nobismetipsis debeamus, & ut uno verbo dicam, quæ sit vitæ instituendæ & transigendæ ratio. Ejus dico fuit in statu innocentie cessatio, & interstitio: includit enim tale dictatum habitum vitiosum per injuriæ reatum contractum, quod ab hominis integritate alienum erat. Sed pergit Author & inquit, *quod etiam si judicium cesset, ac nemo sit qui in jus vocari possit, ideo juris sive judicii obtineat interstitio, ille tamen non statim justus est; plura enim ad justitiam requi-*

quiruntur, quam impunitas & immunitas a judicio subeundo, adeoque synecdochen partis pro toto integrali hæc allusio involvere videtur. Qui ex legibus naturalibus sive moralibus citari sive in jus vocari nequit, revera illum justum dicerem, & omnes justitiæ implevisse partes mihi persuadeo. Qui Deo tribuit, quod Dei est, & proximo, quod proximi est, legem adimplevit, & a judicio immunis est. Huic satisfaciendi potestatem homini fuerat largitus Deus, & donec integer scelerisque purus erat, sanctum sequens naturæ institutum ei obtemperabat, & consequenter omnes justitiæ implevit partes; Quippe justus est, qui fecerit omnia, quæ lex ab eo exigit.

§. 28. Ad ipsam jam Author transit pag. 167. Pelagii de integro hominis statu absurdam sententiam, quam §. 40. *dissert. meæ* refutavi: ac primo repetit denuo, quæ superius præmiserat, scil. *se utcumque largiri, expressis verbis in dissertatione mea fundamentalem Pelagianorum errorem non adstrui: Vereor tamen, inquit, ne is per consequentiam ex everso legis in statu innocentia vigore, ex connexis erroribus elici possit.* Absurdissimum mihi videtur, ut superius dixi, quod sibi potestatem mea interpretandi verba arrogare velit, quasi per spiritum familiarem in animi posset penetrare arcana: ex consequentia, quæ non ex dilucidis & luce clarioribus principiis deducta est, judicare de cujusdam opinione, summæ arrogantia sive potius insanix argumentum est; quasi nunquam errare posset judex noster, qui tanquam certissimam judicandi regulam proprium judicium

sequitur, & illud tanquam Lydium lapidem, ad quæ explorat alienam de re aliqua opinionem & sententiam existimat, num conveniat cum orthodoxa fide & religione, & sana ac recta ratione, ex ejus convenientia vel disconvenientia cum proprio judicio. Statuebat olim PELAGIUS hominem in statu integro adeo puræ fuisse naturæ, ut nec bonus, nec malus, nec sapiens, nec insipiens fuerit, & quod justitiam, quam habuit, ei non fuerit naturalis, sed supernaturalis: quæ ipsi ut frænum superaddita, cum naturaliter concupiscentia laboraret, (omnium vitiorum matre ac genitrice,) quæ cohibita fuit supernaturali isto dono. Qua opinione nihil absurdius & æternæ veritati magis contrarium dici vel excogitari potest. Creavit enim Deus hominem rectum, purum, sine vitiis, ideoque bonum, natura propensum ad id, quod rectum erat & naturæ integritati conveniens, quippe cum anima hominem ornaverit, duabus facultatibus prædita, intellectu, scilicet & voluntate impossibile ut nec malus esset nec bonus; quemadmodum enim intellectus proprium est, percipere ideas objectorum, quæ ipsi repræsentantur; ita voluntatis proprium est appetere ea, quæ ab intellectu sibi oblata sunt: quoniam autem intellectus nunquam perceptione alicujus objecti, quod sibi offertur, vacat, sive sint interna sive externa, quorum ideam percipit: ita voluntas nunquam potest esse sine appetitu; itaque vel in bonum vel in malum ferri debet, prout objectum, quod sibi ab intellectu offertur, probandum vel improbandum visum fuerit; diviniorem enim ejus ingenitus vigor, ut su-

superius diximus ; eum non permittit penitus torpere nihil agendo, ita ut extra vitia virtutesque esse ex æquo, in utrorumque veluti confinio degere, creaturæ rationali prorsus impossibile sit. Appetitum vero mali habere non poterat, quoniam purissimi, ut ita dicam, & sanctissimi Creatoris ex manibus recens exivisset ; iste enim appetitus fuisset defectus, ideoque privatio perfectionis, qua creatus erat, ideoque vitium fuisset naturæ ejus innatum, & consequenter non poterat dici perfectus, integer, & bonus, ac rectus. *Imo sine illa rectitudine Deus hominem creare, nec hic sine ea existere poterat ; cum alioquin sine suo, ad quem conditus erat, videl. Deo suo fruendum, inque eo gaudendum, excidisset ac destitutus fuisset : nec opus ad Dei gloriam, & tali conditore dignum fuisset : imo vitium esset in Deo æque ac fabro vitium foret, si ferrum cudret cum rubigine.*

§. 40. *dissert. meæ.* Cum itaque hominem creaverat anima rationali, intellectu & voluntate prædita, ornatum, cujus voluntatis proprium est ferri in aliquod objectum, necessario illud bonum esse debuit, quia iste motus sive impressio divina, quæ menti nostræ inhæret, ad bonum, & rectum tendere debeat, quia necessario similis est motibus sive inclinationibus Creatoris, quarum particeps est, ideoque ad bonum collimare ; quia Deum sibi ipsi finem esse probavimus superius, ideoque necessario quoque finis esse creaturis voluit, quia præter se ipsum nihil vult. Hinc itaque illam impressionem, cujus mens nostra particeps est, ad illum finem & consequenter ad bonum & rectum inclinare effecit, scil. in se,

quatenus noster appetitus cum illo fine convenit, ideoque in rectum & bonum fertur: non ideo quod per dictamen rationis ex notitia boni & mali, ideoque per legem nobis sub idea boni tanquam malo oppositum, innotescat, & consequenter legis intuitu ad illum impelleremur. Mentem quoque habebat summa ornatam sapientia, in perfecta Creatoris sui cognitione collocanda, quæ eo usque a quibusdam extenditur, ut in ipsum Trinitatis mysterium penetrasse affirmant; cujus porro non leve argumentum quoque est, quod animantium veluti censu instituto, singulis nomina naturæ ipsorum convenientissima indiderit, quodque finem suum perfectissime noverit, de mediis ei assequendo idoneis optime judicaverit.

§. 29: Rejicimus quoque non minus absurdos & ab omni sana ratione alienos *Antinomorum* furores; qui *Lutheri* jam tempore exorti, regenitos omni legis obedientia solvebant: ideoque cujus ipse nequidem Deus dispensationem habet, sibi eam arrogabant, quo nihil potest fingi absurdius. Quippe cum lex illa moralis ex divina sanctitate originem habens, sit æterna regula ac norma nostri officii, quæ semper & continuo ac necessario nos obligat propter immutabilem Dei naturam: hinc nulla hominis conditio eum potest hujus obedientiâ solve. *Nam usque dum præterierit cælum & terra, jota unum aut unus apex nequaquam præteribit ex lege, usque dum omnia facta sunt. Math. 5: 18.* id est, sicut cælum & terra nunquam præteribunt, sive interibunt, vel in nihilum redigentur: (mundus quidem immu-

mutabitur, verum non redigetur in nihilum; itaque non erit substantialis, sed accidentalis ejus mutatio) ita nunquam lex abrogabitur, sed semper & in æternum duratura est. Toto autem cœlo differt nostra opinio ab Antinomorum, ac Pelagianorum hisce erroribus. Statui enim sanctitatem nobis normam ac regulam esse, ad quam vitam debemus componere; imo illâ totum jus morale sive divinum necessarium contineri, quatenus jus refertur ad Deum tanquam originem & principium omnium virtutum ac legum moralium; quæ sanctitas, quoniam nihil aliud sit quam recta ratio jubens bona prohibens contraria, sequitur nobis obligationem imponere, qua tenemur huic conformiter vivere, atque obedientiam præstare, faciendo quod jubetur, & ab eo abstinendo, quod prohibetur. Verum ut supra diximus, differt tantum legem adimplendi ratio, scil. in statu integro sponte, id est, nullo dictamine sive rationis discursu, ex boni & mali scientia habente originem, præeunte, quod nobis ex convenientia vel disconvenientia cum ratione naturali, indicabat, quid bonum, quid malum erat, ideo quid præceptum, quid vetitum, & consequenter quid faciendum, quid fugiendum esset, illud præmium, hoc pœnam comitatur, legibus obtemperabat, quibus nos, præcedente mentis discursu sive dictamine obedientiam præstamus. Posset hic ab adversariis objici, quod dicit *Apost. epist. ad Timoth. cap. i. justis legem non esse positam, ideoque obedientia ejus solutos esse*. Verum responderi potest, fidelium respectu, quoad maledictionem, tum quoad rigidam plenæ obedientiæ executionem, ita ut sine ea vitam nullo modo sperare liceret;

ceret, abolitam esse: attamen manet eis obedientia dux & regula, ita ut lex hic opponatur gratia Christi, per quam justificamur: *Non enim justi sub lege sunt, sed sub gratia.* Rom. 6: 14. non obedientiam regenti ac justis solvuntur: *Nemo enim est qui non peccet, & cadit justus septies uno die.* Ita ut lege opus habeant tanquam norma & regula agendorum. *In multis enim impingimus omnes Jac. 3: 2. Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipsos fallimus, & veritas in nobis non est.* Nonne ipsa peccata nos vincunt de legis vinculo, quo adstringimur ad faciendum bonum, & fugiendum malum? Si quotidie in multis impingimus, nonne legis obedientiam a nobis exigi manifestum est?

§. 30. Non mirum Authori videri debet, quod ad probandam, & adstruendam Theseos nostrae veritatem, gentilium quoque moratorum testimonia allegavimus §. 34. *disert. nostrae*, quae iis, quae ex ratione deducuntur, magnum pondus afferunt, ita ut si quid legis naturalis esse probare velimus, imprimis gentium saltem moratorum testimonia à nobis explorari & examinari debeant. Sufficit ad naturale præceptum, ut ratio ex congenitis principiis justitiae, & honestatis, judicet actum aliquem cum sancta, & immutabili voluntate, & Dei natura convenire, & ut in eo consentiant *moratiores omnes.* vid. clariss. Burman. *in sua disert. de moral. Sabbath.* Errat Author, quod hanc *questionem illis controversis similem existimat, quae fide divina subnixæ sunt, in quibus gentiles plane judices sunt incompetentes. Quippe cum status innocentiae historiam ignoraverint, non potuerunt de hac causa judicare.*

dicare. Plane enim ex ratiociniis mihi decidenda videtur, & examinari tantum debet hominis natura sive conditio, animæ ejus qualitates, percipiendi, intelligendi, & volendi facultas; tum legis essentia, vis, & origo: qua ratione nobis innotescit, ejusque vim in nobis experimur: perpendendum est, quæ sunt rationis partes: quibus rite perpensis sequitur judicium, nobis indicans, quid credere fas sit, cujus perspicentia veri ex ratiocinandi facultate perfecta, æque gentilibus, quam nobis Christianorum sacris initiatis tribuenda, quod ad ea, quæ ab illa facultate pendent: confirmat id Chrysippus apud Gellium in *Noct. Att. lib. 6. cap. 1.* *Nihil est prorsus istis imperitius, inquit, nihil insubidius, qui opinantur bona esse potuisse, si non essent ibidem mala; nam quum bonis mala contraria sint, utraque necessarium est opposita inter sese, & quasi mutuo adverso quædam sulta nisu consistere. Nullum adeo contrarium sine contrario altero. Quo enim pacto justitiæ sensus esse posset, nisi essent injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ privatio? quid item fortitudo intelligi posset, nisi ex ignaviæ oppositione? quid continentia, nisi ex intemperantia? quo item modo prudentia esset, nisi foret contra imprudentia? proinde homines stulti, cur non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, & non sit mendacium? namque itidem sunt bona & mala, felicitas & infortunitas, dolor & voluptas. Alterum enim ex altero, sicuti Plato ait, verticibus inter sese contrarium deligatum est, sustuleris unum, abstuleris utrumque.* Ex eadem ratiocinatione fluit, quod non existentibus illis contrariis, neutrum cognosci queat,

A a

&

& consequenter boni & mali notitiam obtineri non posse; ubi autem illa deficit, deficit quoque lex, quæ est rectæ rationis dictamen, proveniens ex distinctione, ideoque ex notitia boni & mali, nobis indicans quid faciendum, quid fugiendum est. Verum unde malum? si nullum habeat principium, a quo existentiam derivare queat, nullam ejus potest ideam quis habere, quia non existente objecto, quod repræsentatur intellectui, percipi nequit, & consequenter ejus non potest formari idea; si nulla idea, ergo nulla ejus notitia; si nulla mali notitia, ergo quoque nulla boni notio; quippe ex contrario uno noscitur alterum; atqui principium bonum, quia ens deberet esse positivum, hinc mali non potuit esse causa, & consequenter non extitit, impossibile est a malo bonum derivari posse; unde Athanasius *orat.* 9. *Id autem absurdum simul & impossibile fuerit; non enim ex bono malum, neque in eo est, neque per eum, alioqui pro bono haberi non posset: Cum aut miscelaneam contaminatamque naturam haberet, aut causa authorque malorum existeret. Et idem, Nullum malum a Deo, nec in Deo extitisse. Nec deficiunt gentilium testimonia, qui ex rationis lumine ipsam hanc veritatem eruerunt. Hinc apud Euripidem, Iphigenia exhibitas a Tantalo epulas haud fidem mereri, & Tauricæ Chersonesi incolas cæde hospitem imbuentes aras, probrum ejus rei in Deum, Dianam videlicet, falso & avertendæ tantum a se invidiæ infamiæque transferre judicans.*

Οὐδένα γὰρ, addit, οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

Nullum enim Deum arbitror esse malum.

Et

Et Chrysippus Stoicus citatus a Plutarcho *de Stoic. Repugn.* asseruit, *Nulla ratione dici posse Deum ulla ex parte turpitudinis esse causam, sicut enim lex delinquendi, Deus impietatis causa nullo modo dici consentaneè possit: ita rationi convenire, Deos etiam nulla ex parte causam turpitudinis.* Et apud Platonem Socrates *lib. 2. de Repub.* Nonne bonus & ipse Deus est? atqui nullum bonum noxium est: quod innoxium, nunquid nocet? quod non nocet, nunquid malum facit: *Quod autem nihil mali facit, nullius mali causa est.* Atqui Deum principium & causam hujus universi crediderint, ut innumera gentilium confirmant testimonia, quod principium summe bonum esse & omnis mali expers, ita ut ejus causa esse nequeat, sibi persuaserunt, consequenter facile concludere potuerunt omnia fuisse bona, quæ ab eo producta fuere. Hinc de aurea ætate gentilium opinio, scil. cum nihil erat natura malum, sed omnia perfecta ac bona erant, sibi persuadere non poterant, aliquid ex illis obtinuisse, quæ postea propter malitiam hominum sibi locum vindicasse videntur. Quare non incongrue allegata *Virgilii, Ovidii*, aliorumque testimonia Auctori nostro videri debent, ad vetustissimorum mortalium integritatem & innocentiam, id est, omnis mali ignorantiam adfirmandam: cujus nullum exitebat vestigium, ideoque nulla ejus erat cognitio; sed omnia perfecta, & bona, recta, & integritati congrua erant: unde summa illa felicitas, quam primis parentibus cum sua integritate constituisse nobiscum olim sensere gentiles, in isto solummodo errantes, quod dixerunt paucorum, qui hac summa fe-

licitate fruebantur, fortunam, seculum illud fecisse; cui ob præstantiam aurei cognomen indidere: quo significant statum, a quo omnia peccata & vitia ac mala exulabant. *Primos illos Disque proximos mortales optimæ fuisse indolis, vitam vixisse optimam, unde auream hanc dici ætatem: quidam inquit à Grotio citatus in annot. ad libr. pag. 18. de verit. Rel. Christ. & Apud Ovidium*

*Aurea prima sata est ætas, qua vindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant.*

*Pœna, metusque aberant, nec verba minacia fixo
Ære legebantur; nec supplex turba timebat
Judicis ora sui: sed erant sine vindice tuti.*

Ita ut in summa tranquillitate, & felicitate, affluentibus omnibus rebus, quæ ad vitam tuendam necessaria, nullis ipsis a se invicem imminentibus malis ac periculis, sua quisque sorte contentus, sine cæca auri cupidine, vita ageretur: Verum ubi ferrea prodiit ætas, omnium vitiorum scelerumque mater ac genitrix,

Oppida cæperunt munire & condere leges:

Neu quis fur esset, neu latro, neu quis adulter.

Animadversione dignum mihi videtur, quod Gentiles leges primum a Cerere mortalibus datas fuisse tradant, ut legimus apud Diodor. Sicul. lib. 5. ubi inquit: *Præterquam quod fruges repperit, operas etiam rusticas & usum illarum docuit: leges promulgavit, quarum norma juste agere homines assuescerent: Quamobrem, θεσμοθέτης, id est, legiferam cognominari perhibent.* Hinc canit Ovid.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,

Pri-

Prima dedit leges, alimenta que initia terris.

Et apud poetam *lib. 4. Æneid. Legifer CERES* vocatur, quod leges ipsa dicitur invenisse: ideoque ejus sacra Thesmophoria, id est, *legum latio* vocatur. Admiracione dignum, quod Gentiles Cererem & frugum & legum datorem pariter finxerint: quasi idem ille, qui fruges dedisset, cujus esu homo peccatum admisit, etiam leges tanquam remedium dare debuisset, quo coercerentur tot pravæ cupiditates, quæ post admissum peccatum ejus animum possidebant, ne in proximi perniciem prorumperet, id est, postquam de fructu Cereris comedisset, statim boni & mali scientiam summo cum humani generis detrimento sibi comparavit: & bonum a malo, vitium a virtute distinguere valuit: quæ distinctio ex oppositione illorum contrariorum profluens ipsi lex fuit, quoniam ex ipsa vitii virtutisque natura, præeunte rectæ rationis lumine, fuit illud vetitum, hoc præceptum esse, quæ dictamina ex illa distinctione profluentia revera leges sunt. Datis legibus operas rusticas docuit, & glebam dimovere aratro, peccati commissi sequela. Cum antea

*Ipsa quoque immunis, rastraque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus, per se dabat omnia tellus.*

nulla hominis cultura & cura accedente: verum ubi integritate sua excidisset, statim multæ eum obruerunt molestiæ: cum antea sine labore & molestia omnium rerum abundans copiâ, vitam sustentaret; jam si famem depellere vellet, & vitam tueri, magno cum labore terram colere & in sudore vultus,

A a 3

quæ

quæ ad tuendam vitam necessaria erant, sibi parare opus erat.

Semina tum primum longis Cerealia sulcis

Obruta sunt, pressique jugo gemuere juvenci.

§. 31. Nullius momenti sunt illa, quæ adfert Author ad enervandum argumentum, quod pag. 168. proponit, scilicet quodcumque definitionem Grotii applicari non posse statuerim statui innocentie vetustissimorum mortalium: ideo leges in illo statu non obtinuisse. Quæ definitio juris inquit tantum concepta est, prout se habet hodie in statu corrupto: indolem fræni morales, propter pullulantem ex peccato originis affectuum pravitatem, induens: adeoque ad illam formam, quam in statu innocentie, per affirmativa præcepta, sub incentivo præmii gratè morventia, se proferens habuit, hæc Grotii definitio trahi nequit, neque ex eadem juris nat. paradisi existentia destrui potest, fuerit ergo in statu innocentie alia lex quam nunc est: fuerit non prohibitiva, non pœnalis, non ignoto maledicta denuntians transgressori. Ergo nullum habituale dictamen, indicans cum vi coactiva, quid prohibitum, quid vetitum sit (ut Author supra demonstravit) habuit; si tale dictamen non habuerit, ergo neque legem; alia enim lex non obtinuit secundum Authoris mentem: ita si legem habuerit, vel talem habuit vel nullam: ut videre est pag. 73. §. 40. si talem habuerit legem; ergo etiam prohibitivam; si prohibitivam, quoque pœnalem; si pœnalem denuntiantem maledicta, ergo mali notitiam habuit per injuriæ acquisitam reatum, transgrediendo legem, ipsi in Paradiso latam. Atqui hanc notitiam violando legem

po-

positivam demum nactus fuit, ergo ante illam violationem nullam mali notionem vel ideam possidebat: & consequenter legem naturæ sive dictamen illud habituale, jubens bona, vetans contraria ipsi non innotuisse necessario statuendum: quippe si illud habuerit, eodem modo obtinuit ut nunc, quemadmodum illud definit Grotius, indicans ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali, illud vetitum, hoc præceptum esse, prohibitum quia malum, præceptum quia bonum; utrumque continet necessitatem moralem, qua obligamur illud fugere, hoc sequi, quæ obligatio præsupponit subjectum habere notitiam ejus, quod obligatione continetur: continetur obligatio abstinencia a malo, actio boni; ideoque subjectum requirit, quod distinguendi & discernendi inter bonum & malum, justum & injustum facultate præditum est, distinctio præsupponit notitiam, notitia existentiam eorum, quæ distinguui debent, quibus requisitis existentibus, lex quoque obtinet.

§. 32. Ultima Authoris dissertatio, quam huic adjungimus, duas adhuc theses continet, quas tanquam falsas & multis erroribus implicitas rejicit. Quarum una est, *Statum Adami ante lapsum puerilem fuisse, quoad ignorantiam boni & mali, in cæteris virilem & adultum.* Altera, *Jus naturæ ex statu peccati ortum traxisse.* Unam & alteram ad rectæ rationis examen vocabimus & conabimur adferre argumenta, quæ speramus valida fore ad dissipandas Authoris nostri mentis tenebras. Quod primam attinet Thesin, supra Adamo talem sapientiam tribui-

buimus, quæ integritati & divinæ imagini respondebat, ideoque perfecta, omnibus numeris absoluta; scil. quæ complectebatur omnia, quæ ad vitam feliciter transigendam necessaria erant. Cum autem ejus felicitas consistebat in perfecta cognitione Creatoris sui, tanquam principio a quo essentiam & existentiam habebat, ideoque eum ut talem venerabatur; & in notione finis ad quem tendere deberet, tanquam unicum & summum bonum, ita quoque in notitia mediorum, quæ ei fini assequendo idonea erant: illa enim cognitio quotidie eum impellebat ad finem tendere; quippe cum illa ipsi Deum ut Creatorem & originem innumerabilium beneficiorum, quæ in se quotidie redundabant, repræsentabat, summo amore erga Creatorem suum inflammabatur: præterquam quod inclinationes ex integra natura proficiscentes continuo ad finem tendebant, ideoque ad operandum bonum, quod unicum erat medium assequendo fini idoneum, eum instigabant: sequens autem naturæ impetus recte ac bene dispositæ voluntatis appetitum, & huic actiones suas accommodans, bonum & rectum operabatur. Quod si circa cætera objecta versabatur animus, quia in suo genere bona & perfecta erant creata, adeoque nihil mali vel inordinati haberetur in universa natura, nullam mali quoque ideam formare poterat. Omnia videbat secundum naturam ipsis innatam existentia & operantia, ideoque cum nihil a fine vel æterna lege recederet, nihil inordinati vel mali percipiebat ipsis inexistere: quippe cum malum nihil aliud sit quam defectus & privatio perfectionis, sive ejus, quod adesse de-

deberet, antequam res perfecta dici posset, nullam ejus potuit habere notitiam vel ideam cujus nullam habebat propter ejus, ut ita dicam, non existentiam, perceptionem: versabatur enim animus vel circa objecta interna, quorum innatas ideas habemus, vel externa, & extra mentem existentia, cujus ideam aliunde formamus, scil. per contemplationem rerum visibilium; harum autem omnium ideæ in nobis extitere perfectæ, quia nulla imperfectione laborabant. Bona autem dicuntur vel respectu operationis vel materiæ, utriusque respectu bona & perfecta erant, nihil deficiebat quoad materiam, neque quoad operationes, unumquodque ad finem tendebat. Ad quem tendens recte operabatur. Uniuscujusque operatio fini conformis, ideo bonus, & rectus; neque malum in homine poterat excitare appetitum alicujus objecti idea, quia semper ut recta & fini conformia ipsi repræsentabantur: ejusmodi erant operationes hominis, & uniuscujusque individui in statu integro. Verum postquam a fine suo inobedientiâ sua deviavit, & integritate sua excidit, & moralem amisit Dei imaginem, statim inordinati & a fine alieni motus ejus animum occuparunt, ideoque operationes quoque inceperunt esse malæ, quia non amplius respondebant integris animi inclinationibus, sed præsentî prævæ voluntatis appetitui erant conformes. Hinc, cujus bonam ideam antea habuerat, ejus se jam pudebat, quia non amplius integer vitæ scelerisque purus, pudebat illum suæ nuditatis, cujus sensus ipsi manifestabat aliquid mali contraxisse. Pudor enim semper oritur ex re mala, & cum conscientiam quis istius mali habet, tum ipsum pudet; sic fuit in Adamo, ex hoc

B b

pu-

pudore, qui in eo fuit, constat eum puram non habuisse naturam. Pudor oritur ex malo, ut cum sensit homo se deprimi in miseriarum statum, vel infra dignitatem; hoc quam maxime sensit Adamus, cum ab illo summo majestatis fastigio, in quo eum collocaverat Deus, utpote qui eum ornaverat divina imagine, in omnium miseriarum abyssum semetipsum egit præcipitem: puduit ergo. Ante se pudere non poterat, cum nihil inordinati in corpore, nihil impuri in animo foret, cujus se pudere vel malam ideam habere potuisset. Nihil enim nisi opus Dei in homine extabat, de quo eum erubescere non decebat. Cum jam lapsus esset, surrexerunt in eo inordinati & animi, & corporis motus, ex quibus pravæ operationes profluebant, pudenda ergo Campestri tegebat. Quod tegumentum adhuc apud multas gentes barbaras in usu; Campestris denominationem habet a genitalium succinctorio, quo utebantur Romani Juvenes in gymnasiis & palæstris, hoc est, in campis, unde Horatius. *I. epist. II.*

*Incolumi Rhodos & Mytilene pulchra facit quod
Penula solstitio, campestre nivalibus auris.*

Ex inordinatis animi motibus pudor; ex pudore mali notitia & idea, ex hac lex orta. Itaque quando *statuo hominis statum ante lapsum puerilem fuisse, quoad ignorantem boni & mali, in cæteris virilem & adultum*, non aliud hæc verba significant, quam hominem in statu illo felicissimo nullam boni & mali, tanquam quæ inter sese opposita, & sibi invicem contraria sunt, ac ita legis naturalis objecta, habuisse cognitionem. Attamen fecit ea, quæ bona erant, scil. in se & naturæ suæ integræ consentanea, ideoque Deo suo grata;
nam

nam eo tendebat appetitus & inclinatio naturalis ex re-
 eta dispositione animi proficiscens: vid. *dissert.* §. 40.
 Quæ Author hic *de regno veritatis*, quorum alterum veritates theo-
 reticas, alterum practicas complectitur, disputat, huic
 nihil ponderis adferunt. Quippe circa nulla objecta
 mens versari potest, nisi quæ ipso actu intellectui re-
 præsentantur. Hinc ridiculum, quod *pag.* 17. dicit:
 Sicut vero oculus, qui videt album, videre etiam ni-
 grum potest, ita nihil absurdius, quam eundem mentis
 oculum respectu alterius objecti perspicacem esse, res-
 pectu alterius cæcutire. Præsupponit hic objectum exi-
 stere, & ideo oculum illud videre. Videt enim illud
 per privationem albi, ideoque objectum privationis
 existit, scil. nigrum: quod si illud argumentum nostræ
 thesi applicare velit, absurda inde derivabitur conse-
 quentia: scil. quemadmodum Adam habuit cognitio-
 nem rerum naturalium & alienarum, ita moralium &
 propriarum ad vitæ scopum pertinentium, scil. bo-
 norum & malorum habuit notitiã, & non minus in
 illis, quam in hisce virilem & adultum fuisse statuen-
 dum. Quasi cognitio rerum præsentium includeret
 cognitionem absentium, quæ nunquam extiterunt, ni-
 si per privationem alterius. Et ubi est notitia perfe-
 ctionis, ibi quoque deberet esse notio imperfectionis,
 quod omnino contradictorium & absurdum est. Quo-
 niam idea imperfectionis formatur ex ipso defectu sive
 privatione ejus, quod adesse deberet, antequam res
 perfecta dici posset, ideoque perfectionem tollit. Ab-
 surdum quia antequam existit objectum, sive ipsa pri-
 vatio, percipi nequeat, ut ex ipsa Authoris similitu-

dine colligi potest: itaque si cognitionem mali habuerit primævus homo ab ipso momento, quo cognitionem aliarum rerum habuit, jam ipsum malum ab ipso rerum primordio extitit vel in ipso homine, vel extraeum; id est, vel interna, vel externa objecta oportet in suo genere non perfecta & bona fuisse, & consequenter in homine mali excitasse ideam. Cujus idem causa esse debuisset, qui fuit boni, quod contradictorium & absurdum est, ut supra demonstravimus. Claudit itaque hæc Authoris similitudo, quia præsupponit existentiam objectorum, quæ percipiuntur, quantum ad album & nigrum: ideo eorum cognitionem habere possumus. Quod secus est in perceptione mentis quoad bonum & malum. Quia unum noscitur per alterum, quemadmodum nigrum & album, ita oportet utriusque habere ideam, antequam eorum cognitionem habeamus: quæ quoniam formatur per objecta, quæ intellectui repræsentantur, oportet ea prius existere, atqui absurdum & contradictorium est ea ab initio & ipso rerum primordio extitisse; absurda quoque consequentia est, hominem in statu innocentiae boni & mali æque ac aliarum rerum, quæ extiterunt, notitiam habuisse.

§. 33. Argumenta, quæ Author pag. 117. 178. & sequent: ex Socino adfert, infantilem simplicitatem innocentis Adami fulcientia, hic non describimus, quia a nostra sententia supra, ubi de sapientia & sanctitate Adami disputavimus, aliena esse ostendimus, non iterum itaque hic repetemus. Neque tragediam, quam de primi hominis lapsu composuit Author, hic enarrare volui, cum nihil ad rem pertinere judicaverim;

ve-

verum joci & nugis, sive potius somniis ac deliriis similem existimavi. Ideoque ad alteram Thesin progredior, qua statui Jus NAT. *ex statu peccati originem habere.* Per jus naturale intelligo illam regulam actuum moralium, obligantem ad illud quod rectum est, ex rectæ rationis dictamine deductam, ideoque nobis indicantem, quæ recta, quæ injusta, quæ bona, quæ mala, & consequenter quæ præcepta, quæ vetita sunt, necessitatem illis diximus inesse moralem, illa faciendi, hæc fugiendi; quam necessitatem ex natura divina ac Dei sanctitate derivavimus, qua diximus contineri jus morale sive divinum necessarium, id est, naturale, & eatenus quidem ab æterno extitisse, ideoque æternam vocari legem, prohibentem mala, præcipientem bona, & obligationem ex illa proficiscentem, qua ei congrue vivere obstringimur, & eam tanquam regulam & normam actionum nostrarum sequi tenemur, ab ipso existentia nostræ momento nobis impositam fuisse. Verum quatenus jus sumitur pro dictamine rectæ rationis, quod ex convenientia vel disconvenientia cum natura rationali sive recti innatis principiis, indicat actui alicui inesse moralem necessitatem sive turpitudinem, & consequenter ab auctore naturæ Deo vetari vel præcipi, ideoque requirere præexistentem notitiam boni & mali, post lapsum ex statu peccati ortum traxisse affirmavi: quia tum demum boni & mali primævus noster parens nactus fuerit scientiam, quæ legis sunt objecta, quibus non existentibus lex deficit: cum ipsis illis objectis insit necessitas prohibendi, vel præcipiendi, ideoque ex eorum oppositione lex conficitur: Itaque ipsum jus, scil. illud quod honestum

& æquum ac decorum est, ab ejus notione distinguendum, & obligatio ex divina sanctitate profluens non debet confundi cum dictamine sive ipsa obligationis notitia: illud ab æterna Dei fluit essentia; hoc cum hominis corrupta natura innotescere cœpit: imo illud homini cœvum & naturaliter implantatum est; hoc cum humani generis damno acquisitum. Itaque concedo Authori notitiam ab ipso jure distinguendam: verum nego illam a dictamine rectæ rationis abstrahendam: quoniam boni & mali notitiam fontem esse diximus, ex quo illud dictamen derivatur, & ex ipsa etiam Authoris mente probavimus: itaque contradicit sibi, quando dicit quod *dictamini rectæ rationis, seu judicio pratico constare ratio poterat, sine notitia injusti, legisque prohibentis*; cum superius affirmaverit dictamine sive lumine illo pratico contineri & prohibitionem & jussionem, hujus objectum esse justum, illius injustum: cujus legis sive dictaminis obligatio neminem cum effectu adstringit, quin rationis capax sit, cujus vi bonum a malo distinguere valeat, vid. §. 40. quippe rationem legis ideoque etiam obligationis fundamentum ponit. Unde brutis nullum jus tribuendum statuit, quia ratione carent, & consequenter quid justum, quid injustum sit ignorant. §. 8. 28. 29. Itaque sine distinguendi facultate nulla procedit cum effectu obligatio, distinctio requirit notitiam eorum scil. justi & injusti, boni & mali, quæ distinguere debent; notitia boni & mali existentiam, ex uno jussio, ex altero prohibitio oritur: Illud præmium, hoc pœna comitatur. Hinc diximus *ex vitiis ortam esse coercionem & pœnam, eaque simul cum lege nobis innotescit*. Quoniam enim

enim vitium per se & sua natura malum est, hinc necessario prohibetur, & quia necessaria prohibitio, ideo quoque necessaria punitio: Ita ut prohibitioni semper insit necessitas puniendi sive pœna. Superius diximus, quod quemadmodum ex Dei sanctitate necessaria nascitur mali prohibitio, ita quoque necessitas puniendi; quippe cum Dei sanctitati & justitiæ adversaretur actionem malam non prohibere, ita quoque ei contrarium esset eam non punire. Itaque vitiorum notitia includit prohibitionem, prohibitio pœnam. Vitii sive mali vel injusti acquisitâ notitiâ, simul boni & justii naturam novimus: quoniam ex contrario uno elucescit alterum: malum non cognovimus, quin simul viderimus bonum, quod amissimus, cum amissio sive privatio nobis sub mali idea repræsentetur, ideo quando privationem boni in nobis sensimus, mali aliquid contraxisse experti fuimus, & ipsa illa privatio, quæ mali insignitur nomine, nobis ad rem scil. ipsum bonum, quo nosmetipsos spoliavimus, quasi manu ducebat, & ob oculos ponebat ipsum injuriæ reatum, per legis violationem contractum, tanquam causam mali sive privationis boni: Quam boni & mali scientiam sive distinctionem legum naturalium, quæ per rationis dictamina nobis quasi promulgantur, causam esse, ex qua originem habent, scil. quatenus sunt dictamina nobis bonum & malum indicantia, ex convenientia vel disconvenientia cum ratione naturali probavimus.

Atqui ex peccato orta boni & mali distinctio & notitia, quia per illud cognovimus malum, quod contraxeramus, & bonum, cujus jacturam feceramus, consistens

flens in ejus privatione. Ergo ex peccato scil. post lapsum lex nat. orta. Verum, inquit, jus naturale non confundi debere cum distinctione boni & mali. Aliud enim est jus nature, aliud ejus notitia, aliud boni & mali distinctio. Sine boni & mali potest consistere legis notitia: sine legis prohibentis cognitione, præcipientis peritia obtineri potest. Non confundimus jus nat. cum distinctione boni & mali, quatenus significat quod semper bonum, æquum & rectum est, & ab æterna lege dimanat. Qualia juris principia nobis innata & implantata sunt, ad quæ actiones nostras examinamus, num rectæ sint vel malæ, & quid nobis faciendum, quid fugiendum, ex convenientia vel disconvenientia cum illis innatis recti nobis principiis judicamus. Quod judicium rectæ rationis dictamen, nobis indicans bonum & malum, legem nat. vocamus. Verum unde illud judicium sive dictamen, nisi prius præcedat notitia sive distinctio boni & mali? impossibile enim est judicare de re aliqua, cujus notionem sive ideam non habemus: illam notionem nobis per peccatum acquisivimus, id est, per illud cognovimus privationem boni, quæ habet necessariam relationem ad illud, quod privationis subjectum est. Hinc cognita privatione boni, ipsum quoque bonum cognovimus sub idea boni, tanquam oppositum malo. Privatio illa necessario sub idea mali nobis repræsentatur, quia nullum datur tertium sive medium inter bonum & malum, & consequenter ubi bonum deficit, malum obtinet, & unius privatio sive absentia & defectus, quasi alterius productio est. Hinc contraria vocantur, quia unum

num tollit alterum, id est, ubi malum obtinet, bonum deficit, malum tollit bonum. Et impossibile est simul bonum & malum extra conceptum existere, scil. quod bonum est illud simul malum esse. Itaque quatenus jus naturæ sumitur pro dictamine rationis sive lege naturali, eatenus notitia & distinctio boni & mali ab ea divelli neque separari potest. Sunt enim illa legis objecta, quibus deficientibus, lex quoque deficit. Hinc absurdissimum mihi videtur legem naturalem posse homini innotescere sine distinctioe vel notitia boni & mali; & legem præcipientem posse sine prohibente obtinere. Cum ipse Author definivit legem naturæ *dictamen rationis præcipiens bona, prohibens mala. Quam in intellectu hominis radiasse etiam in integro statu*, affirmare conatus fuit. Cum nulla obligatio cum effectu aliquem adstringat, nisi qui rationis sit capax, cujus vi bonum a malo distinguere valet; quid enim aliud continet obligatio, quam prohibitionem mali, & jussionem boni? ideoque actionem unius, omissionem alterius. Frustra autem alicui subjecto hujusmodi imponeretur obligatio, quod notitiam bonorum & malorum, & ea distinguendi a se invicem facultatem non haberet, verum ab ipso dictamine sive notitia legis, distinguenda vis obligandi sive legis vinculum, ex ipsa Dei sive summi legislatoris potestate & sanctitate habens originem. Quemadmodum justa, bona, recta, & honesta fundantur in Dei sanctitate, *quam rationem definivimus prohibentem mala, imperantem bona*; ita obligatio, qua adstricti sumus facere bonum, & consequenter fugere malum, ex eadem

C c

fluit

fluit sanctitate, quæ actionis continuationem requirit. Falpa itaque hic cæcior Author noster, quando inquit, pag. 200. *si jus naturæ in distinctionem & comparationem boni & mali a judicio pratico, institutam resolvatur; jam ipse, qui comparat & distinguit, legum suarum author & conditor homo est. Et nullam quoque vim obligandi haberet hoc inane juris naturalis, sine corpore & specie simulacrum: quandoquidem legis vincula nemo sibi ipsi injicere potest. Præterquam quod jus naturale varium, imperfectum, mutabile & incertum, denique nullum erit. Quæ omnia quam longissime a mente nostra aberrent, superius & ubique per totum hoc opusculum demonstravimus, aliud est legem sibi constituere per potestatem legislativam, aliud quasi legem sibi facere per dictatum rectæ rationis tanquam medium, quo cognoscimus legis a Dei sanctitate profluentis vim atque obligationem. Institutâ comparatione objectorum, circa quæ lex versatur, scilicet boni & mali, ex quorum contentione dijudicamus illud vetitum, hoc præceptum esse; ideoque propter illam necessitatem, ex Dei sanctitate profluentem nos adstrictos esse bonum facere, & fugere malum, neque incertum inde jus redditur, vel mutabile; non mutabile, quia fons, ex quo illud derivamus, scilicet Dei naturâ, semper sit immutabilis. Neque incertum, quia illa honesti principia nobis innata & semper certâ ac infallibilia, ex eodem fonte originem habentia, cum quibus contendimus, quæ facere vel dicere in animum induximus, nobis semper certæ & infallibiles regulæ sunt agendorum. Quia hisce honesti principis olim in integro statu inclina-*

nationes, inclinationibus actiones respondebant, iuxta & rectæ vocari potuerunt. Ex qua inclinationum & actionum cum illis convenientia summa conscientiæ oriebatur tranquillitas, quæ hominem certiores faciebat sequendas esse eas, donec integritate exutus, in semetipso inordinatos animi motus sentiebat, qui hanc tranquillitatem perturbabant, eumque docebant aliquid mali contraxisse, & quotidie dira conscientia facti ob oculos obversabatur, atque indies magis magisque dominari in se pravas, & illicitas cupiditates experiebatur, quibus inservire potius volebat, quam rectæ obtemperare rationi. Itaque sibi ipsi diffusus est, & alio modo vivendum sibi perspiciebat: Id est, non sequendum magis naturæ impetus & inclinationes naturales, antequam examinaverat ad rectam rationem sive honesti innata nobis principia, num cum iis convenirent, vel repugnarent. Ex quarum convenientia cum ratione naturali judicabat, quas exequi, quas suppressere deberet. Quamquam nostra natura adeo jam sit corrupta, ut, licet tali institutâ comparatione & contentione objectorum, quæ post lapsum necessario ab homine adhiberi & institui debuerit, bonum & malum cognoscamus, ideoque quid faciendum, quid fugiendum sciamus, & consequenter regulam & normam agendorum habeamus, quam sequentes ad finem nostrum tendimus, attamen incapaces resistendi pravis nostris cupiditatibus, Deo non adjuvante, ad horrenda sapissime prolabimur vitia & peccata, & meliora videntes, sequimur deteriora. Quibus olim tentationibus, & pravis cupiditatibus, integer homo scelerisque purus non erat obnoxius:

ita ut merito exclamare liceat, ô statum ter quaterque beatum? a quo omnia exulabant vitia, & nefanda facinora, pœna metusque aberant, nec verba minacia fixo ære legebantur; cum sponte ex inclinatione naturali justitiam coleret & officia præstaret homo, quæ naturalis ratio, rectæ rationis dictamina a nobis postulat, summa tranquillitate fruebatur conscientia, nullius culpæ sibi conscia, nullis contaminata vitiis, nullis peccati maculis adpersa: in summis protoplastes habebat deliciis, suavissimam & nulli voluptati comparandam Dei creatoris sui communionem & consuetudinem. Quem integer vitæ scelerisque purus non timebat ut vindicatorem peccatorum; sed venerabatur ut omnium visibilium & invisibilium auctorem & creatorem; & summo prosequabatur amore, tanquam fontem tot beneficiorum, quæ ex illo in se derivata erant. Utinam vetustissimus mortalium ab hoc summo felicitatis culmine semetipsum non egisset præcipitem: non tot laboribus quotidie fatigaremur, neque tot jactaremur miseriis. Non cœpisset homo homini lupus esse: neque tot in se invicem mala machinarentur, vel in mutuam advolarent perniciem, ideoque tam strictis legibus, neque tam acerbis pœnis opus fuisset, quibus hodie cœrceri & puniri debent pravæ & illicitæ hominum cupiditates: verum ejusdem felicitatis, ejusdem libertatis, ejusdem denique conscientiæ tranquillitatis fuisset hæredes: & omnibus numeris absolutâ voluptate ac felicitate consummata, in arctissima, cum nostræ existentiæ & essentiæ principio, causa, ac fine, Deo, positâ frueremur, tanquam perseverantiæ præmio, nulla morte interveniente, cujus nullus futurus esset.

FINIS.

DISSERTATIO
TERTIA
DE
DIE MUNDI,
ET
RERUM OMNIUM
NATALI.
AD
CAPUT III. GENES.
PARS II.



TRAJECTI ad RHENUM,
Apud HERMANNUM BESSELING,
MDCCLXXXVIII.



DISSERTATIO
TERTIA
DE
DIE MUNDI,
ET
RERUM OMNIUM
NATALI.
A D

Caput III. Genes.



Quis non primævum hominis statum, quem Dissertatione præcedenti descripsimus, ter quaterque beatum prædicabit, & vere auream hanc ætatem fuisse nobiscum existimabit? Quid enim beatius fingi potest, quam ita bonis omnibus affluere, ut malum quid sit
A neque

neque sentias, neque scias, neque liceat experiri, ut inquit Vir doctissimus Hugo Robinson *annal. mund. lib. 1. §. 55.* Collocaverat enim eundem Jehovah in Paradiso, horto omnium amoenissimo, Terræ bonis affluentissimo, visu & adspectu jucundissimo, atque omnis generis fructibus locupletissimo. Ipse vero recens conditus, & quasi Dei conditoris sui manibus efformatus ad divinam imaginem, integer viribus, animo ac mente castus, Dei amicitia ac familiari consuetudine fruebatur, iisque insuper facultatibus instructus erat, ut invitus tanto bono privari, & a tanto felicitatis gradu deturbari non potuisset, si regiam tenuisset viam, id est, naturam ducem secutus fuisset, cui erat innata rectitudo, justitia & sanctitas, adeoque cum Deo *πρωτοτύπω* conformitatem habebat. Quippe naturâ duce inclinabat semper in illud, quod cum imagine divina, quâ erat ornatus, conveniebat, & proinde quod rectum erat, honestum atque decorum. Naturalem itaque si secutus fuisset voluntatis propensionem, nunquam à fine deviasset, scil. ab illa conformitate cum Deo creatore suo. Quippe cum imaginis divinæ particeps esset, oportebat quoque, ut illam in totius vitæ cursu præ se ferret, id est, justitiam ac sanctitatem coleret. Etenim dum ad suam imaginem Deo hominem condere placuit, nullum alium finem sibi proponere Deus poterat, quam qui conveniebat cum sanctitate divina, adeoque ut homo ad eam conditus, juste, honeste atque sancte viveret, unde Christus, *Estote sancti, ut Pater meus in cælis.* Quemadmodum Deus semetipsum nequit abnegare; ita quoque nec
in

in producendo homine alium finem sibi proponere potuit, quam ejusmodi mentis sive animæ conformitatem cum natura divina, quæ consistebat in illa innata rectitudine, justitia & sanctitate, quibus eximiis animi dotibus præditi primi mortalium, privati inviti, uti statim dicere incepimus, non potuissent, si regiam tenuissent viam, id est, si naturâ duce ad innatam illam menti rectitudinem & sanctitatem vitæ transigendæ rationem composuissent, si illam voluntatis justam propensionem secuti fuissent, si mentis innocentiam, illamque simplicitatem, in qua hætenus feliciter & beatè vitam traduxerant, cum mali & boni scientia, serpentis astutiâ seducti, commutare non tentassent.

Hoc in capite jam enarrare suscipit Moyses Pro-
 to-parentum nostrorum Adami scil. & Evæ, tenta-
 tionem, lapsum, pœnasque, quas ob prævaricationem meruere pati. Orditur Moyses præsens caput hisce verbis: *Serpens autem erat callidus præ omnibus bestiis agri, quas fecerat Jehovah Deus: idcirco dixit ad mulierem: Etiamne dixit Deus, Non comedetis ex omni arbore horti.* Quemadmodum assidua eminentis fortunæ comes invidia, ita & Satan, latens sub serpentis figura, invidens tantam felicitatem primo homini, omnia versat & rimatur in Paradiso, quacunque Adamo vel Evæ, in beatissimo statu cum Deo creatore suo consuetudinem, qua nihil optabilius ipsis contingere potuisset, habentibus, vel per se, vel per creaturas inanimes, per cibum vel potum, per aquam aut aërem nocere, & à summo illo felicitatis gradu in omnium miseriarum abyssum præcipi-

Proto-
 plato-
 rum ten-
 ta:io.

tes dare posset. *Nam, ut filius terræ, ignobilior se, in cælum eveheretur, unde ipse deciderat, eaque frueretur gloria, quam ipse amiserat, vehementer indignatus est. Idem & Deo invidit ab hominibus integris religione pura gloriam. Huic igitur ut officeret quantum valuit, hominesque in eandem secum perniciem traheret, ad violandum Dei mandatum quoquo modo statuit impellere, & eodem ambitionis telo, quo seipsum confecerat, jugulare, uti disserit Hugo Robinson. annal. mund. lib. I. §. 56.*

Serpens
quæ &
qualis
fuerit,
non
constat.

Primo hic solet quæri, quis & qualis fuerit ille serpens? Hebræis denominatur *serpens* שָׂרָפָה *nachasch*, Græcis ὄφης. Qua voce, ut ex Aristotele *lib. 2. animal.* annotarunt Viri docti, alias intelligitur ζῷον ἑρπετόν, ἐναυμὸν, φολιδώδον, *reptile, sanguineum, & cortice tectum.* An autem basiliscus, an scytale, an vipera fuerit, de eo nihil certi affirmare possumus; quoniam illud Moyse silentio præterivit. Quis autem conjecturis hanc veritatem indagabit; nec etiam ex ejus ignorantia aliquid damni nobis metuendum, quin potius temeritatis notam incurreremus, si tacente Scriptura aliquid definire vellemus. Sufficit novisse, animal reptile intelligi, & Hebræo sermone שָׂרָפָה appellari. Hujus nominis magnus Bochartus originationem deducit ex Arabica lingua; derivat enim ab Arabico *nachasa*, quod *infaustum esse & mali ominis* significare, ejus linguæ periti tradunt. Forte huc referendum, quod, uti primis parentibus serpentis occursum admodum infelicem fuisse acceperant Ethnici, ita quoque malum & infaustum omen ac prænuncium existimarunt, si forte in itinere
vel

vel alibi in serpentem incidissent. Unde apud Horatium *Carm. lib. 3. Od. 27.*

*Rumpat & serpens iter institutum,
Si per obliquum similis sagittæ
Terruit mannos.*

Et apud Terentium in *Phorm. act. 4. sc. 9.*

- - - - *Monstra evenerunt mihi:
Introit in ædes ater alienus canis;
Anguis per impluvium decidit de tegulis.*

Verum aliis magis eorum placet sententia, qui illam ab Hebræo derivandam volunt; quippe cum in voce Hebræa non D aut W sit, cui respondere solet Arabica littera U , sed W , & in lapsu demum Protoplastorum occurfus ominosus esse cœperit, potius dicendum videtur, W H A W H N *auguratus est, ingeniose conjectavit, exploravit, & curiose observavit*, derivari. Atque ita serpens, ut ajunt Viri docti, non ab aliquo accidente, sed à sua ipsius natura & proprietate in lingua Ebraica nomen habet, quod is antequam Adamus lapsus est, calliditate cæteris animalibus præstabat. Dum quoque ipse Bochartus fatetur, *lib. 1. cap. 19. Hieroz. nomina Ebræa animalium niti certa ratione ex natura rei petita.* Præterquam quod serpentem & draconem apud plurimas gentes, uti Ægyptios, Græcos, Romanos, felicitatis, victoriæ & salutis symbolum fuisse, nummi plurimi clarissime ostendunt, teste Spanhemio *Dissert. 3. de præstant. & usu numism. p. 125.* Imo pro bonis geniis habitos, ibidem testatur. Vid. Vaillant. *numism. p. 225.* Unde patet, si forte apud quasdam gentes, saltem moratiores, uti Græ-

cos & Romanos, serpens obviam factus fuerit, mali ominis prænuncium habitum non fuisse.

Variæ
Variorum de
serpente
opinio-
nes.

Serpentem non verum & animatum hic adfuisse sed speciem duntaxat & simulacrum, sub quo Dæmon allocutus est mulierem, Cyrilli quondam, & postea Eugubini fuit sententia. Cajetanus nec verum serpentem, nec ejus simulacrum & spectrum, sed solum Dæmonem intelligendum statuit, qui metaphoricè serpens crebro in Scriptura dicitur, & interna suggestionem Evam tentavit. Aliam hujus Moisaicæ narrationis interpretationem excogitavit Is. Abarbanel, quam ut acutissimam probare & amplecti se testatur Simon de Muis, Regius apud Parisios quondam Professor. Putat enim ille, fuisse quidem serpentem mere naturalem, verum nihil locutum fuisse ad foeminam, nec hanc ad illum. Rem omnem ita gestam: Foeminam vidisse serpentem ascendentem in arborem, & subinde de fructibus ejus comedentem, neque tamen mortem inde contrahentem vel damnum. Hinc igitur hoc ipsam secum voluisse & investigasse tanquam si cum serpente loqueretur, & hic in arborem ascendens, diceret ad se ipsam, non morte moriemini. Et sic ad sua verba responderet cogitationibus suis. Ita ut hæc adlocutio five colloquium serpentis cum Eva nihil aliud esset quam ratiocinatio mentis, quæ ex serpentis actu comedentis de fructu arboris vetitæ, & tamen inde nihil mali contrahentis, nullum quoque sibi damnum inde metuendum dictabat, vel ipse serpens per illum actum Eva videbatur quasi sibi dicere: *Nil periculi ab hac arbore mihi, adeoque nec tibi.*

tibi. H. Corn. Agrippa *l. de pecc. orig.* apud Bordinum *Dæmonom. lib. 1. cap. 6.* per Serpentem intelligit membrum, ex quo viri sumus quod ad concupiscentiam excitavit Dæmon; verum merito putidum hoc commentum vocat August. Pfeifferus: *Blasphemum vero, inquit, prorsus est, quod Ophitæ olim dixerunt, serpentem fuisse ipsum Christum, typo serpentis ænei præfiguratum, qui apertionis oculorum & scientiæ boni & mali humano generi autor extiterit.* Saniori doctrina eorum nititur opinio, qui verum & naturalem serpentem, sed à Diabolo obsessum statuunt. Quamobrem hanc primorum parentum tentationis historiam litteraliter simul & allegoricè censent exponendum; adeo ut hic duplex intelligatur serpens, alter metaphoricè, nempe Diabolus, qui *Apocal. 12: 9.* dicitur *Draco magnus, & Serpens antiquus*; alter vero naturalis, quo Dæmon abusus est, sive quem est ingressus, ut per eum, quasi per organum suum formaret voces suas, & sermonem cum Eva miscens callida & malitiosa tentatione eam deciperet. Verus itaque & naturalis fuit Serpens, quamobrem confertur cum animantibus agri: prædicat enim Moses de eo, *quod erat callidus præ omnibus bestiis agri*; scil. Serpens ille, cujus calliditatem describit, cum bestiis agri confertur, & in earundem collocatur numero, ut ejusdem generis fuisse constaret. Serpens itaque ille seductor revera erat ejusdem generis, cujus cætera animalia bruta & rationis usu orbata. Si serpentis tantum speciem & formam induisse interpretemur, ejusmodi corporis assumptio haud potuisset in causa fuisse,

fuisse, cur Moses bestiarum in numero collocasset Dæmonem serpentis figura & specie indutum. Legimus aliquando Angelos assumpsisse corpus humanum, non verum, sed æreum, quod speciem habebat veri & humani; perperam verum Angelis pro tempore hac specie & forma indutos humanæ naturæ participes statueremus, & in hominum numero collocaremus. Ejusdem naturæ particeps erat hic serpens seductor, cujus cætera animalia, callidior non usu rationis, sed instinctu naturæ, innata naturali versutia & quadam inclinatione; calliditas itaque illa non rationalis, sed talis, qualis in brutum rationis expers cadere potest. Naturalis illa calliditas, quibusdam animantibus indita, hic intelligitur, qualis hodie in vulpecula animadvertitur, quæ non à ratione, sed celerrimo spirituum ac membrorum, ad hæc vel illa objecta, motu constat; non speciem corporis præ se ferebat, sed verum corpus instar cæterorum animalium circumferebat, figura & forma ab aliis diversum duntaxat. Inepta igitur esset comparatio Diaboli cum bestiis terræ, cum ille natura, uti cæteri Angeli boni, sit incorporeus & immortalis, nec solum specie, sed etiam genere differt ab animantibus. Huic etiam accedit, quod Apostolus absolute vocat *Serpentem*, qui Hevæ sua astutia & calliditate seduxit, 2 *Cor.* 11: 3. Quamobrem non fuit spectrum serpentis, sed corporatus serpens. Et quia verus serpens, Moses simpliciter serpentem nominat. Præterquam quod genus pœnæ, qua eum multavit Deus, satis dicitur fuisse verum serpentem. Pœna enim inflicta corpori, ergo & corporeus ac
verus

verus serpens, atque ipse Deus animantibus & bestiis terræ annumerat, argumentum omni exceptione majus, verum serpentem cum cæteris animalibus terrestribus eodem die e terra prodiisse. Quis enim ambigit, quin Moses, divinorum oraculorum fidelissimus interpres ac internuntius, & rerum gestarum a prima mundi origine usque ad suam ætatem fallere nescius scriptor, hic referat Dei ad serpentem sermonem supplicium ei irrogantis, *Maledictus esto, inquit, inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* De qua pœna infra disputandi nobis erit occasio.

Nec etiam aliam de Serpente ideam habuere Ethnici: quippe illi in suis Orgiis, serpentes cum inclamatione nominis EVÆ jungebant. Quamobrem Demosthenes *Orat. pro Coron:* perstringit Æschinam Bacchi sacraministrantem, quod *serpentes, quos parias vocant, allidens, & supra caput efferens, & clamitans Evæ Sabæ, mercedem pro istis muneribus capiebat.* Huc spectant illa Clementis Alexandrini: *Coronati serpentibus, ululantes Evam. Evam illam, per quam error est consecutus: & signum Bacchiorum Orgiorum est serpens mysteriis initiatus.* Hinc Catullus:

*Evæ bacchantes, Evæ capita inflectentes,
Pars sese tortis serpentibus injungebant,
Pars obscura cavis.*

Quamobrem vix ambigi posse mihi videtur, quin verus & naturalis fuerit serpens, at obsessus, quo velut organo abusus est Dæmon, ut Evam deciperet;

B

ret;

Qualem
Ethnici
de Ser-
pente
fedu-
ctore
ideam
habuere.

ret; quod ex vocis emphasi constare videtur: vox enim נחיש א נחיש *auguratus est*, quasi scil. præstigiis obnoxius & pythonicus, ut inquit Aug: Pfeifferus *Cent. I. loc. 6.* Præterquam quod Serpens clara & articulata voce locutus fuerit verba intelligibilia. Atqui nemini facultas loquendi competit, cui non competit vis & usus rationis. Aniles magis fabulas redolet, quam ut aliquam veritatis speciem præ se ferat illa Josephi & Basilii opinio, statuentis cum Platone, in Paradiso animantia quælibet habuisse facultatem loquendi. Verba enim nihil aliud sunt, quam ore expressæ mentis cogitationes. Rationis autem pollentiam non habet serpens, quem Moyses in censum retulit bestiarum agri. Solus homo animal loquens est, quia solus ratione verba sua potest dirigere. Hinc Onkelos *Gen. 2: 7.* animam viventem & rationalem, quam Deus infudit Adamo, dicere רוח חַי וְנֹשֵׁם *spiritum loquentem*, satis habet, neque sejungendam à ratione loquelam arbitratur. Non me fugit esse quaedam animalia, quæ humanas imitantur loquelas, ut inter aves Psittacus & Pica, & quidem articulate verba enunciare, adeo ut distincte intelligi possint; uti de Psittaco Cæsaris traditum, qui Imperatorem salutare solitus erat, *Ave Cæsar victor.* Imo! quod magis mirandum, testatur Cælius Rhodiginus *antiquit. lib. 3. cap. 32.* Ascanium Cardinalem Romæ Psittacum sibi centum comparasse nummis, qui articulatissime continuatis perpetuo verbis Christianæ veritatis symbolum integre pronuntiabat, perinde ac vir peritus enunciaret. Uti quoque Eustachius auctor est, *Meropas*
in

in carmine Homérico dici homines, quod eorum naturæ vi, distinguatur vox in dictiones, syllabas, elementa, quæ res animantium nulli contingit.

- - - - Γενεὰ μερόπων ἀνθρώπων.

Generaciones hominum meropum.

Ad quæ verba Scholiaſtes: *Meropum diſtinctam vocem habentium, ut diſtinguantur à cæteris animalibus, ſive partitam in ſyllabas, & articulatam.* Et Heſychius: *Meropes homines, propterea, quod habent diſiſam vocem.* Divinorum nonnulli periti Meropas dici arbitrantur ab vocis diſiſione, quæ poſt Chalanes turrim facta narretur. Et alii volunt, præcipue Meropas dictas quasdam gentes, quæ ita diſiſam habent linguam, ut poſſint diverſos homines ſimul alloqui, & quidem diverſis linguis. Verum conſtat tamen & avium quasdam Meropas appellari, Μέροϛ avis. Quamobrem Servius 4. *Georg.* *Meropes ſunt aves virides, & vocantur apiaſpræ: quia apes comedunt.* Et Pompon. Sab. d. l. *Aves Meropes dicuntur, quas Italia barbaros vocat: appellatæ à partitione cantilenæ.* Græcis quidem μέροϛ eſt epitheton hominis, ex eo dicti, quod μέγεϛ ὄπα, *dividit vocem, & articulos ſonos effert.* Et Merops avis vocem edit quodam modo inſtar hominis, quia ore in rotundum clauiſo ſonaret *grul, gruru, ururu,* uti Viri docti annotarunt. Verum non obſtantibus hiſce testimoniis, brutis tamen nulla ratione præditis ſermonem non eſſe concedendum arbitramur, quia, uti ſtatim annotavimus, ſermo & rationem & intelligentiam præſupponit & duces requirit. „ Poſſunt quidem verba quædam imitari at-

„ que audita referre, possunt suggestas ab obsiden-
 „ tibus creaturis intelligentibus voces emittere, ut
 „ serpens Diaboli, & asina Angeli, Deo permit-
 „ tente, organa fuerunt; sed ne minimam quidem
 „ habent harum vocum intelligentiam, „ut inquit
 Vir doctissimus Morinus *de primæva ling. exercit.*
cap. 3. Atqui serpens non verba duntaxat qualia-
 cunque, sed valde sublimia & mysteriorum plena
 de Deo & verbo ejusdem, cognitione boni & mali,
 de similitudine Dei, de vita denique & morte locu-
 tus est; & proinde quæ rationem & intelligentiam
 in fermocinante præsupponunt. Quis ambiget, quin
 serpens obsessus fuerit: non nude enim verba profert,
 sed etiam interrogavit, & ad verba mulieris probe
 intellecta respondit, & instat, scrupulosque inje-
 cit, & amphibologiis lusit, æquivocationes, & syl-
 logismos nexuit, omnibus denique exercitati Sophi-
 stæ partibus defunctus est. „ Quorum vel omnium,
 „ vel singulorum nihil quidquam in quenquam,
 „ præterquam in celsum & ratione præditum spiri-
 „ tum cadere potest, „ uti differit Corn. de Hase
Diatribæ de Prot-Evangelio Paradisiaco ad Gen.
3. cap. 2. §. 8. Quippe ut inquit Joh. Paschius *Dissert.*
de serpente seductore cap. I. Theor. 2. Per naturam fieri
 nequit, ut animal brutum articulate citra assuefactio-
 nem loquatur: multo minus de tam arduis colloquium
 instituere possit, quæ attingebant mandata Dei, ima-
 ginem divinam, cognitionem boni & mali: ut tam
 accurate quæstionem formet, addubitationem inge-
 neret, contrariam conclusionem eliciat, & sic per in-
 versionem sive retorsionem vim argumenti dati elu-
 dat.

dat. Nec præsumendum est, creaturam aliquam bonam, qualis adhuc serpens erat, locuturam adversus suum Creatorem tam mendaciter, dolose atque blasphemè. Quibus præmissis, concludit necessum esse, ut sublit rationalis quædam natura, quæ homo esse non potuit, nec Deus, nec intelligentia bona, sed Satanica. Probatur porro, quod non solus & mere animalis fuerit serpens, qui locutus fuit, sed agitatus & obsessus à Diabolo ad fraudem homini faciendam, ex *vers.* 15. ubi pœna Diabolo quoque dicta, de qua suo loco. Tum etiam ex Spiritus Sancti in Novo Testamento explicatione *Apoc.* 12: 9. 20: 2. ubi Serpens, qui Evam seduxit, juxta id, quod tradidit Moses, ipse est qui vocatur Satanus & Diabolus, ut ibi addit Joannes. Moses quidem de serpente solo sermonem habet, scil. ut inquit Pfeifferus, quia sermo instituitur *κατὰ δόξαν*. Eva præter serpentem nihil vidit, os fuit visibile, Diabolo in illo latente. „ Non aliter, inquit, ac si „ is, qui in Comœdia repræsentat Regem, ita ap- „ pellaretur; vel latro sub larva Monachi com- „ mitteret furtum, & deinde ludibrii causa propter „ assumptas vestes vocitaretur Monachus. ” Jūdæi nomen illi affingunt *Sammael*, qui serpenti, cameli instar incedenti, ceu equo infederit. Quod autem per animal ratione destitutum, cujusque lingua, teste Aristotele, inutilis ad vocis officium, verba rationalia sonuerit, non majorem difficultatem habet, quam quod Asinam, cui insidebat Bileam, locutam legimus *Numer.* 22. Angelorum procul dubio ministerio. Præterquam quod his similia, aut

quae in majorem admirationem rapiunt lectores portenta, in Historia Romana gravissimi & fide digni Scriptores litteris consignarunt; sic in foro bovem locutum, apud Livium *lib. 35. cap. 21.* apud alios veterum monumentorum scriptores, attonito pecudes pastore locutas legimus. Merito itaque Cyrillus Alexandrinus Juliano Apostatae quondam ludenti: *Si locutus est serpens, qua lingua tandem & voce locutus est?* exprobravit, quod profanis scriptoribus suis longe mirabiliora tradentibus fidem haberet, qualia sunt, quae de Cauaso fluvio Pythagoram salvare jubente, & vaticinio Xanthi equi Achilli domino suo mortem praedicentis, & arbore incantata ad Apollonium Thyanaeum sermonem dirigente, Argo nave alloquente Argonautas in tempestate, & Tauro Jovis in Rhodo locuto, traduntur. Aliaque plura, longeque absurdiora, quibus homo sana ratione praeditus nullum assensum praebere potest, sunt fabulati. Videtis, quae de Tiresia & Melampo annotavimus *Dissert. I.*

Diabolus cur sua specie non appareat, sed serpentis, voluerit.

Quod autem sua specie non apparere, sed serpentis larvam induere voluerit, procul dubio factum est, ut fraudem occultaret, tum etiam, ne se hujus pessimi consilii auctorem statim proderet, cujus forte visu mulier abhorruisset, & mali quid suspicata fuisset, & proinde consilium ejus non statim fuisset amplexa. Hinc serpentis larvam induit, unde nihil mali metuendum opinionis errore sibi facile persuasurum non fugere poterat nequissimum veteratorem. In integro enim statu nullum animal homini noxium, sed tam feræ bestiae, quam mansueta animalia

malia ejus parebant imperio, ac hominis usui & commodo inserviando naturæ quasi impetu ferebantur. Quamobrem nihil mali sibi à serpente verendum; sed latebat anguis in angue, ut rerum exitus docuit. Ex ore itaque serpentis, tanquam ex insidiis mulierem adoritur. Ex omnibus enim bestiis agri nulla est vel astutior vel callidior, & proinde nulla, quæ ingenium Satanæ atque indolem exprimeret feliciter. Tum etiam quia peculiaris *Φρονιμότητος* in hoc animante *Χαρακτήρ*, illud homini gratius accessu & blandius reddebat, & spiritum saltem, si quem in eo loqui deprehenderet, benevolum ac sapientem commendabat, uti differit Franc. Burman. *Synops. lib. 2. cap. 6.* Similis solet gaudere simili, quamobrem quoque vaferrimus spiritus in neccendis dolis & insidiis vaferrimo gavisus animali est; quod astuta quadam calliditate sese insinuandi, atque aliis insidias struendi nocendique arte omnes superat feras. Quamobrem Aristoteles serpentes vocat illiberales, perfidos sive insidiosos. Igitur & interjecto tempore sub ejus specie à multis populis à veri Dei notitia alienis, sese adorari maluit, ut videre possumus apud Gerardum Joh. Vossium *de Idol.* Imo hanc calliditatem & astutiam serpentis adeo admirati sunt quidam Judæi, nescio qua dementia coepti, qui serpentem hunc plusquam animal & inter eum & hominem, quod ad cognitionem, intermediæ cujusdam naturæ fuisse statuunt: vel potius, uti Aben Ezra, ei intellectum & sapientiam tribuunt. Quamvis Moses inter bestias sive animantes agri referat, adeoque calliditatem quidem præ cæteris animantibus

bus majorem tribuat, verum neutiquam ex censu & genere brutorum animantium eximat. Annotavimus enim paulo ante astutiam illam & prudentiæ speciem, non, ut in homine, à ratione, vel qualicumque ejus umbra ac vestigio, sed solo sanguinis & spirituum animalium celerrimo motu, & membrorum mira agilitate derivandam; neque aliam astutiam vel calliditatem serpentis prædicat Moses, quam ejusmodi, cujus capax brutum pecus.

Eva ad articulatam serpentis vocem, cur non obstupuit?

Verum mirum videtur, quod mulier audiens serpentem humana voce verba articulata eloqui non obstupuerit, tanquam ad rem insolitam, & dolum subesse non metuerit. Ad hanc quæstionem non uno eodemque modo respondent Viri docti. Rupertus *lib. 3. de Trinit.* mulierem quidem scivisse brutis loquendi facultatem non concessam, & proinde serpentem non nisi alieno spiritu potuisse loqui. Verum in eo maxime seductam fuisse, quod quasi omnipotentiam ejus Spiritus mirata est mulier, qui per animal ratione destitutum humana formare verba potuisset. *Quod si ita est, imo quia ita est, inquit, non jam dubium remanet, qua ex radice tam vastè amara idololatriæ arbor pullulans expanderit se in omnes gentes, vel unde miseris hominibus innatum fuerit, ut tam dementi & stulta reverentia voces articulatas Dæmonum formatas, per innumera quærent simulacra, pro Deo Diabolum, pro veritate colerent mendacium. Hoc dubium jam non remanet, unde tanti erroris vitium tam tenaciter hominibus in hæserit: quia videlicet mater nostra, mater cunctorum viventium Eva prima, felle hujus nequitiae intrinsecus*

*trinsecus amaricata est, quando in illa facundiam male disertis serpentis, quasi divinam Diaboli spiritus sapientiam mirata & stulte venerata est. Verum hanc opinionem haud alii amplectuntur propterea, quod ex ea efficeretur, primum hominis peccatum non ex inobedientia vel superbia, verum idololatria contractum atque natum. Quis autem negare potest, si Eva se hujus peccati ream constituisset, quin Deus mulierem æque increpasset de impietate hujus criminis, quam de esu pomi vetiti, imo cum sit omnium peccatorum gravissimum, Deo maxime exosum, quomodo potuisset Deus, salva sanctitate sua, ejusmodi peccatum ab Eva commissum, silentio præterire; atqui de eo nullum fecit verbum, nec Sacra Scriptura vel expresse vel obscure loquitur, fatis apparet, hanc opinionem merum esse figmentum. Alii respondent, Evam non putasse duntaxat esse serpentem, qui secum colloqueretur, sed existimasse per serpentem spiritum aliquem angelicum loqui: & proinde non obstupuisse, quia non ignorabat id facere posse spiritus angelicos. Verum illorum sententia vero magis videtur consentanea, qui statuunt, non obstupuisse Evam, quia nesciebat, an loquendi facultas nulli animali naturaliter esset data. Quippe uti inquit Hugo Robinsonus *Annal. lib. I. §. 56. Loquendi facultas an & serpentibus data esset natura perinde ac sibi, ante horam fortasse unam edita, mulier haud satis exploratum habuit. Nec enim noverat omnia, quamvis pro conditione mulieris docta satis. Multa restabant a viro discenda & colligenda experimentis.**

C

rimentis. *Quod si malum, pergit, bonumve spiritum suspicata fuisset locutum in serpente, dolum aliquem profecto suspicata jure ab insolito loquendi more & spiritum ejus facinoris auctorem delatura fuisset coram Deo.* Astus autem & calliditas Dæmonis potissimum quoque se prodit, dum hominem recens manibus Conditoris formatum, nondumque rerum usu satis edoctum, nec de natura, nec de indole animalis, cujus sub specie hominem decipere animus induxerat, tentaverit a felicitatis summo gradu agere præcipitem, antequam longiori usu confirmatior factus, rectitudinem & status sui felicitatem melius perspicere potuisset; tum etiam, quod fragilioris sexûs mulierem, viro absente, adoriebatur; vel vi & ingenio ac solertia majori præditus, Dæmonis calliditatem & fraudem detegens maritus, conjugi Evæ eam impostoris astutiam depingere potuisset, atque ita avocare ab obsequio fraudulentæ & callidi consilii, quo se juxta universum mortale genus in æternum æternæ damnationis barathrum præcipitaret. Verum quam temere cum veteratore illo vaferrimo colloqui suscepit; atque ejus insidiis irretiri passa fuit? Quamobrem nec culpa vacua, quod absente viro sive marito, tantis de rebus cum serpente colloqui, ejusque sermones contra præceptum Dei tendentes audire sustinuerit; nec illico suadam illam ac vipereos sibilos cum indignatione rejiceret, uti differit Franc. Burmannus *Synops. lib. 2. cap. 6.* Merito itaque Robinsonus: *Heu quam lubrica mulier & caduca res! Labascit jam pridem nullg impetu.*

Vertit

Vertit se itaque ad mulierem Dæmon, sub serpentis figura tanquam sub larva latens, eamque, ut ad colloquium facilius invitaret, & responsum eliceret, placido modo interrogat: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* Pro *Cur* Hebraicè **כי הא** *aph chi*, quod ad verbum sonat, *etiamne*, vel *itane verum est*, & ut Chaldaeus vertit, *verumne est, quod Deus dixit, non comedetis ex omni arbore horti*. Aben Ezra interpretatur *quanto magis*: atque hinc, ait, constare serpentem alia quædam mulieri antea dixisse. Quamobrem volunt hic præcessisse, quomodo serpens enumerarit omnia animalia viribus præstare homini, idque per invidiam Dei accidisse, qui ultra hoc homini vetuerit comedere de arbore scientiæ boni & mali, ne ipsi similes evaderent: Videtur satis indicare verbum *aph chi*, quod serpens huic interrogationi præmiserit alios sermones. Statuunt Viri eruditi Mosen hic uti **παράδεισι**, qua ex longiori Diaboli sermone id tantum commemoraret, quod obtinere principaliter molitus fuerat. Itaque infauti colloquii compendium duntaxat & extrema tantum verba refert, unde *cur, etiamne dixit Deus, verumne est quod dixit Deus*. Nec verosimile videtur, Dæmonem cum muliere colloquii illico ab ejusmodi interrogatione incepisse exordium, sed alios præmisisse sermones, quibus ad eam viam sterneret, ne ad ejusmodi subitam interrogationem obmutasset, & quasi hæsitabunda stetisset, ignara quorsum illa tenderet, vel forte inde mali quid suspicata fuisset, & proinde cum indignatione colloquium

Verbum
serpentis
ad mulierem
sensu.

rejecisset; itaque cautè ac prudenter alios præmississe sermones, haud ambigendum, quibus induceret mulierem, ut benignas sibi aures præberet, tum etiam, ut magis apte ab una orationis parte ad alteram transfret, quibus ex præmissis concluderet, quod persuadere mulieri animum induxerat. *Cur, vel etiamne, verumne, inquit, præcepit vobis Deus &c.* Quippe quoties beatum illum statum, in quo collocare vos Deo placuit, considero, & libertatem ac dignitatem, & præstantiam generis tui præ cæteris animalibus & creaturis, & imperium ac dominium in omnes creaturas vobis concessum, ita ut omnes vestrorum usui ac servitio inserviendi causa productæ sint, mecum animo volvo, quænam ratio, cur præcepit vobis Deus, ut non comederitis de omni ligno Paradisi, quænam causa, ut hanc erga vos summam benevolentiam, & liberalem voluntatem immutasse videretur, & illam libertatem circumscribere hoc præcepto voluit, & dominium, quod absque ulla limitatione absolute in omnes res creatas vobis concessum immutavit, nullam sane rationem video; forte sensum legis hujus positivæ non intelligis, nec recte interpretaris; vetuit quidem, ne comederetis de omni ligno; verum an credis Deum, qui liberalem suam erga vos voluntatem huc usque testificatus est, hanc arborem ita serio & absolute vetuisse? Nequaquam; cum enim omnia in hominis commodum & usum producta, cur fructum tam pulchrum, non visu duntaxat, sed procul dubio gustu optabilem vobis invideret & auferret. *Cur vos ita arctaret, & hoc positivo præcepto gravari vellet.*

vellet. An ejusmodi interdictum convenire posset cum absoluto illo dominio, quod à mundi primordio, ab ipso die natali, concessit vobis Deus? Nonne videtur contraria velle Deus, qui omnis mutationis expers, quemque nullius facti pœnitere potest, si dominium absque ulla limitatione vobis concessum, iterum partim auferret, cur igitur præcepit Deus, verumne igitur est, quod dixit? quasi dicat, quod me attinet, non credo Deum hanc arborem ita serio & absolute vetuisse; licet opinionis errore hoc vobis persuadeatis. Cur una arbor, cujus nomen, fructus & efficacia omnibus præstat, exciperetur, reliquis admissis? Cur Deus, qui vobis majus concessit, universale & absolutum scil. dominium in bestias, minus denegaret, dominium in fructus arborum hujus horti, cujus vos domini, custodes & coloni, & omnia in omnibus estis? Sane & ipsi Deo hoc pacto injuria fieri videtur, utpote qui ea ratione vel ut invidus, vel ut durus accusaretur; quod de ipso ne quidem cogitare fas est. Præterquam quod ejusmodi seria prohibitio è diametro repugnaret summæ, quam erga vos non ita pridem testificatus est, benevolentix: tangendam itaque & gustandam arborem esse dicit ipsa ratio, qui unus absoluti domini vobis concessi obex foret; idque Deo non invito, quin jubente, & amabiles istius arboris foetus offerente. Notanda quoque calliditas & astutia, quam perspicimus in ipsa præcepti divini a Dæmone facta allegatione, quippe non edixerat Deus, ne de omni ligno Paradisi comederent; sed plane contrarium: quippe tradit Moses

cap. 2 : 16. Deum primis parentibus facultatem dedisse ex omni ligno Paradisi comedendi, excepto duntaxat ligno scientiæ boni malique, ex eo ne comederent, præceperat Deus. Serpens, sive Dæmon, quasi sibi esset hoc præceptum ignotum, ambigue consultò proponit, forte ut eo facilius mulierem ad sibi respondendum adduceret. Quippe illud, *ut non comederitis ex omni ligno*, duplicem sensum admittere potest, vel ut id significet *ex nullo ligno*, quo sensu interpretantur Chrysostomus, Rupertus, & Augustinus *lib. 2. de Genesi*. Quasi Deus homini interdixisset, ne alicujus arboris fructum comederent. Quod crassum tane mendacium fuisset, & forte Evam in suspicionem adduxisset, serpentem sibi mali aliquid inferre meditari. Vel ut idem significet, quod *ex non omni*. Et ita Tostatus aliique accipiunt. Verum uti statim annotavimus, ambigue potius hoc præceptum referre voluisse, dicendum nobis videtur, ita ut hæc ejus interrogatio vel de omni, vel de aliquo tantum ligno prohibito accipi possit; tum, ut eo magis simularet ignorantiam, & mulierem promptiorem efficeret ad melius se informandum, atque ita ut nihil doli suspicans facilis esset ad respondendum, & secum colloqui non recusaret. Ita versatiles dolos struit, & ambiguo sermone hominem nihil mali suspicantem paulatim trahit ac in præceps ducit. Nec fefellit eum eventus. Mulier enim Dæmonis insidiis ac dolis irretita, ejus interrogationi statim respondet sub distinctione, reponens: *De fructu lignorum, que sunt in Paradiso, vescimur, de fructu vero ligni, quod*

quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Quidam interpretes hic hallucinari Evam & à Deo deflectere statuunt, quasi jam manifestum Dei verbum à serpente didicisset corrumpere, ita Pareus, propterea quod hoc addit de suo, *tactum esse interdictum arboris*, &, *ne forte moriamur*. Dubitanter referens, quod Deus asseveranter pronuntiaverat, quasi de certitudine minarum Dei subdubitasset. Ambrosius putat illa verba, *Et ne tangeremus*, Evam ex tædio & odio præcepti addidisse, & proinde invidiose duritiem præcepti exaggerasse, ejus verba pervertendo: illud enim in præcepto, quod Deus Adamo dedit, non erat expressum. Et sic Hevam mendacii arguunt. Verum severiores æquo mihi videntur hi interpretes. Alii, qui ab hac calumnia liberare Evam contendunt, putant revera id fuisse præceptum, sed fuisse à Mose supra prætermisum; ideoque nunc appositum: fuisse autem interdictum ipsis ejus arboris tactum majoris causa cautionis statuunt; quod aliis merito displicet. Quippe nusquam, quod sciam, ubi Moses præceptum illud memorat, nullam tactus, sed esum duntaxat interdicti mentionem facit. Neque verisimile est, Mosen præceptum, aliquid ei addendo vel detrahendo, immutasse. Verum quid vitio vertamus Evæ, quod ad bene informandum serpentem de ratione & sensu, hæc verba adjecerit, quæ nihil aliud inferunt, quam quod revera ex legis sensu profluebat. Dum vetuerat Deus esum fructus istius ligni, etiam ejus tactum vetuisse sano sensu dicendum

dum videtur: sumpto verbo *נגח* *nagah* tangere eo sensu, quo significat aliquid eo animo arripere, non ut abjicias, sed utaris. Ita Joh. Clericus *Comment. in Genes. cap. 3.* uti in eadem significatione pluries occurrit, vid. *Genes. 26: 1. Jerem. 12: 14.* Hoc itaque sensu dum vetat summus Legislator esum, simul quoque interdicit tactum cum appetitu & desiderio conjunctum; illud enim quod tangimus aliquando in usum convertere solemus. Recte itaque Eva, ut serpenti daret documentum, se non legis verba tantum tenere, sed & genuinum ejus sensum intelligere, adjicit illa verba: *Et ne tangeremus.* Desiderium enim & concupiscentia ipsa culpanda fuisset in primis parentibus, multo magis si ad actum proximum venissent, adeoque tetigissent fructum eo animo, ut illum decerperent, & aliquando eo vescerentur. Si comedere non poterant ex ligni fructu, consequenter illud non tangere quodammodo imperantur: nam qui ab esu curat abstinere, necessarium est ut abstineat à tactu, ut vitetur omnis delinquendi occasio. Difficile vitatur iniquitas, si ab omni vel minima occasione non curaveris abstinere. Eva itaque adhuc sancta ex reverentia divini præcepti, ne tangendum quidem pomum existimat, quo vesci non liceret. Quam periculose tangis fæminæ manus, qui curas exitiali non deperire incendio, ut quidam inquit. Perperam itaque nobis nonnulli interpretes statuere videntur, quasi Eva hæc verba adjecerit, ut invidiose exaggeraret duritiam præcepti. Integra enim & sancta natura, qua Protoplasti in statu innocentiae ornati erant, omnem mali suspici-

fuspicionem tollit, non conveniebant integræ naturæ ejusmodi pravæ cogitationes. Iidem illi subtiliores æquo interpretes statuunt, similiter quoque mulierem de suo addidisse illud, *ne forte moriamur*, dubitanter referentem, quod Deus asseveranter pronuntiaverat: quo declaravit Eva opinionis errore sibi persuasisse, illam Dei sanctionem pœnalem de morte, non fuisse absolute, sed comminatorie ab eo pronunciatam: vocem enim *phen* exponuat, *ne forte*, atque ita, ait Fagius, mulier ut antea addidit, ita hic detraxit; in dubium scil. revocando, quod Deus positive, aperte atque diserte dixerat *cap. 2: 17. Apponit*, inquit Lyra, *de suo, forte, quod est adverbium dubitandi, cum tamen Deus assertivè præcepisset.* Verum alii interpretes notarunt, vocem *phen* non semper dubitationem indicare, ut videre est *Psalms. 2: 12. & 50: 22. Levit. 10: 7. Ruth. 4: 6.* Hebræis enim sæpe non est dubitantis, sed asserentis & confirmantis rem vel præceptum. Vid. Joan. Clericum *dict. loc.* ubi inquit: "Particulam *phen* plane esse similem Latinæ conjunctioni, ni *ne*, nec dubitationem tantum, sed quamvis cautionem in futurum significare." LXX. *ὡς ἂν ἀπαράντη*, ut *non*, vel, *ne* moriamini. Quin imo, cum Deus dixisset, certissime illos morituros comedendo de ligno vetito, vix in dubium revocare poterat asseverationem Dei, dicendo, *ne forte moriamur*; quasi pœna divino præcepto adjecta non exciperet absque mora ejusdem transgressores. Absolvendam itaque ab hac calumnia Evam cum aliis Interpretibus statuit quoque summus Theologus Salomon

D

lomon

lomon van Till. Responsum enim mulieris satis indicat, se satis accurate & summa cum attentione & sollicitudine legis sensum indagasse, cum ne tangere quidem sibi fas esse declaret, quin legem transgrederetur, & proinde mortis pœnam se meruisse pati, ingenue fateatur. Nullus dubito, quin Serpens, perspicuens constantiam mulieris, quam prae se ferebat ejus responsio ad suam interrogationem data, qua testificabatur, se animum induxisse Dei præcepto tenaciter obtemperandi, ne pœnam in transgressorem lege statutam incurreret, adeoque fallaces sermones, quos cum ea miscuerat, non respondere voto suo, absque ulla morâ & temporis intervallo aliam mulierem decipiendi rationem excogitaverit; quippe cum ex responsione facile perspiceret, pœnam legi adjectam forte in causa esse, cur de fructu ligni vetiti comedere nollet, metum illum ex animo delere summa ope nititur: haud enim ipsum fugiebat, omne animantium genus naturâ ferri, ut se, vitamque corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura, sibi que damni aliquid illatura videantur, nec ullum studium homini magis insitum, quam studium se conservandi, & omne malum imminens vitandi desiderium. Quamobrem ut intentionis universo humano generi maxime nocituræ aciem obtineret, illum damni futuri metum ex animo expellendum prudenter sibi incumbere prævidebat. Nec fefellit eum eventus. Eadem enim illa naturalis inclinatio, idem ille naturæ impetus, quo ferebatur homo ad se conservandum, ad evitandum vero omne damnum, quod vitæ ac corpori

pori nociturum, amplectendum quod sibi commo-
 dum allaturum mentis oculis perspicit, serpentem
 edocuit hominem decipiendi & in omnium miseria-
 rum abyssum dejiciendi rationem. Callide itaque,
 cum forte, perspiceret ex responsione mulieris, formi-
 dine pœnæ forte magis hominem præcepto divino
 obsequi, quam ex naturali ad obsequendum divinæ
 voluntati propensione, sub specie boni acquirendi se-
 ducendum & ad peccandum opere externo eum im-
 pellendum providit. Verum ne Momus aliquis il-
 lam obtemperandi præcepto ex formidine pœnæ pro-
 fluentem hominis sive mulieris voluntatem in sensum
 à mente nostra alienum detorqueat, quasi metus
 pœnæ, non voluntatis rectitudo & naturæ integritas
 mulierem cohibuisset, ne vetante Deo comederet de
 fructu ligni prohibiti, quem, si pœna metusque ab-
 fuisset, nulla habita interdicti ratione, libenter in-
 stigante naturæ appetitu devorasset; velim tibi per-
 suadeas, Lector, eo sensu hoc à nobis dictum, quod
 ejusmodi abstinentia non ex pœnæ metu proficisce-
 batur, sed ex innato cuique homini studio, quo
 impellebatur ad se tuendum in eo naturæ statu, in
 quo à Deo creatore suo collocatus erat, scil. statu
 immortalitatis; cujusmodi studium & naturæ desi-
 derium optime conveniebat naturæ integritati & vo-
 luntatis rectitudini originali, qua præditus erat,
 tum etiam divinæ voluntati: justa itaque illa formi-
 do, justus & omni culpa vacuus metus, ne contra
 interdictum Dei sui creatoris comedens de fructu
 ligni vetiti eo excideret. Itaque non abstinuit esu,
 ne in pœnam lege statutam incurreret, ne comedendo

do se ab illo summo felicitatis gradu in omnium miseriarum abyssum daret præcipitem, & vitam immortalem commutaret cum mortali & innumeris ærumnis & calamitatibus obnoxia; adeoque Dei voluntati non obtemperaret, qui hominem in statu illo immortalitatis collocaverat, ut in eo permaneret, atque ita in summa felicitate & animi tranquillitate vitam transegisset. Itaque, inquam, non tam pœnæ formidine, quam naturali ad obsequendum voluntati divinæ & innata propensione abstinuit esu fructus vetiti. Obtemperare vero Deo non poterat, si comedendo legem positivam transgrediens statu innocentiae sive integritatis excidisset. Abstinencia igitur mulieris proficiscebatur cum ex voluntatis rectitudine, qua semper ferebatur in illud, quod voluntati divinæ consentaneum erat, tum ex studio se conservandi in statu naturali & integritatis, quod etiam Dei decreto convenientissimum erat. Itaque etiamsi nulla adjecta fuisset legi positivæ pœna, si ducem naturam secuta fuisset, nulla mala libidine tentata fuisset. Addita verò à Deo, cui futura æque ac præsentia nota sunt, ut si forte aliquando homo tentaretur, eo magis pœnæ sibi conscius, rectum sequeretur tramitem, nec ab eo seduci se pateretur. Vid. *Defens. Dissert. de orig. jur. nat. dissert. 3. §. 23.*

Mirum
Dzmo-
nis ad
sedu-
cendam
mulie-
rem ar-
tificium.

Cum igitur, ut incepimus statim dicere, non lateret serpentem, quam vehemens homini innatum studium se conservandi in eo naturæ statu, in quo vitam beatè hucusque traduxerat, vix illum ex eo deturbari posse prævidebat, nisi in erroneam illam & universo generi humano perniciosam adduceret opinio-

opinionem, scil. nihil damni, vel mali esum istius fructus vetiti allaturum, sed potius ad summum felicitatis ac beatitudinis gradum perventurum; quippe non tantum in eodem statu immortalitatis permanenturum, verum etiam ut amor ille erga se ipsum magis exardere efficeret, atque ita facilius seduceret, Diis quoque similem futurum asserit. *Unde dixit ad mulierem, Nequaquam moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Patet hic mirum Dæmonis artificium, quod ad seducendam mulierem adhibet. Cum, uti jam diximus, perspiceret ex metu pœnæ forte mulierem deterreri ab esu fructus ligni vetiti, ne mortis in se provocaret pœnam, primo metum illum summove-re conatur, deinde promittendo magnum quoddam bonum, & homini præter cætera exoptandum, ut scil. ad vitam Deificam elevaretur ex boni & mali cognitione. Non, inquit, moriemini, verum eo esu evadetis ut Dii. Aperientur enim hac ratione oculi vestri, & eritis sicut Dii; adeoque non duntaxat in statu immortalitatis permanfuri estis, (Deos enim immortales esse vobis notum) verum etiam insuper in eo magis beati evasuri, quod aperientur oculi vestri, & scietis quæcunque bona sunt, vel mala; vera vel falsa dignoscetis; eritis itaque sicut Dii, cognitione boni & mali imbuti. Abjicite itaque vanum illum metum mortis, quem in vos cadere non oportet; nequaquam enim moriemini, sed aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum. Quidam Interpretes statuunt,

Dæmonem hic domino Deo voluisse movere invidiam, ipsumque mendacii arguere, & ipsius contemptum suadere hominibus, malignum colloquium non statim exhorrescentibus. Quasi dicat, fallit vos Deus, non morte moriemini, simulat id Deus, ne evadatis eo esu ut Dii; non necesse est sic fieri; prætextit inanem periculi metum, ubi nihil est periculi, imponere tentat, nolite fidem habere; novit enim, si de hujus arboris fructu comederitis, vos non duntaxat in præsentī immortalitatis statu permansturos, sed ad longe feliciorē perventuros, scilicet ei similes futuros; hanc vobis felicitatem & gloriā invidet, quamobrem inani mortis metu ab esu hujus ligni absterrere voluit. Verum merito ejusmodi interpretatio aliis Viris varia eruditione florentissimis displicet. Nequaquam enim ambigendum, quin homo vitæ integer scelerisque purus, & Dei imagine ornatus, habuerit divinæ essentiae & divinarum virtutum perfectam ideam; & proinde ipsum fugere non potuit. Ens summe perfectum, nullis urgeri vel laborare vitiiis, cum nihil nisi quid positivum talem essentiam, qualis divina est, componere possit: adeoque omnis vitii debeat esse expers, quoniam omne vitium præsupponit absentiam sive privationem ejus quod adesse oportet apud ejusmodi Ens, quod summe perfectum, id est, omnibus suis partibus constans concipimus. Hinc Stoici perfectum officium iis tantum convenire credebant, qui supernaturalē quandam vitam degunt, tanquam excessissent communem hanc vivendi rationem multorum: adhuc vitiorum maculis adpersam & obnoxiam, qui

qui proximi Diis essent, imo Dii, quasi nullius vitii vel sceleris labe contaminati. Qui ad hunc sapientiae perfectae gradum proveci erant, *Deagroroal* dicebantur, quorum animi ab omni faece motuum humanorum purgati, & ab omni terrena labe mundati, quam simillimi sunt redditi menti illi divinae, cujus contemplationi toti incumbunt, uti inquit litteratorum sua ætate princeps Joan. Georg. Grævius *in notis ad off. Cicer.* Si omnium motuum humanorum experts mens divina, uti revera est, qui invidere, mentiri, fingi posset. Si nequidem in hominem Diis simillimum ejusmodi vitia cadere posse ipsos Gentiles statuisse veterum testantur monumenta: putasne aliam Entis perfectissimi ideam in statu integritatis formare potuisse mortalium vetustissimos? Imo nequidem ideam habuisse contendimus in innocentiae statu alicujus mali vel vitii, quatenus ex eorundem contentione formare vel concipere debemus ideam utriusque, uti id late disputavimus Dissertatione præcedenti, ad quam Lectorem remittimus. Frustra itaque conatus fuisset callidus atque astutus ille sub larva serpentis latens vetus coluber, qui Diaboli & Satanæ nomine venit *Apost. 12. & 20.* homini de Ente perfectissimo ideam infundere, quasi alicujus mali vel vitii capax esset & proinde vel fallere hominem, vel invidia erga eum posset affici, qui nequidem vitii vel mali ideam habebat. Quippe cum in statu innocentiae sive integritatis omnes animi commotiones conveniebant imagini, qua homo ornatus erat, nullam potuit habere ideam invidiæ vel alterius alicujus vitii, cujus nunquam

quam affectionem expertus fuerat. Ejusmodi enim prava affectio fuisset privatio alicujus virtutis, quæ in statu integritatis in hominem, naturam ducem sequentem, & sanctæ mentis voluntati & propensione obsequentem, cadere non poterat. Præterquam quod si serpens accusasset Deum invidiæ, inclementiæ, vel fallaciæ, statim ad ejusmodi blasphemiam exhorruisset Eva, & doli ac fraudis suspicionem concepisset; quoniam ejusmodi accusationem perspexisset è diametro repugnare innatæ sibi Entis perfectissimi, scil. Dei creatoris sui ideæ, cujus in contemlandis virtutibus continuo versabatur animus, imo cujus erga se amorem, benevolentiam & liberalem voluntatem toties experta fuerat, quî potuisset in illam nulla ratione subnixam, nec rerum usu confirmatam opinionem cadere. Itaque omnem superat fidem; Dæmonem, cujus calliditatem & astutiam in decipiendo homine hucusque adhibitam miramur, tam stupidè ac stolidè in perficiendo opere, quod susceperat, sese gessisse, ut innatam illam homini Entis perfectissimi ideam ejusmodi fictis calumniis obliterare induxisset animum. Quî persuadere potuisset homini, Deum, quem tanquam summe bonum non duntaxat mentis oculis noverat, sed etiam ejusmodi bonitatis erga se tot testimonia acceperat, sibi invidere commutationem status præsentis cum longe feliciori. Bonitas enim invidiæ opponitur: quamobrem in Deo, quem summe bonum esse ex innata sibi idea perspiciebat, non poterat esse aliquid invidiæ. *Summi quippe forma boni livore caret*, uti canit Boëtius pag. 142. Alii itaque

itaque, quibus hæc interpretatio cum calliditate & versutia Dæmonis haud convenire videtur, statuunt, serpentem studuisse hominem in eam opinionem adducere, quasi vanus & inanis esset ille metus, quem de pœna mortis concepisset, eamque ob rem ipsi persuadere intendisse, Deum talem comminationem cum interdicto non dedisse, sed vel mulierem ita male accepisse a viro, vel virum sibi ita inepte persuasisse. Verum & hanc interpretationem alii amplecti nequeunt; propterea quod responsio a muliere data Dæmoni satis testatur, se legis datæ sensum recte percepisse. Præterquam quod vix præsumendum, quod mulier cum viro, quorum judicium nullis errorum tenebris vel præjudiciis obfuscatum erat, sibi adeo facile persuaderi passi fuissent contrarium ejus, cujus adeo claram & distinctam habuerant ideam, quodque tam firmiter ac pertinaciter hætenus retinuerant. Ejusmodi itaque interpretatio haud convenire videtur cum egregiis illis animi dotibus atque virtutibus, quibus primi parentes, imaginis divinæ participes, præditi erant. Alii non inferioris subselli Interpretes statuunt, Dæmonem persuadere voluisse homini, quasi summus Legislator Deus hanc legem suam cum minis abrogasset, & proinde metu pœnæ solutis, fructum ligni antea vetiti comedere concessisset atque largitus esset; itaque se simulat Dei nuntium, qui hujus legis abrogationem ipsi annuntiaret, & de voluntatis divinæ mutatione ipsum certiore faceret; cujusmodi divinæ voluntatis mutatio circa legem positivam non repugnabat sanctitati & justitiæ

E
Dei,

Dei, & proinde cum idea homini innata consistere poterat: quamobrem quoque nihil obstabat, cur huic annunciationi non fidem haberet; idque eo magis, quod ejusmodi de omni ligno comedendi homini iterum data facultas, maxime conveniebat cum illa bonitate & liberali Dei voluntate, quam præ se ferebat absolutum illud in omnes creaturas ab ipsis natalibus in hominem a Deo collatum imperium ac dominium, nullis cancellis circumscriptum, ita ut omnia animalia, tam terrestria quam aquatilia & volatilia in usum suum convertendi nactus fuisset potestatem. Concedit itaque mulieri Deum quidem interdixisse, ne comederet de fructu ligni vetiti, & in transgressorem legis se graviter animadverturum, ita ut mortis poenam daret, comminatum fuisse: verum, credite mihi, qui jam summo sum delapsus Olympo, ut vobis tanquam Dei nuncius, ejus nomine annuncierem, vetus interdictum positivum juxta ejus minas nunc abrogatum, adeo ut nunc ad esum fructus antea vetiti non morituri, sed longe feliciorum statum adepturi essent. Hæc interpretatio præ se fert calliditatem & astutiam Diaboli, qua potissimum mulierem seducere poterat, cum nihil hic asserit, quod cum idea sibi de Deo ejusque virtutibus innata habet disconvenientiam. Quod ejus personam attingit, quam induit, se simulans nuncium sive legatum, nihil quid mali inde suspicari poterat mulier; quippe, præterquam quod Eva nondum satis exploratum habuisse videtur, quicum sermonem miscebat, non omnino erat impossibile, nec a vero alienum, Deum spiritum sive Angelum aliquem misisse,

se, qui se certiolem faceret, lege abrogata, pristinum libertatis statum rediisse, adeoque non amplius magis facultatem liberam comedendi de omni ligno, quam a mundi primordio habuissent, hac lege circumscriptam esse, Deo placuisse. Quippe quoniam lex illa mere erat positiva, salva sanctitate & iustitia, iterum abrogari posse, si Deo placuisset, haud ignorabat. Ita nihil hic quoad personam nuncii, nec quoad rem, quam annunciabat, quod in muliere suspicionem alicujus mali vel doli excitare poterat, sed omnia verisimilia videbantur, adeoque eo magis ad seducendum hominem idonea, tum callida hæc simulatio muneris, tum etiam verisimilis, quia cum bonitate Dei, quam toties experta fuisset, conveniens erat pristinae ejusmodi liberae de quocunque fructu comedendi homini redditæ facultatis annunciatio: Deum scilicet non arctare voluisse in posterum hominem, nec abstinendi ab esu hujus fructus necessitati alligatum velle, postquam obsequii & constantiæ dedisset testimonia; itaque in mercedem & obsequii præmium Deum hanc abrogasse legem; se autem missum simulat, ut læta hæc homini nunciaret. Non me fugit, quibusdam Interpretibus etiam hanc interpretationem displicere, propterea quod nullum vel minimum in textu Moysis sit indicium vel concessionis vel approbationis talis præcedentium Dei vocum ab Eva recitatarum: vel locutionis in nomine Dei a serpente factæ tanquam extraordinario ejus legato: vel mortis nunc non amplius metuendæ ab esu, ad quem illa olim fuisset consecutura, cujus temporis vel mutationis

aliqua sane in hoc casu debuisset declaratio addi, ut apparens cum divinis verbis pugna tolleretur, uti disputat Vir eruditione singulari celeberrimus Joh. Marckius in *Histor. Parad. lib. 3. cap. 6.* Fateor, nullum quidem verbum in textu vel concessionis vel approbationis talis; vel locutionis in nomine Dei a serpente factæ tanquam extraordinario ejus legato; uti nec etiam in textu præcedenti, ubi Moses describit, quomodo serpens Evam accessit, nullius præloquii mentionem facit; cum tamen verisimile sit, antequam rationem præcepti homini dati quæsierit ab Eva, alios sermones cum muliere miscuisset, quibus quasi occasionem nancisceretur ad ejusmodi interrogationem faciendam. Quippe uti annotavimus, si Evam accedendo statim interrogasset, *cur præcepit vobis Deus*, &c. atque ita, ut Belgice dicere solemus, *Als met de deur in 't huys gevallen was*, suspicata fuisset, latuisse hic anguem in herba, & forte serpens statim repulsam fuisset passus, quod respondisset, tua quod nihil refert, percunctari desine. Itaque ipse interrogandi modus indicium est, alios præcessisse sermones, quamvis Moses eosdem non referat. Sic etiam hoc in textu licet nihil quicquam vel de concessione vel approbatione, vel locutione nomine Dei a serpente facta litteris consignaverit, attamen eo sensu debemus textum interpretari, qui vitio caret, id est, qui aliquam præ se fert verisimilitudinem, nec cum sana ratione repugnat. Hoc in casu verissimum, rationem Sacræ Scripturæ optimam esse interpretem; quæ regula aliis in casibus maxime fallit. Quippe cum

cum simpliciter duntaxat Moses tradit Satanæ replicam Evæ obversam, audacem sane & quasi fallere nesciam, videndum est, quo sensu mulier hanc assertionem interpretari potuerit: quî quid, & quatenus cum sana ratione esset conveniens. Etenim vix credibile est, in re tanti momenti, qualis erat obligatio sive necessitas obsequendi præcepto homini imposta, tam facile assensum præbituram mulierem Dæmonis assertioni, quæ omnino contraria erat & e diametro repugnabat legi sibi datæ, quî probabilem aliquam rationem habuerit, qua fuit inducta ei fidem habere: summa enim beatitudo in præstando obsequio, in negando ejusdem felicitatis ac beatitudinis cum statu, innumeris ærumnis doloribusque obnoxio, commutatio, consistebat: in quem sponte sua præcipitem se dare voluisse, haud credendum; imo naturalis innatus ad se conservandum cuique homini amor contrarium dicitur, uti supra annotavimus, & omne illud, quod sibi noxium fore perspicit, declinat. Itaque nullus dubito, quin antequam Dæmon eo processerit audaciæ atque arrogantia, ut asserere ausus fuerit, illos nequaquam morituros, mulierem imbuerit erronea illa atque falsa opinione, se non ita pridem cælo delapsam, ut ipsi denunciaret, placuisse Deo abrogare legem illam, & in omnes fructus iterum homini absolutum dominium concessum, ita ut de omni ligno comedendi jam recuperassent pristinam facultatem, unde dixit, *nequaquam moriemini*; lege enim abrogata, nec pœnæ locus. Absque metu itaque fructu ligni vetiti jam vesci licet. Hoc vobis annuncio, qui

summi Legislatoris nuncius sum & legatus. Nihil autem, nec ratione muneris, quo defungi se prædicabat Dæmon, nec etiam legis, quam abrogatam asseverabat, nec etiam ratione alicujus virtutis divinæ, obstabat, cur non daret fidem verbis serpentis mulier. Non latuisse omnino mulierem Angelos, qui cuncta moderantis Dei solium circumstant, ad ejus jussa, ac mandata exsequenda promptos esse, vel læta vel tristia denunciandi hominibus munere defungi, quandoque salvo aliorum gravissimo judicio, cur non statuere liceret, nec etiam, quæ de legis abrogatione ex ore nuncii acceperat, non pugnare cum ratione, nec cum virtute aliqua divinæ essentiæ tanquam Entis perfectissimi propria: lex enim erat positiva, id est, cujus promulgatio pendebat a supremi Numinis liberrima voluntate, & proinde quoque ejusdem abrogatio; imo cum benevolentia, & bonitate divina, quam hætenus experta fuerat, maxime convenire judicabat, pristinæ facultatis liberæ de omni ligno comedendi sibi restitutæ a Creatore suo indulgentissimo, Dæmonis annunciationem. Verum nullum horum omnium, vel ne minimum quidem in textu indicium statuit statim allegatus verbi Divini interpret Joh. Marckius: Imo vero illa verba, *nequaquam moriemini*, audacix & arrogantix plena, mihi videntur satis indicare, Dæmonem ad mulierem, credentem, illum sustinere personam eam, quam simulabat, dixisse eo majori cum fiducia illam seducendi: Quam tu mihi mortem narras: Haudquaquam vos morituros estote jam certiores facti: Nomine enim Dei dico vobis,

vetus

vetus interdictum positivum cum minis nunc pro summa, quam toties experti estis, Dei benevolentia, abrogatum esse. Plaudite jam, & abjecto omni poenarum vano metu, comedite de fructu omnis ligni Paradisi. Imo plaudite, dico, & celebrate liberalem erga vos Dei voluntatem, non ob restitutam duntaxat a Deo vobis libertatem pristinam, verum quod jam vobis aditus patet ad summum beatitudinis gradum percipiendi: esu enim hujus fructus aperientur oculi vestri, & eritis Diis similes, scientes bonum & malum. Non inficior, in beato ac felici statu vos vitam traducere, imagine quidem Dei ornati estis, sancti vitæque integri scelerisque puri, verum nondum ab omni parte beati, innocentes adhuc estis, boni & mali scientiam haud nacti, hanc vero vobis comparabitur comedendo de fructu ligni vetiti: aperientur enim hac ratione oculi vestri, & evadetis Diis similes: non essentia, hoc enim impossibile; sed similitudine quadam sapientiæ & omni-scientiæ. Quamvis itaque vetus ille impostor revera affirmando, contrarium ejus, quod vetuerat Deus sub comminatione mortis, scil. nequaquam morituros, si aliquo die ex ligno vetito comederent, splendidè & audacter mentitus fuerit: veri tamen specie fallacem prætexit assertionem, adeoque non directe mendacii arguit Deum: hanc enim blasphemiam statim exhorruisset Eva; sed subdolè se nuncium Omnipotentis simulat, ut mulierem in eam opinionem adduceret, quasi Deus, lege abrogata, de omni ligno comedendi iterum concessisset homini liberam facultatem. Quamobrem tanta cum audacia atque

atque arrogantia affirmat, *nequaquam moriemini*; negat effectum comminationis, quoniam abrogata lege, poenam quoque lege statutam evanescere necessum foret; audacter id affirmat, tanquam misus, ut læta hæc annuntiaret homini. Quamobrem eadem cum arrogantia promittit contrarium homini eventum utilem; quippe non morituros, verum longe majus bonum accepturos pollicetur. *Aperientur enim, inquit, oculi vestri, & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Ut vero majorem dicto suo conciliaret fidem, addit, *novit enim Deus,* quasi Deum ipsum testem dictorum suorum vocans; simulans se doctorem veritatis, quique in nomine Dei loquatur. Alii interpretes volunt, hisce verbis Dæmonem Deum invidiæ & male usurpati in hominem imperii arguere voluisse, ut eo facilius ipsi persuaderet, ne mandato Dei quasi ex invidia proficiscenti obtemperarent; sed sibi consulerent, atque hisce vinculis sese extricarent, suoque arbitrio disponderent, cumque Deo, veluti pari, viverent, quod gustato fructu illico assequi possent. Vid. Burman. *d. loc.* Verum in statu integritatis ejusmodi dictorum suorum, quasi per jusjurandum, confirmationem alicujus efficaciam fuisse, mihi non liquet; quippe cum omnis doli ac fraudis sive fallaciæ ignari primi mortales (cujus nullam ideam habebant, utpote vitæ integri scelerisque puri) & simplicem traducendæ vitæ rationem, duce natura, sequentes; nec doli ac pravæ inclinationis quid suspicabantur de serpentis secum colloquio, nec rerum usu nondum edocti sibi ab eo insidias strui me-

metuebant. Quem itaque in finem Dæmon, ut dictis suis majorem fidem conciliaret, Deum quasi testem vocasset, cum nulla doli suspicio in perfectissimo illo justitiæ originalis statu locum habebat? Quamobrem illa verba, *novit Deus*, addit Dæmon, ut clarius rationem Eva perspiceret, cur Deus præceptum abrogarit, atque ita nulla dubitandi ratio maneret reliqua. Scit enim, vel novit Deus, sibi enim æterni sui decreti conscius Deus, præstita jam à vobis obedientia illa, ad quam explorandam præcepit vobis, ne comederitis de ligno vetito, necesse illam excepit legis abrogationem, quam vobis denuncio. Quippe cum Deus decreverit vos participes facere suæ imaginis, qua decorati estis, adeoque etiam ad summum felicitatis gradum evehere, scilicet ut Diis similes evaderetis, facultatem vobis iterum comedendi de fructu ligni vetiti concedere voluit, tanquam medium, quo aperirentur oculi vestri; atque hac ratione consequi potestis illam cum Deo, vestro Creatore, similitudinem, scientes bonum & malum. Nostis enim ex idea vobis innata, Ens perfectissimum nullam mutationem pati posse, adeoque Dei decreta suum effectum sortiri necessum esse; atqui nati estis, ut Deo similes evaderetis, adeoque boni & mali scientiam assequemini: unde præcepti illius abrogationem necessariam esse facile perspicitis, ut esu istius fructus ad summum beatitudinis, ad quam conditi estis, fastigium perveniatis. Hanc itaque interpretationem, salvo aliorum meliori judicio, cæteris præferendam existimo: status enim integritatis & innocentiae, tum etiam innata homini de

F

Ente

Ente perfectissimo, scil. Deo creatore suo, idea a-
 liam mihi non videtur admittere. Non removet au-
 tem tantum pœnam, sed etiam promissis lætat E-
 vam, Dei nomine ipsi denunciando status sui, abro-
 gata lege, cum meliore ac longe feliciore commu-
 tationem, cujus hominem participem faceret ex in-
 credibili erga genus humanum benevolentia, adeo-
 que jam summæ hujus benevolentia complementum
 experturum, cum Deus ipsi infunderet sapientiam,
 divinæ similem, qua boni & mali scientiam conse-
 queretur.

Proto-
 plastos
 ante e-
 sum po-
 mi veri-
 ti cæ-
 cos non
 fuisse af-
 feritur.

Aperientur, inquit, oculi vestri. Talpâ hic cæ-
 ciores illi Interpretes, qui hic corporis oculos in-
 telligunt, quasi primi mortalium Adam & Eva non
 habuissent oculos apertos, sed cæci fuissent, donec
 comederent pomum vetitum. Quis enim non vi-
 det, ejusmodi visus privationem e diametro repugna-
 re felicitati status innocentia, in qua tum corpore,
 tum etiam mente perfecti conditi Adam & Eva.
 Hinc Theodoretus *quæst. 33. in Genes. Quod etiam
 ante esum non habebant oculos clausos, satis constat
 iis, qui volunt attendere. Quomodo enim mulier
 lignum vidisset, & cibo pulchrum, & oculis gra-
 tam atque formosum (id enim licet intelligere) si non
 habuissent oculos apertos.* Incumbebat enim homini
 præclara & admiranda Dei opera intuenti & natura-
 lia cuncta perspicienti, eorundem auctorem & fabri-
 catorem summis laudibus prosequi, virtutesque sum-
 mi Opificis celebrare. Hinc Deus hominem vi-
 dentem, optimis oculis præditum, quibus cuncta
 naturalia, quam mirabili arte confecta & fabricata
 essent,

essent, perspiceret, omniaque clare cognosceret, & acute investigaret, creavit. Ad sui enim gloriam cuncta creaverat Deus; quis illam prædicasset, nisi è meliori luto finxisset hominem ratione præditum, qui visibilia oculis corporis intuens, mentis oculis eorum omnium invisibilium maximum Deum & divinas virtutes contempleretur, & in summam admirationem raptus, ad cuncta moderantis Dei Opt. Max. laudem prædicandam & gloriam celebrandam excitaretur. Quia autem ratione mirabilem tum ordinem & rationem operis, tum cuiusque creaturæ formam, tum denique universi fabricam cognovisset, & cognoscendo in sapientissimi Creatoris summa cum admiratione virtutes prædicandas prorumpere potuisset homo, nisi visu hæc omnia detecta, & ita per sensum externum animæ quasi impressa fuissent, quanta arte, quanta sapientia, & potentia cuncta producta & efformata essent, ut hæc omnia mentis oculis perspicere, ad eorundem auctorem & fabricatorem summo amore amplectendum, & summa veneratione prosequendum, naturæ quasi impetu ferretur. Loquitur de oculis mentis, qui aperti dicuntur, quando quis, quæ antea non percipiebat, postea animadvertit. Quippe, ut ait Aristot. 1. *Ethicor. Intellectus est quidam oculus*. Cum autem oculi passim à corpore ad animam transferantur, oculi translatitio sensu iis aperiantur, qui aliquid edocentur, quod nesciebant; aut qui jubentur aliquid animadvertere, unde doctiores sunt, inquit Joan. Clericus *comment. ad h. l. Vid. Esai. 47: 7. Quamobrem phrasis illa,*

aperire oculos alicujus, non de apertione visus corporalis, sed de revelatione cognitionis, teste Maimonide in *More Nebochim part. 1. cap. 2.* accipi solet. Sic *Genes. 21: 19.* de Hagare dicitur, *Deum es aperuisse oculos, ut fontem videret.* Ubi non est sensus, quod antea clausis fuerit oculis (quomodo enim alias iter facere potuisset?) sed quod Deusejus mentem excitârit. Hoc sensu Dæmon mulieri pollicetur apertum iri oculos. Quod vel exinde patet, quoniam cum apertione oculorum conjungit scientiam sive cognitionem boni & mali; qualis notitia ejus esset sequela: adeoque tam clari ingenii & perspicacis intelligentiæ efficerentur, ut Diis similes scirent bonum & malum; quis enim bonum à malo discernendi facultatem animi duntaxat propriam esse negabit; & proinde oculorum apertionem, qua ejusmodi scientiam sibi compararet homo, ad mentis oculos referendam non existimabit: effectus enim sapit naturam causæ, a qua proficiscitur, qualis causa talis effectus, & vice versa. Ex effectu itaque, quem promittit serpens, scil. oculorum apertionem, facile perspicimus, eum habere sermonem de oculis mentis, quoniam scientia boni & mali, quæ facultas animi est, proficiscitur ab illa apertione oculorum; ergo oculorum illam apertionem ejus naturæ & generis esse oportet, cujus effectus, scil. ad animum referri debet. Claro quidem ingenio & perspicaci intelligentia erant præditi primi mortalium; quippe ejusmodi intelligentia & ingenii ac judicii acumen erat quasi sequela & accessorium, ut ita dicam, sive virtus imaginis divinæ, cujus participes erant.

erant. Verum erat tamen illa circumscripta suis cancellis, necdum adeo omnibus numeris perfecta, quin auctior & perspicacior, præstita debita obedientia, effici potuisset. Nihil autem optabilius hominibus, quam magis magisque status felicitatem perfectiorem reddere, donec ad summum & consummatissimum ejus pervenissent gradum, id est, Deo similes facti, scientes bonum & malum, cujusmodi scientiam per apertionem oculorum sibi acquisituros promittit callidissimus serpens: non latebat illum, quam vehementer natura duce impelleret ignaros Dæmonis astutiæ & calliditatis ad sibi comparandum & acquirendum, quod ipsis tanquam complementum suæ felicitatis acquirendum restabat, & tanquam summum bonum appetent, non vi alicujus legis, sed naturæ impetu, quæ semper in omne, quod bonum erat, vel sub specie boni mentem afficiebat, ferebatur. Florentissimus Theologus D. van Till in eo potissimum Dæmonis calliditatem & fallaciam latuisse statuit, quasi callidissimus serpens beatissimi status illius, in quo collocati Protoplasti, conservationem non duntaxat, sed ejusdem cum longe feliciori commutationem, pendere voluerit ab esu ligni non ita pridem vetiti, quasi jam comedentes de isto ligno, debitum Deo præstarent obsequium, & proinde nec Deus præmitteret ipsis benefacere, ad longe feliciorem eos statum evehendo, ita ut Creatori suo similes evaderent. Quippe comedisse mihi videntur magis impulsu naturæ, quam vi alicujus obligationis, qua ipsis necessitatem impositam persuadere voluerit

Dæmon, ut, abrogata jam lege posteriore, prior lex quædam moralis ex obsequii Deo præstandi necessitate proveniens, in locum subintrasset, quæ ipsos alligabat Deo obsequi, & vi istius debitæ obedientiæ jam comedere de isto ligno vetito, ut esu istius fructus sibi patefacerent aditum ad illum summum felicitatis gradum, ad quem evehere Deus eos decreverat: necessitatis enim est, ut Dei decretum suum fortiatur effectum; atqui vobis denuncio, Deum incredibili erga genus humanum benevolentia decrevisse vos sibi facere similes, idque esu istius fructus, quem ne comederitis, ad explorandam vestram obedientiam, & constantiam in præstando Deo, creatori vestro, debito obsequio, non ita pridem vetuerat: abrogata jam iterum hac lege, reviviscit obligatio illa, quæ vos adstringit obsequi decreto vestri Creatoris, adeoque ad adipiscendam destinatam vobis summæ illius felicitatis usuram esu istius fructus vobis aditum patefacere. Dicitur enim recta vobis ratio, ut debitum Deo præstetis obsequium, adeoque voluntati divinæ obtemperetis; jam vero voluit, ut esu istius fructus grassemini ad summam felicitatem & beatitudinem vobis acquirendam: ergo vobis incumbit, ut comedendo de ligno antea vetito, hujus felicitatis vosmet participes reddatis; atque rerum usus vos edocebit, in obsequii præmium atque mercedem Deum vos in illum felicitatis supremum gradum collocaturum. Præterquam quod & innatus amor erga se ipsum vobis eandem imponit necessitatem ex dictamine rectæ rationis dimanantem, quæ dicitur, ut quisque sibi consulat,

fulat, ac proprium commodum propriamque utilitatem, quantum in se est, promoveat. Itaque duplici juris vinculo vos alligatos perspicietis, ut esu hujus fructus ad summæ hujus beatitudinis gradum, sive statum consummatissimum, & proinde immutabilem, acquirendum properetis. Verum enim vero non mihi videtur Evam inductam fuisse vi alicujus legis naturalis sive moralis, cujus nondum, uti alibi annotavimus, (& ex defensione nostra vindictis juris naturalis Paradisæi, præcedenti Dissertationi adjecta, perspicere quisque potest,) ideam formare potuit, sed naturali quadam propensione ad sibi acquirendum, quod felicitati suæ promovendæ inservire dijudicabat, pro quo commodo augendo & amplificando, opinionis errore, sibi jam persuadebat, legem illam, qua interdictum, ne comederent de ligno vetito, abrogatam esse, & proinde reviviscere & quasi jure postliminii jus pristinum nullis cancellis circumscriptum, sibi à Creatore supremo rerum omnium domino concessum, & iterum in hominem collatum, quo recuperasset facultatem omnibus rebus creatis utendi in sui commodum & utilitatem, & proinde etiam hoc fructu tam suavi, sapido ac grato, vesci haud sibi illicitum: cujus usuram eo magis appetebat, quoniam tantum inde ad eos bonum perventurum pollicebatur Dæmon, ut Diis similes evaderent, scientes bonum & malum. Sufficiebat hæc fallax persuasio, conjuncta cum fructus delectabili aspectu, in quem oculos defixos tenebat, ad edendum, hominem invitandum; qui naturæ stimulis & naturali propensione agitatus, nihil magis

magis appetebat, quam ejus rei fieri participem, cujus possessio & ufura sibi tantum bonum, ac commodum adferre poterat: imo ad illum beatitudinis & felicitatis gradum evehere poterat, ut nihil huic magis posset accedere, adeoque statum consummatissimum atque immutabilem efficere poterat, ultra quem nihil cuperet ac desideraret amplius, sed in eo plane acquiesceret animus, sua jam forte contentus, quoniam ad beatitudinis suæ supremum gradum ac ultimum pervenisse sibi esset conscius. Ejusmodi rei promissæ ideam habens homo, atque hac persuasione animus imbutus, nihil magis exoptare poterat, quam illico fructum illum decerpere; cujus esu tantam assequeretur beatitudinem, qualem illi Dæmon pollicebatur. Itaque calliditatem serpentis in eo potissimum latuisse mihi videtur, quod innatos homini stimulos, quibus fertur semper in id, quod sibi utile ac jucundum fore, & magnum aliquod bonum allaturum videtur, suo colloquio & fallaci persuasione adeo commovere potuerit, ut ipsi fidem habeat, & absque serâ animi deliberatione illico non oculis tantum fructum vetitum devoret, sed manum admoveat, ut decerperet, & decerptum gustaret, tanquam alimentum, quod sibi ad consummatissimum beatitudinis statum viam aperiret, perduceretque, humanam naturam in divinam quasi mutaret, vel saltem ei æquaret. Sed proh dolor! quam egregie se decepit nimis credula mulier: quoniam vero nullus eminentior status fingi vel excogitari posset, quam ille, in quo homo vitam traderet perfectissima scientia præditus, quam qui
hominem

hominem Diis efficit similem, & proinde cujus majori cum desiderio particeps fieri niteretur, hunc adipiscendi per esum fructus ligni vetiti non promittit tantum, sed Dei nomine, cujus nuntium se simulat, summa cum arrogantia addicit homini sibi fidem habenti.

Eritis enim, inquit, sicut Dii; quoniam in facris litteris cum An̄geli, tum qui in societate civili principes & summa majestate decorati, vel in magna aliqua dignitate constituti sunt, voce Elohim denotantur: quapropter Chaldæus Paraphraustes, sicut magni Principes; Principes, qui in civitate primi, cum honore, tum dignitate. Hinc princeps, vir primarius dignitate & honore. Unde Cic. ad Lentul. lib. I. 9. Quales in Republica principes essent, tales reliquas solere esse cives. Et Plinius Epist. 7. lib. 3. Fuit inter principes civitatis, sine potentia, sine invidia. Vir doctissimus Piscator vult, sensum esse: Eritis æquales tribus illis Personis divinis, Patri, Filio, & Spiritui Sancto: Idque probat ex collatione verborum Dei infra vers. 22. ubi ait Deus, En Adam factus est sicut unus ex nobis, sciens bonum & malum. Quasi Moses denotare voluerit hac locutione divinarum Personarum Triadem, de qua locutione disputavimus & quædam annotavimus Dissertatione prima. Verum hanc quæstionem decidendam relinquere putavimus ejusdem linguæ peritis, & sacrarum litterarum Interpretibus subtilissimis. Silentio tamen præterire non possumus, quæ de hac locutione quidam Interpretes annotarunt: uti Viri celeberrimi Piscatoris opionem

Vocis
Elohim
signifi-
catio,

nionem de ea retulimus. Quam tamen alii amplecti nequeunt. Eam interpretationem, ut dicta Dissertatione annotavimus, Vir doctissimus Joan. Drusius redarguit. *Nam, inquit, si divinæ Personæ vocantur Dii, quid obstat, quo minus possimus dicere plures Deos esse? Quis ita cum Scriptura loquentem culparet? Quod si hoc impie sonat in auribus nostris, contendit minus impium esse, tres Elohim esse, cum unus tantum sit. Condonandum tamen illi statuit, qui hoc dicit, quia amplexus fuit interpretationem Magistri sententiarum, qui hunc locum olim ita exposuit. Addit, quod apud Græcos legitur ὁς Θεοί, sicut Dii; mirum autem esse, si de vero Deo intellexerunt, cur usi sint numero multitudinis, cum alias semper hoc nomen ita acceptum reddunt ὁς Deus. Quærit porro, an peccaret, qui sic argumentaretur? LXX. & Hieronymus nomen Elohim, quando de vero Deo sermo habetur, etiam cum essentialiter sumitur, semper convertunt ὁς Θεός, Deus; & proinde hic ubi reddunt ὁς Θεοί, sicut Dii, non intellexerunt de vero Deo, & per consequens non de tribus Personis. Moneo tamen, pergat, locum etiam verti posse, eritis sicut Deus. Nam Elohim tam Deum significat, quam Deos. Est enim communis numeri, ut diximus. Procopius in Genesin: Ajunt, Hebræos iisdem litteris eodemque numero scribere, & Deus, & Dii. Proinde quidam legunt, eritis ut Deus, non, eritis ut Dii. Verum quia præsens locus additum habet, ut unus è nobis, satis liquet, eandem dictionem & supra in plurali numero esse enunciata. Fatetur tamen Vir doctus,*

Joan.

Joan. Drufius, nomen hoc, quando essentialiter accipitur, omnes tres Personas in fe comprehendere, qua ratione non absurde poffet habere fenfum pluralem; non quidem terminationis, fed acceptionis vi, ut cum Deus ita fumitur. Sic ὁ Θεός Græcis eodem modo fumptum, quandam pluralitatem infinuat, nempe tres Personas; quarum fortaffe refpectu pofttea ait, *Ecce Adam factus eft ficut unus ex nobis*. Qui fic loquitur, Deus eft æternus, Deus creavit cœlum & terram; dicit Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum effe æternum, & creaffe cœlum & terram: quo fenfu concedit, nomen *Elohim* fignificare pluralitatem, quia ubi tres Perfonæ, ibi pluralitas reliqua; fed id negat fieri vi terminationis, quia etiam nomen Dei in eo fignificatu in aliis linguis denotat pluralitatem. Summus Theologus Andreas Rivetus, *exercit. in cap. 3. Genef.* concedit, vocem *Elohim* vi terminationis fuæ non denotare pluralitatem, & sæpiffime in terminatione paffiva habere fignificationem fingularem. Quod aliter non poteft intelligi, ubi una Perfona etiam ab alia diftincta eodem loco *Elohim* terminatione plurali appellatur. Non dubito etiam, inquit, veteres, qui Græcè & Latinè per voces plurales nomen illud reddiderunt, non habuiffe eam mentem, ut de uno vero Deo & Triuno uterentur voce Θεῶν & *Deorum*; & Latinè non dicimus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus funt Dii, vel funt tres Dii. Quamobrem existimat Vir doctus, verum effe, LXX. & Hieronymum locum illum non fuiffe interpretatos pluraliter de tribus Perfonis Trinitatis. Idque ex eo potiffi-

tissimum constare sibi satis clare putat, quod nupiam, ubi nomen *Elohim* pro vero Deo sumitur, interpretantur per pluralia nomina. Inde tamen haud sequitur, LXX. & Hieronymum existimasse, sensum esse, *eritis sicut Judices*, vel, *eritis, sicut Angelis*. Quippe in statu integro, in quo homines sua sponte fidem rectumque colebant, adeoque nulla mali notitia, quid ibi Principes, vel Judices? ubi sine vindice tuti. Imo terrarum dominus ipse Adam erat: nec, (uti alibi annotavimus,) nondum in civilem societatem coalitis hominibus, nulla nisi patria potestas cognita; residebat enim penes quemque patremfam. summum in suam familiam imperium. An vero Angeli hic Deorum nomine veniant, nec affirmari potest. Quippe hi nec nomen hoc acceperunt, nec etiam hoc munere functi, antequam suis Rempublicam Hebræorum fundaverat legibus Jehovah. Quamobrem interpretandum cum doctissimo Theologo videtur, *eritis sicut Deus*? Verum hæret tamen hic difficultas. Si enim, pergit, id statuamus, non duntaxat rejicienda erit interpretatio LXX. Vulgata Latina, & omnium quotquot fere sunt Interpretum; sed id etiam haud convenire videtur Ironiæ, quæ postea additur, *ecce Adam factus est, sicut unus ex nobis*; qua Deus perstringere voluit fallacem Dæmonis promissionem, & stultam hominis credulitatem. Verum nodum hunc solvendum existimat Vir doctissimus, retinendo numerum pluralem, & Deos interpretando numero multitudinis, neque tamen de Angelis aut Judicibus, ob rationes jam allatas, esse intelligendum hoc nomen

nomen statuit, nec etiam insinuatam fuisse à serpente distinctionem Personarum in Trinitate. Sed hoc voluisse Tentatorem, *eritis sicut Dii scientes bonum & malum*, ut illud, *sicut Dii.*, referatur tam ad Deum, quam ad homines hoc modo deificandos: quasi diceret, eritis æquales Deo scientia, & cum eo Dii, ita ut cum Deo multitudinem Deorum constitutatis, quum non solus gaudebit hoc privilegio, quod vobis erit cum illo commune. Quo sensu particula *ꝫ caph*, *sicut*, ita similitudinem denotat, ut tamen similes cum eo, cui assimilantur, jungat. Audiamus hic Glassium *lib. 3. tract. 1. de nomine, canon. 26.* " Cur nomen hoc plurale in Scripturis
 „ Deus sibi indiderit, non ex humanæ rationis la-
 „ cunis, nec ex regulis proprio arbitrio excogita-
 „ tis, sed ex ipso purissimo veritatis fonte, scripto
 „ scil. verbo Dei, eruendum & cognoscendum est.
 „ Illud vero, pergit, Sacrosanctæ Triados perso-
 „ narum, in una simplicissima essentia divina, my-
 „ sterium clarissime tradit & voce plurali אלהים
 „ idem mysterium exprimi, descriptio Creatoris
 „ *Elohim Genes. 1.* & alibi sæpius in Scripturis tra-
 „ dita ostendit." Addendum tamen, quod nomen
Elohim proximo significato Personarum pluralita-
 tem in divina essentia innuat, non determinate Tri-
 nitatem; uti autem nostri Interpretes vertunt Belgi-
 co sermone, *Eritis sicut Deus, Endegysult als God-
 wesen*, non improbandum, ob rationes jam allatas.
 Vid. etiam *Dissert. 1.*

Particeps quidem erat vetustissimus mortalium di-
 vinæ imaginis, adeoque cum Deo similitudinem

Simili-
tudo ho-
minis
cum
Deo.

quandam habebat. Verum in spem tamen erecti erant, se aliquando Deo similiores evasuros, ubi ad beatissimam illam cœlestem vitam in cœlis transgendam essent admissi, quam fructus hujus esus ostendebat. Ideoque ad meliorem & consummatissimum illum statum, ad quem assequendum adspirabant, erecti, plenamque felicitatem nacti, divinam similitudinem eo magis participarent in tantum, ut huic nihil magis accedere posset, scil. sapientia, & scientia, sanctitate & beatitudine fruerentur perfecta, in quantum mens nostra capax est, & proinde similiores Deo efformarentur. Hæc est solida illa veraque gloria, quæ in cœlo nobis adservatur. Ad hanc similitudinem ambiendam maximè excitati sunt serpentis promissis, nec etiam culpanda ejusmodi in illis ambitio, verum non quærenda per illegitimos tramites, quales hic proponit callidus & astutus serpens. Similitudinem autem hominis cum Deo in scientia boni malique positam, atque consistere, primis parentibus persuadet Dæmon, eamque per esum istius fructus acquirendam, ipsa testatur denominatio. Huc etiam accedebat, quod perspiciebat fructum bonum esse in cibum, & desiderabilem ad intelligentiam acquirendam, cujus investigatio homini maxime propria est. Quippe, uti inquit Aristoteles, *homines naturali appetitu scire desiderant*. Quamobrem eo magis impellebatur Dæmonis fallaci sermoni habere fidem. *Nil est per quod magis Diis assimilamur, quam per ipsum scire*, ut inquit Cicero. Homo in statu innocentix vitam traducens, boni & mali nondum habebat scientiam,

vitæ

vitæ enim integer scelerisque purus naturam nullis vitiis adspersam sequens ducem, semper ferebatur naturæ quasi impetu in id, quod cum divina imagine, qua decoratus erat, conveniebat, adeoque quod bonum, rectum, justum atque honestum erat, nihil aliud agendum dictabat ratio, nec voluntas, cujus summa erat rectitudo, aliud quid appetebat, quam quod cum innata illa rectitudine conveniebat: adeoque absque boni & mali scientia vitam in summa felicitate & tranquillitate animi transigebat: omniaque membra rite in obsequium voluntatis bene dispositæ composita erant. Erat in illis magis ignorantio vitiorum, quam cognitio virtutis. Simplicitas illa naturalis, scil. naturalis innata ad faciendum, quod bonum per se erat, ipsis vero sub idea boni, quatenus id est oppositum mali, haud cognitum, propensio, norma & regula primo homini erat agendorum. Eamque sequens haud à justitiæ tramite deviare poterat. Itaque absque boni & mali scientia in statu integro, uti dicere incepimus, beatè vitam ducebant Protoplasti. Verum hunc innocentiae statum, quasi nondum perfectus esset, cum longè beatiori & consummatissimo commutandum ipsis persuadere conatur versutus & callidus Serpens. Ad illum autem nullum aditum patere, nisi per esum ligni vetiti, utpote quo aperirentur oculi, iisque apertis scirent Deorum instar bonum & malum, non speculativè, ut ita dicam, verum rerum usu edocti. Atque hac ratione sibi compararent æqualitatem, quæ statum creaturæ humanæ excederet, atque non nisi divinæ naturæ erat congrua & conveniens. *Scientis*

etis itaque *bonum & malum*, id est, scietis omnia, quæ bona sunt vel mala, vera vel falsa, necessaria vel contingentia, ut discernere possetis, quid utile vel inutile, quid honestum, quid turpe, & proinde quid agendum, quid fugiendum in totius vitæ cursu vobis incumbit; atque facultatem habebitis illud amplectendi, hoc omittendi, quæ nemini data, nisi qui jam ad statum consummatissimum eVectus, adeoque etiam Diis æquales facti, conscii sibi mentis summæ tranquillitatis & ineffabilis voluptatis, quæ hujus status assidua comes est. Quippe bene factorum conscientia parit summam voluptatem, qua mens nostra adeo afficitur, ut nulla lætitia, nulla voluptas cum ea comparari possit. Illa autem cum notitia sive scientia boni malique pari passu ambulat. Qui enim novit ambo, benefacti demum sibi conscius esse potest, & proinde istiusmodi voluptate ac gaudio & animi tranquillitate frui. Ad hanc felicitatem ac beatitudinem nati estis, hunc finem in efformando homine sibi Deus proposuit; illum autem consequemini, si hujus arboris fructum comedetis. Deus enim nihil facit frustra; quem vero in finem arborem hanc in horto hoc amœnissimo plantasset, nisi ut comedentes de ejus fructu boni & mali vobis scientiam comparetis? Hæc ejus virtus, cujus nulla creatura capax, nisi ratione prædita, & proinde vestrorum causa plantata, ut vobis in alimentum cedat, cujus virtute aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii scientes bonum & malum. Porri-ge itaque manum, & decerpe fructum adeo suavem & gratum, ut per ejus esum, tanquam medium, fini

affe-

assequendo inservientem, & a Deo destinatum, pervenias ad illum statum omnis tranquillitatis, felicitatis & voluptatis consummatissimum, ad quem assequendum natus es. Ad illum consequendum arborem monstrat Dæmon, quæ fructuum pulchritudine tantum spondere bonum videbatur. Excitabat appetitum mulieris cum visus, tum etiam fallax illa serpentis promissio: sustulit itaque oculos mulier prima, ut videret pomum vetitum, quod ei apparuit pulchrum visu adspectuque delectabile & gratum oculis; atque ita inducitur, ut decerneret, ederetque, juxta ea quæ tradit Moses: *Et vidit, inquit, mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, adspectuque delectabile: & tulit de fructu illius & comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Qua ratione mulieris appetitus ad comedendum de fructu ligni vetiti fuerit excitatus, tradit hic Moses, nempe per visum. *Vidit enim mulier, quod bona esset arbor in cibum*, id est, fructus hujus arboris, uti & aliarum arborum, quibus Paradisus refertus erat, quarumque fructus jam gustaverat, & boni saporis esse, & ad vitam tuendam ac corpus sustentandum multum contulisse, rerum usu didicerat, bonum ac suave sibi etiam fore alimentum perspiciebat. Videt sive adspicit fructum, non duntaxat oculis corporis, sed etiam mentis. In hoc enim significato sæpius occurrit verbum, *vidit*, *Genes. 42: 1. Ezech. 1: 16.* ubi רָאָה de cognitione, sive judiciis animi usurpatur. Ita ut uni verbo duplex tribuatur significatus, unus corporis adspectus, quatenus ad rem oculis usurpan-

H

dam

dam refertur, qualis erat externa fructus species: alter cogitationis seu iudicii ad animi oculos pertinentis; quibus quæ aliter cognosci nequeunt, intuemur, quales sunt fructus salubritas & utilitas, quas animo videre frustra se rata est Heva, uti differit Joan. Clericus *comment. ad b. l.* Utrumque significatum hic verbum, *vidit*, admittit. Sensus enim externi cum internis sæpius pari passu ambulant, imo tam arcta uni cum altero intercedit unitas atque conjunctio, ut à se invicem vix possint divelli, sed alter alterius ope indigeat. Quî enim mens nostra objecta, quorum sibi nulla innata idea, cognoscere, & cognoscendo discernere posset, nisi per sensus externos ad animum referantur? Corporis oculis perspiciebat mulier fructum esse adspectu delectabilem, & bonum esse in cibum; sive potius per oculos ad animum retulit, ejus formam, figuram, colorem, adeoque adspectu esse delectabilem, bonum vero in cibum esse, non per sensum externum, sed internum perspiciebat; adeoque per mentis oculos perspicere poterat: de bonitate enim & utilitate judicare animi virtus est & potentia. Judicabat mens utilem in cibum esse fructum, per convenientiam forte cum aliarum arborum fructibus, quibus hactenus vesceretur: imo & delectabilem judicare, mentis officium est; afficiebatur enim per oculos corporis animus, referentes ad mentem, formam atque figuram, tum etiam colorem fructus, cujusmodi virtutes dum interni sensus perciperent, iis delectabatur animus. Externi enim sensus absque ope mentis, ut ita dicam, aliquid percipere haud idonei sunt; referunt tantum

tantum objecta, quæ in sensus externos incurrunt ad sensus internos, sive ad mentem, cujus est percipere naturam, formam, & qualitatem ejus objecti, quod sibi per sensus externos offertur cognoscendum, & juxta cujusque virtutes & qualitates judicat quid sibi utile, jucundum, suave & delectabile fore prævidit. Ita per oculos corporis primum vidit, mulier fructum, de ejus qualitatibus tum externis tum internis mens cognoscit, cognoscendo sive eas examinando deliberat, post deliberationem judicat, an sibi bonum vel utile futurum; judicium excipit actus ipse, id est, determinatur voluntas per agendum, quod ratio sive mens nostra dicat in actionem deducendum. Itaque cum hic dicatur, *vidit mulier, quod bona esset arbor in cibum*, illud videre potissimum pertinet ad sensus internos, sive ad mentis oculos, ad illam animæ facultatem, qua objecta percipit, naturam, qualitates ac virtutes, proprietatesque intelligit, & discernit, atque ex convenientia, quam habent cum sui conservatione ac utilitate, dijudicat, an hæc sibi acquirenda, an vero rejicienda. Hoc sensu dicitur, quod mulier vidit arborem bonam in cibum. Oculus corporis tantum fuit medium, quo objectum ad sensus internos fuit translatum, ideoque mere passive sese habuit, & tanquam instrumentum fuit, quod objectum menti offerebat. Quatenus tamen, ut objectum menti præsentetur, intervenire oportebat, & hac ratione afficere mentem mulieris, recte etiam verbum, *vidit*, refertur ad oculos corporis. Non vidit dumtaxat mulier fructum ad vescendum bonum esse, verum

etiam ad aspectu delectabilem; pascebantur oculi ad aspectu non per se, ut ita dicam, sed quia eo mens adiciebatur, & voluptatem ex aspectu capiebat: oculi enim corporis, qua oculi, nullam ex aspectu voluptatem capere possunt, non magis quam bruta ratione destituta ex aspectu rei pulchrae & delectabilis voluptatem aliquam sentiunt; quia intellectu, & proinde iudicio carent. Quod enim hunc potius quam illum cibum appetant, non provenit ex mentis discursu vel intelligentia, sed influxu quodam in spiritus animales, qui illum appetitum excitant atque efficiunt, ut ita naturae quasi impulsu quaedam alimenta vehementer appetant, alia iterum abhorreant. Alio modo afficiebatur mulier ad aspectu arboris speciosae cum fronde, tum fructu, nimirum, quia iudicabat idoneam esse ad cibum, ex convenientia cum aliarum arborum fructibus, tum ad oblectationem oculorum tam mentis, quam corporis, atque etiam ad prudentiam comparandam. Itaque illa oblectatio & appetitus ad edendum de fructu arboris, proficiscebatur ex intellectu & mentis discursu. Iudicium jam excipit actus, ad aspectu non contenta mulier, verum quod appetitum & concupiscentiam excitaverat, improba manu, ut ita dicam, fructum tandem ejus carpsisse, comedisse, atque etiam viro dedisse, ut comederet, tradit Moses; non eo animo, ut eum in societatem criminis pertraheret, verum ejusdem felicitatis, & beatitudinis faceret participem. Quippe seducta atque decepta serpentis fallaci promissione, nihil detrimenti vel damni inde sibi inlatum iri metuebat, sed contra magnum

magnum commodum & ingens bonum sibi pollicebatur. Quis unquam propriam carnem odio habuit? Innatum enim cuique se conservandi vehemens studium reformidat omne illud, quod nocendi aliquam præ se fert speciem: verum appetit vehementer ea, quæ ad vitam corpusque tuendum aliquid conferre possunt. Quamobrem non ambigendum, quin, si divinare potuisset malum, quod, obsequendo serpentis consilio, contraheret, nunquam ad decerpendum fructum illum, audacem admovisset manum. Præterquam quod nec naturæ integritas, nec intellectus ac voluntatis optima dispositio, in statu integritatis potuisset hominem impellere ad admitendum illud, quod sanctæ suæ naturæ, sive divinæ imagini, qua erat ornatus, repugnaret; quamobrem sub specie boni & conditioni hominis favorabilis consilii decepit mulierem serpens callidissimus. A visu itaque ad tactum, a tactu ad actum procedit, decerpit fructum; verum quid juvaret carpisse, si non in alimentum converteretur, quamobrem comedit, ut ita in nutrimentum, in succum & sanguinem conversus aperiret oculos, & mentem illuminaret, atque divinæ scientiæ & sapientiæ capacem redderet. Prodit autem se tenerrimus inter conjuges amor, quando non sibi soli optat tantæ felicitatis, quantam mulierem adepturam esse promiserat serpens, particeps fieri; verum cum tam arcta sibi cum marito intercedebat conjunctio atque necessitudo, ut jam duo in unam carnem coaliti quasi una eademque essent persona, nihil huic necessitudinis vinculo, & tenerrimo, quo amplectebatur

maritum, amori magis convenire sibi videbatur, quam ut quoque ejusdem felicitatis ac beatitudinis & gloriæ conjugem faceret consortem; quemadmodum enim non corporum duntaxat, sed omnium bonorum societatem & communionem contraxissent per matrimonii copulam, imo conjunctim in omnes creaturas imperium ac dominium à Dei liberali manu accepissent, æquitatis quoque ratio postulare videbatur, ut nil sibi proprium vindicaret, sed omnia cum marito communicaret ac participaret. Dedit itaque etiam viro suo, qui tanquam in amoris tenerrimi & liberalis ac propensæ uxoris erga se voluntatis pignus ac notam accepit hoc delectabile donum, atque comedit.

Concupiscentia
Evæ, etiam
arborum
non attigisset,
utrum
eam violatæ
legis positivæ
reæ fecisset?

Quæri hic posset, an ipsa concupiscentia & appetitus, quo ferebatur mulier ad vescendum fructum, peccati, sive violatæ legis positivæ ream fecisset, si arborem non attigisset? Sunt Theologi, qui putant, quod primi parentes peccatum haud contraxissent, si absque tactu fructum duntaxat animo concupiscendi adspexissent; quorum in numero Episcopus, qui statuit, impunem concupiscentiam fuisse, si tantum ab actu se detinuisset. Verum sanioris doctrinæ Theologi contrariam opinionem, tanquam vero conjunctiorem, amplectuntur: quia omnes gradus prohibiti, & exinde etiam concupiscentia. Peccare enim non tam actus corporis, quam mentis est; peccatum est inclinatio voluntatis ad illud faciendum, quod vetitum est; vel per se & sua natura, uti omne, quod moraliter malum est, habet necessitatem abstinendi vel omittendi, vel cui ejus-

ejusmodi necessitatem imponit voluntas & placitum hominis, penes quem summum est imperium; adeoque qui legem ferendi potestatem habens vetando & jubendo civibus normam agendi præscribit circa negotia, quæ civilem societatem & communionem inter cives spectant. Itaque justum vel injustum hoc sensu dicitur, quod cum voluntate sive placito summi imperantis convenit; adeoque non per se & natura sua, sed per dispositionem Legislatoris; cui obsequendi necessitas incumbit civibus: adeoque justè agit, qui huic convenienter operatur, injustè, qui legem transgreditur. In foro poli ipso cogitandi & concupiscendi actu peccamus. In foro soli cogitationes extra legis pœnas sunt; adeoque ille peccat, qui aliquid agit, quod lex vetat. In foro soli facti alicujus perpetratio, in foro poli sufficit voluntatis ad malum aliquod faciendum propensio. Nec mirum: quippe lex civilis sive positiva tantum dirigit actiones, ut ad illum finem tendant, quem in promulganda lege sibi Legislator proposuit; adeoque non cogitationes respicit, sed factum, id est, cogitationem sive voluntatem in actum deductam: neque etiam cogitatione peccatur in re adiaphora; quia ejusmodi res non obligat conscientiam, nisi accedat jussio vel prohibitio Legislatoris, qui tantum commodum & salutem civium in statu civili tuendum spectat, cui cogitationes & animi sensus interni nullum possunt inferre damnum, nec etiam eas inspiciendi facultatem habet; ideoque nec etiam voluntati obligationem imponere voluisse præsumitur, de cujus propensione nunquam cognoscere potest.

potest. Quamvis me non fugiat, illam quâdoque nec extra legis pœnam esse, scil. eo casu, quando jam ad actum proximum facinoris perpetrandi quis pervenit, & jam indicia sunt edita in foro soli, quæ judicem certiozem reddunt, aliquem animum induxisse illud patraturum. Itaque non mera punitur cogitatio & propositum, sed actus proximus, quamvis non perfectus. Aliter autem se habet in foro poli; ibi etiam coram Deo, sive tribunali divino, cui omnes cogitationes nudæ sunt atque apertæ, cujus oculi intimos cordis recessus penetrant, legis violatæ se reum sistere debet, quisquis legi divinæ contrarium quid meditatus est, vel concupivit solummodo. Sermonem habemus de lege Dei morali, sive de lege naturæ, quæ originem suam habet ex divina sanctitate, adeoque non pendet ex Dei voluntate, sed necessario dimanat ex sanctitate, justum & rectum præcipiens, vetans contrarium. Justum & rectum vocamus, quicquid cum sanctitate aliisque divinis virtutibus convenit; malum & injustum, quod ab eo recedit. Vetustissimi autem mortalium quoniam ad divinam imaginem erant conditi, adeoque sancti & integri, recti bonique, naturam ducem sequentes, nec velle, nec agere poterant, nisi illud, quod cum imagine, qua decorati erant, conveniebat. Huc tendebant omnes animi cogitationes, omnes naturæ impetus, & voluntatis appetitus; atque omnes, quæ ab ipsis proficiscebantur actiones, iisdem quoque erant consentaneæ, adeoque justæ & honestæ. Ex bona enim causa bonos effectus dimanare necessum erat; quoniam effectus

ctus ejusdem naturæ est, cujus & causa est, a qua producitur. Verum cum imago divina non corporis, sed animi ornamentum erat, atque consistebat in rectitudine & sanctitate mentis, cogitare vero, intelligere & velle mentis sive animi habitus est & facultas: facile perspicimus, obligationem illam, quæ ex imagine illa divina, ad quam homo conditus est, & potissimum consistit in conformitate illarum facultatum cum sanctitate aliisque divinis virtutibus, referendam esse ad animum, ejusque habitus & facultates sic dirigendas, ut sint conformes imagini, qua ornatus est. Unde omnes appetitus, cogitationes, & voluntatis propensiones, quatenus cum imagine divina conveniunt, bonæ, rectæ atque justæ sunt; quatenus ab eadem deviant, malæ & injustæ. Illa autem convenientia moraliter necessaria, moralem necessitatem habet, quâ devincimur, ut quicquid cogitemus, & velimus, sit conveniens cum sanctitate Dei, ad cujus imaginem conditi sumus. Aliter enim velle Deus (dictum sit salva reverentia & veneratione, quam Deo debemus) nec potest nec vellet, quia non potest seipsum abnegare. Quamobrem moraliter devincti sumus, ut omnes cogitationes, omnes appetitus, referant imaginem, ad quam conditi sumus, id est, ut sancti simus, uti Pater noster in cœlis sanctus est; atque ita documenta demus, qua sumus origine nati. Animus duntaxat, sive mens nostra obligationis capax est: mens autem est res cogitans, sive ejus essentia in cogitatione potissimum consistit; itaque cogitando recte agit, & cogitando quoque peccat,

I

Recte

Recte cogitat, quando meditatur ea, quæ sancta, iusta & recta sunt, adeoque cum imagine Dei conveniunt; peccat, quoties meditatur, quæ isti imagini contraria sunt, adeoque injusta & inhonesta. Nescio, an ad captum Lectoris satis clare mentem meam explicuerim, ut ex hisce, quæ de peccato concupiscentiæ disputant quidam Theologi, perspicere quis posset, ipsam cogitationem, concupiscentiam, naturalem appetitum, & voluntatis pro-
pensionem, ad assequendum, quod moraliter malum, & proinde per se & sua natura vetitum est, peccatum esse coram Deo, etsi nondum in actum deductum sit, quod meditamur & appetimus. Atque hac ratione Eva appetens & concupiscens fructum vetitum, violatæ legis moralis ream se constituit, tangendo & comedendo contra legem positivam peccatum admisit. Quippe meditando & cupiendo ejus fieri participem, a rectitudine voluntatis recessit, declinando ab eo, quod dictabat conscientiæ sive rectæ rationis dictamen, quæ sibi dictabat divinæ voluntati obsequendum; atqui lege divina positiva interdictum, ne fructum arboris scientiæ boni & mali comederet, ne appetere quoque voluntate duntaxat ipsi licitum: quippe ipsa illa concupiscentia peccatum erat, legis violatio, quia ille jam actus animi sive mentis erat in foro poli divinæ voluntati contrarius: actus enim mentis & corporis in eo potissimum differunt, quod ille intra fit, hic extra, & quod in foro soli proximus ab hoc magis sentiat damnum ac lædatur magis; verum coram tribunali divino eadem poena dignus, qui proximum

num lædere animum induxit, atque ille qui actu
 damnum intulit: secus autem in foro soli, ubi po-
 næ infliguntur ad mensuram damni, quod ex male-
 ficio vel Respublica, vel privatus quisque actu &
 revera sentit. Huc etiam pertinent leges forenses
 Hebræorum, quatenus statum & societatem civilem
 spectabant, quibus sua sceleribus & facinoribus com-
 missis & actu jam patratis decernere Deo placuit sup-
 plicia; meræ autem cogitationes & interni animi actus
 haud puniebantur in foro soli; in illas animadvertere
 sibi Deus reservavit, quia nullum inde damnum sen-
 tiebat Respublica, vel ejusdem membra ac cives, nec
 etiam iudex secularis de iis cognoscendi aut inqui-
 rendi detegendique facultatem habet: in foro tamen
 poli punibilis, ut ita dicam; quia peccat contra le-
 gem moralem, lædit sanctitatem divinam, contaminat
 imaginem divinam, ad quam conditus homo, quicun-
 que aliquid inhonestum ac turpe meditatur atque
 appetit. Hinc quoque lege morali scripta prohibita
 omnis concupiscentia & desiderium rei per se & natura
 sua turpis & illicitæ. Verum venit hic quæstio exami-
 nanda, an omnes omnino cogitationes & notiones cor-
 dis, voluntatisque ad malum propensiones lege morali
 vetentur ac prohibeantur, ut & proinde puniri me-
 reantur, tanquam peccata contra legem admissa?
 Inter Christianæ enim Religionis Doctores lite non
 caret, an instinctus iste sive voluntatis appetitus,
 quem concupiscentiam vocamus, quo in vitia ferimur,
 & rei illicitæ usuram exoptamus & appetimus,
 veri peccati loco sit habendus? Plerique cogitatio-
 nem sive motionem cordis ad malum triplicem sta-

tuunt: primam vocant, quæ ita animis nostris injecta est, ut cito quasi ebulliat, citoque pereat; ideoque nullas in mente radices agat, ut ita dicam, sed statim prætervolet, nec recipiatur. Ejusmodi motus Pontificii vocant *primo-primos*, qui nimir. repente consurgunt & excitantur: & omnem rationis considerationem præveniunt. Altera, quæ permanet & pectus interno gaudio titillat atque inescat. Ejusmodi scil. motus, qui *secundo-primi* dicuntur, motibus primo primis immediate succedentes, & cum aliqua rationis consideratione circa objectum propositum de ejus bonitate vel malitia. Tertia est, quam voluntatis plenus consensus excipit. Motus concupiscentiæ primoprimos, & omnem voluntatis consensum prævenientes non esse peccata statuunt; quia ea tantum prætervolat, & non recipitur, eaque non afficitur eo modo mens nostra, ut eo delectetur; proponitur tantum, verum non deliberat. Itaque ejusmodi concupiscentia potest esse intaminata à peccato. Motus, primo-primis motibus succedentes, qui conjuncti aliquo modo sunt cum appetitu & delectatione rei noxiæ, sive moraliter turpis, ita tamen ut absit consensus voluntatis ad ejus effectum, peccatum quidem sunt, sed veniale. Motionem autem cordis ad malum cum pleno consensu conjunctam peccatum esse, & quidem mortale, omnes statuunt. Primo-primi motus concupiscentiæ *προπαθειας propassionis*, sive antipassionis nomine à Scholasticis veniunt; secundi *passiones* ipsæ vocantur. Vocant Propassionem seu Antipassionem subitum illum animi motum & effectum, qui non diuturnus, sed

sed cito prætervolat & perit, & *morosis*, hoc est, menti deliberanti & voluntati consentienti immorantibus opponitur. Passio itaque illis est deliberatio cum consensu, quam solam apud Deum damnari dicunt; alteram non item. Primo autem primos motus concupiscentiæ impune in foro poli mentem afficere, videtur affirmare Jacobus Apostolus *Epist. cap. I: 14.* cum inquit, *Unusquisque tentatur, dum a propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas, posteaquam concepit, parit peccatum: peccatum vero peractum gignit mortem.* Apostolus hic progressum describere videtur, quo a tentatione concupiscentiæ ad peccatum mortale per voluntatis consensum pervenitur. Et primo ponit ipsum concupiscentiæ motum, illam Antipassionem, quæ momentanea est, & cito perit, citra omnem consensum voluntatis; in eo consistit tentatio, quam non constat peccatum esse, verum peccando præbere occasionem. Unde idem Apostolus *vers. 12.* *Beatus vir, qui perfert tentationem*, scil. qui invituseam patitur. Deinde sermonem habet de partu concupiscentiæ, nempe peccato veniali, qualis est delectatio plenam deliberationem præveniens. Tandem ponit mortem, seu peccatum mortale, quod oritur ex pleno consensu. Unde Pontificii inferunt, Apostolum tres motus concupiscentiæ distinguere, primum involuntarium, qui nullo modo est peccatum, cujus generis primo-primi motus cito transeunt. Secundum imperfecte voluntarium, qui est peccatum veniale. Tertium perfecte voluntarium, qui est peccatum mortale. Primum mo-

tum *suggestionem*; secundum *delectationem*; tertium *consensum* vocant. Verum qui rectæ rationis dictamen cum sensu sermonis Apostoli Jacobi conferat, nullus dubito, quin facile perspiciat, perperam illum interpretari Pontificios. Ex illis, quæ paulo ante de imagine divina, ad quam conditus erat homo, disputavimus, constare cuique sana mente prædito potest, illam primario consistere in facultatibus mentis nostræ, sive animi dotibus, intellectus & voluntatis rectitudine, in illa conformitate cum sanctitate divina & omnibus virtutibus perfectissimo Enti propriis, imo essentiam divinam constituentibus; quarum vestigia, rudera ac semina menti adhuc impressa sunt. Illam enim cum divina imagine conformitatem, tum in actibus hominis interioribus tum exterioribus in totius vitæ cursu exprimere devinctus erat: adeoque nihil cogitare, nihil meditari, nihil velle sive concupiscere juxta illam menti impressam imaginem vitæ rationem instituens obligatur, nisi quidquid rectum, justum & decorum erat: nec homo integer scelerisque purus, naturam ducem sequens, aliud vel cogitationis objectum, vel voluntatis finem habebat, eo semper collimabant omnes animi motus, & proinde puri, sancti & recti. Cum autem anima sit res cogitans, adeoque semper in hoc vel illud objectum feratur, ut ita dicam, id est, positive circa aliquod objectum vel subjectum meditando versetur, cujusmodi operationem animæ actum ejus interiorem voco; debet ejusmodi cogitatio & mentis operatio conformis esse divinæ imagini, ne à sanctitatis, justitiæ atque

atque honestatis tramite unquam deviet. Quoniam vero, uti diximus, animæ sive mentis nostræ essentia consistit in cogitatione & operatione continua, adeo ut nullum temporis intervallum intercedere possit, quo non cogitet, & circa hoc vel illud objectum meditando versetur; nullum quoque ejusmodi potest fingi temporis intervallum, quo non est in actu: actus ille internus mentis nostræ, qui ejus essenziale requisitum est, adeo ut absque ejusmodi actu continuo concipi nequeat, pari passu ambulat cum illo juris naturæ sive moralis vinculo, quo obligatur operari juxta attributa sua essentialia, sive innatas virtutes, vel divinam imaginem ipsi impressam, id est, ut quidquid meditatur, cogitat, operatur, habeat conformitatem cum illa; itaque quemadmodum nunquam acquiescit, ita operando & agendo nunquam deviare oportet ab illo fine morali, id est, ab illa conformitate operationis cum sanctitate, & justitia divina: illa enim obligatio & necessitas menti imposita propter divinæ imaginis communicationem. Quemadmodum Deus (salva reverentia & veneratione, quam Deo debemus, dictum sit) nec velle potest, quod justitiæ & sanctitati suæ aliquo modo repugnaret; ita nec hominem ad divinam imaginem conditum nec cogitando, nec operando aliquo modo, à justitiæ & sanctitatis tramite deviare oportet: necessitas moralis, quæ ex sanctitate divina profluit, nullam dispensationem admittit, nec aliquam mutationem patitur, adeoque semper & ubique eandem parit obligationem. Cessatio enim, ut ita dicam, interioris ani-
mi

mi sive mentis actus & operationis licet temporis momentum duntaxat intercederet ab eo, quod meditari & operari adstringitur propter divinæ imaginis communicationem, est privatio sanctitatis & originalis justitiæ, & quia agere tamen non potest desinere, id est, cogitare & velle, ad aliud objectum sese converteret, quod eidem repugnaret; & ille mentis actus erit privatio operationis justæ ac sanctæ. Quis jam non perspicit, quin primo-primi motus concupiscentiæ ad malum, omnem voluntatis consensum prævenientes, peccatum sint. Quippe, quamvis non morosi & cito prætervolent, quam exiguum sit temporis istius intervallum, interstitium tamen est motus animi, sive cordis ad bonum, adeoque privatio motus ejus, qui semper & continuo adesse debet in omnibus mentis operationibus. Deus enim nec vult aliter, nec velle aliter potest; quam ut ad unum eundemque finem & scopum colliment tum interiores actus, tum exteriores. Adeo ut nunquam ab eo deviemus nec cogitatione, nec voluntatis propensione, nec operatione: & ita ex divina sanctitate, quæ immutabilis est, profluit moralis illa necessitas, qua devincti sumus; ut actus omnes tam interiores quam exteriores cum sancta Dei voluntate, & cum divina imagine, ad quam primi mortales conditi, & efformantur regeniti, conformitatem habeant. Quicquid cum ea habet convenientiam, rectum & justum, quod ab ea recedit, peccatum est. Nulla hic datur via media. Omne interstitium motus cordis ad bonum peccatum est; quia motus ad bonum est moralis necessitatis

tatis, atqui primo-primus motus concupiscentiæ, est interstitium motus ad bonum, ergo peccatum. Imo quia semper agit mens nostra, id est cogitat & vult: cessatio ejusmodi motus necessario supponit motum ad malum, & propterea includit actum peccandi, quia cogitando peccamus maxime, licet non morosæ ejusmodi sint cogitationes, verum statim prætervolent. Recte itaque saniore doctrina imbuti nostri Theologi etiam primo-primos motus concupiscentiæ, sive propassiones seu antipassiones, ut Scholastici vocare amant, veri nominis peccata esse statuunt; quia & concupiscentiæ interioris primum principium, & primus saltem actus sunt, & lex moralis ex ipsa Dei sanctitate promanans, & postea litteris consignata, concupiscere in universum vetat, nulla addita distinctione, & à defectu amoris Dei & imaginis ejus proficiscuntur. Legem enim moralem diximus profluere ex ipsa Dei sanctitate & divinis virtutibus, cujusmodi virtutes, quoniam necessitatem continent, qua devincitur homo divinæ imaginis particeps, sese in totius vitæ cursu ad illam tanquam normam vivendi & agendi sibi præscriptam componere, legis nomine venire possunt; quippe necessitas moralis imponit obligationem homini ea faciendi, quæ moraliter bona, justa & recta, & proinde fugiendi & omittendi, quæ contraria sunt, turpia & inhonesta, non duntaxat in foro soli, sed etiam poli, uti supra annotavimus. Huic legi obtemperabant primi mortales in statu integro naturam ducem sequentes: post lapsum discursu mentis opus erat; quia natura jam ad vitia prona sæpe in contraria hominem impellebat,

K

pellebat,

pellebat, adeoque dictamen rationis hic adhibendum, ut ipsi ex contentione objectorum constare posset, quid bonum, quid malum, & proinde quid amplectendum & faciendum, quid fugiendum mens dictabat. Hæc rationis dictamina postea in scriptum redacta, quoniam ingruentibus magis magisque vitiis, quæ illa rudera & vestigia boni & recti, justi & injusti, menti post lapsum adhuc impressa, pene oblitterasse videbantur, placuit Legislatori Deo, dictamina rationis & divinæ imaginis primo homini in statu integro inditas virtutes, quæ cum semper impellebant ad operandum & faciendum, quod cum hisce innatis virtutibus conformitatem habebat, tabulis imprimere, ut ipsi pro agendi & vivendi norma & regula essent, ne alicujus ignorantia prætextu peccata sua contra lumen rationis commissa excusare posset. Hac autem lege non duntaxat actus exterioris malitiam, sed etiam interioris vetat, & proinde prohibet etiam concupiscere, cujusmodi concupiscentia non primi admissi peccati causa tantum, sed revera peccatum fuit. Quippe dum vetat concupiscere, simul vetat omnem affectum & desiderium rei illicitæ. Etenim quamvis illa concupiscentia tantum referri videatur ad domum, uxorem, servum & ancillam, bovem & asinum, & omnia, quæ proximi sunt, generaliter tamen lex comprehendit concupiscentiam omnis rei illicitæ. Quippe concupiscentia hic maxime vetatur ob vitium morale, quod ei inhæret, quatenus est motus cordis ad omne malum; omnia autem mala sunt, quæ divinæ voluntati repugnant; omnia autem

autem ejus naturæ sunt facta, sive potius omnes actus tam interiores quam exteriores, quæ cum divina voluntate non habent convenientiam. Sed forte quis nobis objiceret, legem primis mortalibus datam non ex illis fuisse legibus, quæ morales dicuntur, ex Dei sanctitate & justitia profluentes, sed mere positivam, adeoque concupiscendo aliquid hic vetitum, non videri posse peccatum, antequam ipso facto lex violaretur: desiderium itaque comedendi fructum, quem antea non fuerat edere prohibitum, non videtur repugnare justitiæ vel sanctitati divinæ, quippe erat res adiaphora, ejus esum vel vetare vel permittere, uti a mundi primordio in omnes arboris fructus imperium dominiumque Deus largitus fuerat. Verum respondeo: non inspicienda hic venit natura præcepti, sed Dei placitum & voluntas, obsequii præstandi necessitas est moralis; quippe profluebat illa ex justitia divina: cum enim justitia humana ab homine exigit obsequii præstationem, multo magis divina justitia illam exigit ab homine, qui & rationis essentia & existentia suæ divinum in se summum imperium agnoscere & venerari necessum habet. Hæc itaque lex, quæ postea in scriptum redacta; illa ipsa est; quæ etiam in Paradiso vigeat, quatenus necessitatem parit voluntati divinæ & animo & voluntate obsequendi in foro tum poli tum soli, id est, tam in actu interiore mentis, quam exteriori corporis; nulla habita distinctione inter primo-primos motus cordis, omnem consensum voluntatis prævenientes, & illos, qui vel voluntate non deliberante & consentiente, vel pleno consensu accedente in no-

bis confurgunt aut excitantur. Nulla datur hic via media, quam finxit M. Ant. de Dominis *de Republ. Eccl. lib. 7. cap. 11.* statuens, præceptum de non concupiscendo non esse datum parti sensuali, sed rationali, quæ tum officio suo satisfaciatur, quando ratio voluntasque exsurgentes animi motus & cupiditates compescant, ut nimirum non externo modo actu, sed assensu desiderioque abstineat. Itaque Paulum *Rom. 7: 7.* de concupiscentia, legis indicio interdictoque deprehensa, sermonem habentem, non loqui de concupiscentia naturali, quæ est motus appetitus sensitivi: sed id significatum velle, ex lumine quidem naturæ, etiam sine lege, scripta se intellexisse, malum esse mœchari, & id genus peccata admittere; verum id quoque inter peccata computari, si quis eo solo interno motu feratur, scriptam legem demum monuisse. Cum enim Paulus dixisset, *Legem non esse peccatum*, id est, causam peccati, sed *esse causam cognitionis peccati*, ex eo probat, quod non cognoscebant homines, actus interiores, ut desiderium alienæ uxoris, vel rei alienæ, esse peccatum, nisi lex dixisset, *non concupisces*. Huc etiam spectat, quod legimus *Matth. cap. 5.* ubi, inquit, falli nescius legis naturæ interpret Christus, *Dictum est antiquis, non mœchaberis: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.* Unde inferunt, hoc præcepto prohiberi tantum concupiscentiam à ratione approbatam & placitam voluntati. Imo nonnulli inter Patres, inter quos Irenæus & Ambrosius, ex eo inferre volunt legem à Christo demum

demum ad concupiscentiam usque dilatatam, protensamque esse. Rem hic habebat Christus cum Pharisæis, qui, teste Josepho *Antiquit. Judaic. lib. 12. cap. 13.* motum internum peccatum esse negabant, nisi exterius se prodat, id est, in actum jam deductum malum; hanc vero opinionem oppugnare & erroneam esse ostendere voluit; quamobrem, inquit, docet, omnem, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatum esse in corde suo; scil. qui eam concupiverit approbante & consentiente voluntate. Primo igitur primi motus peccati nomine hic non veniunt. Verum in sensum a mente Apostoli, cum Jacobi tum Pauli, alienum detorquere conantur cum illius tum hujus de peccato concupiscentiæ sermonem. Quod attinet locum ex Epist. Jacobi Apostoli adductum, quis non videt, ibi in animo non habuisse Apostolum docere, primo-primos cordis motus vel cogitationes ad malum, nulla accedente voluntatis approbatione vel consensu, quod tentari vocat à propria cupiditate, peccatum non esse, verum docet hic peccata quidem non esse paria, sed gradibus distincta, alia minora & leviora, alia majora & graviora; omnia tamen Dei voluntati adversa, & mortis pœnam promerentia. Quippe, ut Interpretes annotarunt ad *b. l.* quod Jacobus dicit, concupiscentiam gignere peccatum, peccatum vero mortem, non excusat concupiscentiam à crimine mortali, sed loquitur de peccato actuali, quod κατ' ἐξοχῆν dicitur *peccatum*, & mortem gignit. Idem enim aperte affirmat Paulus *loc. cit.* Hujus præcepti meminit Apostolus, scil. præcepti legis mor-

ralis, legis ex divina sanctitate dimanantis, cum inquit: *Imo peccatum non cognovi nisi per legem, nam ipsam quoque cupiditatem (sive concupiscentiam) non nossem esse peccatum nisi lex dixisset, non concupisces.* Ex seqq. enim patet, Apostolum extendere præceptum ad eam concupiscentiam, adversus quam spiritus pugnat, adeoque quæ repugnat legi menti, id est, sanctitati & rectitudini originali, quæ menti ob divinæ imaginis communicationem innata erat; quamobrem cupiditates & affectus morigeri erant rationi rectæ convenientes, atque omnes omnino motus cordis, & cogitationes cum imagine divina habebant conformitatem, atque voluntas & omnes naturæ appetitus rectitudini innatæ consentanei erant. Ejusmodi concupiscentia recta & legitima est, utpote quæ desiderat obtinere finem, ad quem natus homo est, id est, ut sanctitatem, & rectitudinem ac justitiam, & omnes virtutes morales observat in totius vitæ cursu; verum hanc concupiscentiam appetitu pravo & perverso corruptam sentiebat Apostolus, & adversus eam spiritum pugnare dicit, quæ repugnat legi menti, infixæ & innatæ, quam mens regenerita nec approbat, nec vult. Eam tamen expresse peccatum dicit, argumentum, quod etiam primo-primi motus & cogitationes cito prætervolantes, non receptæ, neque approbatæ, peccati nomine veniant. Omnem concupiscentiam voluntariam esse, sanioris doctrinæ Theologi affirmant, quamvis non deliberatè semper. Quippe, cum motus illi sint inordinati, & contra rationem, intellectus & voluntas non possunt vacare culpa, si
non

non præscribant modum affectibus & motibus cordis, præsertim si non tantum in parte sensitiva, sed in ipsa ratione & voluntate concupiscentia, quam Scriptura damnat, resideat. Dicimus ergo, inquit summus Theologus Andr. Rivetus, aliquid esse voluntarium vel *simpliciter*, vel *deliberatum*. Hoc postremum ex præcedente rei consultatione procedere, adeo ut ratiocinatio præcedat; prius vero ex sola imaginatione, quæ rem repræsentat, in quam statim fertur voluntas, absque ulla disquisitione ampliore. Huc etiam pertinent, quæ disputat de peccato concupiscentiæ, quæ nondum ad externum actum processit, celeberrimus Theologus Henr. Heideggerus *Medull. Theol. loc. 14. §. 130. Legislator autem Deus concupiscere vetans, tum concupiscentiam, in aliis omnibus præceptis subintellectam, disertis verbis vetat, tum eandem, non procedentem licet ad externum actum, sed intra internum adhuc hominem consistentem, eamque otiosam adhuc, vel ætuosam, sive indeterminatam duntaxat, incautis obrepentem, titillantem, & intus verminantem; sive per deliberationem consensum & definitionem determinatam, peccati verissimi ream esse pronuntiat.* Itaque primi illi motus etiam concupiscentiæ nomine veniunt, & proinde etiam contaminati peccati labe; quippe licet forte non accedat plenus consensus, nec animi deliberatio, non omni tamen carent inclinatione voluntatis: quamobrem omnis cogitatio & motus cordis ad malum concupiscentia; omnis autem concupiscentia inclinatio voluntatis; omnem autem inclinationem voluntatis ad malum peccatum esse

esse quis negabit. Hinc Ifid. *lib. 2. de sum. bon.* concupiscentiam definit *motum animæ in affectu sordidæ cogitationis.* Secundum Augustinum est *improba voluntas.* Ipsi Gentiles nequidem crimine vacuos existimabant, qui, quamvis non scelere, sceleris tamen affectu atque voluntate contaminati essent. Quamobrem Seneca latronem esse pronuntiat etiam, antequam manus inquinet: *quia habet spoliandi atque interficiendi voluntatem. Exercetur enim & aperitur opere nequitia, non incipit, de Benef. lib. 5. cap. 14.* Imo etiam ipsum cogitationis actum damnasse videntur, tanquam impurum & peccati labe contaminatum. Quamobrem idem ille *Epist. II. sub fin. ô felicem illum!* exclamat, *qui non aspectus tantum, sed etiam cogitatus emendat.* Unde Claudianus Imperatorem Honorium admonet,

- - - - Sed comprime motus,
 Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse licebit,
 Occurrat, mentemque domes respectus honesti.

Verum omnes, quas circa concupiscentiæ gradus excogitarunt nonnulli Theologi & Scholastici opiniones, ut a peccato nonnullos pravi, & vere peccaminosi cordis motus & cogitationes impuritate vacuas pronunciarent, omni prorsus ratione & fundamento distitui mihi videntur, idque tum ex rationis lumine, tum revelatione divina patescit. Huic quæstioni examinandæ forte diutius, quam par est, immorati sumus, sed facile Lectorem nobis condonaturum speramus, ut quæstiones, quæ sunt juris moralis, prolixius aliquando tractemus, quoniam hæc disciplina cum in foro poli, tum etiam soli, cuique

cuique agendi & vivendi normam præscribit: illa enim dicitur, quæ Deo, quæ proximo præstanda officia. Quid sit vivere juxta dictamen rationis docet, modumque præscribit cum animi motibus atque affectibus, qui interiores actus sunt, tum regulam dicitur, ad quam actus in foro soli componere oportet quemque, qui Christianorum sacris se initiatum profiteri velit. Virtutes enim morales hujus disciplinæ objecta sunt, circa quæ versatur docendo & præcipiendo. Omnes virtutes morales cuique homini, tum quatenus homo est, & humanæ societatis membrum, tum maxime quatenus Christianum se profitetur, in totius vitæ cursu sectari incumbit: qui enim sibi hanc necessitatem impositam perspicit, necessum est, animum ad hanc disciplinam excolendam applicet. Sed dolendum, quod hodie fere jaceat inculta: forte id in causa est, quod nonnulli umbratici Theologiæ Doctorculi hanc disciplinam procul à Christianorum scholis arcendam putent; quia verendum, ne forte vivendi modum & regulam homines magis ad rationis dictamen, quam S. Scripturæ normam, tanquam Lydium lapidem explorarent examinarentque, & proinde in multos sæpe errores prolaberentur, sibi persuadentes, hac via grassari ad cælestem illam beatitudinem, & æternam legem moralem adimplentibus salutem acquirendam: quippe plus nimio sæpius in Theologia naturali rationis dictamini tribuitur, præstat itaque eam exulare ex Christianorum societate, ut scilicet rude & imperitum vulgus magis pendeat ab ore eorum, qui in Mosis cathedram collocati, clamant, se monstraturos,

L

ros,

qua via ad cœlum eatur; scil. per infantilem simplicitatem, & ignorantia suæ ingenuam confessionem, conjunctam cum ex imo pectore deductis suspiriis, & vultu ad tristitiam composito, & capite in terram demisso. Felicissimus homo in statu integro, quia simplicissimus: verum infelicissimus, cum sibi quæsi verit ratiocinia plurima, teste Regum sapientissimo Salomone. Verum ejusmodi Fanaticos ad Orcum non ablegamus, sed precamur, ut aliquando ad sanio rem mentem redeant. Veneremur sanioris doctrinæ Theologos, qui à morali disciplina initium capiunt, & ejus præceptis animum cujusque hominis imbuendum censent, & rationis dictamina, quæ in multis sæpe obliterata, è tenebris quasi in lucem protrahunt, ut virtutes & vitia per mentis discursum perspiciantur: adeoque quæ fugienda, quæ facienda homini, maxime Christiano, incumbunt, dignoscant; quænam officia cum Deo, tum proximo præstare devincti sunt, discant; quorum ex intuitu semetipsos cognoscere possunt, id est, ex contentione legis moralis sive naturæ, vel rectæ rationis dictamine, quæ ad præstationem horum omnium, & adimpletionem tot præceptorum moralium hominem obligat, cum naturæ corruptæ stimulis, & voluntatis appetitu & ad malum propensione facile perspiciet, se longe esse imparem legi satisfaciendo; adeo ut legis præmium, scil. æternam vitam ac beatitudinem sibi, polliceri nequeat, verum juxta justitiam divinam æternæ mortis reum se fateri necessum habeat. Sibi tamen conscius divinæ misericordiæ & gratiæ, quam impertiri

pertiri quoque homini non minus necessum est, quam ut fatiſſiat divinæ justitiæ. Qua autem ratione, salva justitia, gratia divina, æternæ mortis poenam, violatæ legis moralis sive naturalis reatum, effugiat, cum Theologia naturalis non dicitet, ad Theologiam revelatam transiturum prævidet. Quæ æternæ beatitudinis obtinendæ & acquirendæ media subministrat. Hinc cognoscens ex lege morali, & rationis dictamine, se reum æternæ mortis, quærit sibi media salutis, quæ Theologia revelata dicitat & suppeditat. Potuere etiam Gentiles ex rationis dictamine, quæ Theologiæ naturalis sunt, indagare, scilicet Deum esse, atque divinæ naturæ necessario inesse ipsas illas virtutes, quæ singulæ moralem in se faciendi necessitatem continent, adeoque præcipiendi vim habent, cujus in nobismet ipsis semina experimur; imo easdem oportere longe perfectiori modo in divina existere natura, quoniam earundem fons & origo est ipse Deus: atqui inter illas virtutes, quarum in nobis adhuc vestigia & semina sentimus, maxime eminent justitia atque misericordia, quæ sibi adeo contrariæ sunt, ut in una fede vix morari posse videantur. Quia tamen perfectissimo modo divinæ naturæ insunt, nec frustra inesse possunt, sed ambæ vim suam exserere debent, rationis vi investigare nequibant, quomodo idem subjectum, uti homo, vindicativæ divinæ justitiæ poena dignus, eam posset impune evadere, interveniente misericordia sive divina gratia, propter necessitatem illam peccatorem puniendi ex divina justitia moraliter fluentem, quæ nec dispensationem, nec mutatio-

nem aliqualem patitur, & proinde nullam peccatori gratiam fieri posse, ex rationis lumine haud percipere poterant. Ab una tamen parte justitia exigebat poenam, id est, mancipationem hominis in sempiternum duraturis cruciatibus, si potius æternæ morti, non eo sensu, quo nos æternam mortem interpretamur, sed absque ulla resurrectione, ideoque annihilationi similem. Ab altera, misericordia Dei postulabat, hominis conservationem, & à poena liberationem, justitia tamen videbatur repugnare misericordiæ, misericordia iterum justitiæ: hæc enim poenam hominis æternam, illa contra ejus conservationem poscebat. Utrique tamen satisfaciendum prævidebat, sed qua ratione, ipsum fugiebat. Hinc ad medium aliquod Theologiæ naturalis scientia eum perducere potuit, quod & justitiam & misericordiam conservaret, sed ejusmodi medium investigare, hoc opus hic labor erat. Hoc divinum arcanum & mysterium, humanum captum longe superans, hoc Dei inventum & munus ex Theologia revelata eruendum. Hæc illa est, quam divinorum oraculorum Interpretes & nuncii fideles Prophetæ, Evangelistæ & Apostoli litteris consignarunt. Illi docent medium, quo a poena peccati liberamur, & participes æternæ vitæ fieri possumus, nempe per fidem in Christum Dei unicum Filium, cui non percipit, verum pro nobis omnibus tradidit, ut inquit Apostolus *Rom. 8: 34.* cum adhuc essemus rei mortis, ut sua morte nos liberaret a poena peccati, & iterum aditum patefaceret ad meliorem vitam per fidem acquirendam: nulla enim sine fide in Christum,

tanquam peccatoris Redemptorem, salus; nulla autem fides sine notitia ejus, quem fide amplecti tanquam salutis nostræ ancoram, nobis incumbit; hujus vero nos certiores facit revelatio. Verum hæc in transitu, ut è diverticulo in viam redeamus.

Vidit autem mulier, id est, objectum, quod per ^{Eva indulget suis sensibus.} adspectum ad animam sive mentem transiverat, judicavit ratione & mentis discursu adhibito, quod non duntaxat bonum esset lignum ad vescendum, verum etiam pulchrum visu adspectuque delectabile, id est, speciosa fronde ac fructu insuper blandiebatur, cujus adspectus pascebat oculos, adeoque & cæterorum sensuum voluptas & jucunditas huc accedebant, quibus omnibus fœmina indulgendum, & privato consilio sibi utendum esse duxit. Jucunditas atque voluptas, quam mens capiebat ex adspectu cum fructus, tum arboris, non tam ad virtutes interiores, quæ palatum afficiunt, quam externam formam, quæ per visum adspectumque animum mulcere potest, applicari debet. Arbor enim, quæ ramos suos longe lateque frondibus ornatos diffundit, adspectu delectabilis est; verum majori adhuc voluptate mentem adficit fructibus gravida, qui, quo maturitati propiores, eo visu magis delectabiles, ob coloris elegantiam, quæ juxta maturitatis mensuram magis magisque accrescit, donec tandem ad plenam maturitatem producti per teneram adhuc cutem se varii colores prodant, & jucundum ac delectabilem præbeant adspectum. Nec ambigendum, quin hæc arbor cum fronde, tum fructibus cæteris præstantior fuerit, & proinde mulierem eo

magis arfisse cupiditate de ejus fructu comedendi verifimile. Quamvis autem & arboris præ cæteris præstantia, & fructus elegantia magis appetitum excitare videantur, memor tamen præcepti divini mulier non admoviffet manum ad vetitum fructum decerpendum, nifi ex animo metum illum, quem præceptum illud mulieri incufferat, deleviffet callidus ferpens, & aftutia fua mulierem in illam adduxiffet opinionem, qua fibi perfuadebat, non fruftra Deum hanc arborem condidiffe, medioque in horto collocaffe, nec tale bonum, quale hæc arbor fpondebat, pro fua erga genus humanum benevolentia & liberali voluntate fibi invidere; quamobrem fructum adeo fuavem oculis audaci carpfiffet manu, eumque deguftandum marito quoque obtulit, ut ejusdem boni ipfum quoque participem redderet. Et fic procedit ad confummationem peccati in foro foli. Quippe, ut fupra annotavimus, dum deliberavit, peccavit: voluntas jam appetebat rem, cujus appetitum ipfe vetuerat Deus: obfequium enim præftare ipfi incumbebat ex toto animo, omnibusque viribus, adeoque omnis appetitus & concupifcentia vitata erat. ” Perit, dum videt & guftat, prius, quam experta efferet, uti inquit Dieterichus *Antiq. Bibl. ad h. loc.* Volebat fapere ultra quod fcire ipfi datum erat: quamobrem hominem fibi quæfiviffet ratiocinia multa, inquit Ecclefiastes, quæ ratiocinia habuit, cum Genius ipfi medium offert ad beatitudinem; adhæc præceptum fciebat Dei, ratiocinabatur ergo, quid fibi agendum foret, an hanc vel illam viam eligeret: hæc hominis fuere ratiocinia, fed

fed mala, deliberando avertebat sponte se à Deo animus, cui omnibus animi viribus obsequi devinctus erat homo. Ergo hæc tria pelliciebant mulieris animum, scil. quod videbat *lignum bonum esse ad vscendum*, deinde, *cupiditatem inesse oculis*, id est, ad spectu; tertio, *desiderabile ad intelligendum*, id est, ad boni & mali scientiam, quam ex esu fructus arboris sibi acquirerent, comparandam, desiderabile & concupiscibile ad faciendum intelligere, vel ad prudentiam conferendam. Ita enim duo priora per oculos ad animum transferebantur. Tertium consistit duntaxat in mentis oculis, cui admodum concupiscibile videbatur hoc lignum, quia ad conferendam scientiam erat habile: memor enim colloquii serpentis vel hac sola causa desiderabile iudicabat, quia scientiam boni & mali conferre posset. Hoc desiderium proficiscebatur duntaxat ex mentis discursu, quæ memor promissionis serpentis nihil optabilius sibi iudicabat, quam gustare fructum, cuius esu ad summum scientiæ gradum pervenire posset. Itaque concupiscibilis erat mentis oculis hæc arbor, ejusque fructus: quemadmodum enim sensus gaudet objecto suo sensibili, ita intellectus gaudet scibili & scientia. Notandum vero, quod concupiscentia illa, quatenus proficiscebatur ex desiderio & amore ad consequendam boni & mali scientiam, per se non erat mala, quoniam tendebat ad finem bonum obtinendum; nec etiam illicitum erat ejusmodi media adhibere, quæ fini assequendo erant idonea: verum peccati labe adspergebatur, quatenus fidem habebat fallaci persuasioni Serpentis, adeoque contra præce-

præceptum properabat assequi comedendo de fructu arboris vetitæ, quod à Creatore suo unice sibi largiendum optare vel precari debuisset. Quamobrem nec medium illud adhibere ipsi fas erat, obstabat enim hic præceptum, quo interdictum, ne comederet de ligno vetito. Nam hoc interdictum concupiscentiam ad finem, scil. boni & mali notitiam, per ejusmodi media assequendum, omnino vetabat. Non ignorabat, se à Deo omnino pendere, & ab eo dirigi & adjuvari, adeoque ab eo quoque illuminari debere. Verum suoapte hic Marte, suis viribus ad bene beateque vivendum, & ad plenam ac consummatam beatitudinem assequendam properat. Debita hic patientia defungi, & pertinaciter Dei obsequi præcepto debuisset, donec vel per revelationem, vel alio modo certior facta fuisset de divinæ legis abrogatione. Præterquam quod peccatum aggravabat ingratitude quædam & illicita ambitio, quam præ se ferebat illa mulieris concupiscentia: constituerat enim Deus hominem omnium animantium principem, & in eum imperium & dominium in terram, cunctaque animalia terrestria, & pisces maris, ac volatilia cœli contulerat, hac sua sorte non contenti primi mortalium altiora adspirabant, suadente Diabolo. Eleganter de peccato à primis mortalium admisso, disserit Hugo Robinsonius *Annal. mund. lib. 1. §. 56.* ubi inquit: *Non est hujus peccati gravitas ex levitate materiæ leviter æstimanda; sed ex auctoritate prohibentis Dei, animoque hominis non obsequentis. Deus modo creaverat hominem ex pulvere terreno; animantiumque omnium*

omnium constituerat principem. Eum igitur, ut primum creatus est, tanti oblitum beneficii, Conditoris auctoritatem negligere, ac voluntati divinæ non obtemperare, ingratitude erat summæ argumentum. Deinde hominem creaverat Deus sui cultus gratia, sibi ut subesset, pareret atque serviret uni. Hoc igitur Dei jugum excutere, detrectare imperium, atque mandatum violare unicum, eo ipso, quo datum est, die, contumaciæ videtur non ferendæ. Præterea Serpentis atque Satanae promissis fidem dare, negare Dei jussa, credulitas hæc fuit an incredulitas magis? execranda. Porro sortem scientiamque diviniorum expectare, faciente spem Diabolo, quam ei destinavit Deus, a quo meritis nihil, acceperat omnia, Ambitionis erat hoc prorsus inhumane. Actum itaque animi interiorem excepit actus exterior: flagrabat animus cupiditate ac desiderio decerpenti pomum, ut comederet, atque hac ratione scientiam boni & mali acquireret, & Diis similis evaderet.

Carpfit itaque mulier audaci manu pomum, & comedit, eumque degustandum marito quoque obtulit, ut ejusdem felicitatis ac beatitudinis ipsum redderet participem. Oblatum accepit Adamus & comedit: *Deditque viro suo qui secum erat.* Hinc colligunt Hebræi, Adamum præsentem fuisse, quando serpens Evæ locutus fuit, eamque ad peccandum fallaci persuasione induxit: verum perperam. Dicendum potius, illud *secum erat*, spectare vinculum, quo marito suo devincta erat mulier; seu quod Eva fructum ad maritum alibi in horto morantem detulerit, & ita demum cum eo comederit, vid.

Adamus præsentem
nisi fuerit, cum
Serpens terrorem
cum Eva habebat?

M

Joan.

Joan. Cleric. *ad h. l.* Qua autem arte pellegerit, quibus verbis suaserit, filet Moses, utpote qui simpliciter tantum narrat, Evam dedisse viro de fructu & comedisse. Verisimile tamen non est id factum fuisse solo nutu, aut fructus oblatione, Evamque nihil aliud adjecisse, vel nullam mentionem fecisse causarum, quæ eam induxerint, ut fructum illum decerperet, uti inquit Rivetus *exercit. 31. in cap. 3. Genes.* Procul dubio mulier viro sive marito suo narravit omnia, quæ cum serpente locuta fuerat, ejusque ad se accessum viro communicavit, nec etiam celavit, quo modo astutus ille Dæmon quasi Dei nuntius sibi denuntiasset legem illam, qua esum ligni vetuerat Deus, abrogatam, adeoque jam pristinam facultatem de omni ligno comedendi ipso natali die homini largitam, recuperatam esse. Sunt multi Theologi, qui statuunt, Adamum eodem modo uti mulierem seductum, iisdemque mediis & verbis, quibus & satis credidit, cum jam videret fæminam modo edisse, nondum tamen mortuam, quod idcirco esus iste medium esse posset ad beatitudinem consequendam summam: verum hoc non patet ex Scripturæ verbis; ex quibus perspicimus, non Adamum, sed mulierem seductam esse. Adversarii subintelligunt ὁ πρῶτος, adeo ut sensus tunc foret, non enim seductus Adamus primus, sed mulier. Verum tales in hoc textu glossæ non insunt. Affirmat Apostolus *1 Tim. 2: 14. non enim Adam est seductus*, ut nimirum vera crederet, quæ serpens versutus & callidus persuaerat mulieri; *sed mulier seducta causa transgressionis Adamo fuit.* Quæ verba innuere

innuere videntur, lapsum fuisse amorē sponsæ, cuius, ut inquit Clarissimus Burmannus, animum affligere nolebat: adeoque etsi præcepti Dei conscius, & Satanæ fraude intactus, tamen ne eam in isto statu desereret, oblatum ab ipsa fructum etiam libavit; forte credens, affectum hunc erga sponsam suam, à Deo ipsi datam, si quid hic peccatum foret, facile excusaturum. Verum grave tamen fuit in eo peccatum, cum ut caput mulierem corrigere debuisset: non quidem ita seductus, sed inobediens factus est; nam cum Deo obsequi debuisset, mulieri obsequitur. Mulier quidem, quia id egerat contra naturæ ordinem, viro absente, credens serpenti, seducta quod virum seducat, hactenus gravius peccavit. Vir autem quam maxime peccavit, qui non viso hoste, nec certaminis particeps, solis uxoris blanditiis succubuit, ut inquit statim allegatus Theologus. Vir autem quam maxime peccavit, uti diximus, cum caput esset, & majori polleret iudicio, in ejus peccato omne peccatum consummatum. Unde Ambrosius: *Mulier tibi, o Adam, de ligno dedit, sed offerendo utique, non violentiam inferendo; neque enim potestate illius, sed tua factum est voluntate, ut ejus voci plus obedieris, quam divinæ. Cecidit itaque Adam, quem serpens tentare non ausus est, cibo oris & vi amoris Evæ, nimiaque in uxorem complacentia, quam noluit exacerbare & contristari repugnando illius voluntati. Audiamus Augustinum lib. 14. cap. 11. de Civit. Dei. Sicut enim Aaron, inquit, erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstructus: nec*

*Salomonem credibile est errore putasse, idolis esse ser-
viendum, sed blanditiis fœmineis ad illa sacrilegia fu-
isse compulsus; ita credendum est, illum virum
(scil. Adamum) suæ fœminæ uni unum, hominem
homini, conjugem conjugum, ad Dei legem transgre-
diendam, non tanquam verum loquenti credidisse se-
ductum, sed sociali necessitudini paruisse. Non e-
nim frustra dixit Apostolus, Adam non est seductus:
mulier autem seducta est: nisi quia illa, quod ei Ser-
pens locutus est, tanquam verum esset, accepit, ille
autem ab unico noluit consortio dirimi, nec in com-
munionem peccati, nec ideo minus reus, sed sciens pru-
densque peccavit. Etsi credendo non sunt ambo dece-
pti, peccando tamen ambo capti sunt, & Diaboli la-
queis implicati. Quem totius mundi magnitudo vin-
cere non potuit, eum libido fœminæ compressit.
Cecidit Adam fortis, quem vincere tota natura non
potuit, debilemque secutus Evam, & cecidit, quia
Evam habuit, uti inquit Dieterichus ad h. l. Huc
collimare videtur ejus ad Deum responsio, quæ se
culpa vacuum & innocuum ostendere voluit, quam-
obrem non in Serpentis mendacium, sed in mulie-
rem, quam dederat ipsi Deus, culpam transfert.
Mulier autem seductam sese à Serpente queritur,
cum inquit, *Serpens iste seduxit me, & comedi.* Ex
quo, inquit Clarissimus Burmannus, fœminæ & in-
tellectum & voluntatem corruptam, virum vero non
tam errore in intellectu seductum, quam amoris affe-
ctui succumbentem, in peccatum ruisse, confici vi-
detur. *Utinam aut Adam surdus fuisset, aut Eva
obmutuisset! Ille ne vocem suæ uxoris audiret, ista ne
loquere-**

loqueretur marito, & lubricæ vocis ministerio Serpentis in virum venena transfunderet; ut cum Ambrosio loquamur Comment. in Psalm. 28. " Discant
„ hic Viri docti, inquit Cornelius à Lapide, mulieres
„ esse periculosas illecebras, & suave venenum, cum
„ suis concupiscentiis indulgent, quibus se & viros
„ perdunt. Iis ergo utiliter se opponant & resistent."
Memento semper quod Paradisi colonum de possessione
sua mulier ejecerit, ait Hieronymus.

Hujus hominis primi lapsus historiam ad Gentili-
 um quorundam notitiam quoque pervenisse, patet
 ex Itinerario quodam Ferdinandi Pinto, ubi tradit,
 totam hanc historiam de utroque hominis statu nec
 Peguanos ignorasse, eamque mutatis fere tantum no-
 minibus à sacerdote quodam Peguano, ita relatam,
 ut ex ipsa historia sacra recitatam crederes; cui ser-
 moni se præsentem adfuisse dicit; quamobrem fide
 auctoris eam in Latinum sermonem versam refert Vir
 doctissimus Tobias Pfannerus *System. Theol. Gent.*
purioris cap. 7. §. 10. eamque se ita habere testatur:
Post erutum ex aqua orbem, hortum à Deo planta-
tum esse, cui incolam, custodemque hominem, Adæ
nomine, cum uxore Baragone dederit; utrumque in
obsequii specimen, ea lege adstrictum, ne arboris
(H lasaran vocabat) fructum temerarent, quam suo
honori seposuisset; ni parerent, gulæ intemperiem
horrendis suppliciis luituros, etiam in posteros transi-
turis. At serpente ex domo fumi, magnam istam
Lupanto, veritam, ne homini suâ erga Dei jussa
reverentiâ æterna felicitas obtingeret, mulieri, me-
lioris sortis spe pellectæ, persuasisse, ut vetitos fru-

*Etus invaderet, marito quoque in criminis communi-
onem pertracto. Unde horto expulsis mors, dolores,
atque inopia ab irato Numine incubuerint, quod ta-
men Adæ multis lacrymis testata pœnitentia utcunque
mitigarit. Quæ tamen & ipsa non vulgata, & ne
Symnisticis quidem suis cognita fuisse Sacerdos iste
(Gepos nomine) jactitabat.*

Oſto A-
dæ pec-
cata.

Notat hic Pererius octo peccata Adæ. Primum
fuit superbia. 2. Nimijs placendi amor uxori suæ.
3. Curiositas. 4. Incredulitas. 5. Præsumptio,
quasi hæc legis transgressio esset leve & veniale pec-
catum. 6. Gulæ intemperantia. 7. Inobedientia.
8. Excusatio. Alii insudant demonstrare, an hoc
peccatum fuerit in Intemperantia, an vero in Su-
perbia? sed frivolum, quod nos talia velimus in cer-
tas classes redigere, cum ipsa Scriptura id non faci-
at. Intemperantiæ autem quod tribuant, ineptum
est; non enim adeo gulæ studuit; non hoc vel illud
peculiare peccatum, sive gulæ, sive superbiæ, sed
omnium peccatorum semina ac confluxum in hoc
crimine & reatu cernere est. Fuit enim in eo inad-
vertentia divini præcepti, securitas, timoris amici-
tiæ Dei custodis excussio, infidelitas, deque ve-
racitate Dei addubitatio, superbia & divinitatis af-
fectatio, filii Dei, qui mystica arbore repræsentat-
batur, abjectio, mala ac prava concupiscentia, præ-
postera sciendi curiositas, contrectatio rei vetitiæ,
omniumque denique peccatorum ac vitiorum cumu-
latio. Vid. Clariss. Burmannum *Synops. lib. 2. cap. 6.*

Apertio
oculo-
rum.

Vix autem de fructu ligni vetiti comedit Adamus,
quin amborum oculi aperti sint. Tradit enim Moy-
ses,

fes, foeminam five mulierem comedisse, atque etiam dedisse viro suo, eumque pariter comedisse; posteaquam vero illud delictum conflatum commissumque est, apertos amborum fuisse oculos. Promiserat hunc eventum Satanus *vers. 5.* scil. dilucidam multarum rerum cognitionem adepturos, similesque Deo futuros. Sed sefellit spem eventus. *Aperti sunt oculi*, sed alio sensu. Apertio oculorum hic denotat scientiam & experientiam, quam antea non habuerant. Quomodo promissionibus igitur suis steterit Satanus, eventus docuit. Misera sane & deploranda scientia à Diabolo promissa. Aperti sunt oculi, scil. mentis & animi. Quidnam cognoverunt? Viderunt quid? viderunt scil. malum esse, quod fuerat bonum. Cognoverunt malitiam & impudicitiam carnis suæ. Tranquillus fuerat antea animus, nullis pravis cupiditatibus agitatus; senserunt motus inordinatos ab integritate & divina imagine alienos, ideoque rebelles per sua membra se exserentes. Circumferebant conscientiam, quæ admissi peccati, & proinde quoque æternæ mortis reos ipsos pronuntiabat. Unde inexplicabiles angores orti. *Divina*, inquit Theodoretus *quæst. 33. in Genes. Scriptura apertionem oculorum vocat sensum peccati & pudorem sceleris admissi: nam patrato flagitio insurgit continuo adversus nos conscientia, nosque vehementer objurgat & condemnat.* Noverant Dei justitiam & veritatem immutabilem, adeoque criminis admissi vindicem reformidabant. Quamobrem tremor horrorque animum obfederant. Latebat enim ipsos omnis reconciliationis ratio, adeoque nulla veniæ spes ipsis affulgebat,

fulgebat, sed æterna damnatio versabatur ob oculos; quis ambigit, quin in desperationem ruissent, nisi Deus illos ex gratia sustentasset. Jam videbant, sed nimis sero; quam fallax Diaboli promissio, quam noxia oculorum apertio, Gratia & iustitiæ originalis tegumento spoliati. Vix jam absque pudore in semetipsos convertere poterant oculos. Quamobrem puduit illos suæ nuditatis ex eo, quod sentirent in se motus pravæ concupiscentiæ rebelles rationi. Nudi erant antea, & non confundebantur, *non quod iis nuditas sua erat incognita, sed turpis nuditas nondum erat, ait Augustinus de Civit. Dei, lib. 14. cap. 17. quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat; nondum ad hominis inobedientiam redarguendam, sua inobedientia, caro quodam modo testimonium perhibebat.* Ex sensu itaque peccati dedecus corpus contraxerat, ita ut eos puduerit tum organo animæ depravatæ, & ad inordinatos motus pronæ, & innocentia vestis denudatæ. Inde nuditas corporis ignominiosa, quæ antea quibusvis pretiosis vestibus præcallebat. Quia innocentiam habebant antea homines, & puritatem non tanquam vestem, sed etiam plus quam vestem. Nam vestis motus inordinatos tantum tegit, & corporis externa utcunque ornat. At interna illa dona non tegebat latens virus, quod nullum erat, sed plane impediēbat, & velut lampas præfulgida in corpore diaphano, sic etiam anima innocentissima corpus illud suum tota illustrabat. At succedente intus cordis deformitate, membra externa eandem participant, ita ut hominem sui ipsius pudeat, uti differit

differit summus Theologus Andreas Rivetus exercit. in cap. 3. *Genes.* Pudebat merito sui ipsius, quia brutorum instar jam se sentiebat magis proclivem ad impuri amoris impetus sequendum, quam rectæ rationis dictamini obsequendum. Hi enim inordinati motus ipsis manifestabant aliquid mali se contraxisse. Pudor enim, ut alibi annotavimus, semper nascitur & proficiscitur ex re mala, & cum quis conscius istius mali sibi sit, tum ipsum pudet; sic etiam fuit in Adamo: ex pudoris sensu constat eum non habuisse naturam puram. Pudor enim oritur ex malo, ut cum homo se sentit deprimi in miseriarum statum, vel infra dignitatem. Puduit ergo Adamum videntem semet ab illo summo felicitatis fastigio dedisse in omnium miseriarum abyssum. In statu enim integritatis pudore perfundi non poterat, quoniam vitæ integer scelerisque purus erat. Verum post lapsum surrexerunt in eo inordinati, impuri & inhonesti animi & corporis motus, qui ita pudore hominem afficiebant, ut ipsa membra sua, in quibus hæc concupiscentia regnat, tegenda & abscondenda judicaret. Quippe propter violatam proditamque præcepti Dei obedientiam, primum perversi status sui argumentum, nuditatis suæ, quam præstaret ignorasse, agnitionem habuere: atque jam voti compotes facti, id est, boni & mali cognitionis, nuditatem illam turpem impuram atque malam agnoscentes, cum corrigere, emendare, vel saltem celare cuperent: nihil in se, cum divinarum virtutum ornamenta erant, quarumque in locum subierant inordinati & impuri motus, quo id efficerent,

N

re-

reperientes, tamen non à Deo postulare aut expectare aliquid ausi sunt, sed sua sponte & proprio Marte, propriaque industria, quam ex cognitione affectata & obtenta sibi peperisse videbantur. Igitur quod in se ipsis perdidierant, nec jam apud se reperire poterant, tamen aliunde exterius invenire conciliareque student: sed egregie falluntur, ea rerum genera ad sese operiendum, velandum, atque juvandum usurpantes, quæ cum naturæ atque egestatis suæ usu minimum conveniebant; uti inquit Arias Montanus *de generat. & regenerat. Adami.*

Proto-
plastic
cur po-
tius ex
ficus fo-
liis,
quam a-
liunde
regu-
mentum
sibi quæ-
siverunt?

Consuerunt itaque folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Quæri hic posset, cur ex foliis ficus potius, quam aliunde velamen ac tegumentum sibi quæsierint? Sunt qui putant eandem fuisse arborem, quæ iisdem fuit materia peccandi. Verum quis sibi persuadere posset, cum scirent abusu illius arboris hoc malum sibi evenisse, eandem postea dum illos & facti, & suimetipsorum puderet, attingere voluisse. Magis verisimile videtur, eos conscientia patrati sceleris perturbatos, & impuro & inusitato libidinis sensu commotos incidisse primo in hanc arborem, ejusque folia primo aspectu ipsis visa fuisse apta ad velandam nuditatem propter eorundem latitudinem & ramusculorum flexibilitatem. Testatur enim Plinius *lib. 16. cap. 26.* latissima ei arbori esse folia, quamobrem ad ejusmodi velamentum apta; præsertim si ficus illa fuit, quales ficus Indicæ, folia ferentes latissima & umbrosissima, clypeum vel peltam Amazonicam æquantia, si Theophrasto habeamus fidem *lib. 4. de plantis cap. 5.*

Arbos

Arbos (fici) comam supreme lascivam gerit, totaque fornicato ambitu pulchre orbiculatur, & magnitudine vehementer excellit. - - - Folium pelta non minus habet. Cui suffragatur, uti diximus, Plinius, tum etiam Solinus Polyhist. cap. 52. Pomaria, inquit, ficus habent, quarum codices in orbem spatio 60. passuum extuberantur, ramorum umbræ ambitu bina stadia consumunt: foliorum latitudo formæ Amazonicæ peltæ comparatur, pomum eximie suavitatis. Neque enim arbitror, inquit August. lib. II. de Genes. ad litteram cap. 32. cogitasse eos aliquid in illis foliis ficus, quod talibus congrueret, contegi jam membra prurientia: sed occulto instinctu ad hoc compulsi, in illa perturbatione, ut etiam talis pœnæ suæ significatio à nescientibus fieret, quæ peccatorem facti convinceret, & doceret Scripturæ lectorem. Magist. Hist. scholast. in hist. Genes. tradit, ” folia frus si terantur, eorumque succo caro hominis inungatur, statim ad libidinem excitatur; quare illo facto significatum esse, primos illos homines post peccatum admissum pruriginem voluptatis in sua carne sensisse: uti similes notas marginales reperi ad hunc locum in antiquo Codice sacro manuscripto, qui in Bibliotheca Canonorum divæ Mariæ, cui in hac mea urbe natali Decani nomine præsum, asservatur; & non ita pridem me legisse memini, non absque risu. Irenæus vero censet, eos non temere aut fortuito incidisse in eam arborem, nec absque ratione & consilio velamentum sibi ex foliis ejus confecisse, scil. ut manifestam darent significationem pœnitentiæ; quia folia ficus carni admota

pungunt eamque affligunt. Verum, uti nostri ajunt Interpretes, etsi aliquo peccati sensu ducerentur, ut tamen propterea cruciari & affligere vellent corpus suum, nihil est quod ostendat textus; cum uterque apud Deum peccati excusationes adduxerit, ut inquit clariss. Rivetus.

An sub
cingulo
quid ali-
ud latu-
erit?

Confutis hisce foliis ficus, fecerunt sibi perizomata, ad tegendas illas corporis partes, quarum aspectus jam excitabat impuram libidinem. Vox Hebræa *Chagoroth* חגורתא est à verbo, quod *cingere* vel *præcingere* significat: recte itaque cinctoria vel præcinctoria, subligacula, quod nostri Interpretes vertunt *Schorten*: hinc *Schorteldoek* nobis cinctorium ejusmodi, quod ventrem tegit, & à medio corpore sive ab umbilico ad pedes demittitur; quamobrem ejusmodi vestimenti genus hac voce denotatur, quo medium corpus circumcingitur, & inde pendet; quamobrem cingulum pendulum. Nonnulli Interpretes hac voce etiam quidvis aliud denotari putant, quo circumdamur, quale est septum aut tectum. Quamobrem Joh. Clericus putat credibile, quod sub hisce vestibus seu cingulis aliud quid lateat; nimirum scenam quampiam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam se abdiderint, cui rei simile quiddam 8^{vo} commate narratur. Hinc, inquit *Tamudita Arabes Chogiron* aut *Chegron* habitacula sua, quæ plerumque scenæ sunt; vocitant. Verum alii putant hanc vocis significationem à sensu & mente auctoris Pentateuchi alienam; eo magis, quod hac ratione a communi hujus vocis significatione omnino recedimus. Præterquam quod ejusmodi cinctorium, uti

uti dicere incepimus, necessum habebant, ut eo nuditatem sive genitalia membra tegerent; uti quoque postea testatur Moses, Deum fecisse Adamo & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus nuditatem velarent. Quamobrem prima significatio magis sacrae Scripturae sensui & menti auctoris convenit, quam altera; quoniam ejusmodi vestimenti genus hic necessario intelligendum, quo pudenda tegenda, & proinde nec tectum, nec habitaculum; quod non excogitatum ad corpus vestiendum, verum contra caeli injurias tuendum. Praeterquam quod ideo non tecta fuissent illa membra, quorum jam illos pudebat, si vestimento vel cingulo non velassent, ne in oculos incurrerent, quorum adspectu jam pudore suffundebantur. Recte itaque eam vocis significationem amplectimur, qua denotatur cingulum, vel ejusmodi genus vestimenti, quo nuditatem pudendorum tegimus. Vulgata nomen Graecum retinuit, quo usi sunt LXX. *fecerunt sibi περιζώματα*. Sic autem dicitur Graecis τὸ περὶ τῆς κοιλίας ζῶμα, interprete Julio Polluce, id est, quod ventrem circumtegit. Latina translatio, quam habuit Augustinus, pro succinctoriis hoc loco habebat campestria: ita enim ille *de Civ. Dei lib. 14. cap. 17. Consueverunt folia fici, & fecerunt sibi campestria, id est succinctoria genitalium. Nam quidam Interpretes succinctoria posuerunt. Porro autem campestria Latinum quidem verbum est, sed ex eo dictum, quod juvenes, qui nudi exercebantur in campo, pudenda operiebant: unde qui ita succincti, Campestratos vulgus appellat. Quod tegumenti genus olim & adhuc apud multas Gentes*

baras in usu: tradit enim Diodorus Siculus *lib. 4.* de Æthiopicibus, " eos cætero quidem corpore nudos ingredi, pudenda tamen vel caudis vulpinis, vel ex capillis subligaculis contextis velare." Et Nicolaus Damascenus apud Strabonem *lib. 15.* Antiochiæ se vidisse affirmat legatos Pori Indorum Regis potentissimi ad Augustum missos cum litteris & muneribus, atque cum his fuisse octo servos toto corpore denudatos, præter pudenda subligaculis obtecta." Campestre denominationem habet à genitalium succinctorio, quo utebantur Romani juvenes in Gymnasiis & Palæstris, hoc est, in campis publicis. Unde Horatius *I. Epist. II.*

Penula solstitio, campestre nivalibus auris.
ubi Acron inquit, *Totius corporis nihil præter inguinem tegere.* Asconius in *Orat. pro M. Scauro:* Cato Prætor iudicium, quia æstate agebatur, sine tunica exercuit, campestri sub toga cinctus: in forum quoque sic descenderat, jusque dicebat. Inde repererat ex vetere consuetudine, secundum quam & Romuli ætate statua in Capitolio & in Rostris Camilli fuerunt togatae sine tunicis. Vives ad illa Asconii, nec ignoro, inquit, pro campestri capistro à nonnullis legi, parum apto sensu. Scriptor historiae scholasticae nescio qua ratione neget temporibus Noë femoralia esse adhuc inventa. Turnebius *adv. lib. 27. cap. 22.* campestre vocat, quod succingitur ab umbilico & ad pedes demittitur, locoque tunica habetur. Eo uti solebant ludentes in campo: nam nudum esse turpe habebatur; & æstate quidem pro tunica.

tunica. Comment. *Horat. Epist. 11. lib. 1. Campestre est linea vestis, tenuis, inutilis hieme, quia totius corporis nihil præter inguina tegit; ideo campestris dicta, quia in campestri exercitio, id est, in campo Martio utebantur juvenes.* Ergo campestria, (quæ & subligacula) erant tantum cinctoria, quæ ex panno vel alia materia facta, pudenda tegebant. Verum enim vero, quid hoc velamenti genus prodesse poterat Adamo, cujus nuditas non tam in corpore, quam animo consistebat. Nudus animus hisce virtutibus, quibus ornatus fuerat, recens à Creatoris manibus formatus, scil. sanctitate, rectitudine, & originali justitia, pariebat nuditatem corporis. Quippe qui antea nudus, uti diximus, non erubescibat tamen propter divinarum virtutum ornamenta: violando autem legem hæc ornamenta perdidit, quibus exutus, nudum se cognovit, ut sibi ipsi turpis ac nequam, inhonestusque judicaretur amissa illa virilis partis dignitate atque præstantia, & in effeminatam impotentiam delapsa natura. Genitalia jam tegunt, quæ antea in statu integro nondum aliquo velamento texerant, nec velari necessum erat, quum sine vitio essent. Quippe ille motus genitalium, sine quo nec crescere nec multiplicari posset genus humanum per viri & mulieris legitimam conjunctionem, sic ordinatus fuit, ut nihil haberet pudendum & indecens ante peccatum; tunc enim membra illa generationi destinata non caro concupiscens adversus spiritum, sed voluntatis imperium movebat. *Quia affectibus per lapsum corruptis,* inquit Vir singulari eruditione florentissimus Sam. Pufendorfius

fendorfius de jur. nat. & gent. lib. 6. cap. 1. prava libido per eas partes magno velut cum impetu erumpere ardet; & cardo quasi omnis decori ordinis in societate humana in his vertitur, ut propagatio sobolis sanctis legibus circumscribatur; igitur dignitati suæ conservandæ, simulque præscindendis illicitæ aut intempestivæ Veneris occasionibus studens, natura istum pudorem commenta est, quo & sollicite ista membra tegerentur, ne oculis semper exposita excitarent libidinem quovis tempore paratam. Inde, inquit, Protoplasti post depravatam affectuum harmoniam, cum illis partibus inordinatam libidinem sibi velut portam struere animadverterent, merito pudore suffundebantur tanta in se jam imperfectione deprehensa, cui utcumque à tegumentis nonnihil remedi arcessitum ibant. Vir autem varia eruditione celeberrimus D. Lambertus Velthufius super nuditate, & qui eam comitatur, pudore, erudite & subtiliter, uti solet, philosophans de Principiis justæ & decori, concludit, Protoplastos ante admissum peccatum instar puerorum fuisse, quoad pudoris affectum: peccato perpetrato, pudoris affectum animam eorum occupasse, ex quo pudore intelligebant indecens esse, genitalibus nudis incedere; sicut idem judicium formamus crescentibus annis. Pudor videtur ex iis animi affectibus esse, qui non, uti aliæ animæ proprietates essentielles, cum ea nascuntur, ut ita dicam, verum quæ dependent potissimum ab educatione, & proinde pendent a rationis discursu discernentis inter illud quod honestum & decorum, inhonestum atque indecens est in actionibus, quæ
ab

ab homine proficiscuntur, quatenus est pars & membrum cum societatis humanæ, tum civilis, adeoque relationem habet ad sui similes. Itaque cum educatio quasi altera sit natura, & mores formet, cuique inspirat ab ipsis ephebis ejusmodi de re aliquam opinionem, quæ crescentibus annis magis magisque in animi judicio & rationis dictamine altiores agit radices, atque tam firmiter inhæret ac infixam manet, ut juxta illa principia quid justum, quidque decorum, quidve honestum & inhonestum sive indecens sit, in societate humana metiamur, atque quid cum dignitate & præstantia generis nostri conveniat, quid illam minuat, dijudicemus. Unde evenit, ut, si quis apud illas gentes fuerit natus, ubi illa invaluit consuetudo, ut ex communi gentis sensu nota turpitudinis sit ablata a tali vivendi modo, totam gentem extra peccati labem genitalia detecta habere absque ullo pudore videamus, quia nullam imperfectionem aut infirmitatem erubescendam homini in ea re esse agnoscunt, non magis quam nos in detectione vultus vel pectoris Matronarum, quæ in publicum prodeunt. Uti quoque inter gentes moratiores, & quidem apud illas, ubi nuditas proscripita est, ea membra citra peccatum detegi necessum est, puta, cum medicatrici manui sunt committenda, vel uti accidit in theatro Anatomico, scil. quia in hisce casibus impudentiæ nota adesse desinit: ideo quia tunc ea membra patent absque protervia & ostentatione; vel quia in nobis non excitamus eam libidinem & inordinatos motus, qui dictamini rectæ rationis repugnant, & justis ac decori innatis prin-

O

prin-

principiis; vel tanquam infirmitatis aut imperfectio-
 nis nota non habetur. Notandum enim, ista mem-
 bra, quæ ad propagationem sobolis necessaria, per
 se nihil turpitudinis habere, quamobrem in statu in-
 tegro eadem denudare in se turpe non erat; ast ex-
 unto integritate homine, eorundem adspectus exci-
 tabat impuram & illicitam libidinem, & arguebat
 pariter hominem imperfectiois & infirmitatis, qua
 laborabat post admissum peccatum. Antea boni &
 mali nescius ducem naturam sequens, nulla prava
 cupidine vel libidine & impuro amore agitabatur,
 omnes animi affectus voluntati rationali serviebant,
 & proinde quoque adspectus sive nuditas illorum
 membrorum genitalium non excitabat motum inordi-
 natum, quia nihil habebat pudendum & indecens
 ante peccatum. Verum post illud admissum affe-
 ctus animi non voluntati rationali obtemperarunt,
 si ve potius non consentanei fuerunt; sed sensus volu-
 ptatis menti dominabantur, & contra rationis dicta-
 men & imperium movebantur: & proinde conscii
 imperfectiois & infirmitatis suæ, quam ex conspe-
 ctu membrorum genitalium perspiciebant, pude-
 bant se nuditatis suæ; quamobrem confuerunt folia
 fici, & fecerunt sibi campestria, ne eorundem nu-
 ditas continuo eos infirmitatis suæ accusaret, exci-
 tando in ipsis impuram libidinem, tum etiam quasi
 in aures infusurraret, quantam felicitatem amiserant,
 & quantum in malum ceciderant. Cum olim mem-
 bra parebant rationi, jam rationem servire membro-
 rum inordinatis motibus experiebantur, tanta in se
 imperfectiois deprehensa, quæ præstantiæ generis
 sui

fui & dignitati suæ multum detrahebat, quamobrem à tegmine nonnihil remedii arcessendum putarunt. Pudor itaque proficiscebatur non tam ex nuditate membrorum, quam conscientia admissi peccati, & sensu pravæ libidinis & carnis inobedientiâ, quam post acquisitam boni & mali scientiam in se experiebantur; unde tegenda illa putabant, quorum conspectus semper illam libidinem & inordinatos motus posset non duntaxat excitare, verum etiam intuendo tristis recordationis dare occasionem, quod videlicet dignitati & præstantiæ generis sui tantum detraxissent: uti jam imperfectiōnis & infirmitatis nota inordinatis animi motibus indicat, qui se in abusu hujus membri potissimum prodebant. Quoniam vero status sui ter quaterque felicissimi conscii, adeoque rerum usu edocti, quantum mutatus ab illo præfens, in quo collocati jam erant: non miror pudore affectos, intuendo nuditatem suam, cujus forte primum ad conspectum sentiebant, statum integritatis in deteriorem commutatum: adeoque voluerunt tegere, ne illa turpitudinis nota amissæ dignitatis & præstantiæ generis sui memoriam continuo refricaret, & apud sui similes imminueret propriam æstimationem. Ante admissum peccatum, sive in statu innocentiae, quum nullius vitii sensum sive scientiam haberent, nullo quoque pudore affici poterant, quem ex re mala proficisci supra annotavimus, quamobrem audi non erubescabant magis, quam pueri, qui omnis vitii & mali inexpertes nullum pudoris affectum sentiunt, verum crescentibus annis dum bonum & malum morale, vel judicio hominum, quorum in so-

cietate educati, & efformati, discernere valent, pudoris quoque affectus eorundem animum occupat: verum acquisita jam boni & mali notitia, adeoque discernendi facultate inter bonum, quod non ita pridem amiserant, & malum, in quod ceciderant, pudor quoque animum occupavit, & puduit illos nuditatis suæ, eam intuentes, quia forte ejus conspectus, uti dicere incepimus, edocuit hominem, quantum de dignitate, præstantia & æstimatione detraxisset admittendo peccatum: adeoque nuditatem, tanquam hujus inobedienciæ carnis, & inordinatorum motuum, quibus etiam voluntas rationalis, quæ præstantiam generis nostri potissimum refert, paret & servit, testem adspiciens velandam eam merito animum induxit, quoniam isti motus inordinati potissimum in illis membris conspiciuntur. Cujusmodi vitium non in membro, sed animo latebat; quamobrem nec membra genitalia, nec eorum usus propagandæ soboli inserviens, aliquid turpitudinis habet, verum vitium inhæret animo, proclivi ad libidinem. Quippe, uti August. *lib. de nupt.* inquit, *sub statu innocentie fuisset quidem motus genitalis membri, sine quo non possunt conjuges coire & gignere, sed voluntati rationali id servivisset, & non libidini, sed ad generationem prolis; per peccatum vero membrorum & motuum successit inobediencia ad motus inordinatos.* Quamobrem ne ejusmodi motus inordinatos excitaret in animo conspectus, tegenda dictabat ratio morumque modestia. Verum quid si consuetudo invaluerit apud quasdam gentes ea membra detegere, adeo ut omnis turpitudinis

dinis nota ex communi gentis sensu fit ablata a tali vivendi modo, & proinde nullam possit excitare libidinem, nec dignitati & æstimationi apud alios officere ejusmodi nuditas, dum quasi ratione hujus affectus in statu innocentiae vivere videantur, an dicendum videtur, necessitatem tamen moralem dictare tegenda illa membra magis quam vultus Matronarum, quæ in publicum prodeunt. Diximus, illa membra per se nihil habere mali, nec etiam dignitati vel æstimationi & præstantiæ generis humani præ cæteris creaturis officere, nisi quatenus per relationem ad proximum, quicum in societate vivimus, vel infirmitatis & imperfectionis nostræ notam præ se ferentia, dignitatem & æstimationem nostram apud alios minuere, vel libidinem & pravam cupidinem excitare possunt. Quoniam vero ejusmodi sensus & opinio de re, quæ moraliter & per se mala quidem non est, verum habetur, potissimum dependet à præjudiciis, quibus animus à teneris etiam annis juxta vulgi opinionem & vivendi modum imbuitur, dicendum videtur rationem, quæ cuique imponit necessitatem, qua tenetur quisque se in dignitate sua tueri, & sibi quoque cavere, ne alium ad impuram libidinem provocet, dictare propter hæc circumstantias tegenda ejusmodi membra, quæ absque protervia & impudicitiae nota revelari non possunt. Verum ubi forte consuetudo invaluit, ut ex communi gentis sensu omnis prorsus nota turpitudinis fit ablata a tali vivendi modo, omnes in publicum nudi prodeunt, nullamque imperfectionem vel infirmitatem erubescendam ea in re

inesse agnoscunt, nullamque inde in se libidinem excitari sentiunt magis, quam ab aliorum membrorum detectione, utique extra peccati labem ea detecta haberi posse, cur non statueremus? quippe morum innocentia hic videtur à peccato immunem ejusmodi vivendi rationem præstare. Quod aliæ gentes, quas moratiores vocamus, id vitio verterent, & impudentiæ notam existimarent, id tribuendum politiori educandi liberos, & humaniori vivendi recepto modo, qui, uti dicere incepimus, animum imbuit præjudiciis, ut quod una gens judicat indecens, altera absque ullo probro fieri posse, & omni carere vitio existimet. Verum enim vero quam hæc argumenta non omni ratione videantur destituta, mihi tamen videtur illud, quod decorum & honestum in vitæ transigendæ ratione observandum dicat ratio, haud deduci oportere a quarundam gentium feris moribus, quæ à communi sensu de eo, quod justum & decorum est, maxime aberrant, verum quod rectæ rationis dictamen Gentes, saltem moratiores, docuit. Constat enim multas gentes barbaras non adeo juxta rationis dictamen, quam quidem pravè ad quæcunque vitia pronæ naturæ impetus vitæ traducendæ rationem instituere, & proinde à morum modestia adeo descivisse, ut vitio non vertant, quæ inter moratiores gentes absque probro & impudicitæ nota admitti nequeunt. Quamobrem apud illas detecta genitalia habere, nullam præ se ferre turpitudinis notam, quia brutorum instar nullum pudoris sensum habent; dum aliæ, quæ politio rem vivendi modum rationis dictamini

confen-

consentaneum amplexæ sunt, haud absque pudore & extra peccati labem & turpitudinis notam, & citra impudicitæ crimen eadem detegere existimant. Quippe quamvis eorum membrorum nuditas per se moraliter mala esse nequeat: attamen quia eorundem adspectus, dictante ratione & teste communi sensu, habet in se notam impudicitæ, nec patere possunt absque protervia & ostentatione, tum etiam ad libidinem excitant naturam ad illum actum, cui inservire debent, plus satis proclivem, haud citra peccatum detegi, nec absque pudore revelari mihi posse videtur. Quamvis generandi actus per se nihil mali aut vitii contineat, quatenus propagatio sobolis & multiplicatio generis humani absque coitu, & usu illorum membrorum ad illum finem assequendum haberi nequit: attamen propter circumstantias quasdam, quæ illum actum comitantur, aliquando extra peccati labem fieri nequit. Quippe cum naturalis ratio dicat in omnibus actionibus, quod justum, decorum, atque honestum & juri naturæ consentaneum est, observandum; simul quoque imperat, ut juxta legem connubialem humanum genus propagetur, adeoque vagum concubitum & Venerem illicitam prohibet. Cum autem omnium animalium communi conjunctionis appetitu & naturæ stimulis feramur ad coitum procreandi causa: ne autem in Venerem illicitam prorumperet hic naturæ impetus, sanctis legibus propagatio sobolis circumscripta; scil: ut fiat per legitimam viri & mulieris conjunctionem cum perpetua vitæ consuetudine conjunctam, ita ut omnis conjunctio extra legitimum

matrimo-

matrimonium, omnis vagus concubitus sit prohibitus, & proinde quoque omnis intempestiva Venus illicita: atqui ad illam maxime irritantur homines, si illa membra semper oculis exposita essent: natura quasi indidit homini naturalem pudorem, quo ista membra sollicitè tegerentur. Vid. quæ suprà ex Puffendorffio annotavimus. Unde omnes gentes moratioribus ab illorum membrorum revelatione. Et quod forte apud alias gentes iste nuditatis pudor exoleverit, id initium sumsisse credit idem Auctor ab egestate, dum in regiones incultas delati homines, detritis, quas habebant, vestibus, materiam aliis tegumentis non invenirent, nec per temperiem cœli valde desiderarent. Inde pudor in hisce paulatim periit: cujus vestigia tamen retinuerunt, qui exiguo velamento pudenda obtexerunt; unde ad plenam nuditatem facilis est transitus. Iste porro pudor insignis intenditur adversus illas personas, quibus natura quandam reverentiam debemus, quales præcipue sunt parentes & liberi: ita ut qui per eundem non reprimatur, quominus in familiarem istam corporum commixtionem descendere vereatur, effronti potius ingenio, & qui nullum aliud facinus sit formidaturus, judicetur; quique adeo maximo inter homines morbo laborant impudentia. Si gentiles naturali ratione edocti magnam impudentiæ notam existimarunt pudenda revelare, quanto magis abhorre nos oportet ab illarum gentium pravis & corruptis moribus, quæ absque pudore nudi in foro ambulare non erubescunt, cum sacris ex litteris perspicimus, quam graviter animadvertit Deus in Chamum,

Chamum, patris nuditatem intuentem, quem venerari & honorare lege naturæ devinctus erat. Quid itaque turpius, quid magis indecens & contra bonos mores est, quam ut abjecto omni pudoris sensu liberi & parentes promiscuè in forum nudi procedant; quid à pudicitia ac castis moribus magis abest, quam ut brutorum instar cum foeminæ tum masculi denudati incedant; quid morum gravitati & reverentiæ, quam ratio vult cuique juxta dignitatis gradum præstari, magis repugnat, quam ut ex imæ facie plebis homo pudenda intuenta præbeat Principi vel Magistratui; & vice versa, quid impudentius & magis indecens fingi vel excogitari posset, quam ut in viros graves, & ob senectutem venerandos incidant pueri morum innocentia ob ætatem tennellam adhuc omnis libidinis inexpertes. Inde Romæ cum parentibus puberes filii, cum focero generi non lavabantur. Parit contemptum, excitat illicitam Venerem, & excellentiam probro exponit: imo ad nefanda impellit admittenda facinora horum membrorum adspectus. Crimine adulterii, nec deinde homicidii se non polluisset morum integritate & erga Deum pietate Regum florentissimus David, nisi forte è tecto vidisset Bathsebam se abluentem & ab immunditia sua se purgantem, adeoque à capite usque ad calcem nudam, ita ut nullum membrum, quin detectum, & à Rege posset conspici, & cætera quis nescit? Unde statim in flammam abiit, totoque impuro amore uritur pectore, nec adspectu contentus, usum poscit. Quis ex hisce non perspicit, cur natura pudorem menti nostræ quasi in-

P

sevit;

sevit; scil. ut sollicitè ea membra tegerentur, ne eorundem adspectus ad illicitam & intempestivam Venerem invitaret; cujusmodi libido ad alia nefanda facinora admittenda hominem inducere potest, ut voti sui compos fiat. Unde rectè ejusmodi pudor non à moribus & tali vivendi modo profiscitur, sed dictamine rationis, id quod decorum & honestum est, præcipiente, quod turpe & indecorum est, vetante. Quamobrem & ipsa natura hæc corporis partes contextit atque abdidit, quia earundem usus parum convenit cum hominis excellentia, qui non tam corpore, quam rationis usu à brutis distinguitur. Audiamus Ciceronem 1. *Offi. Principio*, inquit, *corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quæ formam nostram, reliquamque figuram, in qua esset species honesta, posuit in promptu. Quæ partes autem corporis ad naturæ necessitatem datæ, adspectum essent deformem habituræ ac turpem, eas contextit atque abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui sanæ mentis sunt, remonent ab oculis, ipsique necessitati dant operam, ut quam occultissime pareant, quarumque partium corporis usus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum usus suis nominibus appellant; quod facere turpe non est, modo occulte; id dicere obscænum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obscænitatis. Nos itaque naturam sequamur, quæ nobis inserit pudorem, & cor ita finxit & formavit, ut honestatis summam videatur habuisse*

*esse rationem. Ne itaque Cynicos imitemur, qui ab-
jecto omni pudore, in propatulo cum conjugibus, ca-
num more, coire non erubescunt.*

Divina autem sanctitas & justitia statim sese pro-
dit, postquam Protoparentes legem sibi datam trans-
grediendo, peccatum contraxerant, atque hac ra-
tione justitiam & sanctitatem divinam læserant: ex-
igebat autem justitia, ne impune id se fecisse expe-
rarentur Protoplasti, adeoque tanti admissi facino-
ris se acerrimum vindicem esse, innotescere necessum
erat peccati correis viro mulierique: vindicta enim
peccati haud salva justitia & sanctitate divina differ-
ri poterat. Itaque illico post admissum peccatum
adest Deus, ut Adam coram se tanquam competen-
te suo iudice se sisteret, & hac ratione sanctitatem
ac justitiam Dei in vindicando & puniendo peccato,
cujus sibi jam conscius erat, perspiceret, & pœnas,
quas pati meritus erat, seque daturum, dictante
conscientia, reformidaret. Summo itaque Deus
descendit Olympo, & humana forte sub imagine de-
ambulat in Paradiso, citaturus coram suo tribunali
par hominum, ne inauditus se quereretur damna-
tos. Verum conscientia jam convicti erant admissi
peccati, adeoque pœnam assiduam peccati comi-
tem se haud evafuros perspicientes, ad Dei deam-
bulantis vocem sive præsentiam terreti, in fugam se
vertunt, & latebras quærunt. Videamus hujus rei
gestæ historiam à Mose descriptam: *Et cum audissent
vocem, inquit, Domini Dei ambulantis in Paradiso ad
ventum illius diei, abscondit se Adam & uxor ejus à
facie Jehovæ Dei inter arbores illius horti.*

Divina
Justitia
& San-
ctitas in
indican-
do se
prodit
atque
punien-
do pec-
cato.

Vox Dei
in Para-
diso am-
bulantis,
quid?

Solet hic quæri, quænam fuerit vox Dei, quæ ad Protoplastorum pervenit aures: vocis enim Dei sæpe meminit Scriptura sacra, eaque varias admittit significationes & interpretationes; sic vocatur à Psalmista *tonitru*, *Psalms. 29: 3.* vocatur etiam *vox Jehovæ* verbum Dei, etiamsi ab alio enunciatum *I Sam. 15: 1. Audi vocem verborum Jehovæ.* Volunt quidam Interpretes, vocem Dei in Paradiso ambulantis intelligendam de vento, cujus Moses meminit, quasi ex illius strepitu & vehementia intellexerint Adam & Eva Deum adesse; adeoque eam vocem non fuisse aliud quam ingentem quandam terrificumque sonitum ac fragorem, Dei adventum præsignificantem: neminem enim, qui non plane hospes in sacris litteris, fugere potest, scripturam ingentes aliquos sonos appellare voces, uti Psalmo statim allegato; sic *vox aquarum*, *vox cataractarum*, *vox nubis*, *vox tubæ*, *Psalms. 28. 42. 46. & 77.* & passim in Apocalypsi. Hebr. vox כּוּל *Kol* ambigua est; vocem enim loquentem & quemvis strepitum significat. Pro locorum circumstantiis rerumque natura alterutra eligenda est significatio. Cum autem nulla Dei referantur verba, quibus eum adventare intellexerint primi Parentes, antequam Adamum nomine appellaret: videtur hic designari strepitus nescio quis, Dei adventum prænuntians, cuius meminit alibi Scriptura, inquit Johan. Clericus *comment. ad h. l.* Inter Patres Chrysostomus de voce & auditione interna interpretatur, hoc est, de conscientia mox eum accusante & damnante ob peccatum admissum. Ità vox Dei erit vox illa præcepti.

Non

Non comedes: Si comederis, morte morieris. Cum hujus ad Dei præsentiam meminerint, atque delicti admitti conscii, vocem Jehovæ audiisse dicuntur. Statim igitur audiverunt vocem Domini, scilicet illico, absque ullo temporis intervallo hæc tristis subiit animum cogitatio & mentis senserunt cruciatus. Ambrosius statuit, sensum deambulantis & vocem loquentis Dei fuisse formatam in auribus primorum Parentum, licet Deus revera nec deambulet, nec loqueretur. " Deambulabat, inquit, id est, sentiebatur deambulans Deus; qui non revera deambulabat; & audiebatur loquens Deus, qui non loquebatur. " Verum forte non perperam statuunt alii Interpretes, hic *vocem Jehovæ* non fuisse sonum inconditum aut strepitum aliquem excitatum Dei adventum præsignificantem, vel conscientix dictamen, & sensum delicti admitti hominem accusantem; verum articulatam vocem, qua Deus peccatores homines citabat ad iudicium, ut infra Moses testatur. Itaque non vocem arborum sive strepitum, sed loquentis & irati Dei, dicentis, *Adam, ubi es?* Verum quod ad vocem Dei, quam audiverunt, attinet, inquit Pareus, iudico conjungi posse sententias. Primum foris audiverunt vocem Dei supervenientis & vocantis eos in iudicium, sive tonitru sive flatu vehementiore, sive articulatis verbis. Mox interna Dei voce citati etiam audiverunt vocem conscientix accusantis, quod essent prævaricatores, rei mortis. Tacet autem Moses, an vox illa formata fuerit in aëre, ita ut nemo videretur loqui & vocem attollere; vel potius an vox

fuerit efformata in corpore aliquo, forma humana visibili, per quod Deus locutus sit & se primis hominibus manifestaverit. Sentit summus Theologus Rivetus, *maxime probabile esse, tum Deum assumpsisse corpus humana figura, & virili præditum, ut postea sæpe factum, quando se Patriarchis patefecit. Idque, pergit, videtur innuere tota ratio processus judicialis à Deo instituti, quando interrogavit & sententiam pronunciauit. Id enim factum videtur in figura corporea, sed cum insigni & divina majestate. Et paulo infra: Est autem probabile, tam ambulationem, quam vocem terribiles fuisse, & Deum, qui antea placate Adamum solitus erat compellere, tunc ei se formidabilem representasse, quasi peregre venientem, & velut ira tumentem, & suo incessu terram velut concutientem. Vocem hanc Dei cum strepitu & insolito aeris motu conjunctam fuisse, probabile, imo per ventum illum ad aures parentum pervenisse verisimile; istiusmodi enim insolitus aeris motus erat indicium divinæ præsentia, & Dei advenientis quasi præcursor, 1 Reg. 19: 12. Job. 38: 1. Act. 2: 2. Admodum vehementem & procellosum hunc ventum fuisse, volunt Judæorum magistri; qui magnum injiciebat Adamo tremorem ac metum, cum antea lenes & placidi hortum mulcebant Zephyri. Audiverunt itaque & vocem; & simul animadverterunt Deum ambulans in horto in specie illa corporea, quam assumpserat, cum ad Adamum redarguendum accederet. Quamvis Deus, qui ubique præfens est, haud dici possit localiter deambulare. Potuit tamen etiam specie visibili obambu-*

obambulare in horto, & inclamare parentes, sicut prius in creatione visibiliter cum iis egerat, ipse natura sua invisibilis existens, ut inquit Augustinus. Fuit itaque vox illa corporea, quam agnoscere poterat homo, quia distincta satis erat ab illa, quam homo naturaliter edere solet. Præterquam quod jam ante cum Deo collocutus, vocem solitam Dei cognoscere poterat. Deinde quoque eum fugere non poterat, nullum alium esse hominem in horto, qui hanc vocem emittere potuisset. Pii veteres unanimi consensu dicunt hic apparuisse ipsum Dei Filium, quorum in numero Justinus, Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & Hilarius, *lib. 12. de Trinit.* Ille quippe hic forma humana visibili apparet in horto deambulans, & ad hominem iter dirigens, ut eum jam lapsum, & coram Deo sese sistere metuentem, adeoque ad Creatoris sui præsentiam se in fugam conjicientem & devia quærentem offenderet, & in rectam regiamque viam reduceret, atque erigeret. Apparet itaque hic ut Mediator lapsum nunc hominem, sua intercessione suoque sanguine ab æterna morte aliquando redempturus. Huic itaque aptissime conveniebat ejusmodi visibilis apparitio in præludium futuræ incarnationis, cujusmodi apparitio corporea, sive assumptionis corporis humana figurâ edocebat hominem, haud factu impossibile in eadem specie corporea visibili, scil. humano corpore indutum appariturum aliquando Messiam, qui se morti manciparet, & pro expiandis peccatis nostris sanguinem vitamque profunderet, adeoque nobis ab omni peccati labe suo sanguine

guine purgatis, & Christum per fidem amplectentibus tanquam salutis nostræ auctorem, ad consuetudinem cum Deo, in qua æterna beatitudo nostra consistit, iterum pateret aditus. In illam spem erigere hominem jam lapsum, & conscientia peccati & commissi facinoris sensu depresso, hoc futuræ incarnationis præludium certo sibi persuadens, affore aliquando tempus, quo illud, quod jam ab æterno fuerat in fati, ut ita dicam, complementum suum habiturum. Et cur non diceremus a primo lapsus momento Mediatoris officium in se suscepisse, aliquando stato tempore consummandum? Nonne summam animadvertimus Dei erga hominem nefandi commissi facinoris reum misericordiam, & bonitatis divinæ ingens documentum, quod homo, simul atque tam audax facinus admiserat, non è vestigio absque mora mortuus fuerit, ut ferebat Dei comminatio: quod non repente fulminis ictu fuerit contritus aut percussus, ut pœnas, quas pati meritus erat, lueret? Verum intervenit Mediator Dei Filius, qui in se suscepit expiandum crimen, absque ulla divinæ sanctitatis vel justitiæ læsione. Ille itaque summo descendit Olympo, & humanam induens figuram, lustrat hortum, homini appropinquat, eumque admittit ad colloquium; & licet non absolvatur, consolatione tamen & pœnæ mitigatione benignissime erigitur. Judicis itaque quoque fungitur officio, verum non vindicem se peccati inexorabilem, sed qui se nostri misereatur, præbuit. Quamobrem ejus adventum non formidabilem, sed placidum fuisse, cum quibusdam Theologis statuendum pato.

puto. Atque lenem & placidum arborum susurrum Dei adventum prænuñciasse verisimile judico, idque etiam denotare videtur verbum *ambulare*, quod non significat hominis æstuosi & ira effervescentis, terramque quasi pede concutientis incessum, verum tranquilla mente, & sedato animo, lentoque pede procedere, ut omnia accurate lustrari possent oculis. Sic Deus horti custodes & colonos invisere quasi cupiens, ut quæ ab iis gesta atque peracta erant, investigaret, descendit è cælo leni arborum susurro, quasi adventus placidi prænuñcio præcurrente, hortumque obambulat, & quasi ignarus facti admissi, ad horti sui colonos flectit iter, ut ex illis intelligeret, quid actum, quid perpetratum fuerat continuo hoc tempore, quo hoc domicilium gratis incoluerant. Dixerunt veteres Hebræi, gravem & formidabilem esse Dei adventum, cum è folio misericordiæ transit in folium justitiæ. Unde Propheta Micha cap. 1: 3. *Ecce Dominus egreditur &c. & calcabit super excelsa terræ, & consumentur montes subtus eum, & valles scindentur, sicut cera à facie ignis.* Vid. *Psalm.* 18: 10, 15. *Ezech.* 38: 18, 20. *Nabum.* 1: 3. Verum hic à folio justitiæ transit in folium misericordiæ, uti patet ex iis, quæ modò adnotavimus. Attamen non ambigendum; quin Protoplasti justitiam quoque divinam experti fuerint atque præsenferint, cum horrorem & tremorem adventus Dei ipsis injecerat, magna timentibus supplicia, tremuloque proinde gressu huc illuc vagantibus in horto, & quærentibus latebras: verum secum ubique circumferebant conscientiam ad-

Q

missi

missi facinoris, quæ ipsis continuo quasi in aures infurrabat adesse Deum, peccati acerrimum vindicem, ut pœnam ab iis exigat lege statutam, adeoque æternæ morti mox illos traditurum. Hinc nec mirum, quod ad sonitum folii se in fugam convertant & abscondere à facie & præsentia Dei cupiant. Quid autem accidisset, si ira tumens, adeoque incessu veluti terram concutiens, per tonitrua & fulmina, & procellosum ventum prænucciasset adventum, simulque ad iudicium vocasset Protoplastos. Nonne metus, morte repentina gravior, eorum percussisset animos, ita ut nec mens suum fecisset officium: meditantur jam quidem fugam, & abscondunt se, metuentes Deo reddere rationem facti; verum non adeo pavore correpti, quin statim animadvertant illum adventum cum sibilo auræ tenuis conjunctum sibi haud interitum minari: adeoque tanquam divinæ erga se misericordiæ omen accipientes, refocillatur paululum animus spe veniæ interventu Mediatoris sive Messix, sub forma humana visibili hortum peragrantis & sibi appropinquantis, obtinendæ. Sic etiam Gentiles Deorum suorum ad pœnas exigendas descensum terrore tali prævio testari existimabant, unde Virgilius lib. 3. Æneid. vs. 90-92.

- - - - - *Tremere omnia visa repente,
Limina laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum.*

Et Claudianus *de raptu Proserp.* lib. I. v. 7.

*Jam mihi cernuntur trepidis delubra moveri
Sedibus, & claram dispergere lumina lucem,*

Adven-

*Adventum testata Dei: jam magnus ab imis
Auditur fremitus terris, templumque remugit
Cecropidum &c.*

Sic contra deposita ira solebant placidi & sereni venire: unde & ad Deorum pulvinaria se prosternebant, & deprecabantur lenem placidumque adventum. Unde Lucretius de Venere lib. 1. vers. 6.

*Te, Dea, te fugiunt venti, te nubila cœli
Adventumque tuum, tibi suaves Dædala tellus
Submittit flores, tibi rident æquora ponti,
Placatumque nitet diffuso lumine cœlum.*

Et de Æsculapio Serenus Samon. in Prolegom:

*Qui quondam placida tectus sub pelle Draconis,
Trapejas arces atque inclyta templa petisti,
Depellens tetros præsentis numine morbos.*

Sed missis profanis exemplis ac testimoniis, sufficit, Deum suum propitium ac placatum adventum per sonitum & sibilum tenuis auræ denunciaſſe & præſignificaffe ſacras teſtari paginas. Quemadmodum in ſignum victoriæ, quam David deportaturus in prælio, quod cum Philiftæis committeret, propitium ſuum adventum animadvertere præcipit per ſonum quendam inceſſus in cacuminibus mororum 1 Chron. 14: 15. Præterquam quod Moſes etiam indicare videtur lenem & placidum fuiſſe Dei adventum ſive deſcenſum, cum dixit, Deum veniſſe *in aura diei*, id eſt, uti volunt quidam Interpretes, *poſt meridiem*, ſeu ſole declinante ſub veſperam; paraphraſis Chaldaica habet, *ad quietem diei*, cum videlicet declinaret dies ad quietem & finem, adeoque ſignificare videtur tempus veſper-

num, quo tempore ventus spirare solet, maxime Zephyrus, qui leni & placido fufurro mulcet campos, hortosque: adeo ut ventus & aura diei sit, quæ spirare solet post meridiem, & ante solis occasum in locis mari adjacentibus. LXX. τὸ δειλίον, quod reddunt *ad vesperam*; Hieronymus *ad auram post meridiem*, vel ut alii vertunt, *ad crepusculum vespertinum*. Fagius ait, hoc non caruisse mysterio; adumbratum siquidem fuisse adventum Christi, qui solus vox est illa cœlestis, de qua Pater dixit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite*. Is ad vesperam diei, scil. novissimis temporibus venit, atque meruit nobis Spiritum à Patre, cujus solius est refrigerare, id est, consolari confternatas ac desperabundas ob peccatum conscientias. Imo qui *ad auram*, vertunt *post meridiem*, trahunt ad Dei providam benignitatem accelerantis auxilium, ut pereuntes præveniat: argumentum divinæ erga hominem misericordiæ, quam & à mundi primordio homini in persona filii Mediatoris & Redemptoris humani generis manifestare voluit. Mercerus putat, phrasin illam *Ventum diei* non debere Chronologicè intelligi pro vento, qui certa diei hora, vel statò aliquo tempore flaret, verum qui ad Dei adventum extra ordinem excitatus fuit, in signum præsentia divi-næ, uti de Elia legimus, 1 Reg. 19. Calvinus existimat, quod potius hæc sit auroræ periphrasis, cum auram vespertinam Moses improprie auram diei vocaret. Constat quippe Sole exoriente naturaliter auram excitari, quasi tota nocte securi in tenebris latuissent, mane autem exorta

exorta luce, & nuditate eorum apparente, conscientia & vox Dei eos perturbare cœperit. Existimat quoque Vir doctissimus Joan. Clericus, intelligendum de aura sub diluculum flante, quæ aura diei dici potest, quod diem orientem comitetur, & confirmare videtur locus *Cant. 2: 17.* ubi describit Salomon auroram hisce verbis: *donec aspiret dies & fugiant umbræ.* Hinc, inquit, Hebræi auroram נשף *nescheph* vocant, ἀπὸ τῆς נשף *naschaph*, flavit. Ideo Vitruvius *Architectura lib. 1. cap. 4.* evitare vult ab ædificantibus palustrem vicinitatem, quia *cum auræ matutinæ cum sole ad oppidum pervenient, & iis ortæ nebulae adjungentur, & efficiunt locum pestilentem.* Ad ventum diei, inquit Raschi, est ad eum ventum, unde sol occidit, qui est occidentalis. Additque de Adamo & Eva, quod rebellarint hora decima, id est, duas horas ante occasum solis. Verum conjecturis conjecturam addere, haud illicitum existimamus; nobis videtur, dum Moses hic describit adventum Dei, sive descensum ad ventum diei, per ejusmodi descriptionem voluisse notare non duntaxat tempus, sed etiam locum, ubi primum Protoplasti Deum ambulantes, sive advenientem per sonitum animadvertabant, & magis sollicitum fuisse scriptorem, ut locum quam tempus denotaret, propterea, uti dicere incepimus, ut nos certiores faceret, hanc apparitionem potissimum adscribendam secundæ adorandæ Trinitatis personæ, Filio, Mediatori & Redemptori generis humani, & quidem, ut videtur, cum exclusione quadam Patris, *Joh. 5: 37.* Quatenus Mediatoris & Redemptoris opus specialiter

cialiter adscribendum Filio, illudque perficiendum in se susceperat, & propterea statim ab ipsa defecti-
 one Adami locus erat Mediatori. Qui itaque hic
 apparuit, deambulantes audiverunt Protoplasti in-
 dutum humano corpore, Filius fuit Dei Ter Opt.
 Max. qui & Judicis & Mediatoris munere fungere-
 tur, ut juxta æternum Dei decretum damnaret re-
 jectos, electos autem ab æterna morte redimeret. Il-
 le hic summo descendit Olympo, atque denunciatur
 adventum suum per sonitum sive lenem & placidum
 ventum, medium idoneum, quo vox Dei ad aures
 Protoplastorum optime deferri posset, & quidem
 per ventum diei, scil. qui ab illa parte sive plaga
 vel angulo flare incipiebat, ubi dies illucescere in-
 cipit; ambulabat itaque, sive ingrediebatur, ut ita
 dicam, à parte orientali ipsius Eden, *ad ventum
 diei*, id est, qui spirabat ab illa plaga, ubi sole ex-
 oriente aurora diem reducit, ideoque ab orientali
 horti parte. Oportebat enim, ut Sol justitiæ, à
 quo non mentis & rationis lucem, sed quam ad salutem
 mutuamur, scil. veram illam lucem, quæ aliquando
 illuminatura esset omnem hominem, & novissimo
 tempore ventura in mundum, tenebris pecca-
 ti & mortis nos liberaret, ab eadem plaga mundi
 etiam primordio homini jam lapsa & in tenebris ob-
 ambulanti affulgeret, & uti naturalis dies illuceret.
 Imo quemadmodum aliqua stella in Oriente visa
 a Magis, ipsis erat nuncia adventus istius lucis in
 mundum; ita ut apparitio Filii Dei, sive introi-
 tus in hortum à parte orientali præfagium Messia
 venturi ad redimendum genus humanum, ad cujus
 delendum

delendum peccatum se auctorem redemptoremque promittendi causa in hortum à Patre missum venisse adventu quasi suo prænunciat. Verisimile autem est, ventum illum atque sonitum à Deo fuisse excitatum extra ordinem, adeoque insolitum fuisse acris motum, ut esset quasi prænuncius sui adventus, qui hominem præsentia divina certiore faceret, exoriente die, quo tempore mens nostra ad omnia animadvertenda & investiganda, quæ sibi occurrunt, magis idonea, quam alia quavis diei parte; tum etiam, quia magis hoc opportunum tempus, quo coram tribunali citati, sui defensionem suscepturi sese sisterent. Præterquam quod haud verisimile est, processum illum judicalem, quem placuit Deo, judicis persona assumpta, observare in tempus pomeridianum vel vespertinum incidisse, adeoque nocte forte jam adventante Adamum è Paradiso ejectum & in exilium perpetuum missum, adeo ut nullus illi aditus in hortum illum unquam pateret. Itaque jam novæ sedes Paradisi quondam colonis quærendæ erant, quod tam exiguo temporis intervallo, multo minus vespertino tempore & vicina jam nocte haud fieri potuisset: vix enim credibile est pro summa erga hominem etiam post lapsum testificata Dei benevolentia, Protoplastos sub vesperam ejectos, ut tota nocte in tenebris oberrassent, incertum quo se fata ferrent, cujus è liberali manu non ita pridem, jam in exilium mittendi, tunicas pelliceas acceperant, quibus se adversus cœli injurias tegere possent.

Ad vocem Dei in horto ambulantis metu percussis, & angore animi peccati admissi sibi conscii correpti,

Proto-
plasti se
à facie

Domini
abscun-
dant.

repti, huc illuc in horto divagari videntur, ut locum sibi invenirent, quo se à facie Domini absconderent, donec in medio horti consisterent, ob arborum forte densitatem, adeoque loco idoneo, ubi se absconderent. Tradit enim Moses, *Adamum & uxorem ejus sese à facie Domini in medio ligni Paradisi abscondidisse.* Audita itaque voce Domini abscondiderunt se intra arborum horti densitatem, tutissimum sibi refugium inter densas Paradisi arbores fore existimabant, ne conspicerentur ac detegerentur; abscondere quippe se dicitur, qui se hominum adspèctui subtrahere conatur. Ita quoque Adamus & uxor ejus se eripere voluerunt oculis Dei, quem in specie illa corporea, quam assumpserat, in horto ambulanti animadverterant. Hic erat peccati fructus, trepidatio & pavor, unde fuga à conspectu Dei. Sed qualis eos ceperat dementia, dum se occultare vellent à Deo, cujus oculi omnia penetrant? Quamobrem David *Pf. 139. Quo ibo à Spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam?* Hinc existimat Rupertus, utrumque de Deo male sensitse, infidelium instar. Verum, uti inquit doctissimus Rivetus, nolim hoc ipsis imputare, quia tunc turbati, expavidi, vix cogitabant ea, quæ spectabant immensitatem Dei, quam alioquin non negassent; quippe quamvis peccati labe contaminati, & integritatis statu exuti, divina imagine orbati, adeoque rectitudine voluntatis & mentis sanctitate innata non amplius condecorati essent, sed prona ad vitia jam esset corrupta natura hominis peccatoris, attamen de Deo & divinis virtutibus menti innata idea nondum oblitterata atque deleta

deleta erat, cujus in nobis experimur vestigia; adeoque mentis vi cognoscimus Dei immensitatem, & omnipræsentiam, ut ita dicam, cæterasque virtutes, quas humano ingenio metiri nec circumscribere valemus. Verum mens metu & pavore turbata vix faciebat officium, adeoque nec omnia attente & diligenter examinabat homo, quæ in deliberationem cadere debuissent, uti postea eventus ipsum edocuit: rerum enim usu expertus est horti densissimas arbores nihil sibi fugitivo præstare, sed intellexit, sese nullibi latere, nullibi judicis Dei oculos atque notitiam fallere posse. Argumentum est hic conscientix angor, quo correptus sese in fugam converterit & latebras quærit: idæ sibi innatæ vestigia, de Deo ejusque virtutibus, quæ divinam essentiam componunt, ut ita dicam, quamvis statu integritatis exutus esset, menti adhuc impressa erant; adeoque non fugiebat illum, peccatum, quod admiserat, haud impunitum fore, idque exigere Dei sanctitatem atque justitiam; quamobrem a facie Jehovæ ambulantis in horto se abscondit. Causa itaque, cur latere inter densissimas horti arbores conatur, fuit *facies Jehovæ*, cujus conspectum devitat, sed non effugit. Verum cavendum, ne quis sibi opinionis errore persuadeat, cum Moses hic tradit, à facie Domini se Adamum atque uxorem abscondidisse, quasi summum Numen & divina essentia, quæ mere spiritalis est, nulloque loco circumscribi nec includi potest, corpore aliquo esset circumdata, atque uti anima ac mens nostra in corpore tanquam domicilio suo habitaret. Hoc referendum ad secundam

R

S. S.

S. S. adorandæ Trinitatis personam, Dei Filium, Messiam, humani generis Mediatorem, qui *facies Dei* in sacra Scriptura sæpius dicitur, uti hac appellatione denotatur *Exod.* 33: 14, 15. *Mal.* 3: 1. Et proinde *Angelus faciei ejus* vocatur, *Jes.* 63: 9. qui quandoque se homini in corpore aliquo & forma humana visibili manifestabat, & cum eo sermonem miscebat, utens hoc medio tanquam indicio futuri sui adventus in mundum, assumpturus humanam naturam. Erat enim in fatis, ut ita dicam, affore aliquando tempus, quo Dei Filius caro factus inter homines commoraretur. Quamobrem, uti supra annotavimus, dicendum, primis hominibus hic sese Deum manifestasse sub forma humana visibili, hominem ad colloquium admissurum. Ejusmodi autem colloquium cum Deo creatore suo declinare voluisse videntur Protoparentes, quamobrem Dei præsentiam & conspectum devitantes, se in fugam conjiunt, & latebras quæerunt. Quamdiu in statu integritatis degebant, nihil ipsis jucundius, quam Deo familiariter uti, nihil optabilius, quam alloquia divina excipere; verum conscii jam peccati admissi, pavent vocem alloquentis Dei, adeoque se invisentis majestatem horrent, & optant potius intra horti arbores delitescere, quam alloqui puri sanctitatem & vitæ actionumque expectare examen, quamobrem judicis sui conspectum vindicisque, non jam patris, devitant. Notat Pererius quinque peccati fructus & effectus. Primus est, quod apertis oculis agnoverint miseriam & inopiam propriam. Secundus est nuditas. Tertius est pudor & confusio

fio animi. Quartus est accusantis conscientiae motus. Quintus est pavor & metus divini iudicii. Timet enim peccator iudicis ora sui, quamobrem ex eius praesentia se subducere conatur. Unde *Prov. 28: 1. Fugit unusquisque improbus, nemine persequente.* Quippe propriae conscientiae stimulis exagitatus, quae intus, in ipso velut corde, homini peccatori litem movet; eumque ad tribunal divinum vocat, non quiescit, *Job. 15: 21.* Unde apud Isaiam mari turbido, quod procellis & tempestatibus impulsus quiescere nequit, sed lutum & coenum egerit, comparatur. Frustra itaque latebras quaerunt Protoplasti, & iudicis sui praesentiam devitant, qui in corde iudicem incorruptum, scilicet conscientiam intus circumferebant, adeoque secum tanquam accusatorem & iudicem secundarium perpetuum habebant comitem, ut inquit summus Theologus Andreas Rivetus. Frustra itaque se à summi iudicis praesentia subducere conantur, qui se ipsos latere non possunt. Terror itaque & metus, quo exagitati se in fugam vertunt, non ex gravi & formidabili Dei adventu proficiscebatur, verum ex propriae conscientiae remorsu, quam secum circumferebant, quae ab ipsis rationem delictorum exigebat, & ob oculos ponebat peccati admissi gravitatem, & subsequitur poenam. Hinc latebras quaerunt, & Creatoris sui praesentiam ac vocem, quam antea integris auribus ac sensibus dulcem, suavem ac salutiferam percipere solebant, horrere, averfari atque pavescere coeperunt, &, quemadmodum effugere possent, magna trepidatione curabant, uti inquit Arias Mon-

tanus. Verum qualis hæc dementia? Nonne ratio ipsa, imo idea de Deo ejusque virtutibus menti innata dictabat, ubique præsentem Deum, nec quicquam occultari posse ab eo, qui omnia cernit. Rationis enim lumen ipsos Ethnicos edocuit, Deum ubique præsentem esse. Ita enim sensit Socrates, Deos ubique adesse, teste Xenophonte *Memoral. lib. 1.* quamobrem *Jovis omnia esse plena*, Virgilius cecinit, *Ecl. 3.* Hinc omnia ipsi nota esse agnoverunt; si enim ubique præsentem Dii immortales, ergo omnia norunt, & præterita & futura, & quis sit singulorum futurus exitus; est enim, ut inquit Hesiodus

Omnia videns Jovis oculus, omniaque intelligens.
Unde Plato *de LL. lib. 10.* fatetur, nihil Deos effugere posse eorum, quæ aut sensu, aut intellectu percipiuntur. Thales itaque interrogatus, *lateretne Deos homo male agens? Ne cogitans quidem*, respondit, teste Laertio in ejus vita. *Nec enim*, ut inquit Cicero, *ignorare Deus potest, qua quisque mente sit.* Ille enim intimos cordis penetrat oculis suis recessus. Frustra itaque dementes se in fugam conjiciunt, & latebras quærunt, ut, si fieri posset, sui judicis vindicisque conspectum devitent. Frustra se oculis ejus subducere conantur, qui cernit omnia. Verum, proh dolor! adeo accusantis conscientia remorsu exagitantur, adeo pavore & trepidatione confunduntur, ut mens non faceret officium. Quapropter Chrysostomus, *Peccato*, inquit, *nihil deterius.* *Non solum enim confusione nos replet; sed & summe insipientes facit eos, qui antea intel-*
Et u.

Et & sapientia multa præditi fuerant. Fefellit spem eventus, frustra inter densissimas arbores se abscondidisse experiebatur, cum forte iterum audivit vocem Domini, qua è latebris evocabatur, ut sese sisteret coram Jehova Elohim, quem pii veteres, uti supra annotavimus, unanimi consensu dicunt fuisse ipsum Dei Filium, qui in assumpta hominis forma ei appropinquans inclamat, *Adam, ubi es?*

Illud *clamare* denotat hic in jus vocationem, si- Clamare, quomodo de Deo dicitur, quidque denotet ve ut nos dicere solemus, citationem, cum in finem, ut citatus se coram iudice competente sistat, & sui defensionem suscipiat, Belgicè *Dagvaerdinge*. *A-*dam hic primus vocatur ad examen a Deo, quamvis posterior lapsu, Eva post principia stante. Primus vocatur Adam, quia mulieris caput est, & familiæ pater, & posterius quidem, sed gravius peccaverat vir quam mulier: tum etiam, quod in viro quoque mulier vocatur, 'ut inquit Pareus.

Evocatur itaque è latebris Adam, & citatur ad Proto-
plastici ci-
tantur
ad judi-
cium. iudicium: dixisse enim ei Deum testatur Moses, *A-*dam, *ubi es?* Non est hæc vox ignorantis; neque enim, uti statim annotavimus, fugerat Adam Dei conspectum, qui omnia cernit, sed vox iudicis citantis hominem peccatorem ad iudicium, ut prodiret è latebris, & se sisteret examinandum, atque ad interrogata responderet, & sui defensionem, uti dicere incepimus, susciperet, facti rationem redderet, ne absentem & inauditum se condemnatum quereretur. *Quasi dicat, inquit Piscator, cur latitas, prodi in conspectum meum, neque enim ignorabat ubi esset, sed increpat latitantem, ac postulat,*

ut fugæ suæ & occultationis rationem reddat. Erat & vox Patris filium increpantis. Exprobrat enim Deus Adamo, quod se a summo felicitatis gradu in omnium miseriarum abyssum dederit, quod in peccari turpitudinem inciderit, quodque demens latebras quæsierit, cum fugere eum non posset, neminem se a summi Judicis præsentia subducere posse, cujus oculi in omni loco contemplantur bonos & malos. Quemadmodum & Augustinus dicit, esse vocem increpantis, non ignorantis. Recte Ambrosius, non interrogatio est, sed increpatio, de Parad. lib. 14. Interrogationum enim apud Hebræos aliz aliud important, interdum omnimodam negationem, interdum etiam ignorantiam, quarum neutra in Deum cadit, adeoque quæ hic legitur, Deum ignorantiz arguere non potest, uti nec alia quævis quæstio Numer. 22: 9. Ezech. 37: 3. imprimis ubi sermo est de Deo judice, & quæstio confessionem extorquet, ibi sæpe verba increpantis sunt; non ignorantis, ut inquit Hactan ad r. l. Talia sunt, ubi est Habel frater tuus? Gen. 4: 9. Quivam sunt viri isti qui tecum sunt? Num. 22: 9. Quid dixerunt viri isti? unde venerunt ad te? 1 Reg. 20: 14. Audiamus Ambrosium, Non querit locum, inquit, qui arcanum novit, neque enim clausos oculos habebat; non ergo est interrogatio, sed increpatio. De quibus bonis, de qua beatitudine, de qua gratia, in quam miseriam incidisti? Ubi est tua bene sibi conscia confidentia? Timor iste culpam fatetur, latebra prævaricationem. Ubi ergo es? Non in quo loco quæro, sed in quo statu, quo te deduxerunt peccata tua, ut fugias

fugas Deum tuum, quem ante querebas? Nec aliter Tertullianus 2. adv. Marcion. Inclamat Deus, Adam, ubi es? scil. ignorans ubi esset, & causato nuditatis pudore, an de arbore gustasset, interrogat, scil. incertus. Imo nec incertus admissi, nec ignorans loci. Enimvero oportebat conscientia peccati debite-scensentem, evocatum prodire in conspectum Domini, non sola nominis inclamatione, sed cum aliqua nunc admissi suggillatione: nec enim simplici modo, i. e. interrogatoria sono legendum est, Adam ubi es? sed impresso & incusso, & imputativo, Adam ubi es? i. e. in perditione es, i. e. jam hic non es, ut & increpandi & dolendi exitus vox sit. Vix audiverat Adam repetitam Dei vocem, quin agnoverit demerentiam suam; scil. frustra se effugere voluisse Dei omnia cernentis oculos; quamobrem è latebris prodit in conspectum judicis sui, eum citantis, ut rationem vitæ actionumque redderet. Pavor & timor ille, quem ipsi adventus Dei injecerat, sive ex conscientia peccati admissi profectus erat, paululum evanuisse. per Dei alloquium bene sane ac placidum videtur, tum etiam, quod experiebatur Dei erga se misericordiam, utpote qui, distante sibi conscientia, statim ipso momento, quo peccaverat, ad vindictam procedere, & ipsum vita privare & æternæ morti mancipare potuisset, attamen cum perdere potuisset, parcuisse, atque in ira sua remitti misericordiam sibi. Ejusmodi forte cogitationes cum subirent animum, tenebræ illæ, quæ ob illam confusione ex metu & timore profectæ, menti offusæ erant, paululum dissipatæ, adeo ut jam secum deliberare

berare inciperet, atque judicaret dementis potius, quam sana ratione præditi hominis esse, Dei conspectum aufugere, & se ab ejus præsentia subducere velle. Frustra itaque se Deum fugere, qui ubique eum insequi poterat, perspiciebat. Levato itaque paululum timore, & sui iterum compos factus, sistit se coram judice suo, & cum ipso haud dubie mulier, quia ejusdem delicti socia, & dicit, *Vocem tuam audiebam in hoc horto: extimui autem, eo quod nudus sim, & abscondi me.* Non unicam fugæ suæ rationem allegat, sed plures affert, quibus fugam excusat, sed reticet veram causam. Quamprimum enim Dei vocem audiverat, sese in fugam conjecisse & abdidisse reponit, quia metuebat venire in conspectum Dei, quem ambulans in horto animadverberat, tum etiam ob nuditatem suam, existimans plane indecorum esse, ut nudus in Dei, cujus majestatem in summa veneratione sibi habendam dictabat ratio, conspectum veniret. Quod non ita intelligendum, quasi Adamus sese non operuisset, nisi postquam audivit Dei vocem. Quippe statim post admissum peccatum, Adamum conspecta nuditate sua, se operuisse tradit Moses. Verum dicendum etiam tectis pudendis erubuisse in conspectum Dei venire; tum quod cætero corpore nudus esset; tum quod erubesceret apparere coram Deo nudus, sicut prius solebat ante peccatum commissum: cum enim innocens erat, boni malique ignarus, nihil erat, cujus ipsum pudere poterat; verum admissio peccato, & boni malique scientiam nactus, puduit ipsum nuditatis suæ; propterea quod
in

in se jam dētegebat pravos ad conspectum nuditatis suæ motus, qui honestati & integritati primævæ repugnabant, & generis sui præstantiam dehonestabant; adeoque erubescere venire nudus in conspectum Dei, cum jam ipsum suæ nuditatis puduit; *timui*, id est, erubui in conspectum tuum venire, quamvis ficus foliis sola pudenda contexerim, cætero tamen corpore adhuc nudus sum; adeoque ob timorem sive reverentiam, quam Deo debebat, fugiebat conspectum Creatoris sui: Sic timor sæpe sumitur pro pudore, adeoque timor vel metus reverentiæ vocatur ipse pudor & reverentia. Quasi dixisset, quoniam mihi conscius, quam abjectus sim tibi ob pudendam & invisam nuditatem meam, in conspectum tuum nudus venire erubui. Pudor itaque & reverentia, quam tibi me debere dicit ratio, causa fuerunt, quod à conspectu tuo me subducere conatus fuerim, & latebras quæsierim. Puduit me ipsum nuditatis meæ, absit ergo, ut in conspectum universi hujus conditoris Dei Ter. Opt. Max., quem in summa veneratione habendum mihi dicit ratio, nudus venirem. Ejusmodi pudoris & reverentiæ exemplar ipse Petrus Apostolus, qui, tectis quamvis pudendis, cum cætero corpore tamen nudus esset, ad Christum properaturus, tunica se succinxit, quo honestior apud Dominum suum compareret. Verum vera & genuina timoris & metus causa erat rea conscientia, quæ ipsum damnabat, & pœnam, in transgressorem legis sancitam, meritum pronuntiabat; adeoque nuditatis sensus proficiscebatur ex peccato; peccatum vero reddebat hominem pœnæ

S

obno-

obnoxium, atque inde metus & timor; nuditas causa timoris remota, rea conscientia causa proxima. Quatenus nuditas erat indicium & peccati admissi testimonium, tegere illam haud poterat; quamobrem nudus in conspectum Dei, iudicis sui, declinabat venire, ipsum enim velamentum, quo pudenda operuerat, testificabatur, eum peccati reum esse; unde formido poenae, quam se meruisse distante conscientia perspiciebat, effecit, ut à summi Iudicis praesentia se subducere summa ope niteretur. Hanc veram fugae suae causam ac rationem fuisse, ipse fateri necessum habebat, cum, Deo in crimen ulterius inquirente, de fructu illius arboris, de qua praeceperat Deus, ne comederet, comedis se confiteretur. Ut autem peccati vel transgressionis eum convinceret Deus, dixit, *Quis indicavit tibi nudum esse te?* Instat enim hic Deus, & urget Adamum, ut suae nuditatis causam & culpam agnoscat: pudet enim adeo te nuditatis tuae, ut non ausus fueris te coram me sistere, sed fugam capessere & abscondere te malueris, qualis quantaque haec mutatio & conversio? cum non ita pridem nudus in conspectum venire non declinaveris, sed nihil tibi fuerit optabilius, nihil jucundius, quam mea praesentia & consuetudine uti ac frui? Jam vocem meam excipiens, & in horto me ambulanti animadvertens, te in fugam vertis & latebras quaeris, ne te nudum conspicerem. Unde pudor ille ex nuditatis tuae conspectu proficiscens? in eodem enim statu ante lapsum collocatus non erubescebas nudus incedere, & in conspectum meum venire. Oportet itaque
jam

jam aliam subesse causam fugæ tuæ; per se enim nihil mali habet nuditas; atqui jam te pudet nuditatis tuæ, quamobrem te abscondis; ergo nuditas illa tua, quæ pudorem illum excitat, mali te conscium indicat. Pudor enim semper oritur è re mala, & cum quis conscientiam istius mali habeat, tum ipsum pudet. Pudoris itaque sensus argumentum erat mali aliquid contractum fuisse. Itaque vitæ integrum scelerisque purum Adamum pudere non poterat, cum nihil indecori nec inordinati in corpore, nihil impuri in animo detegebat, cuius se pudere, vel malam ideam habere potuisset. Atqui peccati labe contaminatus, ex nuditatis visu, pudore afficiebatur propter inordinatos motus, quos excitabat in se nuditatis aspectus; oportebat aliunde hanc sibi mali notitiam acquisivisse. Quippe ejusmodi scientia non erat ipsi innata: pudor enim, definiente Aristotele *lib. 4. Eth. cap. 15.* est metus quidam infamiae, talis videlicet, quæ ex peccatis admittis proficiscitur. Unde, inquit, *Pudor probi viri esse nullo pacto potest, cum ob malas res oriatur.* Sic quoque *lib. 2. Rhetor. 6.* definit pudorem, quod sit *dolor quidam & perturbatio ex malis, aut præteritis, aut futuris, quæ infamiam inferunt.* Quis ergo, dixit Deus, *tibi indicavit, quod nudus esses?* an rea conscientia tibi illud dictavit, vel ab alioididicisti? quis est ille, qui tibi indicavit te nudum esse? quis tibi suggessit hanc nuditatem tuam turpem esse, cuius antea te non pudebat, quia turpem te esse nesciebas. *An forte ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* atque ita ex interdicti

violatione hæc illa cognitio & confusio nuditatis orta. Pudenda enim nuditas non potuit tibi accidere, nisi ex violatione mandati, quia est pœna peccati. Tu erubescis, & latebras quæris, quia nudus; violasti itaque mandatum comedendo de fructu illius arboris, de qua tibi præceperam ne comederes. Ille pudor, iste metus & timor indicium est, te violasse mandatum meum, vesteque innocentia nudatum esse. Pudeat te admissi peccati. Nonne omnium, quæ sunt in horto hoc amœnissimo, facultatem tibi largitus fueram, ut in tuum usum converteres, hac unica duntaxat arbore abstinendi imposita tibi necessitate? qualis & quanta hæc tua perversitas, quod in tanta rerum omnium uberrima copia ab hac unica arbore abstinere non potueris?

Culpam
in uxorem
&
Deum
transfert
Adam.

Quamvis peccatum, quod admiserat, celari non posse animadverteret; Adam fatetur quidem crimen, culpa tamen se vacuum probare nititur, dum eam à se in uxorem se pellicientem, & Deum ipsum removet. Dixit enim, *Mulier ista, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, sive de fructu illius arboris, & comedi.* Primum quidem peccatum non ex se initio profectum, sed ex consortis atque sociæ communicatione derivatum contendit homo; atque ita prævaricationis crimen rejicit in Evam, ut à se omnem removeret culpam: nam cum Deus, quid sibi voluisset, quæreret, qui legem violasset tam sancte datam, tum ille, peccasse quidem sese fateri volebat, sed uxorem à Deo datam blanditiis ita animum suum delinivisse atque commovisse significabat, ut ipse manibus suis pomum arripuerit.

Hanc

Hanc autem dedisti mihi sociam: quam cum officio prosequi deberem, eam obsequio sum profecutus, cujus si appetitus & factum peccati labe adpersum fuerit, tamen illam, suo ingenio à te constitutam, tu ipse mihi dedisti. Nec enim alienum fuit, a me illam fovendi, quam tu fovendam blande & comiter habendam dederas mihi: ita ut in alterutram partem arguere & sese causamque suam defendere vel minuire culpam, vel in alium transferre, vel partim in auctorem suum rejicere doctior ille & mali & boni peritior didicisset, uti inquit Arias Montanus. Adeoque hæc ipsa excusatio, qua quidem confitetur peccatum, blasphemix rea est, dum non veretur in ipsum Deum, qui dederit uxorem seductricem, derivare culpæ aliquam partem, uti disserit Dieterichus *antiqu. Bibl. Genes. 3: 12.* Verum enim vero, *quidquid ille sibi ad defensionem sui finxerit aut invenerit, unum tamen illud confessus prodidit, nempe se, quas priores partes tenere ac tueri, atque caput mulieris se præstare oportuerat, feminae concessisse, atque dignitatem ingenuitatemque suam femineo sensui appetituique addixisse; eamque contraxisse pravitatem, ut quidquid mali agat, cum veritate & virtute defendere non possit, tamen infirmitudinis propriæ excusatione, quamvis turpi & minime accipienda, coloret,* inquit modo allegatus Auctor. Verum nonne tibi data fuerat lex, qua interdixeram, ne comederes de fructu arboris vetitæ? An tibi non incumbebat obtemperare legi tibi datæ? in consortem tuam culpam removes: sponte enim tua accepisti pomum tibi oblatum, & comedisti; oblatum recusa-

re potuisses & debuisses; quod autem accepisti & comedisti, non uxoris tuæ factum est, sed tuum: adeoque cum te excusare velis, accusas. Non obsequi consortis tuæ precibus, sed mihi obtemperare tibi incumbabat; tuum erat, non consentire, sed corrigere factum. Frustra itaque transgressionis culpam in uxorem rejicis, cujus ipse auctor es & reus. Quamobrem Bernardus, *Considerandum*, inquit, *Adamum, quam fuerat indulgens uxori in culpa, tam fuisse adversus eam postea crudelem in subeunda pœna. Nam transferendo a se culpam in uxorem, pœnam quoque meritam voluit in eam solam traducere. O perversitas! pœnam pro ea suscipere refugis, & culpam admittere non recusasti? Perniciosè misericors fuisti, ubi severus esse debebas: sed perniciosius crudelis fuisti, ubi misericordiam impendere debebas. Nunquam propter alium peccari debet, quod est justitiæ: libenter tamen aliena peccata portare decet, quod est misericordiæ.*

Sedu-
ctrix E-
væ voca-
tur in ju-
dicio.

Quoniam vero in uxorem suam omnem culpam rejiciebat, placuit Deo, judicis personam sustinenti auctorem criminis seductricem Evam quoque in judicium vocare, ut & sui defensionem susciperet, & amborum causam justissimus judex cognosceret, antequam ferret sententiam. Quamobrem dixisse Deum, refert Moses, *ad mulierem: quomodo fecisti hoc?* Audivisti virum tuum a se omnem remove culpam, eamque in te transferre: questus est, te illum seduxisse & impulsisse ad tam audax facinus admittendum. Quid, fecisti hoc, da rationem tam improbi consilii? Dic mihi, cur eo audaciz procefferis,

seris, ut non vereris tanto te crimine polluere. *Dixit autem mulier, Serpens iste seduxit me, & comedi.* Imitatur exemplum mariti Eva seductrix, dum etiam a se omnem culpam removet, & in serpentem rejicit. Amoliri tamen à se non poterat reatum admissi criminis, uti nec maritus; fatebantur enim uterque se comedisse de fructu ligni vetiti, adeoque ambos esse in reatu. Verum hic in uxorem, illa in serpentem culpam transferunt. Fatetur quidem factum, adeoque in reatu erat cum marito, verum facinus, quod admiserat, non tam sibi, quam serpenti, imputandum sustinebat; quoniam ejus instinctu, ac versutia seducta comedisset: adeoque in illum, tanquam auctorem criminis, omnem culpam merito transferendam, dictare justitiam distributivam. Verum enim vero frigida hæc mulieris excusatio; quippe, licet in Serpentem omnem culpam transferre cupiat, haud quaquam tamen se ipsam culpa vacuam probat. Eo enim ipso, quod Serpentem se seduxisse fateatur, eumque tanquam peccati auctorem incuset, dupliciter se accusat. Quippe si Serpentis verbis non magis credidisset, quam verbo Dei, nec seducta fuisset, nec de ligno vetito comedisset. Nemo enim decipitur, quam qui credit mendacio. Imputet ergo sibi, quod adeo temere fidem dederit Dæmoni. Frustra in eum culpam rejicit; quippe decipi non potuit nisi volens. Ergo voluntate sua deceptam se ostendit, ut inquit Pareus. Nec etiam mulierem in consultationem deliberationemque cum Serpente descendisse oportuerat, sed Dei jubentis voluntati & dicto simpliciter paruisse.

ruisse. Si enim colloquium cum eo declinasset, se decipiendi occasionem non præbisset impostori vafferrimo, legis à Deo latæ sensum & rationem indubium quasi vocanti, idque animadvertens cum eo colloqui statim recusare debuisset. Quod omnino pendebat ab ejus voluntate & arbitrio. Frustra itaque à se omnem culpam amoliri conatur. Vere quidem Serpens eam deceperat, sed seducendi causam ipsa præbuerat. Inde prima causa mulieri adscribenda. Illa enim improba manu instinctu Dæmonis, pomum decerpfit, & lethiferam offam deglutiit, & deinde virum in societatem criminis sollicitavit. Quamobrem Apostolus 1 *Tim. 2: 14.* *Adam non fuit seductus, sed mulier seducta causa transgressionis erat.* Hinc itaque referenda origo miseriarum omnium, quibus nos infelices posterijactamur, utriusque quidem, sed mulieri imprimis tribuenda. Unde apud Homerum

- - *Jovis filia Ate, quæ omnes offendit
Perniciosa.*

Apud Gentiles Bacchi sacris ministrantes solebant, uti supra annotavimus, Serpentibus coronati incedere, ululantes Evam, Evam illam, per quam error, & omnigena inde mala in mundo sunt consecuta, illamque à Serpente deceptam invocare, uti refert Epiphanius de infanis Bacchi mysteriis sermonem habens, *Hæres. 80.* Nec perperam forte cum serpente jungebant in Orgiis suis bacchantes Evam. Quippe ambo simul Eva & Serpens (ut docet sacræ Historiæ veritas) inito quasi fœdere exitium tum statim nascenti humano generi intulerunt, ut
inquit

inquit Johannes Dougtæus *Analect. sacr. Excursf.* 3.

Detectis autem criminis reis & convictis, nullæ Condemnatio, & poena in legis transgressio-
 aliæ judicis partes reliquæ, quam in condemnando. Confessionem itaque condemnatio excipit & poena in legis & interdicti transgressores & violatores sancita, *juxta l. 42. ff. de confessis: & l. 7. Cod. eod.* Damnantur itaque juxta confessionem suam rei criminis; quos absque ulla disceptatione damnare potuisset Deus, cum & crimen, & criminis rei Deum latere non poterant. Sententiam tamen pronunciare non placuit Deo, nisi auditis sufficienter reis & convictis. Audit itaque & arguit benigne, ut ex tanta moderatione paternum Dei affectum agnoscant, & resipiscentiæ ac fiduciæ occasionem arripiant, inquit Pareus.

Tandem Deus ad Serpentem se vertit, ei absque Absque ulla criminis inquisitione Serpenti maledicit Deus.
 ulla criminis inquisitione maledicit, ac primam plagam infligit: nefarium enim ejus facinus adeo manifestum ac notum erat, ut illud nec negare, nec etiam in alium transferre posset. Quamobrem non interrogat, sed illico condemnat. Quoniam autem peccati auctor primus, in eum justissimus Judex pronunciat sententiam. Itaque Moses referens, qua poena in singulos, Serpentem, Mulierem, & Adamum animadverterit Deus, orditur à serpente, tanquam mali primordialis auctore: *Quapropter, inquit, dixit Jehova serpenti illi, cum feceris istud, maledictus esto præ omni jumento, & præ omni bestia agri: super ventrem tuum ito, & pulverem comedito omnibus diebus vite tuæ. Præterea inimicitiam*

T. ponam

ponam inter te & mulierem hanc, similiterque inter semen tuum, & semen hujus: hoc conteret tibi caput, tu autem conteres huic calcaneum. Quod ad poenam attinet, quam Serpenti hic à Deo giudice inflictam perspiciamus, non conveniunt inter se Viri docti, an ea vel Serpentem solum, vel Diabolum solum, vel utrumque simul; vel pars comminationis unum, pars alterum respexerit. Sententiam priore loco descriptam Judæi amplectuntur, eamque hoc maxime argumento probari existimant: quod Mosis narratio sit historica; quamobrem statuunt ejus verba secundum sensum litteralem & propriam significationem, & ut ipsa per se sonant, intelligi & veriti oportere. Constat autem Historiographum hic tantum meminisse Serpentis, nullum de Diabolo verbum facientem. Verum si Serpenti duntaxat inflicta sit maledictio, sequeretur Diabolum, qui sponte peccavit, & tanti mali auctor fuit, impune hominem seduxisse; quod absurdum nimis videtur. *Hac quoque ratione primi nostri parentes, & nos in ipsis, frustrati fuissent longe saluberrima promissione de Christo Serpentis caput contrituro, qua non dubium est, quin se primum consolati fuerint, & posteros suos in ejusdem consolationis participationem vocarint. Neque enim legimus alibi, ullam de sua restitutione ipsis factam fuisse promissionem, sine qua tamen miserimi vixissent, qui tot hominum ex se nascituras myriades in exitium conjecissent sine ulla spe reparationis, uti differit Andr. Rivetus. Quamobrem alii hanc sententiam rejicientes, secundam amplexi sunt, primæ è diametro repugnantem; scil. in ipsum potius*

potius Diabolum, quam Serpentem, sensu & intellectu omni prorsus destitutum, stringi oportere hujus maledictionis sententiam, adeoque soli Diabolo sub Serpentis figura hæc omnia dicta esse, quæcunque in genere Serpenti dicta legimus, autumantes. Verum quod si Dæmoni duntaxat maledictionem inflictam statuamus, non improprius duntaxat totus erit hic locus, verum etiam, quæ supra de Serpente dicta sunt, figurate intelligenda, adeoque tota historia in allegoriam desinit, uti inquit Rivetus. Præterquam quod & Judæis difficulter respondebitur ad multa objecta. Sic etiam nec eorum opinio suis caret incommodis, qui quasi medium hic tenere malunt, & proinde vaticinium hoc in duas partes æquales scindunt, statuentes alteram, quæ commate priore continetur, ad solum Serpentem referendam; alteram, quam comma posterius completitur, soli Diabolo, quoad sensum litteralem, convenire. Verum qui diligenter textum inspicit, facile perspicit, in utroque commate totum sermonem ad eundem dirigi, adeoque nec mutari personas, nec objecta, sed eidem illi non interrupto verborum nexu, & inimicitiam cum mulieris semine & capitis contritionem prædici, cui priore commate maledictio inflicta, ut super pectus graderetur, & pulverem comederet. Alii itaque tutiorem & solidiorem interpretationem Chrylostomi existimantes, in eam pedibus iverunt; scil. totum supplicium utrumque spectare, ad litteram quidem serpentem corporeum; ad sensum vero principalem, Serpentem spirituales, id est, Satanam fraudis & seductionis

nis architectum: adeoque utrumque versum ad utrumque seductorem referendum, sed Serpenti corporeo tanquam Satanæ organo accommodari sensu quodam leviori & litterali; ad Satanam tanquam sceleris auctorem & caput, qui Deo permittente ad technas suas & machinationes pessime eo abusus est, sensu mystico, eoque pleniore & efficaciore, adplicandum censent Viri docti. Erit itaque geminus totius loci sensus, unus litteralis de pœnis organi, alter mysticus de supplicio Satanæ. Utrumque rationibus omni exceptione majoribus probari, & adversus Judæos defendi posse existimant. Atque ex ipso textu evidenter apparet, Serpentem hic, uti quoque versu primo accenseri bestiis agri, quod omnino proprie accipiendum dicitur sana ratio. ” Ri-
 „ vetus censet, in serpente ita Satanam intelligi, &
 „ in pœnis serpenti inflictis, pœnas Satanæ inflictas
 „ enunciari, ut unus sensus alteri includatur, uti
 „ solet fieri in typis, & à Spiritu Sancto uterque fu-
 „ erit intentus, adeoque etiam litteralis & histori-
 „ cus haberi debeat, imo sensus, qui Satanam spe-
 „ ctat, principalis, & maxime intellectus à Spiri-
 „ tu Sancto dici. Igitur ut in typis, ad duo refe-
 „ runtur quæ dicuntur, ad unum apertè, ad aliud
 „ testè; sic hoc loco, quæ de Serpente à Mose di-
 „ cta sunt, apertè serpentem feriunt, sed testè et-
 „ iam Satanæ maledicunt, imo satis apertè; quia
 „ non alia ratione plectitur serpens, quam ea,
 „ quod organum fuerit Satanæ. ” Eam quoque amplecti videtur sententiam Vir doctus Joh. Diodati *comment. ad b. l. Maladetto questo è pronuntiato contr'*

contr' al Serpente in senso corporale: e contr' al Diavolo in senso spirituale. Verum forte alienum à sana ratione videbitur, Deum pœnam denunciaſſe atque intendiſſe animali bruto, quod uti nec rationis, ita nec peccati capax eſſe poteſt; & propterea nec plectendum. Æquitatis enim ratio non patitur, ut pœna ſeductionis ſequela exciperet animal brutum, quod tum ratione ſeductionis, tum admiſſi peccati fuit tantum instrumentum mere paſſivum, quod plane pendeat à voluntate & arbitrio ejus, cui tanquam organum inſerviebat, ad perficiendum, quod ejus obſeſſor agere animum induxerat. Quamobrem peccatum duntaxat imputari poterat Satanæ, qui pro arbitrio ſuo hoc uſus fuerat instrumento ſive organo, & proinde ipſe tanquam peccati auctor ob deceptionem & ſeductionem Evæ pœnas luere meritus erat, qui ſolus & ſcientiam facinoris, & peccandi voluntatem habebat. Verum ſi quis judicia Dei diligenter examinet, & penitius introſpiciat, facile perſpiciet, quandoque non duntaxat auctores ſclerum, ſed & organa illorum, quibus uſi ſunt, licet bruta animantia, imo & alias res inanimatas omnique prorfus ſenſu deſtitutas, ſupplicio & exitio ſubjectas fuiſſe, ſcil. ad deteſtationem non ſolum admiſſi facinoris, ſed etiam ipſius auctoris amplificandam malitiam. Punitur uterque & Satan & Serpens; ille, quia auctor ſcleris fuerat; hic, quia ſeductionis organum ſive instrumentum, quo ad ſeducendam mulierem abuſus fuerat. Neque inſolens nec inſuetum eſt, aut iniquitatem redolet, pariter cum auctoribus ſclerum, organa quoque deteſtari

& exitio devovere. Quemadmodum haud injustus dici potest iudex, qui sicarium cum telo suo damnat, quo homicidium commisit; vel qui falsarium damnat una cum calamo suo. Ita nec Deus injustus erit, quod unicum hujus mali organum Serpentem puniverit. Sic Deus jumentum cremari jussit, quocum quis rem habuerat, *Levit. 20: 15*. Sic quoque legimus *Josue 7*. non solum Achanem punitum, sed & liberos, & boves, & oves, ac simul omnem supellectilem igne concrematam. Sic sanguinem hominis minatur Deus ab omni bestia reposcere velle. Sic bovem cornupetam & viri mulierisve interfectorem lapidari jussit, *Exod. 21*. Et *Deut. 7*. jubentur gentium simulacra igne comburi; præcipiturque, ne quis aurum vel argentum ex illis concupiscat: quæ tamen dona sunt liberali Dei manu terræ visceribus quasi infusa & indita, ut hominum opera effoderentur, non ut malorum essent irritamenta, verum hujus metalli ope commercia inter homines exercere, atque hac ratione vitam commode tueri posset mortale genus. Sic etiam *1 Sam. 15*. jubet Deus Saulem, ut Amalekitas penitus extirparet, adeoque cum virum, tum mulierem, cum puerum tum lactantem, cum bovem tum parvam pecudem, cum camelum tum asinum quemque. Imo, nonne toti terræ maledixit Deus propter hominem peccatorem, adeo ut jam omnis creatura vanitati, servituti & corruptioni subjecta sit, non sponte sua, sed propter illum, qui subjecit eam, *Rom. 8: 20, 21*. Nonne diluvio mortale duntaxat genus, sed & jumenta, & reptilia, & volucres cœli, ob hominum in dies crescentem

scientem malitiam, absorbere & immergere voluit. justissima ira exardens Deus. Quamobrem nec mirum cuiquam videri debet ejusmodi judicium quoque in serpentem latum, ut peccati enormitatem eo clarius perspicerent Protoplasti, eorundemque serinepotes. Quodsi enim bruto animali tanta inflictamaledictio, majori pœna affici merentur illi, qui ratione præditi, in Creatorem suum adeo perfidi fuerant. Imo nonne omnes pœnæ humanæ corpori ejusque membris infliguntur ob furta, homicidia, aliæque facinora, in quibus admittendis corpus non aliter se habet, quam instrumentum & organum animi, cujus pravis & malitiosis ac facinorolis exequentis cogitatis inservit. Quicquid enim vel cogitamus, vel agimus, à mente proficiscitur; etiamsi bonum vel malum sit, ei, non corpori tribuitur, quod se tantum habet tanquam instrumentum, quo in actum deducuntur & perficiuntur, quæ agere vel facere animus concepit. Quamobrem essentia hominis non in corporis figura, sed mente & ratione consistit, & quoties homo quid egisse dicitur, ad mentem sive animum referri debet. Quamobrem Romanæ eloquentiæ parens Tullius *Somn. Scip.* *Nec enim tu es, quem forma ista declarat, sed mens cujusque is est quisque; non ea figura, quæ digito demonstrari potest.* Nec aliter Lactantius *lib. de opificio Dei*, cum inquit: *Errat enim quisquis hominem carne metitur, nam corpusculum hoc, quo induti sumus, hominis receptaculum est. Nam ipse homo, neque tangi, neque adspici, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur.* Quemadmodum

modum mens proprium peccati & malefacti, sic quoque poenæ luendæ subjectum est; sed quatenus ad illud perpetrandum corpore ejusque membris utitur, inde quoque & huic infligitur, eique inflicta mentem quoque afficit; dum peccati enormitatem sentit. Quamobrem nec mirum, Serpentem corporalem, quo Dæmon abusus erat ad seducendam Evam, & hic quoque punitum, tanquam organum, quod peccato admittendo inservierat, atque ita quasi cooperatum erat ad eundem finem assequendum. Fallit itaque illud argumentum, quasi justitiæ distributiæ haud conveniret, ut creaturæ ratione destitutæ, & proinde nullius culpæ capaces punirentur. Itaque non immerito quoque maledictione feritur serpens, Dæmonis organum, " nimirum, ut inquit Theodoretus, ut Diabolo continuo sit in opprobrium, & nobis serpentes repere videntibus in assiduam antiquæ prævaricationis recordationem." Huc spectant Bellarmini verba *lib. 3. de amiss. grat. & stat. pecc. cap. 11.* ubi inquit, *Quamvis serpens corporalis proprie non peccaverit, quippe qui rationis est expertus, tamen puniri debuit, ut iram Dei adversus peccatum intelligeremus. Magnum est enim iræ judicium, cum non solum peccati autor punitur, sed instrumenta etiam, quibus peccatum commissum est, conteruntur.*

Senten-
tiæ in
Serpem
tem la-
tæ, quin
que di-
stinctæ
poenæ.

Sententia autem in serpentem lata videtur quinque distinctas poenas, vel si mavis quatuor, completi. I. Maledictionem ejus præ omni pecude, & præ omni bestia agri: *Maledictus esto*, inquit Deus, *præ omni jumento, & præ omni bestia agri*, id est, præ

præ omnibus mansuetis & feris animalibus. Alii vertunt, *inter omnia animantia & bestias terræ*; adeoque serpentem etiam venire nomine animantium terræ statuunt; cum tamen tres animantium species enumerentur *Genes. 1: 23, 24.* scil. pecudes, reptilia, & feræ bestię, adeo ut distincta sit reptilium ab aliis animantibus, sive mansuetis sive feris, species, & proinde nec eorum nomine hic venire possit serpens, utpote qui nec feris, nec mansuetis animalibus comprehenditur; verum cum hisce recte quidem comparatur, uti *vers. 1. Et serpens erat callidior cunctis animantibus terræ.* Sic etiam præ omnium jumento, id est, animali, & bestia terræ maledictus serpens, plus est maledictus, quam omnia jumenta & feræ. Maledicere & benedicere sunt duo opposita, quæ juxta se posita magis elucescunt, ut JCI loqui amant; quomodo sibi opposita perspiciamus *Deut. 28: 3, 46.* Et quemadmodum benedicere est de aliquo bene loqui, ita maledicere est male, sive cum contemptu loqui, convitiis aliquem profcindere; ita maledicere interpretari videtur Spiritus S. *Deut. 22: 28. magistratum ne execrator:* quod juxta interpretationem Pauli Apostoli est, Principi populi tui non maledices, *Act. 23: 5.* Quemadmodum autem dicere & facere respectu Dei unus idemque actus est; sic dixit Deus, *esto lux, & fuit lux.* Sic dixit, *herbescat terra herbulas, & produxit terra herbas sementantes, Gen. 1.* Ita & maledictio est immissio omnium malorum, vexationum & plagarum in creaturas, quibus divinitus terribili modo percutiuntur & flagellantur ad exitium

& interitum usque. Sic illico ad dictum sive imprecationem Salvatoris nostri exaruit ficus, *Marc. 11: 20.* vid. 2 *Reg. 2: 20.* Verum quoniam supra diximus, hanc maledictionem corporeum serpentem maxime quoque ferire, indagandum nobis incumbit, in quo potissimum maledictio serpentis præ cæteris animantibus consistat? Quippe qui contrariam sententiam amplectuntur, statuuntque ad solum Diabolum maledictionem referri oportere, arbitrantur, maledictionem, quæ propter malitiam hominis toti terræ & omnibus creaturis inflicta est, non magis ferire serpentem, quam cætera terræ animalia, quoniam omnis creatura eidem vanitati & servituti subiecta sit, adeoque nec serpens magis, quam jumenta & cætera reptilia, (vid. *Rom. 8: 20, 21.*) maledictione comprehendi. Quod si prius serpens pulcher, delectabilis, & suavissima fuerit bestiola, cum qua non homo duntaxat, sed cæteræ quoque bestię agri libenter consuetudinem habebant, post lapsum vero homini inimicus factus sit, & cum eo quasi naturalem habeat antipathiam, adeo ut horreat serpens ad conspectum hominis, & homo vicissim ad conspectum serpentis, unde Alcinius Avit. *lib. 3.*

Omnibus invisus fiet, gravis omnibus horror.

Hominemque lædere suo veneno naturali quasi impetu feratur; nonne lædendi eundem naturæ appetitum habent & aliæ feræ bestię? Lupi, Leones, Tigres, Ursi, aliaque id genus animalia. Sin per maledictionem factus sit abominabilis, venenatus & noxius non homini solum, sed omnibus animalibus, adeo ut omnes alii animantes horreant ejus consuetudinem,

tudinem, cur eam ambiunt vulpes? Cur non ubivis gentium horrore sunt? *Ad Pyrenæos Bigerones innoxii sunt angues incolis permisti, quibuscum eodem lecto, & pene eadem utuntur mensa: Scaliger Exerc. 183.* Et teste Aristotele, in Mesopotamia circa Euphratem, *exigui sunt indigenis Syris placidi, infesti solis advenis.* Veneno enim ad defensionem sui utuntur, uti feris bestiis ungues dentesque dati, quibus se tuerentur adversus alios animantes sibi inimicos & infestos. Maledictionem serpenti præ cæteris animalibus inflictam in eo potissimum consistere quidam statuunt Judæi, teste Fagio, quod tardius parturiant. Septem enim annis uterum gestare affirmant. Cui & illud posset addi, quod de serpentum partu tradit Herodotus, nimirum, partum ipsum serpenti esse mortalem, adeoque parturiendo mori, cum & à suis in ipso partu enecetur mater pulli, dum ventrem magna vi dissecant atque dirumpunt. Verum cum hæc testimonia nobis non videantur omni exceptione majora, vim maledictionis, quæ præ cæteris animalibus serpenti inflicta est, in hisce incommodis sitam esse, haud affirmandum existimamus; præterquam, quod de partu tradit Herodotus, de vipera duntaxat verum esse posset, de qua Plinius: *Tertia die intra uterum castulos excludit: deinde singulos singulis diebus parit viginti fere numero. Itaque cæteræ tarditatis impatientes perrumpunt latera occisa parente, lib. 10. cap. 62.* Vid. Aristot. *lib. 5. hist. anim. cap. 29.* Verum negat hoc recentiorum experientia. Et quid si hoc verum esset de viperis, falleret in eo serpentum genere, qui pariunt ova, iisque incubare solent,

donec partus exeat. Quamobrem cur non in eo potius maledictionem serpentis præ cæteris animalibus positam dicemus, quod adeo horridus & abominabilis sit factus post lapsum hominis, ut tanquam sibi lethiferum animal horreat atque fugiat, adeo ut vix conspectum ejus ferre possit; uti vicissim serpens conspectum hominis horreat. Cujusmodi naturalem antipathiam cum aliis feris bestiis non habet homo; quippe ad earundem conspectum non fugimus, sed feritatem metu damni, quod ab ea nobis imminet, horremus; adeoque dum mansuetæ delectamur earundem conspectu, quando se ab homine tractari patiuntur; contra serpentem tanquam noxium nobis animal horremus, adeo ut omnem prorsus cum eo consuetudinem, atque ejus conspectum fugiamus. Nec mirum, quippe cum familiaris consuetudo Mulieris cum Serpente tam fuisset humano generi exitiosa, mutuis inter se odiis certare in posterum jussit Deus; quæ tanta sunt, ut non serpentes modo homini veneno suo noceant, sed & suo serpentibus homines, uti inquit Hugo Robinsonus. Tradit enim Plinius *lib. 7. cap. 2. Omnibus hominibus contra Serpentes inesse venenum: feruntque ictos saliva, ut ferventis aquæ contactum fugere. Quod si in fauces penetraverit, etiam mori: idque maxime humani jejuni oris.* Idem Aristot. *lib. 8. Hist. anim. cap. 33. Plin. lib. 28. cap. 7.* Altera poena, quæ specialior est, uti & cæteræ sequentes, est reptatio super ventrem. Qui maledictionem non ad serpentem corporeum, sed Dæmonem solum pertinere existimant, hic iterum argumentantur à poena serpenti inflicta,

infiicta, quod ea serpenti corporeo non convenit. Quippe cum sit ea conditio reptilium animantium, ut ventrem longum rependo trahant per terram, adeoque gressus super ventre vel pectore ipsis sit naturalis; quod verillimum in serpentibus, quorum totius corporis fabrica ita constituta est, ut super pectus gradi & in ventre serpere debeant. Quid itaque natura serpentis ita comparata sit, ut ejusmodi gressus ipsi naturalis, haud itaque ex eo pœnam aliquam sensisse dicendum videretur, adeoque nec serpenti corporeo hanc pœnam convenire: nisi cum nonnullis statuere velimus, serpentem ante lapsum hominis pedibus fuisse præditum, his vero a Deo privatum, quod Dæmonis fuisset organum, serpentem erectum antea stetitisse arundinis instar, & pedibus fuisse præditum, & Cameli habuisse figuram, & veteres & recentiores statuunt Hebræorum magistri. Vid. Mosen Barcepham *lib. de Paradiso cap. 27.* Uti nec dissentit Josephus *lib. 1. Antiq.* Imo eandem è Christianis cum ipsis tuentur sententiam Lutherus, & qui ejus in religione fidei dogmata amplexi sunt, Hunnius, Schindlerus, aliique huic sectæ addicti Viri docti, non quidem instar hominis, sed velut corvus vel pavo incessisse; quia non videtur serpens ita, uti nunc est, humi repens, sed quodam modo erectus à terra & gratiori utens incessu mulierem compellasse; alioqui deformem ejus gyrationem horruisset mulier, & proinde cum eo consuetudinem habere declinasset. Huc referri possent, quæ Plinius de serpentibus anserinis pedibus præditis tradit, *lib. 11. cap. 47.* Et Vir rara

eruditione celeberrimus Scaliger de Anguibus quadrupedibus in Malabar & Calicut existentibus retulit, *Exercit.* 183. Verum quoniam hæc maxime incerta sunt, & vix fidem merentur, docente Aristotele, τὴν ἀποδύαν in genere serpentum omnino esse necessariam. Alii cum Viro celeberrimo Bocharto statuendum putant, nunquam quidem non serpentem ζῶον fuisse ἐρπετόν, verum illud tamen, quod antea ipsi naturale fuit, vertisse in pœnam, quia non verisimile est, Deum post lapsum mutasse animalium naturas. Sic nuditas, quæ homini naturalis erat, post peccatum admissum in pœnam versa est; uti quoque naturalis fuisset mulieribus sine dolore partus, eundem tamen proponit Deus difficilem veluti peccati pœnam. Idem dicendum de productione spinarum atque tribulorum in tellure. Alii statuunt, serpentem initio, etsi pedes non habuerit, & inter reptilia numerari debuerit, posteriore tamen sui corporis parte minori cum difficultate serpsisse, capite ac toto pectore à terra erectis, inde vero ad pœnam totum in terram fuisse projectum. Libenter subscribo opinioni illorum Interpretum, qui statuunt, revera fuisse aliquid immutatum in serpente, quod pœnæ rationem habuerit, adeoque accessisse serpenti post admissum hoc facinus in gressu & incessu suo aliquid magni mali & incommodi, quo ante caruerat. *Quippe*, uti inquit Rivetus, *haud debemus existimare, quæ naturalia erant Serpenti, ipsi facta fuisse pœnalia ex sola destinatione*, uti volunt, qui priorem sententiam tuentur. Quod nuditatem hominis attinet, illa simpliciter non in pœnam

nam versa, sed turpis nuditas, seu turpitude nuditatis, illaque turpis & fœda membrorum rebellio, qualis à statu integritatis & innocentiae exulabat, homini inflicta est pro pœna. Sic quoque nec conceptus, nec partus liberorum pœnalis est mulieri, sed dolores conceptum partumque comitantes, qui in statu innocentiae procul dubio abfuissent, pœnæ loco habendi.

Itaque existimo, pœnam serpenti inflictam haud collocandam in mutatione naturæ, vel corporis, quasi ante lapsum inter quadrupedes ambulavisset, post admissum vero peccatum pedibus multatus esset. Naturæ enim cujusque rei tantam illatam vim fuisse ad immutandam & amittendam corporis figuram, nihil profecto in Scripturis se reperire sacris, quod huic faveret conjecturæ, fatetur Vir celeberrimus Hugo Robinsonus; in deteriore, quam qua natæ sunt, conditionem esse dejectas res, hominis nimirum corpus, animamque, mulierem, serpentem, ipsam denique terram, hujus facinoris causa, satis perspicue traditum videtur à Mose; sed in diversam cecidisse, non traditur. Quemadmodum nec eorundem sententiæ subscribere possumus, qui negant hoc judicio Deum serpenti de priori incessu aliquid mutasse, sed tantum naturam vertisse in pœnam. Verum, uti paulo ante dicere incepimus, cum aliis viris doctis existimo, revera in ipso serpente fuisse aliquid mutatum, non quod ad corporis figuram atque formam, vel naturales serpentis proprietates; verum quoad modum incedendi, sive serpendi & trahendi corpus per terram, qui molestus

Pœna
serpenti
inflicta,
qua in
se con-
sistat

lestus forte magis & dejectus. Scil. cum ante lapsus non toto corpore reptasse verisimile sit, sed posteriore tantum parte, anteriore vero rectum incessisse, adeo ut pectus caputque ad sidera attollere posset. Huc referri potest, quod de eo canit Ovidius *Lib. 3. Metam.*

*Qui media plus parte leves erectus in auras
Despicit omne nemus.*

Post admissum hoc scelus de hoc suo incessu tum magis commodo, tum etiam decoro multum amisisse, cum ipsi & in ventre & in pectore ambulare necessum fuerit; adeoque totum corpus per cœnum & pulverem volutare coactus fuerit. Adeoque existimant viri docti, hæc duo in unum conjungi oportere, *super pectus tuum ambulabis & pulverem comedes omnibus diebus vitæ tuæ*; ita ut primum ponatur tanquam secundi causa: quasi diceret, necessum habebis, ita pronus reptare in terram, ut pulvis terræ tuo ingeratur ori, quia gradiendo uti ante, erigere te non amplius, caputque in sublime attollere poteris; verum & in ventre & in pectore simul, tibi nunc deinceps ambulandi necessitate imposita, reptando per sinuosos incessus terram movebis, quæ tibi os naresque implebit: quippe notum est, serpentes non arido pulvere vesci duntaxat, sed aliis quoque uti cibus: nec enim gramen herbæve, vel arborum fructus fastidiunt, uti quoque alia animalcula devorant, & lactis vinique appetentissimi sunt. Annotavit vir doctissimus Joh. Dieterichus, *Antiquitat. Bibl. ad h. l.* " ex Tor-
,, quemada, in Norwegia serpentem inveniri du-
,, centarum

„ centarum ulnarum oblongum, & 25. crassum in
 „ Provincia Bergensi, qui vescitur omnis generis
 „ quadrupedibus, piscibus etiam ad effugiendam
 „ famem, nec non hominibus, quos dentibus suis
 „ corrosos devorat, atque ita omnibus tum terra,
 „ tum mari proficiscentibus ingentem incutit me-
 „ tum. ” Quamobrem esus terræ non refertur ad
 alimentum, sed ad incommodum, & velut coactam
 terræ in os receptionem, ob concitatum rependo
 pulverem. Cum pectus antea sublime gerens, ci-
 bos mundos deglutire posset, & à pulvere intami-
 natos; nunc cum humi repat, fieri non potest, quin
 cum iis, quæ lambit, pulverem quoque ipse magna
 copia in os suum ingerat; atque adeo quicquid e-
 dit, pulverem quoque semper comedere recte dici
 possit. Vid. Paræum, Rivetum, Grotium. *Ad-
 dimus præterea, inquit Rivetus, summam corporis
 partem, quicquid sit de alia, terram non contigisse,
 dum se moveret, quæ mihi maxime probabilis est o-
 pinio, ut si nihil mutatum fuerit in corporis forma
 & figura, tamen hoc certum sit, de agilitate & in-
 cessus decore fuisse ei aliquid ademptum, & hoc ad
 maledictionem pertinere, quod terram lingat, & in
 pulvere esse velit.* Itaque in eo singulare Dei ju-
 dicium ponimus, quod nunc serpentes humi repen-
 tes pulvere & sordibus velut saginantur, & à locis
 cultis & amœnis ita arcentur, ut inter omnia anima-
 lia vitam degant miserimam.

Nondum subsistit maledictio serpenti inflicta in Serpen-
tis cum
homine
inimicit-
 pœnis jam enumeratis, sed & hisce additur etiam iz.
 quartum pœnæ genus, inimicitia cum homine ser-

X

penti

penti lethales; sic enim pergīt Deus serpenti maledicere: *Et inimicitias ponam inter te & inter mulierem, & inter tuum semen & inter semen ejus, ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum.* Ad naturalem serpentem pertinet hoc maledictionis augmentum, quod ei indicitur bellum prorsus irreconciliabile, & internecinum odium, non cum fœmina duntaxat, cui tam gratus antea fuerat, verum etiam cum omni posteritate gerendum, donec illa fructus istius meminerit inauspicati, ut inquit viri docti. Ponit itaque hic Deus inter mulierem & serpentem tanquam peccati auctorem irreconciliabiles inimicitias, adeo ut homines serpentes semper horrent, & vicissim serpentes hominibus ex stimulo naturali insidiarentur. Testatur enim rerum usus, uti supra annotavimus, & quisque in se ipso experitur, quantum natura abhorreat à serpente, adeo ut non conspectum ejus fugiat, sed & omnem occursum evitare conetur. Nec desunt veterum testimonia, quæ mutuam hoc inter hominem & serpentem odium intercessisse ab omni ævo probant, quorum aliquot à viro celeberrimo S. Bocharto ex profanis auctoribus notata sunt. Hujus enim odii ratione scribebat Hyperides *in Oratione contra Demadem*, τὰς ὄφεις μισητὲς εἶναι πάντας, odio dignos esse serpentes omnes. Suidas Παρεΐας ὄφεις. Et Theocritus *Idyll.* 15.

Ἐκ παιδὸς τὸν ψυχρὸν ὄφιν τὰ μάλιστα δέδοικα.

A teneris fuit horrore mihi frigidus anguis.

Sic etiam Plautus in *Mercatore Act.* 4. - - *Nempe rari est uxor tua, quam dudum dixeris te odisse æque*

que atque angues. Hinc forte factum, quod veteres somniorum interpretes pro malo omine habuerint, si quis per quietem serpentem viderit, quasi inimicitias & corporis ægritudinem præfagientem. Quamobrem Artemidorus *Onirocrit. lib. 2.* "Ὅφιν ἐχιδρᾶν ἐπάγει, ὅπως δ' ἀν' ἀδᾶν τῶν, ἕως καὶ ὁ ἐχιδρᾶς τῶν ἰδιῶτα δαδῆου. *Serpens in somnis visus inimicitias conciliat: quomocunque igitur aliquem (in somnis) devexaverit, eodem modo quisquis viderit, ab hoste infestabitur.* Vide quæ supra annotavimus.

Qualem autem exitum habitura esset inimicitia, ^{Inimicitia huius exitus tua,} quam inter Dæmonem & mulierem poneret Deus, ex sequentibus verbis perspicimus; nimirum, quod *semen mulieris conteret caput serpentis: contrito enim capite serpentis, omnis ipsi nocendi adempta potestas; quippe potissimam virium suarum partem in capite circumfert; hoc itaque contrito atque sauciato, nocendi amplius nulla ipsi vis reliqua. Quamobrem ab iis, inquit Joh. Clericus, qui interficere serpentem volunt, caput potissimum appetitur; quia eo contrito, certo interit; cauda vero resecta, vivit. Tum quia si cauda prematur, caput reflexum, in quo solo venenum est, mordet. Unde Epaminondas, ut Thebanos recta in Lacedæmoniorum agmen impelleret, maximum serpentem arreptum ostendit ipsis, & ejus capite attrito in conspectu omnium, videtis, inquit, capite adempto, reliquum corpus esse inutile. Ita si hostium capita, nempe Laconicum hoc, contriverimus, reliquum corpus sociorum nullius erit usus. Polyæn. l. 2. Stratag.*

Hinc serpens omnibus modis conatur caput immi-

nenti periculo eximere, teste Epiphanio in *Ophitas Hæc.* 37. *Ab aliquo appetitus, inquit, cum in capite vitam omnem suam residere sentiat, toto in caput complicato corpore, cranium quidem suum occultat, tradit autem reliquum corpus.* Quamobrem Chrysostomus in *Psal.* 114. *Serpens reliquum corpus exponit, ut caput conservet.* Et Isidorus Pelusiota *Lib. 1. epist.* 126. *Quibuscunque enim casibus & plagis serpens prematur, caput suum servat illæsum.* Et Isidorus alius, qui dicitur Hispalensis, *Origin. libro 12. cap. 14.* *Totum corpus objicit pro capite ferientibus.* Huc forte referendum, quod scribit Siracides *Eccles.* 25: 16. *Non est caput supra serpentis caput.* Nisi malles voculam שרא, qua procul dubio usum fuisse existimant interpretes, qui hunc librum primitius Hebræo sermone scripsit, de veneno accipere, ita ut vertendum sit: *Non est venenum supra venenum serpentis.* Verum & Jonathanem, & interpretem Græcum de capite intellexisse, refert Drusus in suis ad hunc locum adnotationibus. Cum autem nullum sit animal, quin lacessitum suam defensionem suscipiat, & duce natura, ad se tuendum iis utatur armis, quæ à natura sibi data, ad depellendam à vita atque corpore omnem vim sibi illatam; sic dente lupus, cornu taurus petit, ut canit Horatius. *Videmus, inquit Galenus, animantium quodque eo ad sui tutelam uti, quo maxime valet: nam & vitulus nondum enatis cornibus ea parte minatur, & equuleus nondum firmatis unguibus calcitratur, & catellus dentibus nondum robustis morfitat.* Ita etiam serpens contritus sive conculcatus rursus, si possit,

possit, calcaneo, scil. parti illi pedis, à qua læsus fauciatuque est, lethiferum vulnus infligere, & morfibus venenatis par pari referre, & semet ulcisci conatur. *Calcaneus* est proprie pars posterior pedis, qui alias talus aut pes imus dicitur. Sic solent serpentes parti illi pedis dentem illidere; quamobrem Ovid *Metam.* 10. vs. 10.

Occidit in talum serpentis dente recepto.

Quippe cum humi serpant, & vix è pulvere caput attollere possint, plantæ vel posteriori pedis parti dentem illidere pedibus pressi & morflu appetere tantum possunt; excepto Jaculo, quem tradit Plinius, *lib. 8. cap. 23. ex arborum ramis vibrari; nec pedibus tantum pavendas serpentes, sed & missili volare tormento.* Unde Lucanus *Lib. 9. vs. 822.*

Ecce procul sævus sterilis se robore trunci

Torsit, & immisit (jaculum vocat Africa) serpens:

Perque caput Pauli transectaque tempora fugit.
Vid. vs. 720. Et apud Solinum: *Jaculi arbores subeunt, è quibus vi maxima turbinati, penetrant animal quodcunque obvium fortuna fecerit.* Ἀκοντίαις ὁ ὄφις jaculus. Exsiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obvium fuerit, jactant se super illud, & perimunt. Unde & *jaculi* dicti sunt. Isidor. *lib. 12. cap. 4.* Nicandro ἀκοντίαι ἡδὲ κόλαιο.

Serpens, de quo hic sermo, cum calcaneum appeteret, & propter perpetuum odium cum hominis in serpentem, tum serpentis in hominem, cujusmodi odium utrique naturæ insitum & innatum, adeoque naturale, propterea non duntaxat contritus parti

Serpentis
defensio,
si læsus,
ex natu-
ra, non
odio,
profici-
ticitur.

illi pedis dentem illideret, à qua fauciatus, verum etiam non offensus calcaneo insidiaretur: quippe, quod conculcatus, atque hac ratione offensus & læsus, iterum offendet, in sui defensionem hoc facit, & cum omnibus animalibus & bestiis agri commune habet: ejusmodi enim offensio non proficiscitur ex inimicitia & odio, sed amore sui, & inclinatione naturali, qua unum quodque animal fertur ad se conservandum in statu suo. Verum inimicitias, quas Deus posuit, postquam seducta à serpente mulier de fructu vetito comedisset, atque hac ratione inobedientiæ reatum contraxisset, & in criminis societatem virum quoque pertraxisset, inter serpentes & mulierem, cœpit serpens homini esse noxius & lethalis, & vicissim homo cœpit esse serpentida, adeo ut nocendi studium utriusque quasi innatum, ob inimicitias, quas Deus mulierem inter & serpentes posuit, quamobrem sive serpens petatur ab homine, sive non, mordere tamen & percutere in calce, quamprimum occasionem nactus, nititur. Ejus naturæ dicitur esse genus serpentum corniferum, uti Cerastes, quem in arenis; quibus concolor est, aut orbitis rotarum prope viam, se occultare tradunt Scriptores, viatorum calcibus insidians, & ex occulto mordendi occasionem captans. Tradit Plinius, *serpentes colorem plerasque terræ habere in qua occultentur. Cerastis autem corpore eminere cornicula sæpe quadrigemina: quorum motu, reliquo corpore occultato, sollicitet ad se aves.* Reliquum corporis de industria arenis tegere, testatur Solinus. Et Isidor. *lib. 12. cap. 4. Cerastes serpens dictus est eo, quod*

quod in capite cornua habeat similia arietum: κέρατα enim Græci cornua vocant. Sunt autem illi quadrigemina cornicula, quorum ostentatione velut esca illicitens sollicitata animalia perimit; totum enim corpus arenis tegit, nec ullum indicium sui præbet, nisi ex ea parte, qua invitatas aves vel animalia capit. Est enim flexuosus plusquam alii serpentes; ita ut spinam non habere videatur. De hoc serpentum genere vid. Lucan. lib. 6. vs. 679. lib. 9. vs. 716. 851. Quamobrem à Nicandro δολόεις dolosus dicitur Cerastes. Ideoque LXX. Interpr. verbum Hebraicum *רשף* *jascuph*, quod paulo ante verterunt *conteret*, *τηρήσεις*, hic vertunt *τηρήσεις*, id est; *observabis* (scil. insidiando ei) quasi sensus sit: insidiando; & non aperto Marte conteres ejus calcaneum. Solent serpentes in pratis & sylvis latitantes non vi aperta, sed dolis se ulcisci & incautos ex occulto mordere, & viatorum calcibus dentem inhidere. Quamobrem Patriarcha Jacob Daniticam tribum cum hoc genere serpentum comparavit cap. 49. vs. 17. Gen. inquit, *Dan erit serpens in via Schephiphon*, id est, *Cerastes, supra semitam, qui mordet calces equi, ut cadat sessor ejus retrorsum*. Quemadmodum id genus serpentum in viis & semitis sub frondibus vel arenis latitans ex latebris & inopinato hominem aggreditur & mordet, ita prædicit Patriarcha, astu & dolo potius, quam aperto Marte rem acturos Danitas adversus hostes. Quam interpretationem alii cum Hebraico textu haud convenire statuunt: utroque enim loco Hebraice haberi *conterendi* vocem contendunt, cujusmodi versio Græcæ translationi juxta melioris.

lioris notæ exemplar convenit; ἀνὸς σε τειρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τειρήσεις αὐτῷ πτέρναν. *Ipsē tuum conteret caput, & tu conteres ei calcaneum.* Ita Exemplar Complutense & Vaticanum. In aliis vero editionibus habetur, αὐτὸς σε τηρήσει κεφαλὴν, καὶ σὺ τηρήσεις αὐτῷ πτέρναν. *Ipsē tuum observabit caput, & tu observabis ejus calcaneum.* Primam lectionem cum Hebraico textu magis convenire vel exinde patet, quod Hebraice utroque loco est verbum *Schuph*, שׁוּף quod cum Græco τειρέω convenit, & utrumque *conterere* significat. Gordonius quidam Jesuita Vulgatae versionem ita excusat, ac si sensus esset ultimum verborum, *insidiando & non aperto Marte conteres ejus calcaneum*: & respexisse ait interpretem ad vocem Hebræam עקב, quæ proprie significat *insidiari*, seu *ex insidiis aggredi*; atque ita emphasin Hebrææ vocis עקב omnino versionem illam exegisse. Verum respondet Glassius, si interpres ad significatum hoc respexit, cur igitur manifesto *calcaneum* reddidit? Duo diversissima sunt hæc significata, quæ in unam eandemque vocem semel in textu positam, in æternum cadere nequeunt. Huic etiam accedit, עקב, quando nomen Substantivum est, *calcaneum* significare; quando Verbum, *fraudavit, insidiatus est, fefellit.* Gen. 27: 30. Jer. 9: 4. Interpres autem non verbalem voluit reddere, sed nominalem significationem; unde expresse *calcaneum* ponit. Denique τὸ *insidiaberis* interpres non transtulit ex Hebræo עקב, sed ex עֲשֵׂה שִׁבְעָה quod in superiori membro positum *conterere, conquassare*, significat. In eo igitur reprehenditur, inquit, quod tam

tam discrepantem in ultimo membro ei significatio-
nem attribuit: nusquam enim pro *insidiari* illa
radix accipitur. Frustra, inquit Meinoldus Boe-
feken *Disquisit. Philol. ad Gen. Cap. 3. 15. Vulgatus*
interpretes illud נשׂו de serpente vertit, insidiaberis,
observabis; cum insidiatores spe sua crebro excidant;
quales frustrandæ insidiæ Davidi & Christo in vita
sunt structæ; cum Diabolus noxam sit illaturus se-
mini mulieris. Musculo videtur verbum *conterendi*
duriusculè usurpari in eo, quod dicitur, *& tu conte-*
res calcaneum ejus: unde vetus interpretes vertit: *Et*
tu insidiaberis calcaneo ejus. Et Græcus verbum *ob-*
servandi utrobique posuit. Quare, inquit, quando-
quidem idem utrobique verbum in Ebræo est, com-
modius verti poterat: *ipsum percutiet caput tuum,*
& tu percuties illi calcaneum. Nam Hebræa vox
נשׂו, non solum *conterere*, sed & *percutere* signifi-
cat.

Transeamus jam à serpente corporeo, quo tan-
quam organo Dæmon abusus fuerat ad seducendam
Evam, ad serpentem spirituales, qui erat motor,
locutor, & quasi anima serpentis corporalis, & se-
ductionis unicus auctor, & fraudis architectus, &
videamus, quomodo hæc pœnarum genera colubro
illi spirituali applicari & accommodari possint.
Quia hoc fecisti, inquit Dominus DEUS, *maledi-*
ctus eris inter omnia animantia & bestias terra.
Hanc maledictionem potissimum serpenti spirituali,
sive Dæmoni applicandam, quis ambigit? *Quia hoc*
fecisti, inquit Deus, *criminis tam atrocis vindex a-*
cerrimus, maledictus eris. Crimen enim, quod ad-
missum

Maledi-
& tio ser-
pentis
spiritua-
lis.

Y

missum erat, & impunitum haud relinquere poterat justissimus peccatorum vindex Deus, supponit subjectum rationis capax, quod boni & mali habet notitiam, adeoque non brutum animal, quale serpens corporeus erat; quod uti nec legis, vel pœnæ sive mali, quod ejus transgressores exciperet, primis parentibus datæ, nullam cognitionem vel intellectum habere, ita nec ad illud præceptum violandum tanta astutia & calliditate impellere vel inducere potuit. Finis enim, quem Dæmon in seducenda Eva habuit, fuit, ut hominem perderet, & ejusdem secum miserrimæ conditionis ac sortis socium haberet, id est, malis omnibus dirisque devotum ac addictum redderet, dum legem transfiliendo æternæ morti se manciparet, & à culmine illo summæ felicitatis in omnium miseriarum abyssum præcipitaret. Ejusmodi autem discursus mentis in nullum subjectum nisi ratione præditum cadere potest, quod finem & media ad illum assequendum concipiendi & in actum deducendi facultatem habet. Cum vero miserrima ejusmodi conditio esset sequela inobedienciæ contra legem primis parentibus datam, auctorem seductionis oportet fuisse subjectum rationis capax, cujus vi perciperet legis vim & rationem, tum etiam obligationis & juris vinculum, quo tenebatur homo parere imperio & voluntati sui Creatoris, cujus summum & independens in omnes creaturas imperium & dominium, adeo ut homini præscribere posset, ejusmodi leges ac jussa dare, qualia ipsi placebant, iisque obtemperandi homini imponere necessitatem, & transgressoribus sua decernere supplicia. Dirigit itaque

itaque Deus hic sermonem ad subiectum rationis capax, scil. Dæmonem male facti sui conscium. Huc pertinet hæc allocutio: *quia fecisti hoc*. Non fugiebat Dæmonem præcepisse & interdixisse Deum homini, ne comederet de fructu ligni vetiti, addita comminatione, ut *in quacunque die comederet ex eo, morte moreretur*. Eo autem audaciæ processerat invidus felicissimi hominis status Dæmon, ut quovis modo tentaverit hominem à culmine summæ felicitatis deturbare. Unde cum vim & rationem legis, ejusque verba optime teneret, & obligationem, qua ad ejus observantiam homo devinctus erat, non ignoraret, & sensum præcepti eludere, & finem evertere conatur, ut hac ratione everteret ipsum præceptum, & hominem ad illud violandum induceret: *Quia igitur fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*, inquit Deus. Hæc verba supponunt rei gestæ & criminis perpetrati scientiam habuisse eum, ad quem sermo dirigitur, scil. horrendas illas blasphemias, quas in divinam majestatem elocutus; cum me falso mortem comminatum fingere ausus es, quodque ex invidia me arborem interdixisse homini nihil mali suspicanti persuadere conatus es, quodque mendacissimis promissis hominem induxisti, ut improbas manus ad fructum vetitum decerpendum & comedendum admoverit, atque hac ratione sese à summæ felicitatis gradu præcipitem egerit. Hæc tam nefanda admisisti, merito itaque tanquam primi mali primordialis auctor, *maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ*. Diximus in animali bruto maxime feriri Satanam sive

Dæmonem, quo astutiæ suæ instrumento sive organo abusus fuerat: imo vero hæc maledictionis sententia potissimum in Dæmonem stringi debet, utpote qui conscius malefacti sui condemnari atque puniri meritus erat. Maledictionis quoque vim expertus, dum præcisa omni spe veniæ malis omnibus dirisque devotum ac addictum futurum dubitari nequit. Neminem enim latere potest, qui sacros libros evolverit, ignem æternum paratum esse Diabolo & angelis ejus, uti docet Christus, *Matth. 25: 41.* & æternis animi cruciatibus mancipatum iudicio magni illius diei vinculis æternis sub caligine reservari. Cum autem sibi conscius erat felicissimi illius primævi status, in quo collocatus ab universi hujus conditore Deo fuerat, & in præsentem miseriam suam conditionem oculos convertens, quis ambigit, quin ejusmodi status deploranda mutatio ipsi summum horrorem & tribulationem incusserit: atque in eo præ cæteris animantibus & bestiis terræ longe deterioris esse conditionis patet, quod illæ quamvis non expertes maledictionis, attamen quia rationis non sunt participes, miseriarum suarum quoque cognitionem habent nullam, vel sensum proprie dictum, scil. cum mentis perceptione conjunctum: mentis enim discursus atque perceptio in nobis boni atque mali sensum parit; tanto acrius itaque mala sua malus ille spiritus per sentiscit, quanto clarius ac vividius se quondam beatum fuisse, & propria sua culpa statu illo summæ felicitatis excidisse reminiscitur. Quis eloqui potest angores & cruciatus animi, quibus opprimitur & dilaniatur, quoties

quoties animum subit cogitatio horrendi extremi Dei
 iudicii, cui se reservatum perspicit, ut det pœnas,
 quas ob tanti sceleris audaciam, & perdendi homi-
 nis nefarium & inauditum crimen, juxta justitiam
 Dei vindicativam, pati meritus est. In eo quoque
 præ cæteris animantibus maledictus, quod nulla spes
 veniæ ipsi reliqua, nullum redimendi supplicii me-
 dium excogitare vel sperare potest. Bruta animan-
 tia, quando vitam cum morte commutarunt, pere-
 unt, nec unquam reviviscunt, adeoque nullum ju-
 dicialium expectandum posthac habent. Verum ma-
 lignum illum spiritum & antiquum Draconem, o-
 mnesque ejus fatellites, aliquando in stagnum illud
 sulphuris & ignis in ultima executione abjectum iri,
 absque ulla spe veniæ, neminem latere potest, qui
 in sacris litteris non plane hospes; cujusmodi sup-
 plicii nec finis nec modus erit; quamobrem vocatur
supplicium æternum, & ignis æternus, qui paratus est
Diabolo & Angelis ejus, Matth. 25: 41, 46. Apo-
cal. 20: 10. Adeo ut nunquam desituram inferorum
 pœnam etiam inter Gentiles sapientiores agnoverint
 ac reformidaverint. Unde apud Apulejum Trisme-
 gistus, cum animos impiorum æternis cruciatibus &
 pœnis mancipatos dixisset, *Uti in hoc*, adjicit, *ob-*
sit æternitas, quod sit immortalis sententia æterno
supplicio subjugata. Hinc Poeta Naso:

*Non mortis pœnas mors altera finiet hujus,
 Horaque erit tantis ultima nulla malis.*

Et Seneca *Hippol. Act. 1. Sc. 2.*

*Non unquam amplius
 Convexa tetigit supera, qui mersus semel*

Y 3

Adiit

Adiit silentem nocte perpetua domum.

Huc pertinent, quæ Plato de supplicio eorum, qui detestanda ac nefanda crimina admisissent, differit. *Qui vero, inquit, ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetraverint; hos omnes conveniens fors mergit in Tartarum, unde nunquam egrediuntur.* Quamobrem Plutonis portas frangi non posse statuebant. Vid. Cæl. Rhodig. *lect. antiq. lib. 6. cap. 9.* Itaque quamvis ad cætera animantia quoque maledictio pertinere videatur, quatenus univèrsa terra, omnesque creaturæ ejus eidem subjæctæ sunt; verum, uti diximus, quia ratione destituuntur, vim ejus proprie non sentiunt; præterquam quod etiamsi illam sentirent, morte tamen aliquando ab illa pœna liberarentur. Supplicium vero, quod vi istius maledictionis Dæmonem exciperet, æternum & perpetuo illum cruciaret; adeoque non comparandum cum illa maledictione, quæ tantummodo usque ad mundi finem, sive ejus in beatiorem statum restitutionem duratura. Præterquam quod nec illam bruta animalia sentiant; serpens vero contra, vetus ille coluber, ratione præditus, in æternum in tartaro adstrictus catena tenebrarum & vinculis æternis, hac maledictione feriretur, & inferni supplicii, præcisa omni spe veniæ, misere cruciaretur. Deplorandæ autem atque miserrimæ suæ præsentis conditionis cum felicissimo & beatissimo, in quo olim collocatus fuerat, & etiamnum fruebatur beatorum Angelorum cohors, comparisonem in animo suo parere

re sentiebat invidiæ & acerbi livoris rabiem, quam nulla potest placare quies, quacum perpetuo cōnflitabatur, cum desperatione ob scelerum conscientiam sine ulla rerum exspectatione meliorum conjunctam. Quippe ut ærugo ferrum, sic invidia, quem infecit animum, consumit: unde Horatius 1. *Epist. Lib. 12.*

Invidus alterius macrescit rebus opimis,

Invidia Siculi non invenere tyranni

Majus tormentum.

Quamobrem homines invidos nihil aliud esse, quam ipsorum tormenta, ait Curtius *lib. 8.* Merito itaque tot miseris, tot tormentis & suppliciis additum Dæmonem præ omnibus terræ animantibus maledictum dicimus: idque eo magis, si tot hujus maledictionis tela in eum vibrata & à Moyse litteris consignata perspiciamus.

Addit enim summus Legislator & tam atrocis admissi sceleris justissimus vindex: *Et super pectus tuum gradieris.* Quæ pœna, serpenti corporeo applicata in eo maxime conspicitur ipsum Dæmonem spectare, dum à summo felicitatis gradu, & de cœlo, beatorum sede, præcipitatus & in terram tristiaque regna deturbatus, qui antè cœlicola cum Angelorum beatorum choro glorioso Dei conspectu fruebatur, jam in ima Tartara præceps agitur, atque ita è cœlo, beatorum domicilio, dejectus in regiones infimas humi quodammodo jam repere, & super pectus gradi videtur. *Gradieris super pectus tuum,* quasi prostratus & devictus subjicieris iis, quos perdere voluisti, & in summam abjectionem & ignominiam detruderis,

Pœna
serpenti
corporeo
addicta.

ris, illorum hominum more, quorum colla victores premunt, & qui hostium, à quibus devicti sunt, pulverem pedum humi prostrati lingunt, uti inquit Rivetus ad *h. l.* Vid. *Jos. cap. 10. Psalm. 72: 9. Baruch cap. 4: 25. Persecutus est te inimicus tuus, sic cito videbis perditionem ipsius, & super cervices ipsius ascendes.* Adeo ut per pulveris eium denotari soleat summa abjectio, subjectio, atque servilis conditio, summaque miseria. Est enim summæ subjectionis & servitutis argumentum, corpore humi prostrato super pectus quasi gradiendo, obedientiam & observantiam servilem suo Principi, qui supereminens & summum dominium & imperium in subjectos, & pro lubitu de eorundem vita ac facultatibus disponendi sibi arrogavit potestatem, debitam agnoscere & venerari. Quamobrem apud Orientales consuetudo invaluit, ut corpore humi prostrato & quasi ore terram osculantes tanquam ex pulvere, nullis cancellis circumscriptum in se Regis imperium & dominium agnoscant. Unde in ejus conspectu & præsentia se in terram super pectus projiciunt, in summæ subjectionis signum atque testificationem. Ita quoque ante pedes fidelium quasi humi prostratus jaceret vetus ille coluber, ut tanquam devictus illis subjiceretur; ita ut prono in terram capite *pulverem lingeret cunctis diebus vitæ suæ*, id est, devicto jam, omnis spes atque potestas perdendi fideles, in perpetuum esset adempta; imo ipsorum conculcatur in posterum pedibus, & humi repens ac pulverem lingens, infirmis hominibus, quos se prostrasse putabat, victoriam concedere, & eorum-

eorundem in se potestati cedere cogeretur, uti inquit Rivetus. Verum, cum suam in potestatem frustra redigere conaretur fideles, licet forte millenis eos adficeret cruciatibus, pulverem tamen comederet, id est, sese convertere necessum haberet ad impios & sceleratos homines, terræ inutilia pondera, & æterni ignis alimenta, ut ita dicam.

Itaque non à sensu & mente Spiritus S. alienum videtur, per *pulverem* hic intelligere *peccatorem*, aut homines glebæ addictos, qui terrenis sordibus delectari, & hisce animum explere solent suum; unde *curvas in terram animas & cælestium inanes*, describit Poeta, scil. ejusmodi homines, qui *non superna, sed terrestria, quæ fluxa atque fragilia sunt, curant*, Col. 3: 2. Adeoque *quorum portio est in hac vita*, ut inquit Psalmista, *Psalm. 17: 14. Homines animales, qui carnis voluptatibus addicti spiritum non habent, adeoque in carne vivunt*, Epist. Judæ vs. 19. *Rom. 8: 1, & 13. Adeoque, quamvis ut leo rugiens obambulet, quærens quem absorberet*, 1 *Pet. 5: 8. Fideles tamen nunquam tanquam cibum, quem vehementer appeteret, devorandos & absorbendos permetteret Deus, quin imo pulvere vesci, id est, homines carnis concupiscentiæ obtemperantes, & omnibus vitiis atque peccatorum sordibus inquinati & contaminati, quasi in cibum ipsi cederent: ita hoc vocabulo denotare solet S. Scriptura, uti Gen. cap. 3: 19. Psalm. 103: 14, homines peccati labe contaminatos, corruptibiles, & ab ipso nativitatis momento ad interitum properantes, quique secundum carnem ambulant, quorum Deus ven-*

Pulveris nomen quo sensu veniat?

Z

ter

ter & gloria in turpitudine eorum, qui non ea, quæ sursum sunt, curant, sed ea quæ sunt in terra. Homines de ævo, *Psalms. 17: 14.* Quanquam hæc interpretatio a sensu S. Scripturæ non videatur aliena; non rejiciendæ tamen illorum Theologorum cogitationes, quorum in numero celeberrimus Theologus David Paræus, qui id omne in genere per *pulverem* intelligunt, quicquid *terrenum, vile, ac sordidum* est. *Damnatur quoque, inquit statim allegatus Theologus, ut terram comedat, hoc est, terrenis pascitur sordibus scelerum & nequitiarum, sicut immundus porcus pascitur excrementis. Id fit, cum impurus ille spiritus non modo ipse se inquinamentis mundi conspurcat & oblectat, ut sus in volutabro, sed & reprobos iisdem secum immergit ac perdit. Hic est suavissimus Satanae cibus: quo quis enim delectatur, id pro cibo & deliciis habet, sicut dicitur optimus cibus invidiae. Item: Pascimur in vivis livore, &c.* Augustinus non ineleganter adfert doctrinam *cap. 11. de Agon. Christ. Terra, inquit, est peccator; datus ergo est Diabolo in cibum peccator. Ne simus terra, si nolumus vorari à serpente.* Forte cuiquam videri posset hanc verborum interpretationem non adeo acerbam pœnam involvere, quoniam permittit Deus ipsi quasi in cibum devorandos & absorbendos impios, & in carne ambulantes, majorem generis humani portionem ac partem ipsi in cibum datam. Verum enim vero, cum adeo insatiabilis sit, ut universum genus humanum devorare vehementer appeteret; quamobrem, uti modò annotavi, veluti *leo rugiens* quemque obambulare dicitur, eo animo, ut ad

ad unum usque omnes absorbeat: Hinc, cum se videat animum non posse explere suum, & gulæ, ut ita dicam, satisfacere, quoniam faucibus suis videat ereptas tot hominum myriades, suæque potestati, divina accedente clementia & gratia, immensum hominum fidelium numerum, nullum ipsi majus tormentum injici potest, quam ut videat, se pravæ & detestabilis suæ intentionis aciem haud obtinere, suoque inde regno summum detrimentum adferri, vi sibi nocendi adempta. Et si forte aliquando in eos impetum faciat, ac diris afficiat cruciatibus, & quasi sub potestate sua & laqueis suis irretitos detineat, devincere tamen nequit; imo vero nihil aliud efficit, quam ut, quicquid in eis de carne & vetusto homine reliquum est, quibuscunque modis perdat atque consumat, atque adeo quoque in iis nil nisi merum pulverem devoret. Præterquam quo magis sævit in impios & sceleratos, eosque è medio tollit, destruit destructores terræ, & scandala ex Ecclesia tollit, regnumque adeo cælorum ipsemet auget promovetque, suum vero dimittit & pessundat, uti differit Corn. de Hase, *Diatrib. de Protevang. Parad.* Cum autem hanc ad nocendum piis & perdendos impios pronam naturam haud exuere possit, nolens volensque sibi damnum ac detrimentum inferre coactus, qua poena nulla acerbior ipsi imponi potuisset. Hanc Deus aggravat, dum necessitatem Diabolo imponit, quia tenetur cunctis suæ vitæ diebus pulverem comedere. Eo enim poena gravior, quo longius duratura. Hæc autem duratura esset usque ad finem vitæ, scil. ad

consummationem seculi & adventum Christi; quando præcipitabitur cum omnibus suis ministris in ignem æternum, *Matth. 25: 41*. Quæ interpretatio Eragio quoque placet, nec clarissimus Rivetus eam rejicit.

Quæ-
tuni pœ-
næ ge-
nus.

Justissimus & acerrimus atrocissimi perpetrati sceleris vindex summus Jehova in auctorem peccati, qui jam triumphum canere se posse putabat, quasi in univèrsam humanam generis summum sibi acquisivisset imperium atque dominium, adeoque jam servi peccati facti vetustissimi mortalium, & proinde omne mortale genus, quod ex lumbis Adami propagandum foret, eadem labe inquinatum sibi subiectum & suo imperio cederet, gravius animadvertit, dum pœnas pœnis cumulat, & justissima indignatione exardescens, ut ita dicam, super ventrem inces- sui & esui pulveris quartum pœnæ genus addit, cum perpetuam inimicitiam se positurum pronuntiat Deus inter serpentem & mulierem & utriusque semen, scil. mutuam & quidem Vatinianum odium, quo erga se invicem flagrant usque ad consummationem seculi. Adeo ut semetipsum spe sua destitutum perspiceret, & quos sibi pollicitus erat fore subiectos & obtemperaturos, bellum contra se suscepturos, ipsumque & regnum ejus summi Jehovæ auspiciis, qui se hujus certaminis auctorem & magistrum declarat, si non juxta immutabile Dei decretum omnino everfuros, saltem destructuros & divulsuros, & angustioribus limitibus circumscripturos. Quod esset causa, ut humani generis magna portio domini & imperii sui jugum excuteret, & duntaxat impiis infideli-

infidelium & nefariorum hominum cervicibus maneret impositum. Illi quippe, quos ante jacta mundi fundamenta Deus cœlestis regni scripserat heredes & incolas futuros destinaverat, universa Dei armatura induti atque circumcincti non duntaxat omnes Satanæ hostiles impetus irritos efficerent, verum etiam ipsi bellum indicerent & devincerent, amplamque reportarent victoriam, dum more militari hostem adco fortem atque astutum pedibus conculcarent, in fide, spe, & gratia, ope & auxilio sospitatoris nostri Jesu Christi. Nil enim desperandum, nec arduum fidelibus, duce & auspice Christo. Perhibent veterum monumenta, Imperatorem Constantinum, à Gentilium idololatria ad veri Dei cultum conversum, ac Christianam religionem amplexum, in aciem processurum ad hostes suos debellandos, in vexillo sive labaro, uti vocant, depingi curasse Crucis formam, quam in nummo exprimi jussit Constantius, Constantini M. filius, cum hac inscriptione: HOC SIGNO VICTOR ERIS. Patri enim Constantino figura Crucis apparuerat in Cœlo, ut traditur, cum scriptura circa eam Romanis litteris, IN HOC VINCE. Nummum, quem fieri fecit Constantius, nobis exhibet Patinus. Nonne eadem fiducia fideles & electi in hoc signo, scil. per fidem in Christum, in aciem procederent auspice & duce tanto Imperatore, debellaturi Dæmonem omnesque ejus socios.

Hic itaque ipse Deus se, uti dicere incepimus, Vox primus auctorem & magistrum certaminis fore pol-
אֵיכָה
q. asu-
gnifica-
tiones
habeat.
licetur, cum inquit, Inimicitiam ponam inter te &
Z 3 mulierem,

mulierem, & semen tuum & semen illius: & ipsum conteret tibi caput, & tu conteres ei calcaneum. Vocem Hebræam אִבָּה *Ebah*, Vulgatus vertit *inimicitias*, plurali Numero. Cæsar putabat semper dicendum esse *inimicitias*. Sic quoque Terent. *in Phorm.* *Ni ita existimassem, nunquam tam graves ob hanc inimicitias caperem in nostram familiam.* Cicer. 1. *Off.* *Nam aut inimicitias, aut laborem, aut sumptus suscipere malunt.* Et Plaut. *Pers. Sc. 1. Act. 3.* *Non ego inimicitias omnes pluris æstimo: Quam mensa inanis nunc si apponatur mihi.* Ita quoque Ennius: *Miscent inter sese inimicitias agitantes.* Verum tam singulari quam plurali numero apud probatos & classicos auctores usurpari, neminem fugere potest, qui in politioris literaturæ scientia aliquantulum versatus. Ipse enim Cicero 4. *Tuscul.* 32. *Inimicitia, ira, ulciscendi tempus observans.* Et idem Ennius: *Eo, inquit, ingenio natus sum: amicitiam atque inimicitiam in fronte promptam gero.* Vid. Gell. *Noct. Attic. lib. 19. cap. 8.* Sic etiam apud Plautum *Merc. Act. 5. Sc. 2. & Stic. Act. 3. Sc. 1.* *Cumque eo reveni ex inimicitia in gratiam.* Verbum autem *Ebah* non denotat duntaxat naturalem quandam repugnantiam, & quasi innatum odium, quo inter se dissidentes alter alterius consuetudinem fugit & declinat: verum significat etiam apertas & gravissimas inimicitias, quæ in apertum bellum & acre certamen erumpunt, atque exardescunt; adeoque non hostilem duntaxat animum, sed inde procedentia proelia atque certamina, quæ inter beligerantes committuntur, significat. Hanc inimicitiam

tiam se positurum Deus dicit inter Dæmonem & Mulierem, tum etiam utriusque semen. Quippe cum omnes Dæmonis conatus eo collimarent, ut univrsum mortale genus sibi redderet obnoxium, & in omnium scelorum & flagitiorum societatem pertraheret, atque à Dei amore abalienaret, suamque in potestatem redigeret, in vituperium universi hujus conditoris Dei; efflagitabat Dei gloria & justitia vindicativa, ut hic ipse summus Jehova intercederet, eamque intactam & illibatam conservaret adversus pravas & nefandas Dæmonis machinationes, qui hominem jam seductum, & sempiternæ morti ob legis transgressionem mancipatum, omni spe veniæ præcisa, in tartaro adstrictum tenere, & amarissimis cruciatibus afficere animum induxerat. Quasi hac ratione potuisset illudere æternum Dei decretum, quo ante mundi foundationem quosdam elegit atque prædestinavit, ut in æternum beentur per meritum Christi. Quippe *non constituit nos ad iram Deus, sed ad salutem consequendam, 1 Thess 5. 9.* Considerat enim Deus hominem ad sui imaginem, ut ejus particeps, cum Creatore suo consuetudinem habere possit, & cum eo quam arctissime uniri atque conjungi. In ejusmodi enim consuetudine atque unionem summum hominis bonum, summaque felicitas consistebat, quam ultra illam nihil amplius appetere vel exoptare poterat, quoniam in ejusmodi unionem animus acquiescebat, ab omni parte se beatum perspiciens. Felicitas enim perfecta atque summa ea est, cui nihil addi vel accedere potest, unde Cicero *in Orat. Illud cui nihil addi possit, ego summum*

& perfectissimum iudico. Quamvis autem ab hoc summo felic.tatis gradu deturbati vetustissimi mortaliū astutia atque calliditate Dæmonis, & captivi jam ab illo ducti, atque divulsi essent à communione Creatoris sui, frustra tamen conatur hominem, ad hanc beatitudinem assequendam à Deo conditum, eâ in perpetuum privare, jam seductum & ob admis- sum peccatum animæ & corporis morti, scil. æternæ & temporali addictum. Nullam enim apud Deum esse transmutationem, vel conversionis obumbrationem, docet *Jacob. 1: 17.* Ipse enim dixit, *Ego Jehova non mutor; Mal. 3:6.* Et, *ero qui ero. Exod. 3: 19.* Adeoque *ejus consilium & decretum stabit*, ut inquit Propheta *Esai. 46: 10.* Quamobrem docet Apostolus *propositum, dona & vocationem sine pœnititudine esse, Epist. ad Rom. 11: 29.* Adeoque quod semel decrevit agere, id necessario effectum suum fortiri debet: quoniam à Deo omnis mutatio & mutabilitas removenda; quia immutabilitas tam necessarium attributum divinæ naturæ est, ut absque illa Deum tanquam Ens simplicissimum concipere nequeamus. Quippe immutabilitas proprie est simplicitas omnia cætera attributa necens, & ita quidem necens, ut separari nequeant. Et hoc sensu Apostolus Jacobus dicit: *Apud quem non est mutatio.* Adeo ut si in Deum mutabilitatem cadere posse statuamus, Deum abnegare videamur; quoniam demptis attributis, quæ ipsam divinam essentiam componunt, ut ita dicam, tollitur summum illud Ens, quod Deum nuncupamus; quia absque ejusmodi attributis divinæ essentiæ ideam formare non

non

non possumus. Itaque si felicissimo integritatis statu jam exutis mortalibus nulla spes affulsisset, qua sibi promittere potuissent, se aliquando ad id culmen pristinae felicitatis, unde tam turpi & præcipiti lapsu exciderunt, facta reconciliatione virtute Victoris summi, universi humani generis Sospitatoris, ex benevolentissimi Jehovæ Creatoris sui erga lapsum hominem affectu, & juxta æternum immutabile decretum evehctum iri: quid aliud meditatum Dæmonem suspicari possumus, quam ut hanc fiduciam, hoc solamen & remedium adversus Dei iram ob commissum peccatum, hoc divinæ benevolentiae & bonitatis, quam erga se jam recens conditi & perfectissimæ atque consummatae felicitatis participes facti, experti fuerant testimonium, ex animis protoplastorum evelleret, & simul omnem divinitatis sensum deleret. Quippe non ambigendum, quin homo integer scelerisque purus, perfectissimam divinæ essentiae, adeoque omnium attributorum, quæ divinam essentiam efformant, habuerit ideam, & proinde ipsum haud fugere potuerit, Deum esse Ens simplicissimum, infinite perfectum, bonum, justum, immutabile. Qualis idea post lapsum menti manebat impressa. Quamobrem si absque spe veniæ in perpetuum se maledictioni addictos, seque damnatos opinionis errore credidissent, adeo ut nunquam in pristinum integritatis statum restituerentur, nec divinæ, jam deperditæ, imaginis participes iterum futuros; si se aliquando absolvendos a culpa, & redimendos a morte, & in gratiam recipiendos nec exoptare, nec confidere potuissent; facile ad Athe-

A a

ismum

ismum dilapsuros fuisse, verendum erat. Noverant enim Deum esse bonum & misericordem, & quia bonus, hominem condidisse bonum & rectum, & imaginis suæ participem fecisse, adeoque finis, quem in homine condendo sibi Jehova proposuit, non alius esse potuit, quam ut in perpetuum beatus esset. Haec autem Dei bonitas, quæ eo collimabat, ut homo bearetur, necessarium divinæ essentiae attributum, non poterat per admissum peccatum adeo converti in iram & poenam, ut ita dicam, ut homo nunquam iterum hujus attributi vim erga se perspiceret atque experiretur: quia ejusmodi commutatio esset mutatio divini decreti, & proinde abnegatio divinæ essentiae. Quamobrem dicitur, *in ira gratiæ fuisse recordatum*, Habac. 3: 2. Unde Hof. 3: 2. *Non faciam iram furoris mei, non convertar ad disperdendum vobiscum genus humanum, quoniam Deus ego & non homo.* Igitur, ut summus Jehova omnes nefandas Dæmonis machinationes irritas efficeret, & ex miserrima captivitate in libertatem revocaret, & in tenebrarum abyssum demersos atque æternæ morti addictos ad spem melioris vitæ erigeret, nec apud se esse transmutationem probaret, adeoque à recto tramite aberrantis & devia quærentis sibi nocentissima & damnosissima, hominis se manum aliquando apprehensurum, & in rectam semitam revocaturum, & ad pristinam felicitatem atque sempiternam beatitudinem adipiscendam aditum ipsis patefacturum perspiceret par hominum, non longo post intervallo Patris benignissimi affectum immutabilem erga lapsum hominem declarat, se positurum inimicitias edicens, & ad Dæmonem

monem sermonem dirigens, se declarat auctorem certaminis: Ego dissolvam nefariam illam familiarem consuetudinem, & in implacabile odium convertam, adeo ut in mutuas læsiones & offensiones erumpat, ut firmum & immutabile meum stet decretum, & tuis faucibus eripiam, quos in æternum beare decrevi, adeoque me talem, scil. benignum, misericordem, & omnis mutationis expertem, præbeam, qualem me esse noverint jam recens conditi protoplasti. Talis autem essentiæ divinæ idea ipsorum menti impressa erat, nec lapsu deperdita vel oblitterata. Unde ratio edocuit gentiles, summi Numinis decreta immutabilia, propterea *quod nullius rei pœnitentia ducitur*, ut inquit Plutarchus. Nec unquam, ut ait Seneca, *primi consilii Deum pœnitet. de benefic. lib. 6.* Et Hermes Trismegistus apud Apulejum, *Neque enim credibile est Deo displiciturum esse, quod placuit, cum & futurum id, & placiturum multo ante sciverit.* Quamobrem statuendum est, Deum non modo velle hoc, modo velle illud, sed semel & simul & semper velle omnia, quæ vult, non iterum & iterum, neque nunc ista nunc illa, nec velle postea quod nolebat, aut nolle quod volebat prius. Huc accedebat, quod & divina semel erga hominem testificata benevolentia & summa misericordia, non minus necessarium attributum divinæ naturæ atque essentiæ, quam immutabilitas, efflagitabat hominis lapsi, in priorem statum summæ felicitatis ac beatitudinis, restitutionem. Atqui eo omnes Dæmonis conatus collimabant, ut hominem seductum in æternum ea destitueret, & omni præcisa spe veniæ

in tartaro adstrictum teneret, ne unquam, in pristinum statum restitutum iri, sperare posset. Itaque, ponendo hæc inter Satanam & Mulierem inimicitias, erigit summus Jehova hominis jam captivi & seducti, & propterea æternæ morti mancipati, animum in spem redemptionis a servitute & potestate Diaboli; quod non duntaxat unicum ipsis erat solatium & remedium adversus Dei iram ob commissum peccatum, verum etiam obfirmabat, se aliquando divinæ gratiæ, & proinde summæ beatitudinis, ad quam adipiscendam natus & conditus erat, iterum participem fore; adeoque se experturum apud Deum nullam esse transmutationem. Huic fini assequendo inservirent illæ inimicitia, quas inter Satanam & Mulierem positurum se Deus edicit: adeoque se constitui audiunt tanquam in acie adversus hostem jam damnatum: idque spe auxilii, quod laturus esset Filius Dei, semen mulieris, ob immutabilem divinam erga se benevolentiam & misericordiam ac amorem. Hic igitur remissio peccatorum & plenaria in gratiam receptio Adæ & Evæ ostenditur, tanquam absolutis a culpa, & redemptis a morte, tanquam liberatis jam ex inferno, & illis pavoribus, quibus in conspectu Dei tantum non occisi sunt, ut inquit Lutherus Oper. Tom. VI. pag. 43. Verum enim vero, cum inimicitia, odia, dissidia, et id genus depravati & vitiis inquinati animi nostri motus & contentiones, è diametro legi morali, quæ ex divina profluit sanctitate, repugnant, & quidem maxime præcepto, quo adstringimur proximum diligere & amplecti eodem amore, quo erga nosmetipsos affecti; & proinde omne odium atque omnes

omnes inimicitias, quæ amorem & charitatem erga proximum penitus ex animo evellunt, deponere debemus, mirabitur forte quis, Deum, omnis amoris fontem atque scaturiginem, Ens perfectissimum, quod omnium vitiorum expers est, hic se inimicitiarum inter Satanam & Mulierem, tum etiam utriusque semen, auctorem nuncupare atque constituere, & quod notandum, quo arctiori necessitudinis & sanguinis vinculo quis nobis conjunctior est, in quem amoris & charitatis officia, dictante lege morali, conferre devincti sumus, eo graviores & detestabiliores inimicitia. Atqui arctissimum sanguinis vinculum, quod inter parentes & liberos intercedit, quibus tenerrimum erga se invicem amorem ipsa natura insevisse videtur, eo magis ejusmodi inimicitia vetita cense-ri debent, quibus adeo conjuncta personæ sese mutuo prosequi non verentur, utpote quæ ipsis naturæ innatis stimulis, quos etiam brutis animantibus innatos cernimus, in quibus tenerrimi amoris hujus vestigia quotidie perspicimus, repugnant, & quasi ex animo funditus eradicant. Qua ratione Deus mutua illius inimicitia positionem sibi adscribit? Quippe, uti dicere incepimus, quemadmodum omnis vitii & peccati expers est, qui auctor & causa posset esse inimicitia inter Satanam & mulierem ponenda, cum ad malum vel peccatum nulla ratione vel impellat vel instiget? Etenim qui ad malum impellit, ille malo delectatur, cujusmodi ad malefaciendum animi propensio proficiscitur ex natura peccati labe contaminata, adeoque neutiquam in Deum cadere potest ejusmodi depravati animi affectus atque vo-

luntas, & proinde neminem ad malum instigare vel impellere potest; quoniam ejusmodi voluntas & propensio ad malum esset defectus in ejusmodi Ente, quod summum est, & proinde necessario perfectissimum esse debet; adeoque infinite rectum, bonum ac justum: quin non esset quod esse deberet; quoniam propensio ad malum esset privatio ejus, quod debet adesse Enti summe perfecto, adeoque non esset Ens summum, quod sui ipsius causa est, & proinde nullo defectu laborare potest; quia contradictionem involveret, sui ipsius esse causam, & tamen defectu aliquo laborare; quoniam istiusmodi defectus procederet aliunde, scil. ab alia causa prima, & proinde non esset Ens summum & independens. Unde sequitur, illud, quod summum Ens concipimus, omnibus partibus perfectum atque absolutum esse oportere, & proinde nullo defectu laborare, adeoque omnis mali expers esse. Atqui odium serpentis antiqui adversus Christum & profecta ex eo calcanei contritio summum peccatum & malum pessimum est, ejusmodi odium cadere nequit in Deum tanquam Ens summum, infinite perfectum, bonum & justum. Pessimum autem malum summumque peccatum merito dicimus istiusmodi odium, quia quo necessitudinis & sanguinis vinculum arctius, uti statim annotavimus, eo odium, quod inter ejusmodi arctissimo vinculo sibi conjunctos intercedit, pejus ac detestabilius. Et proinde quis Deum inimicitiarum, sive odii serpentis adversus Christum, filium unigenitum, quem tenerrimo se amore amplecti & prosequi toties testificatus est Jehova, uti sacræ literæ perhi-

perhibent, auctorem suspicaretur. Quin pariter statuere necessum haberet, Deum non esse talem, qualem esse oportet, vel semetipsum abnegare posse, quo nihil absurdius vel magis impium excogitari aut fingi potest. Atqui tamen Deum sese hasce inimicitias positurum edixisse, sacra nos docet Scriptura, & semetipsum hujus certaminis auctorem ferri voluisse: haud absurdam igitur opinionem amplecti videtur, quæ cum sacra Scriptura consentit. Verum qui diligenter oraculi scopum, & summi Jehovæ intentionem in illo examinat, facile perspiciet, ejusmodi odium & inimicitias jam dudum, scil. ab ipso defectionis momento, Diabolum concepisse adversus Christum atque genus humanum. Itaque odium profectum ex defectione, defectio vero orta ex spontaneo pravoque libertatis concreatæ abusu; ergo causa & auctor odii ipse Satan, & proinde nequiquam Deo adscribenda: unde à prima origine mundi adversarius & inimicus humani generis existit. Huc referenda callida & in perniciem humani generis excogitata verbi divini interpretatio, Evæ ad transgressionem mandati divini sollicitatio, ejus & Adami plenaria seductio, eorundemque & totius generis humani in peccatum & inferni reatum præcipitatio, uti differit Salomon Glassius. Quod odium nunquam depositurus, sed in æternum retinebit, quamobrem nunquam cessat a conatu seducendi mundum, & perdendi genus humanum. Quamobrem dicitur homicida fuisse ab initio, qui non stetit in veritate, cum facultatem haberet in ea perseverandi. Itaque cum ex spontanea illa defectione odium
illud

illud Vatinianum & immortale proficiscitur, ex odio nascuntur inimicitiae, caeteraque scelera & nefanda facinora, haud quaquam Deo summè bono adscribenda, sed Diaboli malitiae, & tyrannidi, adeoque omnis mali, auctori, suafori & impulsori sunt attribuenda. Quando itaque Deus se inter Satanam & Mulierem & utriusque semen inimicitias positurum dicit, id non eo sensu interpretandum, quasi inimiciarum & odii, quo Dæmon hominem prosequeretur, auctor existisset: quippe non inflammavit Deus cor Diaboli ad odium adversus Christum & genus humanum, verum hominem effecit inimicum Satanæ, & ipsi hostem & antagonistam constituit, qui ejus laqueis irretitus captivus tenebatur, & per peccatum factus erat Satanæ mancipium obedientissimum, quem meditabatur in æternum in tartaro adstrictum tenere, & mille cruciatibus dies noctesque afficere. Adeoque inimicitiae ex parte hominis justæ & intaminatæ, nulla peccati labe adspersæ, & proinde in vitiorum numerum haud transferri debent; quippe præterquam quod inimicitia & odium, quo mulier Satanam, omnesque deinceps prosequerentur fideles, debeat considerari tanquam medium, & unica ratio, qua, divina favente gratia, se posset eripere ex captivitate & servitute Diaboli; adeoque ejusmodi odium, quo declinaret obtemperare dolosis & in perniciem hominis excogitatis à Dæmone consiliis, quasi justa defensio est adversus ejus insidias & pravas machinationes, quibus homo irretitus in omnium miseriarum abyssum præceps rueret. Quippe ejusmodi inimicitiae efficerent certamina & bella, quæ ad
defen-

defensionem sui fusciperent fideles sub summi sui & invictissimi ducis auspiciis gerenda adverſus Satanam: quem debellarent aliquando, & egregiam de eo reportarent victoriam; adeoque opera ejus detestantes & fugientes potentiam ejus quavis ratione immi-nerent, ut meritas hac ratione lueret pœnas. Deus itaque miſericordia affectus ex hoc malorum barathro hominem erepturus, non ex bono malum, ſed ex malo bonum facit, & inimicitiam hanc in hominis ſalutem, & Diaboli pœnam conſtituit, cujus vis eſt, quod homo gratia Dei ex poteſtate Diaboli eripitur, & cum mancipium ejus antea eſſet, hoſtis ipſi & antagoniſta conſtituitur, ut inquit Salomon Glaſſius. Et ut inquit Pareus: *Efficit Deus inimicitias, non ut peccatum, ſed ut juſtam pœnam*, ſicut *Pſ. 105: vs. 25*, Deus dicitur odium Ægyptiorum in Iſraelitas effeciſſe, uti diſſerit ſtatim alleg. auctor Salomon Glaſſius. Hæ itaque inimicitia non oriebantur ex pravo animi, peccati labe contaminati, affectu ſive motu, ſed juſta & recta à malo atque peccato & omni flagitio, & proinde quoque omnis mali atque peccati ſcelerisque auctore, ſuaſore & impulſore, averſione, neque tendebant in perniciem & damnum proximi, quem diligere nobis lex imperat, verum ad opprimendum hoſtem in hominis exitium armatum, qui ſempiterno odio erga genus humanum flagrans, nihil aliud meditabatur, quam hominem, quem jam in ſuas partes odiumque Dei pertraxerat, & qui proinde Satanæ veſtigiis inhærens acerbiffimas quoque pœnas pati meritus erat, perdere. Juſta itaque ratione cauſæ, juſta ratione finis: Sed mul-

to magis justæ ratione justitiæ Dei vindicativæ, utpote quæ efflagitabat tanti sceleris atque flagitii a Diabolo admissi in seducendo homine pœnam acerbissimam. Vix autem ulla graviori vel acerbiori pœna affici poterat, quam ut ex Dei judicio audiret hoc suum hæctenus mancipium, de quo tanquam de suo captivo exultabat, sibi constitui apertum hostem, imo vero inimicum exitiosissimum videt sibi poni futurum mulieris semen, atque hanc inimicitiam fore multiplicem longissimamque, ad consummationem seculi duraturam, ideoque omnis profusus illi spes eripitur, qua hucusque pascebatur, ut in perpetuum genus humanum sibi quasi prædam summi & omnipotentis Jehovæ manibus ereptam, æternæ morti mancipatum, & æternis inferni suppliciiis traditum, omni spe veniæ præcisa, in tartaro adstrictum teneret.

Inimicitia cum posteritate hinc duraturæ ad consummationem seculi.

Pœna autem eo gravior, uti diximus, quo diutius continuaretur: itaque ut justas tanti admissi sceleris & flagitii pœnas daret seductor callidus, hæc inimicitias non duntaxat se positurum dicit Jehovah inter Satanam & Mulierem, verum etiam inter omnem ejus posteritatem, quæ verbo *semine* denotatur, adeoque ad consummationem seculi duratura. *Inimicitias ponam inter te & Mulierem, & semen tuum & semen illius.* Adeoque etiamsi mulier aliquando vitam cum morte commutaret, inimicitia tamen non finirentur, verum cum ipsius semine propagarentur ac diffunderentur ad ejus posteritatem ad consummationem seculi usque: cujusmodi inimiciarum propagationem pœnam maxime aggravare nemo inficias ibit.

Semen

Semen proprie est id, ex quo simile aliquid gignitur, in quo per continuatum tempus propagatur & conservatur species. Adeoque & quasi materiale principium cujusque speciei, habens in se virtutem propagandi sui simile, eo modo, quo Deus cujusque species propagari voluit; quippe, uti variarum propagandarum species, ita quoque varii propagandi modi. Sic herbis singulis à Creatore inditum est semen secundum speciem suam, id est, nucleus vel granum, quod terræ commissum, iterum emittit vel producit speciem sibi similem. Quippe peracto creationis opere cuique speciei induit Deus virtutem & facultatem sese per propagationem multiplicandi; cujusmodi vis semini inest, unde semen, ex quo quid simile gignitur. Sic de virili quoque semine, quod in coitu emittitur, usurpari patet, *Levit. 15: 16. 19: 20, 22.* Aliquando metonymice significat id, quod ex semine est genitum & productum. Atque hanc significationem Hebræis adeo familiarem esse annotarunt Viri docti, ut apud eos habeatur quasi propria, non figurata locutio, uti liberi, familia, serique nepotes alicujus dicantur ejus semen, *Paræus Comment. in Gen. Cap. 3: 15.* hoc sensu occurrit, *Psal. 37: 25. 1 Sam. 2: 20. 2 Reg. 11: 1.*

Semen serpentis procul dubio hic totam Diabolorum catervam complectitur, quos Christus vocat *Angelos Diaboli*: Dux autem & princeps hujus cohortis, sive potius exercitus, antiquus serpens, Beelzebub, uti à Judæis nominatur. Quemadmodum enim inter Angelos bonos, qui in bono sunt confirmati,

Seminis
vox quid
significet?

Serpentis
semen
quid
complectatur.

mati, ita quoque inter malos & apostatas certos esse ordines, quamobrem principatus & potestates iis tribuuntur, neminem fugere potest, qui in Sacra Scriptura quodammodo versatus. Docent enim nos Apostolorum scripta, inter impuros spiritus unum esse quempiam istorum principem & caput. Et is est Ἀρχὸν κόσμου, *Joh. 12: 31. 16: 11.* Atque istorum esse subordinatos gradus, perspicimus *Ephes. 6: 12.* perinde ut Angelorum bonorum: Vid. *Col. 2: 15. Rom. 8: 3-8. Col. 1: 16. 1 Petr. 3: 22.* Quamobrem Christus inter Diabolum & Angelos ejus distinguit, *Matth. 25: 41.* Qui tanquam milites parent imperio ducis & principis sui, quem, uti statim annotavi, Judæi Beelzebub, Ἀρχὸν, nominare solent. Is est Draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Satanus, qui seducit totum terrarum orbem, una cum Angelis suis, quorum opera & ministerio in seducendo terrarum orbe utitur, vid. *Apoc. 12.* Hi sunt *potestates*, de quibus Apostolus, *Rom. 8: 38. Col. 2: 15.* Angeli mali, apostatæ, quorum ingens multitudo, adeo ut multæ eorundem existant myriades. Unde impurus ille spiritus, qui in regione Gadarenorum hominem misere dilacerabat atque divexabat, interroganti domino, *Quod ipsi nomen esset?* respondit ei, *Legio mihi nomen est: summus enim multi.* Legio igitur dicebatur ille à numero & copia spirituum immundorum, quibus dominatur, & quos habebat socios in illo humano corpufculo, quod si vero unum hominem tota obsederat legio, quæ complectitur sena millia peditum, vel

vel 6000. pedites, & 700. equites, non ambigendum, quin nequitiarum spiritualium multæ extiterint myriades. Hinc Thales, *plenum esse Dæmonibus aërem*, dixit. Vid. Laërt. *præm.* Uti idem testatur auctor *in Pyth.* Pythagoram docuisse, *totum aërem plenum esse animis, eosque Dæmones existimari.* Sic quoque Plutarchus affirmat, *esse in aëre quasdam naturas magnas & validas, easque tetricas & morosas.* Plato id ipsum tam de bonis quam de malis testatur, & *malorum quidem plurimum plenum esse cælum*, docet *de L.L. lib. 10.* Semen serpentis hoc loco primo denotat totam Diabolorum catervam, & spirituum infernalium colluviem, qui capitis atque ducis sui apostasiam imitati iisdem æternæ caliginis catenis ad idem iudicium magnæ diei servantur. Hos Christus vocat *angelos Diaboli*, quibus antiquus serpens, Beelzebub, præest tanquam caput & princeps, *Matth. 25. Apoc. 12: 7, 9.* Hi *semen Satanae* dicuntur, non eo sensu, quasi valicujus feminis ab eo progeneriti, verum quatenus eum imitantur, & ipsi ratione naturæ, malitiæ & factorum perfimiles sunt, studiisque suis ingenium ejus exprimunt; uti hoc sensu quoque filii alicujus appellantur, qui ei addicti obstrictique sunt, qui se ad ejus exemplar componunt, idque imitari omni conatu student; & hoc sensu quoque per semen serpentis intelligimus omnes reprobos homines, quorum pater & princeps dicitur Diabolus, quia ejus opera imitantur, eique addicti sunt atque servitium præstant; quos Christus diserte dicit esse *ex patre Diabolo*, *Joh. 8. 44.* Et Johannes asserit esse *filios Di-*

aboli, 1 Joh. 3: 10. filios Diaboli non generatione, sed imitatione. Atque huc spectare phrasin, annotarunt Viri docti, progenies viperarum, uti vocantur Pharisei, Matth. 3: 7. 23: 33. Hinc August. tract. 22. in Joh. Unde Judæi, inquit, filii Diaboli? (Joh. 8: 44.) imitando, non nascendo. Audite Sacræ Scripturæ consuetudinem. Propheta dicit ad ipsos Judæos: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa. Amorrhæi gens erat quædam, unde originem Judæi non ducebant. Cethæi & ipsi gentem suam habebant, omnino alienam a genere Judæorum. Sed quia erant impii Amorrhæi & Cethæi, Judæi autem imitati sunt impietates illorum: invenerunt sibi parentes, non de quibus nascerentur, sed quorum mores sectando pariter damnarentur.

Judæorum, de duobus Angelis è cælo pulsus, opinio absurda refellitur.

Anilium vero fabularum instar habenda absurda illa, & ab omni sana ratione aliena Judæorum opinio, qui statuere non erubescunt binos è Cælo pulsos Angelos, *Schamchusai* & *Usaelem*, è filiabus hominum uxores forma ad invidiam eleganti sibi delegisse, atque ex iis malos Angelos propagatos. Neque cum Franc. Georgio Veneto asserendum, semen Diaboli universo hominum generi inimicum, fuisse Gigantes, genitos ex concubitu Dæmonum cum mulieribus, apud quas corpora sua condensant, atque hac ratione cum iis coeunt. Quod si verum esset, nulla pudicitia intacta vel illibata conservari posset, etiamsi universa Argorum legio circumstaret puellam, vel si Ære triplici circumdata esset.

Semen mulieris.

Semini huic opponitur aliud agmen, quod constaret & conscriptum esset ex semine mulieris, scil.

ex

posteris Evæ, quotquot non erunt de semine serpentis; adeoque per semen mulieris cum Paræo, aliisque sacrarum literarum interpretibus, intelligimus piam duntaxat Evæ posteritatem, sive totam Ecclesiam electorum hominum in mundo, filios promissionis. Quippe uti inquit Apostolus, *Rom. 9: 8. Non enim filii carnis, sed filii promissionis reputantur pro semine.* Viri itaque pii, seu vera membra Ecclesiæ, omnes Evæ posterii, qui à serpente, sive Diabolo alieni sunt, per *semen mulieris* intelliguntur. Adeoque *semen cui Deus benedicit, Esa. 61: 9. Semen benedictorum Dei, cap. 65: 25. semen bonum, καλὸν σπέρμα, Matth. 13: 24, 27, 37.* Cui opponitur *semen maledictum*, scil. homines reprobii, quos & *filios Satanæ* dicimus, quia facta Satanæ æmulantur, adeoque nullæ ipsis cum Diabolo intercedunt inimicitia, verum ejus imitatores & pravi affectu sunt. Atqui semen, de quo hic sermo, opponitur semini Diaboli, cum quo inimicitias exerceret perpetuas; adeoque mutuam inter utrumque extaret certamen, summoque odio se invicem prosequerentur. Nulla ratio patitur, ut per semen mulieris omnes posteros ex muliere aliquando nascituros intelligeremus. Semen mulieris sunt electi & veri fideles, aut membra Ecclesiæ, quæ Ecclesia parit & quasi enixa est, uti inquit Braunius *System. Theolog. p. 4. c. 1.* Præterquam quod Deus hic sermonem ad Evam jam resipiscentem & peccati admissi poenitentem dirigit, adeoque jam subjectum idoneum ad exercendas perpetuas inimicitias cum Diabolo, totaque foirituum infernalium, tum etiam impiorum

piorum hominum colluvie: rerum enim usu jam edocta erat, quam callide & improbe se deceperat. Dæmon, adeoque e summo felicitatis gradu deturbaverat, & in omnium miseriarum abyssum egerat præcipitem. Cujusmodi pristinæ felicitatis, qua jam exciderat, recordatio, summum oportebat odium excitare erga seductionis auctorem: præterquam quod hæc promissio mulieri facta supponat resipiscientiam & pœnitentiam, utpote quæ erigebat protoplastos jam angore animi atque dolore ob peccati sensum, atque conscientiam misere conturbatos & depressos, in spem deperditæ summæ felicitatis, aliquando per Christi merita recuperandæ, unicumque erat remedium & solatium adversus iram Dei ob commissum peccatum: in ea igitur fiduciam suam contra peccata & morsus conscientiæ ponere debebant. Itaque non ambigendum, quin per *semen mulieris* intelligenda, uti dicere incepimus, pia Evæ posteritas, *semen, cui benedicit Jehova, sive semen benedictionis Jehovæ, Jes. 6: 13. 61: 9. 65: 23.* Sunt alii Viri docti & eruditione florentissimi, qui semen mulieris in hoc membro non collective, sed de uno certo individuo accipiendum, adeoque non omnem piam Evæ posteritatem collective intelligendam statuunt; adeo ut per semen indicetur hic singularis ille *filius hominis factus ex muliere, Galat. 4: 4.* & sumatur *μονογενὴς υἱός* de Christo; utpote qui solus universæ Diabolorum catervæ, atque ita unus multis opponatur. *Siquidem, inquit Dieterichus, in hac oppositione non præcise ad vocum significata, sed ad rem ipsam est respiciendum, quæ proprie & principaliter est*

est potestatis Diabolorum super genus humanum destructio, opus profecto, quod superat omnes vires nudi hominis. Vid. Lud. Capellum de Proteuangel. Omnes enim homines, excepto Christo, a natura sunt sub potestate Diaboli: quamobrem non possunt conculcare caput ejus. Nullus homo præter Christum, Diabolum vincere potest, 1 Job. 3: 8. Præterquam quod ordinarie innuat individuum, uti Gen. 4: 25. ubi Seth vocatur semen; & Ismael, Gen. 21: 13. Isaac, Gen. 15: 3. Sic filius Davidis in individuo, 2 Sam. 7: 12. 1 Par. 17: 13. appellatur semen. Cui accedit Paulina interpretatio promissionis, Gen. 22: 18. & 26: 4. in semine tuo benedicentur omnes gentes. Adeoque ut ratione sensus literalis per semen mulieris duntaxat intelligi debeat Messias, cui soli competit serpentini capitis contritio. Verum semen mulieris collective hic accipiendum, & contextus, & historia Ecclesiæ, satis indicare videntur Paræo, aliisque non infimi subsellii Theologis. ” Quippe, uti argumentatur doctissimus Pareus, si mulier, de cujus semine agitur, est Heva, quod negari haud potest, quicquid de Maria virgine delirant Pontificii, nulla sana ratione nixi, per semen mulieris necessario intelliguntur posterii Hevæ, qui non degenerant in semen serpentis: ,, adeoque semen benedictum; pia Hevæ posteritas, uti statim annotavimus, fideles scilicet omnes in Christum vere credentes, qui etiam virtute Spiritus Sancti contere Satanam sub pedibus suis dicuntur, Rom. 16: 20. Præterquam quod nulla potest dari ratio, cur semen mulieris minus in

se complecteretur, quam semen serpentis, quod non unum aliquem, sed plures, omnes scil. Diaboli satellites, totam spirituum infernalium colluviem, juxta omnes impios Dei verbique ejus adversarios homines, & propterea filios Diaboli, ejusque affectas, in se complecti annotavimus: Non inficior vocem *זרע* *semen*, sæpe in sacro Codice notare unum quendam hominem, filium, ut ex locis modò adductis perspicimus. Verum ex eo non sequitur ubique & semper unum quendam hominem denotare. Qui sacras litteras diligenter eolverit, eum haud fugere potest, hanc vocem etiam quandoque plures complecti: Deus promittens *semini Abrahami terram peregrinationum ipsius*, procul dubio non unum aliquem ex Abrahami posteris, sed magnam intelligit eorundem multitudinem, *Gen. 17: 8*. Vox enim *semen* hic complectitur non omnem, sed piam Abrahami posteritatem, filios promissionis, fideles omnes ex semine Abrahami oriundos, adeoque innumerabilem multitudinem. *Non enim filii carnis, sed filii promissionis reputantur pro semine, Rom. 9: 8*. Notandum quoque, quod è vestigio, postquam seduxerat hominem sua calliditate & astutia Draco ille magnus, serpens antiquus, Jehovah inimicitias inter serpentem & mulierem & utriusque semen cum effectu posuerit; quippe ejusmodi inimicitiae efficerent, ne deinceps mulier cum Satana ejusque semine consuetudinem haberet; verum ejus colloquium declinaret, nec quicquam cum eo tanquam jurato hoste commercii haberet, ejusque consortium ceu pestem & hostem capitalem fugeret, & tanquam gravissimum

vissimum inimicum summo odio prosequeretur, atque hac ratione conscia auctore & suasore Satana, sibi admissi peccati Heva, ad Deum rediret & peccati remissionem, & receptionem in gratiam per Christi merita efflagitaret. Adeoque ponendo ejusmodi inimicitias, quæ in causa essent, cur Satanæ consortium detestaretur & fugeret, Deo placuit quasi januam resipiscentiæ & salutis parentibus iterum aperire. *Nam, uti inquit gravissimus Theologus Pareus, fugere Satanam, est fugere peccatum & mortem, & redire ad Deum & ad vitam.* Fuga autem illa proficiscebatur ex inimicitias, quas inter Satanam & Mulierem se positurum dicit Deus. Atque e vestigio posuit. *Ponam enim, inquit Deus, inimicitiam inter serpentem & Hevam,* hoc est, hoc ipso tempore pono, & positas eas inimicitias in æternum manere volo, adeoque in posteros statim transituras. Est enim Enallogé futuri pro præsentis, Ebræis frequentissima. In futuro enunciantur propter continuationem & durationem: positas autem inimicitias, quæ actualiter, ut ita dicam, exercerentur, poni quoque debent inimici. Quinam autem illi esse poterant, nisi Satan & Mulier, & utriusque semen? Hæ inimicitia inciperent inter Satanam & Mulierem, neque finirentur mortua muliere, sed transirent in piam ejus posteritatem, quippe absque ejusmodi inimicitias facile se iterum astutiis atque blanditiis Satanæ irretiri, & captivos abduci paterentur pii & in Christum vere credentes Evæ posterii. Ejusmodi itaque inimicitia efficerent, ut sibi ab insidiis serpentis Diaboli caverent, omne cum eo

Cc 2

ejus-

ejusque femine confortium & consuetudinem abhorrentes, adeoque peccatum fugere, & pietatem colere elaborarent. Quamobrem necessum erat, ut inimicitiae diffunderentur ad piam mulieris posteritatem; quemadmodum enim seduxerat mulierem, ita quoque seducere ejus posteros, scil. fideles & in Christum credentes, summa ope niteretur; quoniam ab ipso die hominis natali ejus erga genus humanum inimicitias & internecinum odium rerum usus edocuit; quamobrem *homicida* fuisse dicitur à mundi primordio, atque quasi *leo rugiens* describitur, *obambulans & quærens quem devoret*, 1 Pet. 5: 8. quamobrem admonet Apostolus fideles, ut sobrii sint & vigilantes, quia astutum haberent hostem, non hominem aliquem, sed ipsum Diabolum, qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum haberet: blando ore loquitur malum, & dolum clausum in pectore habet, *transfigurat se in Angelum lucis*, 2 Cor. 11: 14. ut fideles & electos seducat & in baratrum æterni ignis secum rapiat. Post lapsum enim mulier prona facta erat, una cum semine suo, ad amandum Satanam, seductorem, cujus jam mancipium, hinc sponte opera Diaboli facere dicuntur homines nondum regeniti & resipiscentes. Quamobrem & dolosi atque callidi impostoris Diaboli pestiferis & in eorundem perniciem excogitatis suasionibus & consiliis aures præbere & obsequi solent, prava natura duce & suatore. Quod igitur non est in muliere ejusque semine per naturam, promittit Deus, se positurum & effecturum in illis per gratiam; unde & *ponam inimicitiam*, faciam, ut odio habeat & adversetur

fetur Satanæ, & Creatorem suum amore prosequatur; quippe inimicitia hæc non importat duntaxat odium & fugam Diaboli, sed & comitem habet amorem & obedientiam Triunivsi Dei, uti inquit Momma *Oeconom. Vet. Testam. cap. 2. §. 23.* Quam callide, quam dolose sub amicitia larva inimicitias & odium erga genus humanum dissimulaverit in seducenda muliere, apparuit, adeoque eo magis verendum, uti modo annotavimus, ne Evæ posteritas, scil. pii & electi posteri eadem astutia & calliditate illaquearentur & seducerentur. Hinc exacerbavit Jehova utrinque animos, ut capitaliter invicem certarent implacabili odio, atque hac ratione omnem familiaritatem, confortium & consuetudinem cum Diabolo fugerent, evitarentque. Eadem ergo ratio, cur Deus posuit inimicitias inter Satanam & Mulierem, etiam locum habet in semine, sive posteritate mulieris; quippe cum morte mulieris non finiretur odium & inimicitia Diaboli, verum eodem odio prosequi pergeret ejus semen: Unde necessum erat, ut quoque ejusmodi inimicitia transiret in piam ejus posteritatem, ne irretirentur fallacis impostoris insidiis, & dolosis in fidelium perniciem excogitatis machinationibus. Alterutrum enim statuendum, vel easdem inimicitias Satanam concepisse erga omnes pios Evæ posteros, vel muliere seducta eas deposuisse; atqui nemo mentis compos inficiabitur posterius. Ergo dicendum, easdem quoque inimicitias contra Satanam transiisse à muliere in semen ejus. Quamobrem omnes Evæ pii posteri tam Patriarchæ, quam Prophetæ, etiam universa electorum Ecclesia,

Cc 3

quibus

quibus omnibus perpetuo infidiatus est, tam ante, quam post adventum Messiae, duce & auspice Christo, uti alibi diximus, steterunt in acie, atque militarunt adversus Diabolum ejusque semen: *luctari* enim dicuntur, *pii & fideles adversus imperia, potestates, mundi dominos & rectores tenebrarum, spirituales malitias*, Eph. 6: 12. Ergo non possunt omnes pii mulieris posterii, uti argumentatur doctissimus Pareus, ab hoc semine excludi, quin ab inimicitiis etiam excludantur: aut fingatur, nullas fuisse inimicitias inter Satanam & ejus semen, & semen mulieris ante Christum in carne exhibitum. Atqui contrarium verissimum rerum usus docuit. Sequitur ergo, hoc secundum membrum ad inimicitias mutuas Diabolorum & piorum hominum omnino extendendum. Verum enim vero ex hoc semine unus prodiret in aciem atque in certamen cum Satana descenderet, qui de serpente ejusque semine reportaret victoriam, ejusque regnum enervaret, contriturus caput serpentis. Promittit enim Jehovah, ipsum contritum caput serpentis, dum ad serpentem sermonem dirigens inquit, *Ipsum tibi caput conteret. Ipsum scil. semen mulieris vel ipse*, nim. Christus. Cum impie Pontificii Mariae Virgini adscribere non erubescant, quæ nisi uni Jesu Christo adscribi debent, impia manu eos textum depravasse quis inficiaturus, dum pronomem הוּא *Ipsè* vel *Ipsum*, masculinum, in היא *Ipsa* foemininum convertunt, adeoque nefarie, uti diximus, tribuentes foeminae Mariae, quod Paulus diserte Deo, Rom. 16: 20. & piorum omnium, & proinde etiam beatæ Virginis Servatori

vatori Christo *Hebr.* 2: 14. vindicat. In textu enim Hebræo non occurrit pronomen הוּא, quod est fœminini generis, sed masculinum הוּא, quod Latinis *αὐτός & πρώτος* idem est ac *ipse*. Præterquam, uti annotarunt viri docti, quod nomen antecedens וְיֵי aliud genus nequeat admittere, nec subsequens verbum יִשׁוּפֵךְ, quorum neutrum in fœminino, sed utrumque in masculino legitur genere. Præterquam quod lectionis Hebraicæ variantis nullum uspiam vestigium appareat: ipsi Lovanienses in variantium lectionum Catalogo (in Appar. ad Bibl. Reg.) M.S.S. omnes Ebræos, Chaldæos, Græcosque codices pronomen masculinum habere, fateri necessum habent, uti quoque testatur Capellus, solertissimus variarum lectionum indagator. " Nec aliter poterat fieri, ut inquit Cornel. de Hase *Diatrib. de Prot. Evang. Parad. c. 6.* quam ut pronomen hic reperiretur masculinum, quum & nomen substantivum, cum quo ipsi in eodem genere & numero convenire debet, & verbum personale, quod continuo sequitur, & pronomen relativum, quod verbo secundæ personæ adfixum est, masculina sint omnia: nam antecessit vox וְיֵי, *semen*, in genere masculino; & subsequitur primo quidem, non יִשׁוּפֵךְ, qualiter deberet, si de fœmina esset sermo, sed יִשׁוּפֵךְ tanquam de mare: deinde offendimus scriptum, non quidem תִּשְׁוֹפֵנָה *conteres eam*, sed תִּשְׁוֹפֵנִי *conteres illum*: ut, quemadmodum verba non debent, ita quoque nec possint aliter converti, quam *ipsum conteret*, si nomen substantivum Latinum *semen*, vel *ipse conteret*, si
 „ ipsum.

„ ipsum respicias *Christum*. ” Præterquam quod nemo inficiari potest, contritionem capitis serpentini rem esse, quæ infinitis modis vires hominis, adeoque etiam B. Mariæ virginis, superat. Quamobrem nusquam in sacro Codice Deiparæ virgini, verum semper & ubique uni & soli Deo ejusque filio adscribi solet, ut patet ex locis modo adductis. Hinc 1 *Joh. 3: 8*. *In hoc, inquit, Dei Filius apparuit, ut opera dissolveret Diaboli*. Et Paulus Apostolus, *Deus pacis*, ait, *conteret Satanam sub pedibus vestris*, *Rom. 16: 20*. Huc etiam pertinet, ut inquit Pareus, *quod hoc tertio membro non iterum mulier, sed semen mulieris committitur cum serpente*. Quod attinet exemplar sive Codicem illum, quem vidit Bellarminus, non alius est quam Guidonis Fabricii Boderiani, in gratiam Comitis Mirandulani, uti quidam volunt, nefarie ab eodem corruptus: crimen detegente, ut inquit Heideggerus, ipso Dei spiritu, qui editoribus Plantinianis permisit, ut per incuriam pro *היא* à Fabricio supposito, *היה*, quæ vox, uti hujus linguæ periti annotarunt, ne Hebræa quidem est, exsculperent. Vid. tamen Rivet. *Exercit. 36. in Cap. 3. Gen.* Qui nec Francisci Pici Mirandulæ Comitis, nec Joannis Pici patris auctoritate ejusmodi mutationem attentatam autumat; propterea quod neque Joannes Picus existimaverit mutandam esse lectionem Ebræam; quem in finem descripsit locum ex quadam Epistola dicti Joannis Pici scripta ad Baptistam Mantuanum 20. Martii 1490. ubi agit de diversitate translationis Latinæ à litera Ebraica, inquit: *Sic equidem censeo,*
est

est in Ebraeo quemadmodum scribis, ipsum conteret caput tuum, referturque ad semen Evæ, de quo dixerat, inimicitias ponam inter semen tuum & semen illius, &c. Quemadmodum quoque patet ex Epistolis Francisci Pici ad Pagninum, eum nihil magis in votis habuisse, quam ut Latina editio, ex Hebraico fonte corrigeretur, & à maculis, quibus eam scaterre non diffiteretur, expurgaretur. Pervetustum hoc esse mendum Codicis Vulgati, annotarunt Viri docti, ita ut vel ipso ævo Augustini jam quibusdam in Codicibus irrepsit. Variant enim hic Codices Latini vulgati Bibliorum interpretis, teste Jacobo Pamelio, uti quoque nec ipsi Lovanienses negant, antiqua quædam exemplaria manuscripta vulgatæ editionis prætulisse in textu, *Ipse*. Sed & ipse Franc. Lucas Brugensis notavit in exemplaribus Bibliorum celeberrimis Complutensi & Vaticano legi *αυτος ipse*, uti quoque Germanicæ editiones & Aldina. Idem testatur de duobus Parisiensibus, *Oblongo* nimir. *S. Germani* illo & *Sarbonico correctorio*. Præterquam quod nemo inficiari potest, sic legisse Hieronymum in Ebraicis *quæst. in Gen. Melius habet*, inquit, *in Ebraeo, IPSE conteret caput tuum. Quibus in verbis etiam conspicitur, Hieronymum* (quem Pontificii Vulgatæ versionis auctorem perhibent) *lectioni prædictæ conformiter IPSE vertere*, ait idem Lucas Brugensis. Quicquid sit de Latinorum Codicibus, ad *Hebræa*, uti inquit Augustinus *Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 11. tanquam ad sacram anchoram recurrendum est, si quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas, in eo perpetuo*

Dd

sibi

sibi ac ubique similia sunt ut legant אִתּוֹ IPSE, *neutiquam vero* אִתָּא ILLA. Quamobrem cum Bellarminus testetur se in uno Codice legisse אִתּוֹ *hi*, ei ab Hebræo non absque integræ famæ nota objectum est, textum vel ab ipso, vel ab illo falsario, contra omnium exemplarium MSS, quotquot unquam vel usquam visa sunt, manifestam fidem atque consensum esse corruptum. Præterquam quod ipse Pamelius fatetur, etsi in quibusdam MSS. legeretur *ipsa*; tamen genuinam lectionem esse *ipse*; tum quod præmittatur, *hoc semen prædixerat Deus de muliere procedere, quod calcaret caput Diaboli*; tum quod Græcè sit apud LXX. αὐτὸς & αὐτῆ, non autem αὐτῆ & αὐτῆς. Et sic in Græcis MSS. constanter legi αὐτὸς, viri docti annotarunt. Vid. Rivet. *Exercit.* 36. Capel. *de Prot-Euang.* Præterquam quod omnes veræ versiones vetustæ hic consentiunt; quamobrem quoque è Pontificiorum grege multi veritatis luce & conscientiæ testimonio convicti, hanc versionem amplectuntur: puta Vatablus, Lucas Brugensis, Cajetanus, Stevichus, Pagninus, Isidorus Clarius, Arias Montanus, Ribera, Pererius, aliique magno numero. Hisce accedit testimonium summa eruditione celeberrimi viri Præfulis Petri Huetii, *Demonstr. Evang.* p. 498. ubi inquit: *Vulgata quidem habet IPSA: at Hebraicum exemplar & LXX. Senum interpretatio & Samaritana editio habent IPSE; ita & Onkelos & Jacobus Tawosus Judæus, Persicus interpres, & Syrus. Ita Irenæus, Cyprianus, Hieronymus. Nempe significatur Christus. Quod quamvis Judæi recentiores a-*
lio

lio *flectere sint conati, contra id tamen vetustiorum fides, qui majori candore CHRISTUM hic agnoscunt.* Quin & Targum Hierosolymitanum hoc loco Christi meminisse, inficiari non potest. Capnio libro I. refert, *Veteres opinatos fuisse Angelum Raphael, (sive Secretarium Dei,) Adamo adjunctum, qui hanc de futuro semine promissionem afflicto ipsi mærentique exposuerit, in hanc fere sententiam: ne supra modum conficiaris molestia & gemitu, quod te duce genus humanum in summam corrui: perditionem: quoniam originale peccatum expiabitur. Nam ex tua propagatione nascetur homo justus & pacificus, vir heros, cujus nomen continebit in miserationibus etiam has quatuor litteras, I. H. V. A. & ille per ratam fidem & placidam oblationem mittet manum suam, & sumet de ligno vitæ, & ejus ligni fructus erit omnium sperantium salus. Sit igitur & maneat semen mulieris, & ipse quidem solus contritor serpentis & fidelium redemptor. At viderint Pontifici, ne Mariam ipsam sectando, & matrem & filium simul amittant, ut inquit Joh. Henr. Heideggerus. Uti & nos agnoscimus, hic esse sermonem de femine mulieris, non collective ut prius, sed individue de femine uno, nempe de Christo Messia qui in aciem prodiret contra Satanam, sive serpentem, ejus caput contriturus, id est, patiendo & moriendo Satanæ potentiam & robur infringeret, aboleretque in salutem generis humani: Christus enim tanquam caput ac princeps totius fidelium ac electorum coetus, in certamen adversus Diabolum descenderet, eumque debellaret, ejusque victorie par-*

ticipes essent omnes, qui in Christum tanquam expromissorem adeoque salutis æternæ auctorem crederent, & propterea omnia victoriæ hujus quoque commoda & fructus participarent & degustarent.

Seminis
vox u-
trum
collecti-
ve, an
vero in-
dividue
sumi
debeat?

Quod autem vox semen hic non collective, sed individue de uno semine sive de Christo, fidelium unico Redemptore, sit intelligenda; Viri docti varias adferunt rationes. Primo notant, Deum hæc membrum non absque ratione magna distinctione separare, & pergentem loqui de semine mulieris non dicere זרעו & semen ejus, sed הוא ipsum vel ipse, non repetito nomine priore, ut jam non de semine communiter ut prius, sed singulariter de uno & certo quodam semine, id est, Filio, loqui intelligatur, & communi illo semine mulieris, prodituro ad singulare cum serpente certamen: sicut olim David ex Israelitarum exercitu solus prodiit in aciem contra Goliathum, eumque singulari certamine devicit, uti differit Pareus *Comment. in Gen. Cap. 3: 15*. Præterquam quod LXX. reddiderint ἀντὶς, licet præcedat σέρπεντα. Tum etiam, quod huic non opponitur aliud semen ut prius, verum hostis & inimicus singularis ipse serpens. *Intelligitur*, inquit Vir celeberrimus Franciscus Burmannus, *nomine seminis unus quidam ex isto semine, qui nomine & bono totius seminis certamine hoc defuncturus erat, sicut ex adverso ipsi non aliud semen, sed ipse antagonista serpens opponitur; cujus caput hoc semen contritum erat: quod non est nisi singularis istius seminis: sicut Scriptura in promissione Abrahamo facta, quæ eadem est cum hac nostra, semen illud singulariter de*
Christo

Christo solo sumit, Gal. 3: 16. Abrahamo dictæ sunt promissiones, & semini ejus. Non dicit, & seminibus, quasi de multis; sed quasi de uno, & semini tuo: qui est Christus. Nec alienum à Scriptura esse, alibi annotavimus, voce feminis aliquando unicam duntaxat personam denotari *Gen. 4: 25. 15: 3. 21: 13.* In hoc autem femine victoria promittitur. Huc etiam accedit, quod & victoriæ obtinendæ modus, scilicet contritio capitis serpentis, satis indicat, Messiam hic intelligi debere. Modus enim obtinendæ victoriæ adversus serpentem hic plane singularis est, & potentioris adversarium denotat, quam hominem: quis enim Mortalium adeo audax & intrepidus inveniretur, qui pede caput serpentis omnium vastissimi conterere auderet, cum non sine horrore ac tremore clavo aut telo serpentem petere ausit; verum potius ad ejus visum in fugam se conjiciet, ne forte ab eo lædatur & in vitæ adducatur discrimen. Atqui nemo mortalium vix sine vitæ periculo serpentem pede conterere posset: haud ambigendum ergo mihi videtur, quin talem hic adversarium intelligi dicendum, qui absque ejusmodi periculo hujus serpentis omnium monstruosissimi & sævissimi ac validissimi caput contereret, & pedibus suis conculcare haud extimesceret. Quamobrem hujus effati sensus aperte innuit, eum, qui caput serpentis contritus erat, omnem humanum ausum, viresque exsuperaturum: & proinde singulare semen, nempe Christus, qui plusquam humanis viribus pollens Draconem illum pedibus conculcavit, promittitur. Nec ulla videtur mihi posse ratio excogitari, cur

voce feminis, uti prius, comprehendi deberet universus fidelium cœtus. Quippe cum hic sermo habeatur de ipso pugnæ actu atque exitu, scil. de debellando Dracone sive serpente, atque de victoria, quam reportaret semen mulieris; quis sana mente præditus non perspicit, illud haud prædicari posse de semine collective sumpto, adeoque fideles & electos eo comprehensos; quasi illi ad tam insignem reportandam victoriam aliquid conferre potuissent, quod absurdum esset statuere. Quemadmodum Messias solus est ille, qui devicit Draconem illum magnum, atque pedibus suis conculcavit, ita hic per semen illud, quod caput serpentis pedibus contriturum prædixit Jehovah, Christus humani generis unicus Hospitator & Salvator intelligi debet, cum exclusione, ut ita dicam, omnium fidelium, quatenus illi ad ejusmodi pugnæ actum, & obtinendam victoriam nihil conferre poterant, verum debellato serpente, uti statim annotavimus, per fidem in Christum tantæ victoriæ participare, & ejus fructus degustare dignarentur, non per sua, sed Christi merita. Ita ut illa contritio & conculcatio soli Christo tribuenda, & proinde, quando illa per semen mulieris prædicatur perficienda, ad Christum solum referenda: qui tanquam fortior è Cœlo descendens, caput serpentis contrivit, i. e. Satanam subjugavit. Quæ ergo ratio subesse potest, cur hic iterum vox semen collective accipienda sit, uti modo dicere incepimus? Inimicitia, quam positurum se edixit Deus inter semen mulieris & Satanæ, collective sumptum, nullam imponit nobis necessitatem, ut eandem

eandem vocem in pugnae, scilicet conterendi & conculcandi, actu iterum tam late accipere necessum sit; quippe inimicitia & odium erga Dæmonem ex naturali causa procedere potest, uti odisse solemus illos, qui nobis aliquid damni intulerunt, aut malo affecerunt; & proinde omnibus hominibus communis ejusmodi animi motus. Verum ad par pari referendum & adversarium seu hostem devincendum & subjugandum, ne deinceps nobis quid damni inferat, vires sæpe defunt; adeo ut alterius sæpe auxilium implorare necessum habeamus, ut omnem vim atque injuriam propellere a vita & capite possimus: cujus autem ope & auxilio si hostem subjugavimus, ad eum quoque pervenit victoriæ gloria. Verum cum sic vox *inimicitia* non tam late pateat, quam naturalis se ab hoste & inimico vindicandi amor & quasi innata hominum animis propensio, ideo Deus eam posuisse dicitur inter semen mulieris & semen Diaboli; quia non datum fuit perspicere, quantum sibi à Dæmone damnum illatum, nisi fidelibus & electis, qui animi oculis à divino spiritu illuminatis miseram conditionem, ad quam astutia & calliditate Dæmonis delapsi erant, non sine summo dolore & animi angore intuebantur, adeoque ipsorum animis ex incredibili & summa erga humanum genus misericordia ejusmodi inimicitiam quasi se instillaturum edicit hujus universi conditor & auctor Deus, ob rationes à nobis supra allegatas. Verum ad ejusmodi odium & inimicitiam concipiendam capaces quidem erant fideles & electi, imo necessum erat, ut ejusmodi odio adversus Satanam flagrant, ut
ipsum

ipsum scilicet fugerent, & omnem cum eo consuetudinem declinarent, ne iterum deciperentur, & ad quæcunque admittenda mala & flagitia patranda blandis verbis & sibi perniciosissima astutia & vafritie hostis callidissimi serpentis induci se paterentur; adeoque commode vox semen, quatenus ad inimitiam refertur, collective omnes fideles & electos complectitur. Ejusmodi enim odium atque inimitia, motus animi & naturalis propensio, est communis universo fidelium generi, ut ita dicam, quemadmodum omnibus hominibus commune & naturale est odium erga illos, qui sibi mali vel damni quid inferre meditati, vel ipso facto intulerunt. Verum enim vero cum se longe impares viderent, & vires sibi deesse perspicerent, quibus hostem & adversarium adeo potentem & validum subjugarent & devincerent, & tot tantaque mala, quæ sibi ab illo imminabant, a se depellerent; adeoque potentiorum adversarium huic opponendum, qui Satanæ potentiam everteret, & ab ea homines liberaret, prævidisse protoplastos, non ambigendum sit: se vero unicum par hominum esse in terris, adeoque nullum auxilium aliunde sibi ab homine expectandum: angore summo atque tremore correptis, & justa ira & ab hoste suo se vindicandi libidine flagrantibus mortalium vetustissimis remedium atque solatium adfert Jehovah, suumque auxilium & opem impertiri miseris, & promittere pro immensa sua misericordia voluit, ut afflictam primorum parentum mentem erigeret ad spem victoriæ aliquando obtinendæ per semen mulieris, quod caput serpentis, hostis potentis & sævissimi

conte.

contereret; adeoque perficeret, quod illi haud effi-
 cere potuissent. Hinc concludimus precationem
 nostram: *Tuum est regnum & potentia & gloria:*
 Servat enim suos, scil. electos & fideles, adversus
 omnes impetus Dæmonis, crudelissimi & sævissimi e-
 lectorum hostis, ille solus omnipotens est, atque
 sua potentia & virtute subjugavit & debellavit Dra-
 conem illum magnum: hujus victoriæ tibi Regi in-
 victissimo tribuenda gloria; quia tu solus hostem
 nostrum cruentissimum edomuisti, atque a durissimo
 servitutis jugo & Tyrannica dominatione nos libe-
 rasti; adeoque tibi gloria competit in secula seculo-
 rum. Præterquam quod hic promittitur semen,
 quod debellaret aliquando serpentem, promissio fit
 mulieri, ejusque piæ posteritati; quam vero ob rati-
 onem, nisi quod nemo mortalium, adeoque nec u-
 niversum genus humanum, tanta potentia pollebat,
 ut tam potentem hostem subjugare, imo ne quidem
 ad devincendum illum aliquid conferre potuisset.
 Quali potentia & robore ac virtute præditum ex fe-
 mine mulieris nasciturum prædicit Jehovah virum,
 qui in singulare certamen descenderet cum serpente,
 eumque pedibus conculcaret, regnumque Diaboli
 everteret.

Quoniam autem hæc omnia perficerentur inter-
 veniente robore & potentia feminis ex muliere nascitu-
 ri, quomodo quæso hac voce complecti possumus
 omnes fideles, piam Evæ posteritatem, quæ ad hanc
 victoriam obtinendam nihil, uti statim diximus,
 contulit: Sermo hic est de futuro duello, sive sin-
 gulari certamine inter Christum & serpentem, in

victoria
 de ser-
 pente in
 Christo
 promif-
 sa.

E e

quo

quo Christus triumphator existeret debellando hostem cruentissimum, nullo alieno auxilio accedente, sed sua potentia invincibili eum devicturus. Quem admodum vero certamen singulare futurum, ita quoque promissio respicit singularem personam, scil. Messiam, adeo potentem, ut eum contereret, atque pedibus conculcasset; atque ita triumphator existeret: adeoque in hoc semine, scil. Christo, victoria promittitur, adeo ut summus & sua ætate facundissimus Theologus Joh. Calvinus, quamvis dissentiat a nobis, dum ipsi rector visa sententia, quæ *semen mulieris contritutum caput serpentis* accipit, non de uno Christo singulariter, sed etiam de posteris Evæ collective: fateri tamen necessum habuerit, necessario veniendum esse ad unum caput, nempe Christum, seu Messiam, qui tanquam fortior e Cœlo emergens caput serpentis contriverit & Satanam subjugaverit, & a quo solo Satanæ conterendi, seu subjugandi virtus diffundatur in homines fideles, secundum illud Pauli *Rom. 16: 20. Dominus brevi conteret Satanam sub pedibus vestris.* Verum hic non disputamus, an non p̄i etiam dici possint virtute Dei Satanam sub pedibus conterere, uti paulo antè nos quoque annotavimus; sed non videtur nobis id primario sensu in proteuangelio hic intelligi, sed sensu litterali proximo, hac promissione de conterendo aliquando capite serpentis, per semen denotare Messiam, voluisse Spiritum S. In interpretandis sacris oraculis maxime debet inspicere mens Spiritus S. quo collimare voluerit: jam vero ob rationes (quæ forte quibusdam sacrarum literarum interpre-

terpretibus non placituræ) modo adductas à mente Sp. S. aliena mihi videtur quorundam & proinde quoque Calvinii sententia, qui *semen mulieris contritulum caput serpentis*, hic collective, uti prius accipiunt, quoniam hic sermo habetur de singulari certamine, de duello, sive *μωραχία*, de subjugando serpente, sive conterendo capite serpentis, eumque pedibus conculcando; quod à nullo, nisi uno Christo perfici potuisse nobis concedunt, qui contrariam sententiam amplectuntur. Si hæc omnia uni duntaxat Christo tribuenda, in sensum a mente Sp. S. alienum detorquere illi ea verba videntur, quibus promittitur mulieri semen ex se nasciturum, quod caput serpentis pedibus conculcaret sive contereret. Quod uti de singulari duntaxat persona prædicatur, ita de uno Christo intelligi debet. Quamobrem etiam Apostolus *dict. loc. Dominus conteret sub pedibus vestris Satanam*, singulari numero hæc verba enunciat, convenienter promissioni olim Evæ factæ. Atque hac ratione falli nescium habemus interpretem. Quamvis alibi dixerimus ratione accommodationis pios Evæ posteros, scilicet fideles & electos, virtute Dei etiam dici posse Satanam sub pedibus conculcare. Hinc commentatores ad illum locum notant, Apostolum hic alludere ad *Gen. 3: 15.* ubi vox Hebræa *אין hu*, id est, *ipsum semen*, sive proles mulieris, puta Christus, conteret caput tuum; adeoque numero singulari hic semen intelligendum statuunt. Et quidem ita quoque è Pontificiis sentire videtur Cornel. à Lapide *Comment. ad h. l.* Hisce enim verbis significatur, De-

um brevi Satanæ machinationes destructurum, juxta promissionem Evæ factam *Gen. 3: 15.* eumque contritum sub pedibus fidelium, ut saluti ipsorum nocere amplius nequeat, atque ita penitus superandum in spiritali illo certamine, non aliter, ac si pedibus ipsorum subjectus, ab ipsis contereretur; adeoque non sua potentia sed Dei virtute & armatura spiritali muniti atque induti ipsum contrivisse viderentur. Verum nonne & ipse Christus efficit, quicquid virtute Christi à fidelibus efficitur? Quamobrem *Dominus conteret sub pedibus vestris*, ut ad eum referatur & potentia & gloria. Nam *1 Joh. 3: 8. Ad hoc manifestatus est Filius Dei, ut solvat opera Diaboli.* Et *Hebr. 2: 4. Abolevit illum, qui potestatem habebat mortis, id est, Diabolum.* Adeoque contritio capitis soli Christo tribuitur, ac ideo per semen, contritum pedibus caput serpentis, unum duntaxat Christum intelligendum opinamur. Huc etiam accedit *dicentis Jehovæ intentio*, quæ, ut alibi annotavimus, erat, bono hoc nuntio & vera consolatione divina erigere primos parentes, ne in desperationem ruerent, animoque caderent, in angore summo, quin imo in agone æternæ mortis constitutos, adeoque pro immensa sua misericordia eorum miseratus Jehova, dum vix illis vultum iræ ostenderat, sententiamque tam horrendam tulerat, simul mali manifestabat remedium, atque in gratiam cum omni semine benedicto recipiebat, dum hoc proteuangelium illis eorumque animis tremulis atque anxiiis instillat promittendo futurum semen, quod conculcasset Satanam sub pedibus, adeoque

que ab æternæ mortis pœna liberaret semen benedi-
 ctum, & illi restitueret omnia, quæ amissa: adeo-
 que Mediator & Saivator foret unicus generis hu-
 mani. Itaque hujus vivæ consolationis, uti funda-
 mentum est Messias, qui à Deo unicus Mediator
 constitutus est, ita semen, quod promittitur con-
 tritutum caput serpentis, de alio accipi non potest,
 quam de uno Christo Mediatore & Redemptore
 humani generis; quippe, uti inquit Petrus *Act. 4: 12.*
aliud nomen sub cælo datum non est inter homines, in
quo oporteat salvari. Sin autem in nullo alio salus
 est, sequitur, quod nec in alio salus promitti, &
 consolatio exinde subministrari primis parentibus po-
 tuerit. Jam vero qui solus contra vim & potentiam
 Satanæ & mortis efficacissimum solamen primis pa-
 rentibus præbere potuit, ille solus etiam voce *seminis*
mulieris, quatenus id contritutum est caput serpentis,
 intelligitur. Atqui solus Christus serpentem pedi-
 bus conculcare potuit. Ergo. Quamobrem inquit
 Petrus, *Act. 4: 12.* *Non est in alio quoquam salus,*
nec enim aliud nomen sub cælo datum est inter homi-
nes; in quo oportet salvari. Præterquam quod ma-
 gnitudo operis istius (scil. eversio regni & poten-
 tiæ Satanæ) satis indicare videtur, de quali femine
 hic sermo habeatur: quippe quis inficiari potest, tan-
 tum opus à nullo alio, quam ab eo, qui est Θεὸς ὁ πα-
 τερ, præstari potuisse; atqui nullus homo est, præter
 Christum, qui est Θεὸς ὁ πατὴρ. Unde etiam hoc opus
 ab eo solo fuisse præstandum, prædictum erat in
 Ver. Testamento: Vid. *Pf. 2:9.* & *68:19.* & *110:1,6.*
 Præstitum autem ab eo solo fuisse, asseritur in No-

vo Testamento, *Joh. 12: 31. Eph. 4: 8. 1 Cor. 15. 24, 25. Hebr. 2: 14. 1 Joh. 3: 8.* Accedit renovatio deinceps promissionis istius Abrahamo, Isacco & Jacobo, ut etiam Davidi, facta, de semine hoc contrituro caput serpentis; ut cum promittit Abrahamo, *in semine tuo benedicentur omnes gentes*; ex qua promissione colligimus aliud quoddam peculiare semen, per semen Abrahami intelligendum, cujus virtute omnes Abrahami posterii hujus promissionis forent participes. Quamobrem *Gal. 3: 16.* solus Christus *semen Abrahamæ* dicitur. Et Davidi promittitur *1 Par. 17: 11. Suscitabo semen tuum post te, quod erit è filiis tuis, & confirmabo regnum ejus, &c.* Hoc autem semen Christus est. Quippe Salomon jam natus erat. Vid. Pareum *Comment. ad h. l.* Ac tandem ad unum certum individuum ex Virgine, quæ erat ex posteritate Davidis, oriundum, applicandum esse, liquet ex *Esa. 7: 14.* Verum Judæi, & ex antiquis Patribus ipse Hieronymus, inquit, Apostolum *Gal. 3: 16.* perperam aut vafre colligere, *semen* ibi non collective de pluribus, sed individue de uno Christo scil. accipi, ex eo, quod promissio dicatur facta fuisse, non *seminibus*, in plurali, sed *semini*, in singulari; lingua quippe Hebræa, in qua promissio illa data & scripta est, vocabulo *יָרָא*, id est *seminis*, sumta scil. pro prole sive posteritate, non solet uti in numero multitudinis. Verum respondent Viri docti, id ita non esse collectivum, ut etiam de uno individuo non dicatur: constat enim ex variis sacri Codicis locis, sæpius quoque de uno individuo dici, ut alibi annotavimus. Eodem sensu

fu dicuntur fratres natu minores primogenito, sine
 liber is defuncto, suscitare semen, *Deut.* 25 : 5. " Et
 „ quoniam, inquit vir doctus Surenhusius, semen
 „ humanæ soboli accommodatur a rebus fativis, qua-
 „ rum vel unicum semen ita appellatur, quemad-
 „ modum legimus *Exod.* 16. de Manna, eam simi-
 „ lem fuisse grano coriandri feminis. Ex quibus lo-
 „ cis manifestum, inquit, vocem ער quoque pro
 „ uno individuo venire, & non semper esse colle-
 „ ctivum, ita ut ער pro *prole* sumi possit. " Præ-
 terquam quod maxime incertum sit, an vox ער a-
 pud Hebræos tantum in singulari usurpata fuerit;
 nam etsi in Veteris Testamenti Scriptura Hebræa
 nusquam extet plurale ערים; attamen ex eo per-
 peram certo colligitur, hanc vocem habere tantum
 singularem numerum; cum procul dubio non ex-
 stent in Veteri Testamento omnes voces, quæ olim
 in usu fuerunt apud Hebræos. Præterquam, quod
 Apostolus, quamvis hic utatur commoditate lin-
 guæ Græcæ, in qua vox σπέρμα, quæ *semen* signifi-
 cat, etiam in Plurali numero effertur: attamen non
 adeo urgeo ipsum vocis sonum, quam veram signi-
 ficationem, quæ usurpatur hac in promissione. At-
 qui luce meridiana clarius est, *semen* in hac pro-
 missione non posse accipi collective de omnibus,
 qui ex lumbis Abrahæ descenderent; quoniam ipse
 Deus postea semen illud arctioribus cancellis cir-
 cumscripsit, exclusis filiis Abrahæ ex concubinis,
 ad Isaacum, *Gen.* 21. & 26: 4. Excluso Esavo Isaa-
 ci primogenito, ad Jacobum, *cap.* 28: 14. Exclusis cæ-
 teris Jacobi filiis, ad Judam, *cap.* 49: 10. Exclusis aliis
 posteris

posteris Judæ, ad Davidem, 2 *Sam.* 7: 12. 1 *Chron.* 17: 11. Ac tandem ad unum certum individuum ex Virgine, quæ erat ex posteritate Davidis, oriundum, *Eisa.* 7: 14. Hoc semen, quod ex Virgine oriundum, contritum esset caput serpentis, id est, potentiam ejus frangeret, & triumpharet de hostibus, ac populum suum, electos & fideles, scil. Ecclesiam sævissimi hostis durissimo servitutis jugo, & importuna & Tyrannica dominatione liberaret. Ecquis autem alius excogitari possit, qui tanto robore, tanta potentia præditus Satanam sub pedibus conculcasset, nisi solus Messias, ut alibi annotavimus. Quamobrem hoc officium passim Prophetæ ipsi tribuunt. Unde Regius Prophetæ, *Psal.* 68: 19. *Ascendisti in Cælum, & captivam duxisti captivitatem.* Hoc nos docet vaticinium, quomodo Christus morte sua devictis & in captivitatem ductis hostibus, Satana, peccato, & morte, de iis in ascensione sua gloriose triumpharet, dum suos, scil: fideles & electos, Satanæ capite contrito, à tam dura servitute & Tyrannica dominatione liberatos educeret, & in libertatem vindicaret, adeoque regnum Satanæ everteret, ejusque potentiam frangeret, atque enervaret: *Jes.* 53: 10. *Jer.* 31: 11. Vid. *Psal.* 126: 1, 4. Huc etiam pertinet *Psal.* 110: 1. *Ponam inimicos scabellum pedum tuorum. Dominare in medio inimicorum.* Et vers. 6. *Judicabit in gentibus, implebit cadaveribus, percutiet caput in terra multa.* Non ambigendum, quin hic habeatur sermo de Messia. Quis enim *Dominus Davidis*, nisi Messias? Semen illud, quod pedibus contritum caput serpentis, id

id est, serpentem, omnes malos & Ecclesiæ hostes, qui ejus castra sequuntur, subjugaret atque debellaret, dum Jehova eos *poneret scabellum pedum Messiaë*: adeoque de uno individuo *semen illud*, quod conculcavit caput serpentis pedibus suis, accipiendum videtur mihi ex hoc Vaticinio satis clare perspici posse; dum hæc verba, *ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, nihil aliud indicant, quam *Dominum Davidis*, scil. Messiam, contriturum caput serpentis, atque ejus semen, *Angelos malos*, ac *omnes principatus, potestates, virtutesque Dæmonum* subjugaturum atque aboliturum. Vid. I ad Cor. 15: 14. & seqq. Quippe, quod hic Patri tribuitur, id Filio tribuit Apostolus I Cor. 15: 25. *Cum tradiderit regnum Deo & Patri, cum aboleverit omnem principatum*: ubi eidem tribuitur hæc abolitio potestatum, cui traditio regni, Deo Patri facienda. Hæc autem facta a Filio; ergo & illa, uti argumentatur summus Theologus Rivetus. Quamobrem, inquit Christus, *confidite, ego vici mundum*, Joh. cap. 16: 33. Adeoque hæc phrasis, *ponam inimicos scabellum pedum tuorum*, significat subjugationem & contritionem, & conculcationem antiqui illius hostis Paradisiaci, vel infernalis serpentis, cum tota infernorum spirituum cohorte, quem aliquando semen mulieris sub pedibus contriturum primis parentibus promiserat Jehova Deus. Phrasis enim hæc petita est ex more victorum, qui in signum plenariæ victoriæ ac subjugationis hostium, eorundem solebant collis insistere, vel tergis, atque cervicem pedibus quasi contere ac conculcare: Vid. *Jes. 10: 24.*

Sic Michael Balbus Thomam perduellem compedibus vinctum, pro more recepto in pavimento porrectum jacere iussit, cervicem ejus pedibus calcans, apud Cedrenum. Sic Sapor Rex Persarum pedibus conculcabat Valerianum Imperatorem, prælio victum & captum, quum, quoties equum conscenderet, eo pro scabello uteretur. Eodem modo Tamerlanes Bajazetum Turcarum Imperatorem sibi subjecit. Atque inaudita superbia tumens Alexander Papa, ejus nominis IV. Fredericum I. Imperatorem pedibus calcavit. Ex isthoc prisco more sunt illi in sacro Codice loquendi modi, *Deus posuit hostes sub plantis pedum ejus*, scil. Davidis, *1 Reg. 5: 3. Ceciderunt subtus pedes meos, Ps. 18: 39. Dixerunt animæ tuæ, incurva te, & transibimus super te, Jes. 51: 23. & Rom. 16: 20. Conteret sub pedes vestros.* Eodem sensu præceci-nerunt vaticinia, Christum hostes suos pedibus contriturum, sive conculcaturum pedibus suis, vel positurum scabellum pedum suorum, ut Psalmista hoc loco vaticinatus, & quidem de Christo tanquam de illo semine, quod primis parentibus promiserat Jehova, quodque caput serpentis pedibus contriturum, id est, plenissime eum debellaturum ac subjugaturum esset: quamobrem Glassius ex hac phrasi elicit Christi regis dominationem & perfectam hostium subjugationem, & totius regni infernalis destructionem & e-
versionem: nec alio sensu illa promissio primis parentibus facta accipienda: atqui Psalmista hoc soli Christo tribuit, semini mulieris, quod, contriturum caput serpentis, individue de semine uno, & quidem non nisi de Christo Messia, intelligendum.

Per

Per caput autem intelligitur omnis potestas Diaboli, per peccatum illi data, quæ serpentis in capite potissimum residet, quo læso atque obruto, omnis prorsus nocendi ipsi facultas eripitur. Contritum autem à Christo caput serpentis, ejusque regnum eversum & potestas destructa (1) per mortem, qua divinæ satisfactum justitiæ, omnique jure accusandi Satanæ excussus fuit; *per mortem* quippe, *abolevit eum, qui imperium mortis habebat, hoc est Diabolum, Hebr. 2: 14.* Hinc jam, dum prædicabat Evangelium regni sui; *Luc. 10: 18, 19. Spectabam, inquit, Satanam ut fulgur è Cælo cadentem.* Et *Joh. 12: 31. Princeps hujus mundi ejicitur foras.* (2) Per resurrectionem è mortuis, & adscensionem in Cælum magis etiam de eo triumphaturus. Tunc enim potissimum *captivitatem captivavit; quando in altum ascendit, & dona distribuit hominibus, Eph. 4: 8.* Tunc *Draco ille magnus, serpens antiquus cælo ejectus, & in terram fuit dejectus, Apoc. 12: 8, 9. coll. cum vs. 5.* Hæc autem omnia cum de solo Christo peracta, atque gesta, & adimpleta sunt, uti in Novo Testamento descripta, de solo Christo hoc semen mulieris intelligendum esse, affirmare non erubesco.

Promittitur autem primis parentibus, quos tanto felicitatis fastigio callidissimus & vaserrimus Dæmon in omnium miseriarum abyssum præcipites egerat, semen mulieris, scil. Messiam, illius caput contriturum, id est, ejus potentiam eversurum, & ab ea homines liberaturum. Quippe, ut paulo ante annotavimus, per caput serpentis intelligendum mortis imperium ac potestas in humanum genus. Mor-

Capitis nomine quid intelligendum?

Contritio capitis quid inuauat?

tis enim imperium habet Diabolus. Hoc caput fracturum & destructurum Christum promittit Jehovah, divina potentia, adeoque universum semen à Diabolo, morte, & peccato vindicaturum & restitutum ei libertatem, justitiam & vitam amissam. Per contritionem ergo capitis ejus nihil aliud, quam confractionem & ablationem potestatis infernalis, adeoque liberationem a peccato, & morte seminis benedicti & sanctificati intelligendam esse, docet nos Apostolus, *Hebr. 2: 14. vid. 1 Job. 3: 8. 1 Cor. 15: 54, 57.* Quod factum per meritum & satisfactionem Christi Salvatoris & Redemptoris nostri, utpote qua potentia, sævitia, & regnum Diaboli infernale mortiferum enervatum ac eversum, & humanum genus, scil. semen benedictum liberatum, ac ipsi iterum ad vitam æternam aditus est patefactus. Quemadmodum in capite serpentis est virtus, robur & vita: adeoque eo contrito, nihil ipsi roboris vel vitæ superest. Ita potentia Diaboli & potestate, quam propter peccatum admissum in hominem obtinuerat, merito Christi penitus sublatâ, nihil ipsi in homines, qui vera fide Christum amplectuntur, & meritum illud sibi applicant, juris amplius vel roboris est. Adeoque *malignus non tangat ipsos, 1 Job. 5: 18. ubi, mors, aculeus tuus, ubi, inferne, victoria tua? 1 Cor. 15: 55. Nunc facta est salus, & potentia & regnum Dei nostri, & potestas Christi ipsius! quia prostratus est accusator fratrum nostrorum, Apoc. 12: 10.* Olim enim prædictum erat, *Dominum Jehovah, scil. Messiam, venturum aliquando contra robustum, eumque prostraturum, Jes.*

40: 10. & *populum suum liberaturum è manu, qui eo fortior erat, Jer. 31: 11.* Unde EL GIBBOR. *Deus fortis & triumphator dicitur, Jes. 9: 6.* Verum hæc omnia non perficerentur ac præstarentur absque opere, labore, dolore, atque tormento conterentis, imo non sine sanguinis effusione, & angore tam robustum & potentem hostem & adversarium prosterneret & debellaret, quamvis eo longe robustior humani generis Sospiator ac Salvator Messias. Quod eventus docuit. Diabolus enim per omnes tentationes, dolores, mortem denique & sepulturam contrivit Christum, quoad calcaneum, i. e. carnem, qua terram calcavit. Ad hanc contritionem referenda dura illa, quæ efflagitante Dei justitia vindicatrice, perferre debuit Christus, quia nostra in se debita receperat, & præfinito tempore pro nobis se soluturum promiserat. Hoc in numero tot mala, tot incommoda, quibuscum conflictatus. Huc pertinet ejus exinanitio, paupertas, qua pressus, fuga, in quam se conjicere coactus, opprobria, quibus nefandissime affectus, convitia detestanda, quæ in eum evomuerunt Diaboli organa, Judæi, vincula, quibus castissimum & tenerrimum corpus pressum, falsæ accusationes in ejus exitium fictæ & excogitæ, angores animi ineffabiles, tristitia & lucta cum sudore sanguineo unita, tum denique mors acerba atque contumeliosa, maximisque cum doloribus conjuncta, qualis mors crucis. Adeoque illa verba, & *tu conteres ei calcaneum*, denotant hanc victoriam non futuram sine agone & *adversus*. Contriturum quidem semen mulieris caput serpentis,

prædicitur; verum serpens iterum illius contereret calcaneum; adeoque non sine opere & labore, non sine dolore atque tormento, imo nec effusione sanguinis conterentis tanta reportaretur victoria. Serpens enim omni vi & ope se tueretur adversus conatus & molimina tanti Herois; nimirum Messiae, omnesque nervos intenderet, omnemque, qua polleteret, potentiam adhiberet ad perdendum & penitus exterminandum adversarium & hostem suum Messiam, neque etiam illæsum eum dimitteret in tam acerrimo certamine; dum illi calcaneum contereret. Quod factum, dum tot acerbissimis malis & cruciatibus, & quidem morte crucis, ignominiosissimi supplicii genere, Christum affecerunt serpentis infernalis organa, Judæi, uti modò annotavimus: verum ipsa verba suis quasi cancellis circumscribunt contritionem, quam serpens infernalis semini mulieris infligeret, quæ ipsi non adeo damnosa futura, quam illa, quæ à femine mulieris infligeretur serpenti; quippe ipsius caput contereret semen mulieris, serpens vero tantum calcaneo, parti minus principali, noxam inferret; iadeoque hæc respectu exitii Diaboli nullam comparationem damni habitura esset, non aliter, ac si quis calce tantum læsus fuisset, cætera incolumis; adeoque serpentem contriturum quidem Christum prædicit Jehovah, verum non cum exitio, *conteres ei calcaneum, scil. noxam quasi inferes, ita, ut plaga sanari facile divina mea omnipotentia possit, ex morte gloriose ipsum resuscitando; & victorem dominumque inferni toti mundo per Euangelium declarando, cum tibi interim penitus succumbendum & pereundum*

dum sit, contrito ipso tuo capite, & contrafacto omni robore, uti differit Glassius, Dissert. 4. ex Genes. 3: 15. Verum admodum hic improprie videtur prædicari de serpente, quod prædicatum de semine mulieris, scil. quemadmodum illud contritum caput serpentis, ita quoque serpentem contritum ejus calcaneum. Si concipiamus humi jacentem atque repentem, utique facile pedibus vel collo vel capiti impositis, ejus caput conteri potest; verum qui pedibus ita presso & vix e pulvere caput erigendi capaci serpenti calcaneum conterendi facultas tribui potest, mordere quidem & lethiferum, calci capiti imposito, infligere posset vulnus, verum conterere haud potest: eadem tamen vox hic occurrit, quæ in antecedente phrasi de Messia usurpata. Quamobrem divinorum oraculorum interpretes contritionem calcanei interpretantur, sive vertunt læsionem calcanei, quæ fit per puncturam serpentis in illa parte pedis, quæ calcanei nomine venit, quæ est pars pedis posterior, uti alibi annotavimus. Calcaneis homo erectus insistit, & incedens hisce maxime innititur, adeo ut iis graviter vulneratis dejiciatur. In calcaneo itaque est pars pedis robustior, qua conterere potissimum rem aliquam pedibus subjectam possumus. Quamobrem proponitur Messias calcaneo suo capiti serpentis imposito, eum contriturus. Serpens vero pedibus ita pressus, ad defensionem sui calcaneum contriturus, scil. parti illi pedis, qua potissimum læderetur, dentem illideret, & mortiferum vulnus infligeret; adeoque *conterere* hic, *mordere*, *pungere* vertendum putant nonnulli interpretes.

Quippe

Quippe conculcando pedibus caput serpentis contereret; itaque pedibus insisteret collo vel capiti serpentis, & illud hac ratione contereret: jam vero serpens pedibus subjectus, haud aliam se adversus vim illatam tuendi facultatem haberet, quam illi pedis, capiti suo impositi, parti dentem illidere, qua maxime læderetur, & in qua omnis vis conterendi atque conculcandi sita erat. Quippe, præterquam quod sit onus pedum contritio, serpens pedibus pressus in pulvere jacens haud aliter lædere poterat: adeoque non videtur verbum *conterere* hic eodem sensu accipiendum, quo in phrasi antecedenti de Messia usurpatur. Præterquam quod non insolitum, ut in lingua Hebræa, uti & Græca, una eademque vox in oratione duplicem admittat significationem, uti *Gen. 3: 19. 1 Sam. 17: 23. Matth. 8: 22.* Verum hæc versio displicere videtur summo Theologo Salomoni van Til: quoniam vox Hebræa חָשַׁק nunquam *pungere*, aut *mordere*, verum *conterere* vel *conculcare* significat, cujusmodi actus non ab ore, sed pede proficiscitur, atque perficitur. Tum etiam quia per verbum *pungere* hic figuraretur vulnus venenatum, quod figurato loquendi modo potius peccaminosam contaminationem (quam mors excipit) significaret: quæ haud cadere poterat in semen mulieris sanctificans, tantam de serpente victoriam reportaturum; Quamobrem Viro celeberrimo magis genuinæ vocis significationi convenire videtur, ut hanc contritionem calcanei tanquam opus a cauda serpentis profectum consideremus, qui pedibus conculcatus ad sui defensionem, & illatam sibi vim depellendam, cauda

da sua conterentis pedes, & maxime quidem illam pedis partem, qua potissimum premebatur, scilicet calcaneum, amplecteretur, atque contorqueret, ut tandem etiam conterat: uti serpentes adversus ejusmodi impetus atque aggressiones se tueri solebant, tanquam unica salutis suæ expediendæ vel tuendæ ratio. Itaque ut homines pedibus, ita serpentes cauda sua ad conterendum uti solent. Atque hoc sensu contritio calcanei denotat læsionem sive vulnus illatum parti minus principali Messiæ, quod corpori quidem noceret, animæ vero noxam haud inferre posset. Verum nullam rationem video, cur per contritionem non posset denotari punctura, sive morsus serpentis venenati, absque ulla absurda consequentia, quasi ex figurato ejusmodi loquendi modo sequeretur, per ejusmodi puncturam calcaneo inflictam semen mulieris peccati veneno aliquo modo videri contaminatum, adeoque non corpus duntaxat, sed etiam animum attigisse hanc noxam. Tum etiam, quod nusquam hæc vox in sacro Codice *pungere*, vel *mordere* significet; cum alterum sit pedis officium, alterum oris. Quippe nullus dubito, si verbi significationem sana ratione inspiciamus, quin perspecturi simus, quod hic pedi adscribendum statuit Vir celeberrimus, ori quoque sano sensu tribui posse; adeoque puncturam atque morsus serpentis idem efficere potuisse, quod per pedum contritionem passus fuerit serpens; eo duntaxat posito discrimine, quod capitis contritio letifera, calcanei vero sanabilis. Quid conterere, nisi quod integrum est & totum quoddam, ex partibus suis constans in

G g

mino-

minores, & quidem minutissimas partes dissolvere, adeo, quod contritum quasi in partes dissolutum, sic omnis læsio quasi contritio, quia quod læditur, dissolvitur; sic vulnus infligendo fit contritio, quia partes, quæ vulnerantur, dissolvuntur, & per dissolutionem, ut ita dicam, conteruntur, contundunturque. Adeoque dum per puncturam, atque morsus vulnus infligitur, per vulnus autem partes, quæ vulnerantur, dissolvuntur, dissolutione autem conteruntur; ergo videtur commode vox Hebræa *conterere* verti posse; dum *pungere* sive *mordere*, unum eundemque producant effectum, verum ratione serpentis, qui pedibus non incedit, sed humi reperi super ventrem debet, adeoque non eodem sensu, quo homo, vel etiam alia animalia sive quadrupedia, sive bipedes, conterere rem pedibus subjectam dici possent; hinc *conterere* vertunt *pungere* vel *mordere*, pungendo autem vel mordendo conterunt. Quemadmodum contritio non fit uno eodemque modo, ita quoque vox Hebræa pro diversis conterendi modis diversimode quoque verti potest, prout naturæ conterentis maxime convenit. Altera fit pedibus, altera morsu atque punctura. Præterquam, si ad genus supplicii, quod Messias impositum, oculos convertimus, revera calcaneum contritum haud inficiari possumus; neminem enim latere potest, qui in crucem attollebantur, sive cruci affigebantur, eorum manus atque pedes tum restibus adstringi, tum clavis ferreis transfigi solitum fuisse, unde Græcis ipsa crucifixio passim *προσήλωσις* dicta est, quasi *clavifixionem* dixeris. Cujusmodi manuum pedumque perfossionem

Ter-

Tertullianus in libro adversus Judæos disertè vocat *propriam atrocitatem crucis*. Non ambigendum vero, quin Christus in crucifixione ex more omnia hujus supplicii tormenta, atque cruciatus perpeti debuerit, adeoque ejus quoque manus, pedesque clavis ferratis transverberatæ fuerint. Testem enim habemus falli nescium Johannem Evangelistam, qui testatur, Thomam post resurrectionem vidisse *vestigium clavorum in manibus, & digitum suum immisisse in vestigium clavorum*. Quid ejusmodi manuum pedumque perfossio, nisi cruenta & violenta clavorum punctura, qua calcaneum vere contritum fuisse dicendum mihi videtur. Quamobrem vulneratus atque contritus dicitur *propter iniquitates nostras, Jes. 53*. Imo vero hæc punctura & contritio quoque ad animum penetravit, absque ulla tamen peccati labe: atque hanc contritionem & puncturam serpentis maxime sentire cœpit Christus, quando venit in villam, quæ dicitur Gethsemane, ubi non tam corporis, quam animæ passiones, atque dolores, anxietatesque acerbissimas sustinuit. Et quidem anima quamvis cum corpore adhuc conjuncta, hic sola sentit extremos cruciatus & ineffabiles dolores, atque angores, quibus adeo premitur atque afficitur, ut teste Evangelista, in ea proruperit verba: *Undiqueque tristis est anima mea usque ad mortem*; quasi diceret, quo me tandem verto, tam tristem sentio undique animam meam, ac si jam in mortis agone constitutus essem. Græcum enim *περίλυπος* proprie hominem significat, qui circumquaque tristis est. Atque Servator respicit summa animi anxietate atque

tristitia oppressus haud dubie ad illud *Psal.* 18: 5. *Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me.* Castalio vertit, *in tanto sum animi dolore, ut moriar.* Incipiebat jam cruentissimum illud certamen magni illius Draconis, cujus erat intentio, Messiam tanquam adversarium suum pessumdare, evertere, atque penitus conterere. Unde Messias *Psal.* 69: 5. *Roborati sunt exscindentes me, sive ut Arias Montan. vertit, conterentes me.* Quod tamen non de effectu, sed conatu duntaxat intelligendum. Hic in certamen descendebat atque oppugnabat Satanas vi legis, ejusque accusatione munitus atque roboratus, Messiam, qui omnes cruciatus, dolores non corporis duntaxat, sed animi etiam perferre paratus erat, ut fideles suos & electos ab æternæ mortis pœna, quam meriti erant, liberaret. Hic fuit expositus Satanæ ad omne virulentæ genus, in eo exercendum, hic itaque animus patitur dolores atque anxietates ineffabiles mortis æquiparandas, quæ non proficiscebantur ex peccati conscientia, quasi serpens ille antiquus per suas tentationes valuisset animo sui adversarii invictissimi noxam inferre, pravos & illicitos motus, quibus peccati labe contaminaretur, & hac ratione eum pessumdaret atque penitus contereret, in animo excitando. Quot tentationes nefandissimæ! Quot impetus cruentissimi! Quot accusationes impiissimæ! Quot machinationes sceleratissimæ! tot puncturæ, tot morsus venenati animo inflictæ: quoniam mortis dolore animum afficiebant: Verum non mortiferi, quia nullum in eo excitare poterant pravum motum
 vel

vel illicitam concupiscentiam, adeoque nulla peccati labe eum contaminare, cujus pœna mors: dolores & angores, quibus peccatoris animus opprimitur, atque pungitur, ex peccati conscientia proficiscuntur, dum serpentis pestiferis consiliis aures præbendo, sponte sua integritate sua excidit; cui propterea conscientia in aures insufurrat meritum, ut a facie Dei in æternum exulet, & acerbissimis inferni cruciatibus dilaceretur, & morti æternæ mancipetur. Nec obstat, quod per ejusmodi puncturam hic figuraretur vulnus venenatum a serpente Messix infligitum, ut paulo ante annotavimus, quasi peccati labe aliquo modo adpersus fuisset, qua haud contaminatum oportebat esse semen mulieris serpentem contriturum. Quippe, quemadmodum ipse Auctor concedit, vulnus Messix a serpente infligeretur ad mensuram, ipsa enim illa verba, *tu autem conteres huic calcaneum*, juxta Viri clarissimi mentem, indicant, hic suis quasi cancellis circumscribi læsionem atque noxam, quam inferret serpens semini mulieris, scil. illum parti minus principali calcanei, sive carnis, qua terram calcavit, ut alibi annotavimus, nociturum; itaque cum contritionem hic vertimus puncturam, vel morsum, ex eo haud sequitur ejusmodi consequentia, quam inde deducit Vir celeberrimus. Vere etiam Messias noster sensit morsus & puncturas animi, uti modò annotavimus; verum & illæ quoque fuere circumscriptæ & coërcitæ: præterquam quod omnis interpretatio debet esse conveniens naturæ istius rei sive subjecti, quod per vocem denotare volumus; sic si verbum *conterere* ad homi-

nem refertur, significat actum, qui fit pedibus, si ad serpentem, significat actum, qui fit per puncturam & morsum; sic alter conterit pedibus, alter ore; prout cujusque naturæ convenit illum actum perficere. Quod si autem per ejusmodi puncturam figuraretur vulnus venenatum, scil. peccaminosa animi labe, ejusmodi vocis interpretatio non conveniret naturæ subjecti, cui vulnus istiusmodi illatum, & proinde nec eo sensu vulnus per puncturam serpentis semini mulieris illatum accipi potest. Quod si ad hominem refertur, recte eo sensu accipitur, quia est subjectum, quod ejusmodi vulnere potest affici, & veneno contaminari, uti rerum usus docet: si ad semen mulieris, haud quaquam; utpote *quod sanctum, ab omni malo alienum, sine labe, separatum à peccatoribus, Hebr. 7: 26.* Quatenus animus cum corpore conjunctus, afficiebatur quoque iisdem infirmitatibus & affectibus, ut ita dicam, qui in hominem cadere possunt, quamdiu terram obambulat, nulla tamen peccati labe adspersis: adsumpserat enim vere humanam naturam, nostræ per omnia similem; absque tamen peccato. *Non habemus, inquit Apostolus, summum Pontificem, qui nullum haberet sensum nostrarum infirmitatum, sed eum, qui tentatus est in omnibus, excepto peccato, Hebr. 4: 15.* Unde Ambrosius, *Christus minus contulerat mihi, nisi meum suscepisset adfectum.* Et Augustinus, *In quo verum erat hominis corpus & verus animus, in eo non falsus erat adfectus.* Verum quoniam non duntaxat verus homo erat, sed etiam Deus, id est, Ens summum, adeoque independens,

&

& infinitè perfectum, sanctum & justum, haud peccati labe contaminari poterat. Quippe Ens summum & infinite perfectum, sanctum, & justum, nullo potest laborare defectu; atqui peccatum privatio, ut ita dicam, sanctitatis & justitiæ, quæ sunt attributa divinæ essentiæ adeo propria & necessaria, ut absque illis Deum existere haud concipere possimus. Quamobrem si ejusmodi privatio in summum Ens caderet, haud esse posset, quod esse debet. Quippe dum sui ipsius causa est, haud aliter existere posse, nec existere voluisse, concipere possumus, uti supra annotavimus. Quamobrem omnium individuorum naturæ, quæ à summo Ente producta, atque ab ejus nutu & arbitrio dependent, insita propensio naturalis, qua ad sui perfectionem tendunt. Quippe cum Ens illud summum, quod Deum nuncupamus, non alio modo possumus concipere, nisi eo modo existens, cujus existendi modi idea nobis innata, scil. quod sit Ens summum & infinite perfectum, sanctum & justum, adeoque omnis pollutionis, omnis peccati & vitii expers esse debeat, sequitur etiam, nullo peccato pollui posse: quippe ejusmodi pollutio atque peccati labe tolleretur ideam divinæ nobis innatæ essentiæ; quoniam tolleretur ejusmodi attributa, sine quibus summum illud Ens, quod Deum vocamus, concipere non possumus, adeoque vera esset summi Entis abnegatio. Cui etiam accedit, quod pollui nequit, neque à se, neque ab alio; non à seipso, quoniam sui causa est, & proinde non potest velle non esse, quod est, & esse voluit; id ipsum enim summam contradictionem involveret.

volveret. Quippe quia voluit esse quod est, etiam est, quod est; esse autem & non esse sunt duo adeo sibi contraria, ut simul subsistere nequeant, ut alibi latius demonstravimus. Ab alio autem pollui nequit, quia summum est Ens, adeoque independens: & proinde concludimus, quia verus Deus, haud eo sensu serpentis puncturam sive morsum a nobis accipi posse, quo denotaret vulnus venenatum, id est, vitium aliquod mentis, sive animi, quiescente, ut ita dicam, divinitate, ut locus daretur passioni a Patre Filio destinatae, vel peccati labem, qua pollutus fuisset per ejusmodi puncturam: potuit tentari dolore & moestitia affici, ejusmodi passiones etiam quasi vulnera animi, verum sunt passiones, quae haud in vicio ponendae: dolor enim & tristitia in Servatore a conditione humanae naturae, quam, uti paulo ante demonstravimus, vere adsumserat, oriebatur, si ea caruisset, veram naturam humanam adsumpsisse haud dici potuisset. Verum quia ejusmodi passiones neutiquam peccaminosae, nec animum polluere poterant; divinitas eo tempore se non exseruit, sed quievit: verum haud potuit quiescere, quoties a Diabolo tentatus, sive ad peccandum sollicitatus fuerit. Quamobrem exseruit se statim divinitas in Christo, quando ad apostasiam sollicitatus a Diabolo *Matth. 4.* cum se adversus omnes machinationes se athletam victum praestitit, & docuit, se esse illud semen mulieris, quod serpentis caput contriturum primis parentibus Jehova promiserat. Non humana, sed divina potentia, cum & verus quoque Deus esset in illo semine mulieris. Hinc

vade

vade Satana, abi impostor & calumniator, frustra me ad peccandum, frustra ad lapsum sollicitas contra divinum præceptum. Qui ipse Deo æqualis sum, quamvis & homo, frustra me seducere tentas ac vincere, uti olim in Paradiso tua calliditate & astutia ad peccandum induxisti mortalium vetustissimos. Homo quidem sum, sed etiam Deus, adeoque scio, quid machinaris, quid me sollicitas ad peccandum, scisne me Deum esse, adeoque natura a malo abhorrere, ut ad male agendum sive peccandum incitari non possim? Vanæ itaque tentationes tuæ, quas detestor, & proinde, quamvis neutiquam hisce possim affici, diutius tamen eas ferre nolo. Quamobrem vade Satana. Argumentum divinitatis, quæ hic sese exeruit: folius enim divinæ potentiae est, verbo proterviam Satanæ compescere; etenim vox non modo increpantis ac detestantis impudentiam, sed etiam imperantis ex auctoritate. Declarat itaque se vere filium Dei, adeoque verum quoque Deum, & proinde Dominum Diaboli, qui quidem hætenus indulgit proterviae ejus; nunc vero eum vel verbo compescere possit, uti inquit Pareus. Itaque respectu feminis mulieris, cujus calcaneum serpentem contritum prædictum in Paradiso, ejusmodi contritio, sive ad corporis sive animi motus referas, (ad utrumque autem referenda) non aliam potest admittere interpretationem, quam eam, quæ convenit cum natura & conditione subjecti, quod sive pedibus, sive punctura & morsu contereretur. Si ad *Corpus* referas, per dolores, mortem, denique & sepulturam, contrivit Christum, quoad cal-

H h

cane-

caneum, id est carnem, qua terram calcavit, ut alibi annotavimus: Verum non cum exitio, mox enim gloriose resurrexit & victor evasit. Si ad *Animam*, summa quidem calliditate & virulentia Sathanas adortus est Christum in deserto, & per varias tentationes ad peccandum sollicitavit, ut par pari referret, & Messiae faceret, quod sibi factum, id est, eum pessumdaret & everteret, quod factum, si aliquid peccati labe contaminari potuisset, verum frustra. Puncturae & morsus haud letiferi, quippe non cecidit, sed vere erectus mansit, & in media morte *vite Princeps*, *Actor.* 3: 15. *Dominus gloriae*, *I Cor.* 2: 8. & *Diaboli, mortisque dominator* existens, *Hebr.* 2: 14.

Maxima
Dei mi-
sericor-
dia.

Postquam Deus sententiam primo loco pronunciasset in serpentem seductorem, & peccati auctorem, sermonem deinde convertit ad seductos. Veram, quis non summam Dei erga hominem peccatorem, & propterea aeternae mortis poenam pati meritum, misericordiam mirabitur, quae sese hic mirifice prodit. Quippe cum sibi conscii essent peccati, quod admiserant, & acerbissimae & gravissimae poenae, peccatum excepturae, haud ignari, tum etiam confidentes, in quantam omnium miseriarum abyssum non ipsi duntaxat protoplasti lapsi essent, verum etiam universum genus humanum, eorum ex lumbis oriundum & proinde eadem peccati labe contaminandum, ruiturum praecipit; vix accidere poterat, quin tot malorum sibi imminentium recordatio primorum parentum mentem quam maxime affligerit, summoque dolore affecerit. Placuit autem Deo pro immensa sua misericordia

cordia lenire dolorem, cujus acerbissimo sensu admodum jam depressi erant mortalium vetustissimi, antequam afflictis afflictionem adderet, poenamque adhuc, ipsis ærumnas imponendo, aggravaret & exacerbaret, ne, si omni prorsus solatio destituti essent, desperatio eorundem occuparet animos. Quid autem afflictæ menti optatius vel dulcius poterat accidere, quam audire hanc vocem per os Dei sonantem: *semen mulieris conteret caput serpentis*, uti inquit Dieter. *Antiq. Bibl. ad h. l.* Tantam enim lætitiâ & gaudium hæc verba excitarunt in cordibus Protoplastorum, ut non tantum patulis auribus, cordeque contrito promissionem hanc receperint, verum etiam in tristissimo suo exilio consolati fuerint.

Denunciatur serpenti poena, mulieri vero, ejus^{Pœna Evæ.} que semini, salus & gratia per Messiam sive Redemptorem, ac Sospitorem generis humani assequenda. Hac promissione recreati, hac fiducia erecti sunt ad omnes ærumnas sustinendas, & ad omnia incommoda perferenda magis parati, scientes, omnia etiam adversissima diligentibus Deum, per confugium ad Christum, operari in bonum salutare & æternum, quo Deus glorificatur, & illi servantur: itaque tam Evæ quam Adamo assignat sua exercitia castigatoria, quæ etiam operarentur per gratiam divinam in bonum salutare electorum & fidelium, scilicet ut peccati memores, per quod ex beato illo statu etiam temporali exciderant, toto vitæ cursu discerent illud detestari, & seriam agere poenitentiam: atque hac ratione Pater cœlestis suos trahit a peccato, & à mundo separat, ne cum mundo condemnentur

& pereant, 1 Cor. 11: 31. Dixit autem mulieri: *Multiplicabo dolorem tuum & conceptionem tuam, cum dolore paries liberos; & ad virum tuumerit appetitus tuus, & is dominabitur in te.* Juxta progressum peccati Deo etiam pœnam imponere placuit; quamobrem in serpentem sententia, in mulierem, quæ prior lapsa erat, pœnam statuit, & postea transit ad Adamum, qui peccantis imitator existit fœminæ & comes. Ad duo capita referri possunt, quæ Deus tanquam pœnalia infligit mulieri; 1°. Partum cum dolore, 2°. Subjectionem erga maritum. Edicit Deus, se multiplicaturum dolorem partus, Hevæ, *multiplicando multiplicabo dolorem tuum*, id est, plurimum & certissime multiplicabo. Repetitione verbi, quæ Hebræis frequens est, certitudinem rei, continuationem, iterationem & frequentiam denotari, maxime si fit per infinitivum, ejus linguæ periti annotarunt, vid. Rivetum *Exercit. in Cap. 3. Genes. à Lapide, Comment. in Genes. Cap. 3.* Pareum aliosque plurimos. Quamvis Vir doctissimus Joh. Clericus *suis in comment. ad cap. 2. Genes.* statuatur, ejusmodi locutiones nullam habere ἔμφασιν; verum cum alibi, tum in legibus potissimum novimus usurpari, consuetudine potius linguæ, quam propter ullam ἔμφασιν. Dolor itaque, de quo hic sermo, peccati sequela est; quamobrem si Eva non peccasset, nullos dolores sensura fuisset: nunc vero plurimos & maximos habitura esset. Non leves sane molestias & dolores non toto tempore gestationis duntaxat prægnantes, verum etiam, dum eitantur partum, sentire, rerum usus docet. Observandum

vandum vero cum Glassio, aliisque viris doctis, quod copula *vau* in עֲצוּנָךְ וְהִרְוֵךְ *dolorem tuum & conceptum tuum*, sit pro constructione *dolorem conceptus tui*; quasi diceret, *dolorem tuum cum conceptu tuo conjunctum*. Neque enim multiplicatio conceptus est pœna mulieris: finis enim conjugii est, *fructificare, & multiplicare*; atque multiplicatio prolis magnum bonum, parentumque gaudium est, & ad benedictionem pertinet. Quamobrem non in pœnam peccati frequentiores partus mulieribus fecisse Deus videtur, ut inquit Joh. Clericus. Verum, est hæc hendiadys, frequens Hebræis, quod etiam apud Latinos fit per figuram ἐν δὲ δυνῶν, qualis illa Poetæ: *Aurum frenosque momordit*; id est, frenos aureos momordit. *Multiplicare* itaque *dolorem & conceptum*, hic est facere conceptus dolorosos. De doloribus & incommodis prægnantium & parturientium multa prodidit cum Aristoteles *de Historia animal. Lib. 7. Cap. 4.* tum Plinius *lib. 7. cap. 6. 7.* Conceptus autem hoc loco est totum tempus, quo mulier foetum in utero circumfert reconditum: statim enim a conceptione vexantur dolore capitis, vertigine, fastidio ciborum, crebro vomitu, incontinenti appetitu, & cum id genus aliis incommodis conflictantur. Graviditatis vero tempore absoluto, maximo cum dolore & cruciatu foetus maturos enituntur, qui nullis cum tormentis comparari potest: præterquam quod cum hoc dolore sæpe conjunctum vitæ periculum tum prolis, tum matris. Dolor hic in muliere major est, quam in ullo animali, teste Aristotele, propter continuarum partium difficilio-

rem divulsionem. In Cod. Hebr. pro liberis est *בני*
banim, hoc est, *fili*; verum sexus masculinus tan-
 quam nobilior, hic complectitur foemininum. Vid.
Esai. 54. *Exod.* 22: 24. *Psal.* 128: 6. Priori casti-
 gationi aliam addit Deus, quæ consisteret in appe-
 titu mulieris ad maritum sive virum suum, & sub-
 jectione servili: *Et desiderium tuum erit ad virum tu-
 um, & ipse dominabitur tibi.* Verba *אל אישך תשוקתך*
tescukatech el-ischech, Aquila vertit, *ad virum*
societas tua: Symmachus, *ad virum appetitus vel impe-
 tus*: Vulgatus, *sub viri potestate eris*; Alii, *ad virum*
tuum cursus erit; notante Clerico: qui *Heb.* inquit,
thschonkathech, quod est a verbo *שׁוּק* *schouck*, aut *שׁוּקָק*
schakak; eorum enim confunduntur significationes;
שׁוּקָק autem est *currere*, aut *curritare*, ut Lexica doce-
 bunt. Hinc, quia servi circa heros, pro horum imperi-
 is, cursitant, obedientia eorum, qui aliis subiecti sunt,
 nomine *cursus* exprimitur, & *cursus ad eos* esse di-
 citur, quibus obsequium seu spontaneum, seu ex le-
 ge exhibetur. Quasi necessum habitura mulier, sive
 uxor ad virum recurrere, ut quidquid desideraret,
 illud ab eo impetret, vel ut iussa exaudiat, eaque
 exsequatur, vel auxilium imploret mariti, ita ut in
 omnibus ab ejus nutu pendeat, ipsi morem gerat, &
 debitam præstet obedientiam. Atque hunc esse ver-
 borum sensum satis indicare videntur, quæ sequun-
 tur: *Et ipse dominabitur tibi.* Quamobrem & Aben
 Ezra exponit per *obedientiam*, & *subjectionem*, hoc
 sensu; *audies quaecunque præcipiet tibi: nam in po-
 testate ejus es, ut facias quaecunque ipsi placuerint.*
 Alii interpretantur, *appetitum vel desiderium*, vel
cupidi-

cupiditatem generandæ prolis. Neque negari potest, radicem *pro* appetere apud Arabes potissimum significare, verum quia ejusmodi appetitus tam viri quam mulieris est, aliis prior vocis significatio melior videtur. Mulieri itaque incumbit se componere ad voluntatem mariti, ejus consilium rogare, & jussa exsequi, omnemque obedientiam præstare. Quare Aben Ezra, uti modò diximus, exponit vocem per *obedientiam & subjectionem: Audies quæcunque præcipiet tibi: nam in potestate ejus es, ut facias quæcunque ipsi placuerint.* Vid. *Genes. cap. 4: 7.* & *Cantic. 7: 11.* unde sequitur, *sub viri potestate eris.* Quod non ita accipiendum, quasi, si non peccasset, viro non subiecta fuisset; erat enim ædificata & formata ex ossibus viri, & hac ratione in uxorem, tanquam e re sua factam, imperium ipso jure nactus erat. Nihil enim rationi magis convenit, quam, quod ex re mea factum est, meum esse, uti Jcti loqui amant; adeoque in eo non consistit poena, quod dominio & potestati maritali subiecta foret, quia in statu innocentiae nec sui juris, verum sub viri potestate fuisset: quoniam subiectio ejusmodi convenit dictamini rectæ rationis: nulla enim domus diu potuisset subsistere, nisi patrifamilias, tanquam capiti & principi, dominium & imperium in omnia ejus membra, quale membrum etiam uxor, deferatur. Ejusmodi enim imperandi ratio perfectissima, ubi uni duntaxat redditur ratio, uni competit summum imperium in societate. Quamobrem in statu innocentiae in familia gubernanda hæc imperandi obtinisset forma. Itaque non est poena simpliciter, ut uxor pendeat à viro;

viro: Verum, ut optime inquit Rivetus, accedente peccato id factum est pœnale per accidens propter utriusque ex peccato ortam imperfectionem. Uti leve fit, quod bene fertur onus; ita in statu integritatis sponte & libenter marito obtemperabat, ejusque in se venerabatur imperium. Quippe cum erat integro animo, rectaque mente, non nisi quod honestum, justum, rectumque erat, expetebat, & proinde duce recta ratione viri imperio lubens cedebat, rationis dictamine edocta, hoc justum rectumque, & proinde divinæ voluntati consentaneum esse. Præterquam, quod nec gravis nec importuna dominatio est, ubi qui dominatur, non nisi, quod rectum, justum atque honestum, expetit; atqui in statu integritatis humana natura ita comparata erat, ut nihil appeteret nec concupisceret, quam quod honestati & justitiæ consentaneum erat. Dominium & imperium in statu integritatis nec molestum esse poterat, & proinde nulla voluntatis repugnantia uxor obsequebatur jussis & imperio mariti. Post lapsum vero gravis pœna videtur mulieri, viro subesse, atque illa superbia & ambitio, quæ fuit causa, cur decepta, scilicet, ut comedendo de fructu ligni vetiti Deo similis evaderet, altas in animo muliebri egit radices, & in dies magis magisque amaros producit fructus, adeo ut, quæ Deo par esse cupit, vix æquo animo se mariti imperio subjicere possit, & quæ cum marito æquum in omnia terræ animalia, & pisces in mari, volucresque cœli imperium nacta est, se, quasi ejusdem esset conditionis & generis, dominio & imperio viri subjici patiatur. Quamobrem
 hodie

hodie raræ admodum, quæ Saræ exemplum imitantes virum suum tanquam dominum libenter venerantur, verum se à viro dominas appellari, & agnoscere haud iniquum putant: & quis ibi inficias, hodie plerosque maritos nomine dominos, revera uxores dominas esse. Sed levius fit patientia, quicquid corrigere non possumus. Abjecti animi viri, dominas eas prædicantes, quibus ipsi dominari jussi! Quantum verendum, ne dominio, cui verbis cesserint volentes, re excidant inviti, inquit D. Rodenburg. *tract. de jure conjug.* Verum forte jam & ipse imperio & potestate maritali exutus erat, hæc dum scripsit Vir Amplissimus. Hisce etiam accedit, quod plerumque viri uxores suas, superbe, iracunde, & aspere tractent, & non imperium æquitatis & charitatis plenum, uti decet, sed Tyrannicam potius dominationem in uxores suas exercent. Huc pertinent, quæ apud Augustinum legimus, *lib. II. de Genesi ad litt. cap. 37.* ubi dicit: *Mulierem dominari in virum, non permittere Apostolum; hoc enim viro potius Dei sententiam detulisse, & maritum habere dominatum meruisse mulieris non naturam, sed culpam.* De duro & injusto dominio sermonem habens. Quippe idem ille paullo antè affirmat, *neque enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem; nisi, ut vir ei dominaretur, & ad eum ipsa serviendo converteretur.*

Postremam in Adamum Deus poenam statuit. Pœna
Adami. Verum antequam sententiam pronunciat summus rerum arbiter, refricat illi in memoriam peccatum, tanquam causam poenæ, quam erat illi impositurus. *Causa,*

Ii

Quia

Quia paruisti voci uxoris tuæ, & comedisti ex arbore, quam tibi præcepi. Quia maluisti conjugis tuæ illecebris obsecundare, quam præcepto meo, quod haud te fugiebat, obtemperare, *terra* ipsa, cujus fructum à me tam vehementer prohibitum comedisti, terra, unde tot commoda, non modo ad necessitatem vitæ, sed voluptatem quoque percepturus eras, *maledicta jam sit tua causa.* Uti autem hæc maledictio uniuersum terrarum orbem complectitur, ita ut nulla mundi plaga, nullus terræ angulus, quin ejusdem naturæ & conditionis sit; ita quoque pœna in Adamum statuta, ad omnes ejus posteros, adeoque uniuersum genus humanum transit, nec sexum duntaxat virilem, sed & muliebrem complectitur, licet ex parte virum magis, quam mulierem tangere videatur, ad finem usque mundi utriusque sexui incumbens. Cujusmodi perquam molesta vitæ traducendæ necessitas haudquaquam homini imposita in compensationem admissi peccati, quasi tot molestiarum perpeffione posset satisfacere Deo, acerrimo peccatorum vindici. Justitia enim diuina efflagitat, ut pœna gravitati delicti respondeat; quod maxime locum habere oportet in delictis, quæ admittuntur aduersus Dei maiestatem, sanctitatemque. Quemadmodum enim Deus semetipsum abnegare haud potest, ita quoque non potest salva sua iustitia permittere, ne læsæ sanctitatis suæ rei luant pœnas, quas ob admissum delictum meruere pati. Atqui peccatum, quo primi parentes se læsæ diuinæ Maiestatis, atque sanctitatis reos constituere temporali pœna, quæ consisteret in suscipiendis tot molestiis atque laboribus, quos

quos protoplastis eorumque feris nepotibus perferendos in totius vitæ cursu imponere placuit summo rerum Arbitro, haud expiari poterat, quia commissum adversus summi & infiniti Entis, scil. Dei, sanctitatem, quæ in æternum permaneret eadem; & proinde peccatum, quo læsa, æterna quoque pœna vindicari ac puniri, id est, cum æterna morte compensari debuit. Ejusdem quippe generis & naturæ oportebat esse pœnam, cujus erat summum ac infinitum illud Ens, cujus sanctitas læsa, atqui illud infinitum ac æternum; ita quoque læsio in æternum manebat eadem, & proinde in æternum duraturâ vindicari pœnâ necessum erat; quamobrem ad satisfaciendum justitiæ divinæ in æterna morte manendum erat, sine spe liberationis animarum & corporum ab infernalibus cruciatibus. Temporales itaque pœnæ, quibus tota hominis vita subicitur, tandem cum morte commutandæ, non in compensationem admissi peccati, peccatori imponuntur; verum, uti alibi annotavimus, ut tot incommoda, tot molestiæ & labores, tot miseriæ, quibuscum conflictari necessum haberet, donec supremum obiret diem, eum quotidie admonerent peccati admissi, & ad veram resipiscentiam adigerent, atque de salute sua obtinenda sollicitus ad Dei bonitatem & misericordiam confugeret; peccatum vero tanquam tot malorum originem deinceps fugeret & detestaretur. Dum ex maledictione terræ perspiceret, Deum tanto peccatorem odio prosequi, ut infantes creaturæ etiam participes esse cogantur ejus pœnæ, quam homo meritus erat, cujus in usum creatæ e-

rant. *Maledicta*, inquit Jehova, *terra propter te. Vetus, in opere tuo.* Hieronymus, *in operibus tuis. Opera* vero hic significari putat non ruris colendi, sed peccata. Theodotion, *maledicta terra in transgressione tua*: respiciens ad verbum עבר, *abar*, quod significat *transire, transgredi*. Verum, uti Rivetus opinatur, tum legendum esset non בעבורך *baaburecha*, sed בעבורתך *baaburatecha*: simplicemque interpretationem esse autumat, *propter te*; ut *Jer. 14: 4.* בארמה בעבור הארמה *baabur haadama, propter terram*. Ad sensum tamen, inquit, si spectemus, verum est, propter opus Adæ maledictam fuisse terram, si per opus peccatum intelligamus: et in opere ejus maledictam esse, si per opus laborem & culturam: sed, (ut diximus) simplicius est, ut Ebraicæ lectioni adhæreamus, quæ apte exprimit sensum. Nec Aquila discordat, dicens, *maledicta humus propter te.* Chaldæus quoque cum Hebræo consentit. Maledicta itaque terra propter Adamum, scil. propter peccatum, quo sese contaminaverat, consistens in esu fructus vetiti. Maledictio, cui terra subjicitur, complectitur universum terrarum orbem, adeoque ipsam quoque terram Paradisi, quam inhabitabant, & suis premebant vestigiis protoplasti, & proinde ad omnes mundi plagas, ubi aliquando suas sedes posituri feri nepotes, quasque incolerent, maledictio referenda. Ex capite, quod præcedit, perspiciamus, postquam Deo placuisset aquas, quæ terræ superficie undique tegebant, in unum congregare locum, ut ab undarum mole liberata idonea esset ad germinandos, & producendos omnis generis fructus, qui-

quibus ad vitam tuendam tum homines tum animantia terrestria indigerent, statim quoque terræ hujus universi conditorem indidisse virtutem progerminandi herbam virentem, ac producendi arbores fructiferas, dum ait Jehova: *Germinet terra germen, herbam producentem semen, & arborem fructiferam, facientem fructum juxta speciem suam, cui insit semen suum super terram, & fuit ita.* Adeoque confestim atque arida facta est, produxit terra germen, & herbam producentem semen juxta speciem suam, & arborem facientem fructum, nulla opera nec cultura adhibita, verum ex illa fœcunditate, quam Deus ipsi indiderat, omnia, quæ ad hominis usum, tum etiam voluptatem necessaria, uberrime e sinu suo sponte profundebat, & ut inquit Poëta,

Per se dabat omnia tellus.

Nec ambigendum, quin ejusmodi fœcunditas terræ semel indita in perpetuum mansisset eadem, non quidem spontanea, scil. ut absque omni cultura, atque labore omnis generis herbas atque fructus produceret, verum opera & cultura adhibita, non molesta tamen, uberrime tulisset omnia, quæ ad hominis usum necessaria, semperque respondisset culturæ pro voto nostro, nec spem nostram fefellisset, uti quotidie experimur, eam laborem & diligentiam sæpius frustrari. Conferendi enim, metendique necessitatem tam in Paradiso ante peccatum, quam hodie homini impositam dicendum mihi videtur: quippe perspicimus ex capite præcedenti, Deum hominem collocasse in Paradiso, horto amœnissimo, non ut ibi otia retur, sed ut eum coleret, id est, arbores ad

propagationem fructuum, quibus vesceretur, plantaret, & terram confereret. Itaque ab ipso mundi exordio atque prima rerum origine agricultura instituta. Præterquam quod tum arboribus atque plantis siue omnis generis herbis semen producendi indita virtus ad propagationem cujusque speciei fati inuit, haud sponte terram, nulla interveniente hominis cultura atque opera, fructus producturam. Sic projecto in terram tritico, genus tritici singulis annis uti hodie, ita quoque in Paradiso propagandum fuisset, crescente in dies magis magisque hominum numero. Cujusmodi propagationem absque opera & labore haud fieri posse, non opus est, ut multis rerum argumentis probem. Itaque, quæ de spontanea ante peccatum terræ foecunditate disputant viri docti, tum etiam olim cecinere Poëtæ de seculo aureo, quorum in numero Hesiodus, Virgilius, Ovidius, intelligenda sunt de uberrima rerum omnium copia, quam terra in usum hominis produceret; adeo ut si eam contendamus cum levi labore, & haudquaquam molesta cura atque cultura, quam ad propagandos omnis generis fructus adhiberet homo; terra potius sponte ex innata quadam foecunditate, dicendum, ea omnia in usum hominis produxisse, quam curæ atque culturæ hominis ejusmodi ubertas tribuenda, videatur. Adeoque labor, tum etiam cultura, quam susciperet ad colendam terram, ipsum majore voluptate perfunderet, quam molestia afficeret: cum non duntaxat terræ proventus voto suo responderet, sed etiam expectationem longe superaret. Ejusmodi vero rerum omnium affluentia atque ubertas,

tas, & mira terræ fœcunditas cum primævo hominis felicissimo statu conveniebat, utpote, quem certiore faciebat de summa Creatoris sui erga se benevolentia, eumque ab omni parte beatum edocebat, & proinde magis magisque ad Deum Creatorem suum, & auctorem tantæ felicitatis atque beatitudinis, qua fruebatur, redamandum & venerandum, ejusque gloriam & benevolentiam in totius vitæ cursu celebrandam, impellebat; nec ab ejusmodi vitæ ducendæ ratione unquam deviasset, si naturam nullo vitio contaminatam ducem secutus, & voluntati, cui summa inerat rectitudo, & quæ proinde nihil appetebat, quam quod justum, decorum & honestum erat, obsecutus fuisset atque obtemperasset. Nihil autem magis justum, decorum, vel honestum recta ipsi dictabat ratio, quam ut tot tantaque beneficia in se collata cum grati animi testificatione accepta ferret Deo Creatori suo, adeoque noctes atque dies ejus gloriam ac benevolentiam erga se prædicaret. Quamobrem nihil appetebat, nec concupiscebat, quam quod Deo placebat, gratumque erat duce natura, adeoque Dei erga se continuo provocabat benevolentiam, & proinde huic officio, si, proh dolor! non defuisset, tam diram in se non exauditurus fuisset, exigente Dei justitia, peccati vindicis acerrimi sententiam, non animo duntaxat, sed etiam corpori pœnas irrogantem. Huc quoque referenda maledictio terræ, quæ nihil aliud complecti mihi videtur, ut ex iis, quæ modò disputavimus, perspicimus, quam justam privationem istius fœcunditatis primævæ, qua ante peccatum terra erat vegetata,

ta, ut omnia, quæ cum ad usum hominis, tum etiam voluptatem aliquid conferre poterant, ubertim absque laboriosa cultura profunderet. Maledictio itaque opponitur benedictioni terræ, cum ubertim è sinu suo profert res ad victum & delectationem hominum. Cujusmodi ubertatis atque foecunditatis cum terræ sterilitate commutationem maledictio involvit, admissi peccati fructum atque sequelam: quamobrem Deus passim promittit populo Israelitico ambulanti in statutis, & servanti mandata sua uberrimum terræ proventum, *Levit. 26: 3. Deut. 28.* Contra vero minatur eam peccatis suis contaminanti magnam desolationem & sterilitatem, adeo *ut lugeret mustum, & vitis languesceret, Jof. 24: 7. Jerem. 23: 10.* Peccatum itaque originale causa fuit, cur primæva foecunditate terram privari divina intaminata poscebat justitia vindicativa, adeoque hæc maledictio non ad terram, tanquam subjectum pœnæ, verum ad hominem referenda; cujus in usum terra erat condita & ornata benedictione, qua jam privatur ob hominis peccatum, & proinde in hominem peccatorem hæc pœna redundat. Terra igitur propter hominem maledicatur, non ut terra, sed ipse homo puniatur. Adeoque nisi summo cum dolore, ac molestia & labore improbo sudoreque multo ex ingrata sterilique terra, quæ ad vitam tuendam necessaria essent, exprimere necessum haberet, quasque ante peccatum quasi sponte largissime suppeditasset fruges, deinceps, etiamsi diligentem culturam atque laborem adhibuisset, haud magnam tamen fructuum copiam perciperet ob imminutam ejus foecunditatem

tem atque bonitatem. Adeoque non possum amplecti quorundam opinionem, qui statuunt, naturalem terræ fertilitatem propter hominis peccatum non fuisse diminutam, verum eodem modo se illam habuisse ante & post hominis peccatum: verum propterea ita dictum, quod ante peccatum non fuisset opus homini terram colere ad percipiendos fructus vitæ degendæ necessarios, aut certe sine molestia & labore fuisset culta; dum, uti paulo ante notavimus, fruges sponte nasci, haud propagari potuissent absque labore atque cultura; cujusmodi tamen propagatio crescente in dies hominum numero necessaria fuisset, cum non omnia ubique protulisset terra vitæ degendæ necessaria: quemadmodum hodie, non *omnis fert omnia tellus*, ita mihi statuendum videtur, in ipso Paradiso, diversis in locis diversa quoque frugum atque herbarum genera nata, quæ per culturam atque curam hominis propagari necessum fuisset ad victum quotidianum: Præterquam, quod spontanea ejusmodi fœcunditas, qua terra arida jam facta omnis generis herbas atque fruges protulit, magis adscribenda divinæ omnia ex nihilo, ut ita dicam, producenti omnipotentæ, quam pro naturali nascendi conditione habenda; adeoque non tam naturalis propagatio, sive generatio, quam creatio dicenda, quam sex dierum intervallo circumscribere placuit hujus universi auctori & creatori Deo; adeoque post eorum decursum nihil immediate produxit, verum naturali modo omnia, quæ mundi primordio creata, propagari voluit, juxta naturalem qualitatem, facultatemque cuique individuo indi-

Kk

tam

tam innatamque, adeo ut nihil deinceps immediate, verum mediante sive interveniente opera, cultura, atque cura omnes rerum species, omniaque individua multiplicarentur atque propagarentur. Sic quoque universa e terra nascentia vix propagari possunt absque cultura & opera. Non me fugit, optimum ac prudentissimum Creatorem hanc multiplicationem & propagationem per vim seminis, quod omne herbarum vel arborum genus in se continet, instituisse: verum frustra femina herbis vel arboribus indita, nisi colligerentur ac perciperentur, eaque percepta atque collecta iterum terræ committerentur, ut ea accepta foveat, fingat, atque in lucem quasi mater quædam, edat. Unica & sola propagandi omnes, cum herbas, tum etiam arbores ratio, adeoque etiam ante peccatum idem seminis usus locum habuisset. Ejusmodi itaque propagationem cum cultura, tum etiam labore, haud molesto tamen, indigere, quis ibit inficias? Adeoque & ante & post hominis peccatum eandem terram colendi, & fructus herbasque propagandi rationem obtinuisse, mihi statuendum videtur. Et proinde maxime aberrare mihi videntur a vero Sacræ Scripturæ sensu, qui statuunt, maledictionem terræ consistere in privatione spontanea ejus fœcunditatis, qua initio erat vegetata; quasi non fuisset opus homini terram colere ad accipiendâ quarumcunque herbarum & arborum semina, verum sponte uberrime protulisset fructus vitæ degendæ necessarios, quorum etiam multo labore subacta sæpius hodie exiguam profert copiam & spem nostram egregie fallit. Quamvis non omnino dempta

depressa primæva foecunditas, magnopere tamen imminuta post hominis peccatum; adeo, ut quæ ante peccatum ad producendos propagandosque fructus levi tantum & non laboriosa cultura indigebat, post hominis peccatum, imminuta ejus fertilitate, non nisi gravissimo improboque labore & sudore multo subacta tellus daret proventus suos. Præterquam, uti dicere incepimus, quod post diligentem curam, atque culturam ingrata tamen sæpius, & sterilis terra spem aratoris falleret, & non responderet labori, atque culturæ proventus, quem inde exspectabat, dum utilibus simul quoque noxias & inutiles herbas permixtas produceret, & sæpius contingeret, ut insolitum frigus, pluvix frequentes, erucæ, insectaque alia vastarent agros, ac fructus depascerent, quo spe sua, non absque magni doloris sensu, excideret. Itaque terræ foecunditas non duntaxat per sterilitatem intrinsicam, ut ita dicam, imminueretur, verum etiam extrinsecus causaretur per causas secundas, quas modò enumeravimus. Imminutâ autem terræ foecunditate, sterilique ea factâ, sequeretur, ut non nisi summo cum dolore, molestia, atque labore extorqueret inde panem, quo vesceretur. *In dolore edes eam omnibus diebus vite tuæ,* inquit Jehova: *comedes eam,* scil. fructus ex ea nascentes: est enim Laconismus Hebraicæ linguæ, annotante Fagio, juxta 1 Reg. 2: 7. *Et erunt inter comedentes mensam tuam,* h. e. inter convivias mensæ tuæ, qui scil. cibus mensæ tuæ vescuntur. Quo autem terra magis sterilis, eo quoque majori labore & cultura indiget; quæ non, uti ante peccatum;

leve & jucundum esset exercitium, verum cum dolore & molestia ac fatigatione conjuncta, uti mulierum parturitiones multis ac variis doloribus molestissimas reddere placuit universi hujus Creatori Deo. Ita quoque viro cum dolore, scil. labore mixto, magnis molestiis, atque ærumnis terram colendi necessitatem imposuit; nam eadem hic vox occurrit, qua utitur, ubi de dolore partus muliebris sermo. Nihil tibi deinceps terra utile, vel suave, ad victum quotidianum proferet, nisi quod improbo & duro labore, & magna molestia inde extorseris. Aggravatur autem poena eo, quod labor non gravis modo, sed perpetuus, cunctis diebus vitæ duraturus, adeoque nullum finem habiturus, donec vitam cum morte commutaret, & in terram, unde formatus, reverteretur. Terra enim primæva fecunditate orbata, multas deinceps herbas noxias, & inutiles sponte proferret, quas gravi atque molesto labore suppressere necessum haberet; imo quamvis diligentem curam atque culturam adhiberet, funditus tamen evelli nec eradicari possent, adeo ut sæpius sese utilibus herbis permiscerentur tribuli & spinæ, & proinde laborem duriores redderet ejusmodi terræ depravatæ natura & indoles. *Spinæque & tribulus germinabit tibi*, h. e. terram colenti ad quorumcunque semina accipienda, fovenda, atque suo tempore edenda, ut degendæ vitæ necessaria tibi parares. Ratio, cur tam duro & molesto labore ad victum quotidianum indigeret terra, redditur; nimir. quia spinas & tribulos, aliasque inutiles herbas loco utilium proferret. *Vau* enim copula hoc loco explicativa est, ac ulterio-

ulteriorem & distinctiorem explicationem prioribus subjungit; unde per *nam* quidam vertunt. Quod eo sensu non accipiendum, quasi ante peccatum neque spinas, neque tribulos progerminasset terra, quippe tertio die inter omne genus herbas etiam spinas & tribulos germinaverat; id enim ab initio fecit: expresse enim dicitur, *Gen. 2*: post sex dierum decursum Deum quievissse ab universo opere, quod pararat; quamobrem deinceps nihil novi immediate a Deo productum, & proinde eodem die, quo omne genus herbæ productum, etiam spinas & tribulos terram edidisse dicendum, uti annotavimus *Dissert. de Die Mundi natal. pag. 83*. Nec tales plane sunt inutiles atque noxiæ, sed quando sunt frequentes & nimis luxuriant, & occupant agros, aut fulcos, utilioribus herbis, aut fruticibus edendis destinatos. Unde Horat. Serm. 13.

Namque

Neglectis urenda silex innascitur agris.

Et Virgil. Georg. I. v. 151.

Intereunt segetes, subit aspera sylva:

Lappæque, tribulique; interque nitentia culta

Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.

Quicquid autem herbarum post diligentem & molestam curam terra protulisset atque ederet, hisce contentus esse deberet. Atqui hisce etiam prius quoque Paradisi adhuc incola vescebatur, & tanquam pars pœnæ non potest haberi, quod herbas scilicet frumentum, triticum, secale, & varia legumina ac olera e terra proventura, in escam ipsi Deus dederit. *Ecce!* enim inquit, *dedi vobis omnes herbas sementantes,*

tes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores, in quibus est fructus arboris, sementantes semen, vobis ea sint ad comedendum. At omnibus bestiis terræ &c. dedi omnes virides herbas ad comedendum, Genes. Cap. 1: 29, 30. Nec etiam statuendum, quod, cum antea vitæ integer scelerisque purus, fructibus & herbis suavissimis Paradisi victitasset, jam peccati reus, & de summo felicitatis gradu deturbatus, viles herbas agrorum colligeret, quibus bellux & bruta vescuntur, quasi similis nis factus, eodem quoque cibo pascendi ipsi esset necessitas imposita. Alii accipiunt, quasi esset pœnæ mitigatio, & consolatio: Quamvis terra tibi spinas, & tribulos germinatura sit, tamen non adeo sterilem factam te rerum usus docebit, quin bene subacta, & molesto labore culta, tantam utilium herbarum copiam productura proferet, quantum ad vitam tuendam sufficit. Verum dicendum mihi videtur, herbam agri hic opponi suavissimis fructibus & deliciis Paradisi, quibus absque molesto labore fruendi, atque utendi facultatem habuisset, si primævæ felicitatis statu non excidisset, atque suavissimo hoc cibo indignus, peccati reus, e Paradiso ejiceretur in agrum, habilem quidem ad proferendas easdem herbas ad victum necessarias; verum, quia sterilis, non absque molesto & duro labore inde extorqueret cibum, quo vesceretur. Ejusmodi enim sterilitas in causa est, quod spinas & tribulos, produceret, quas non suppressere omnino posset, quin sæpius permixtas experiretur bonis & utilibus herbis, quarum semina molesto & gravi labore terræ commisisset; nec tam bona ac delicata terræ

terræ sive agri nascentia essent, quam Paradisi adhuc incola expertus fuisset, & degustavisset. Quam gravis itaque, quam molestus futurus labor, quem ad victum sibi ac familiæ suæ comparandum deinceps adhibere necessum haberet, ex consequenti contextu facile perspicere potuit. Dum adjicitur: *In sudore vultus tui comedes panem.* Scilicet tam duro atque gravi labore victum quotidianum ex ingrata sterilique terra sibi pararent Protoplasti, ut sæpius sudorem e corpore expelleret immodica fatigatio. Per *panem* hic intelligimus quicquid ad vitam tuendam necessarium, non alimenta duntaxat, sed etiam vestimenta & tegumenta corporis, quibus contra coeli tempestatisque injurias tegendum, adeoque victum & amictum. Sine victu enim corpus ali non potest, quamobrem *legatis alimentis cibaria & vestitus debetur*, inquit Ictus l. 6. ff. de aliment. vel cibar. legat. & l. 43. ff. de V. S. Verbo *victus* continentur, quæ esui, potui, cultuique corporis ad vivendum homini sunt necessaria; Vestes quoque victus habere significationem, Labeo dixit. Quamobrem Sacræ Scripturæ interpretes ad quartam petitionem precationis Dominicæ: *Panem nostrum quotidianum da nobis*, annotarunt, nomine panis venire omnia necessaria, ut sunt amictus, seu vestes, quæ corpus nostrum conservant atque tuentur. Vid. Gen. 3: 19. Deut. 8: 3. Prov. 30: 8. 2 Thess. 3: 8, 12. Ipse quoque precationis auctor videtur hanc petitionem explicare per *edere, bibere, & vestiri*: quoniam per universum terrarum orbem dispargetur mortale genus, & ad varias mundi plagas migrarent

grarent gentes, ubi diversa aeris temperies, & variaz anni tempestates, opus erat, corpus, quod post peccatum fragile & innumeris malis atque miseriis obnoxium erat, contra coeli injurias atque intemperiem præmunire ac protegere. Quamobrem ipse Deus primis parentibus mox e Paradiso ejiciendis *fecit tunicas pelliceas, & induit eas*, non duntaxat ad pudenda tegenda, verum etiam pluvias aliaque incommoda arcenda, æstus, ventorumque injurias propulsandas, quæ corpori multis imbecillitatibus obnoxio nocere potuissent, uti modò videbimus. Eo etiam futurus labor gravior, & cura, molestia, & sollicitudo hujus vitæ magis hominem premeret, non tamen hoc duraret in æternum, sed *usque dum reverteretur in terram*, donec vitam cum morte commutaret, & mortale corpus, quod circumferebat, e luto sive terra formatum, iterum dissolveretur, & in pulverem converteretur. Definit hic Deus terminum temporalium ærumnarum ac miseriarum, quibuscum conflictaretur, scil. per totius vitæ decursum, mors demum finem imponeret omni dolori vitæ. Verum, Sacræ Scripturæ interpretes annotarunt, Deum hic pro scopo habuisse, addere ultimam miseriam, quæ esset mors temporalis, quæ morbos & omnes mortem antecedentes causas complectitur: quasi diceret, non prius defungeris hujus vitæ ærumnis, quam ipsam deponas vitam, & in terræ visceribus corpus reconditum vermibus fiat esca. Quamvis mortem non nominet, periphrasi tamen notat à consequente: non sine causa, quia *resolvi in pulverem, seu corrumpi*, non est ipsa mors, sed mortis consequens

quens, à quo Christus solus immunis fuit. Vid. *Psalium* 16. Non igitur dicit, *donec morieris*; quia omnes non morti duntaxat, sed & corruptioni pronunciat fore obnoxios, vel etiam, quia mors temporalis piorum non tam mors est, quam resolutio: nec etiam dicit, *donec morte moriaris*, & satisfacias comminationi, quia non vult parentibus fidelibus irrogare mortem, ex iustitiæ rigore debitam, sed tantum imprimere aliquod peccati *εἴλημα*, hoc est, temporalem mortem, quo meriti sui commonefierent, uti differit Pareus *Comment. ad h. l.* Quamvis ob peccatum admissum pœnas meritis esset dare, quas ipsi minatus, scil. non duntaxat temporali, verum æterna quoque morte puniri, Deus tamen ex infinita misericordia credentibus propter Christum pœnas æternæ mortis remittit, quem ad satisfaciendum pro peccato hominum, serpentinum calcanei morsum, scil. mortem perpeffurum, promiserat: adeo ut mors sit piis meta laborum, depositio sarcinæ peccatorum, & transitus ex hac terrena vita, tot miseriis, tot calamitatibus ac molestiis obnoxia, ad meliorem vitæ ducendæ conditionem; & piis non terrorem incutiat; verum potius solatium adferat. Hæc itaque postrema verba significant, omnem miseriam ad dies hujus vitæ tantum adstrictam esse, adeoque mortem esse quasi dulcissimam omnium ærumnarum clausulam. Quod autem de morte naturali, quatenus per eam corpus resolvitur in terram, sermo est, indicant verba sequentia: *Quia ex ea sumptus es*: quatenus ex terra formatum tuum corpus est, in terram iterum reverteris; adeoque non

in totum interiturum, verum quatenus terræ particeps erat, quoniam ex corpore & anima hominis fabrica constat, corpus quidem rediturum in terram, quia ex terra defutum, spiritu, sive anima immortali manente: quamobrem Ecclesiastes *Cap. 12: 7. Pulvis, corpus hominis, revertitur in terram, quemadmodum erat: spiritus vero revertitur ad Deum, qui dederat eum.* Ergo non frustra, sed ad discernendam corporis & animæ conditionem in hominis morte, hoc membrum à Deo inseritur, inquit Theologus florentissimus Pareus *Comment. ad b. l.* Ratio autem corruptionis consistit in materia, ex qua corpus ædificatum sive formatum, scilicet, quia ex pulvere compositum, in pulverem iterum resolvendum. Quemadmodum omnia terræ nascentia corruptioni obnoxia, & à primo natalis sui momento ad interitum properant, ita quoque corpus e terra compositum & formatum, & proinde materia corruptibili constans, hætenus etiam corruptibile erat. Quamobrem nec mirum, quod etiam in sua principia tandem resolvatur. Inde tamen minime sequitur, mortem corporis homini esse naturalem, ita, ut etiam si non peccasset, aliquando tamen vitam cum morte commutasset. Quippe, quamvis corpus hominis ex materia corruptibili compositum, attamen non erat necessitatis, ut in actum deduceretur, quod a Dei voluntate pendeat liberrima, & infinita potentia: nulla enim necessitate adstringitur Dei voluntas, quæ cum infinita potentia conjuncta. Aliter disputant de necessitate Philosophi, aliter Theologi. Necessitatem illi vocant, quicquid ex cujusque viindi-

individui innata natura & qualitatibus inseparabilibus, ut ita dicam, profluit, & proinde quicquid mens nostra, postquam subjecti sive objecti naturam, & qualitates ei insitas, atque inseparabiliter inhærentes diligenter examinavit, dicat, quales inde effectus promanant, & quidem necessitate exigente, quia immediate ex natura subjecti profluunt, adeo ut mens nostra contrariam inde nequeat conclusionem formare, quin sibi contradiceret, & pro vero falsum quid amplecti necessum haberet; unde quicquid ex materia corruptibili formatum, per se & natura sua corruptioni obnoxium, proinde tandem interiturum, dicat ratio, & rerum usus confirmat. Qualis enim causa, talis effectus: Atqui corpus hominis materia corruptibili constabat: Ergo ejusdem conditionis, cujus materia, particeps; & propterea tandem in pulverem per mortem resolvi debet. Itaque quod ex natura corporis dimanet ejus interitus, sive quod mors corporalis profluat ex natura & inseparabili qualitate corporis humani, hoc necessitatis est juxta rationis dictamen. Quamobrem Ethnici lumine rationis edocti, dicebant, *Reddenda est terra terræ, tum vita omnibus metenda ut fruges; sic jubet necessitas.* Vid. Cic. *Tusc.* 3. Verum, si mentem nostram a contemplatione causarum secundarum avertamus, & ad primam omnium rerum causam & auctorem, scil. Ens summum ac independens, hujus universi conditorem Deum convertamus, cujus voluntas nulla necessitatis lege alligari potest, quia independens, atque cum infinita potentia conjuncta, unumquodque individuum conservare potest in eodem statu,

in quo à primo existentiae suae momento collocavit, quamdiu ibi existere voluit, atque decrevit: quid enim impedimento esse posset, cur non in eodem statu permaneret; cum omnia, quae ad status mutationem, ut ita dicam, aliquid conferre possent, pendeant ab arbitrio & nutu summi Entis. Ex quibus praemissis, facile perspicimus, quamvis corpus hominis e luto sive terra, materia corruptibili, compositum, & proinde hactenus quoque corruptibile esset, attamen non fuisse necessitatis, ut per mortem temporalem in pulverem dissolveretur, omnipotentia Dei conservatrice. Erat quidem mortale, per materiae, ex qua formatum atque compositum, imbecillitatem; quamobrem juxta naturam & qualitatem corpori insitam tandem in pulverem rediisset, si non ab interitu vindicare placuisset Deo: & proinde poterat in pulverem reverti atque dissolvi, tradente Deo corpus suae ipsius infirmitati conficiendum: poterat iterum in eodem semper statu existere, volente Deo, potentia sua in eodem statu illud conservante. Unde sequitur, primos parentes ejus fuisse conditionis, ut possent mori per materiae imbecillitatem; possent etiam non mori per divinam singularem gratiam, qua praeservati fuissent ab interitu sive morte temporali, si in statu integritatis permansissent. Neminem enim in dubium revocaturum arbitror, quin ad beatitudinis, qua fruebatur, dum in Paradiso, horto amoenissimo, vitam transigeret, complementum multum conferret, quod in eodem statu, in quo recens conditoris sui manibus formatus, vitam traduxisset, utpote quo nihil optabilius homini excogitari vel
fingi

fingi potuisset. Hujus autem usura tandem privaretur, si aliquando vitam deponere naturæ lege alligatus fuisset; præterquam quod hominibus quibuslibet rebus pretiosior est, ita ut, etiamsi multis ærumnis & incommodis obnoxia, attamen omnibus divitiis, aliisque rebus, quas in summis deliciis habere solent mortales, vitam anteponendam ducant, earum leviter ferre damna solent, modo corpus incolume, vitamque salvam conservare liceat. Unde pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua. Multo itaque pretiosior in statu integritatis, in quo nullis corporis infirmitatibus, nullis ærumnis, ac molestiis obnoxii vetustissimi mortalium in horto amœnissimo, beatam & tranquillam vitam producebant. Ita ut vita, qua fruimur, ejusque duratio per se & absolute inter bona numeranda, & Dei benedictiones reponenda. Quamobrem Deus ipse longævam vitam promittit liberis, qui debitam reverentiam & obedientiam præstant parentibus, in testimonium divinæ erga se beneficentiæ. Illud etiam natura omnibus inditum, ut se, corpusque, quantum possunt, conservent. Non potest autem inter bona non censeari, quod ita omnibus natura dicat expetendum: sin autem vita, ejusque duratio inter bona numeranda, inter Dei benedictiones reponenda, & divinæ ergo nos gratiæ atque benevolentæ testimonium, procul dubio mors, quæ vitæ privatio est, & proinde non benedictionis, sed maledictionis argumentum, in statu integritatis locum non habuisset. Privatio enim boni est illatio mali, adeo ut, qui eo privatur, malo afficiatur. Bono

autem privare illum, qui malo affici non meritus, summa esset injustitia, quæ neutiquam in Deum cadere potest; & proinde, quamvis homo ante lapsum ejus conditionis esset, ut mori posset, tamen uti nullis ærumnis nec infirmitatibus obnoxius fuisset, ita nec vitam cum morte commutasset; quoniam perfecte sanctus, justus, & integer vitæ scelerisque purus nulla peccati labe contaminatus morti non fuisset obnoxius; verum arboris vitæ esu a morte vel præservatus, vel antequam ad defectum tenderet, translatione in coelestem vitam divinitus præventus fuisset. Præterquam quod ab omni parte beatus haud dici potuisset, si aliquando se moriturum præcivisset; cujusmodi cogitationes metum & horrorem in animo excitassent: cum natura maxime abhorreat mortem; & proinde haud beatus ille videtur, qui animi angoribus perturbatus vitam transigit. Quamobrem non duntaxat divinæ Scripturæ contrariam, verum etiam à sana ratione maxime alienam Pelagianorum sententiam merito statuendum ducimus, & qui eorum castra sequuntur, affirmantium, mortem esse naturalem homini, non autem ortam ex peccato; Adamumque, licet non peccasset, nihilominus tamen fuisse moriturum. Si materiam, ejusque qualitates intrinsecas, quas naturæ subjecti proprias, naturales dicimus, qua corpus Adami constabat, consideremus, quæ corruptibilis erat, & per mortem in pulverem suo tempore resolvi debuisset, si, uti modo annotavimus, Deo corpus suæ ipsius infirmitati conficiendum tradere placuisset, haud a vero aliena videtur eatenus eorundem opinio, qui mortem homini

mini naturalem dicunt; uti ollæ ex luto fictæ propria & naturalis fragilitas, ita homini ex luto formato propria & naturalis mortalitas. Verum ejusmodi mortalitas sive moriendi possibilitas, ut ita dicam, non magis supponit moriendi necessitatem, quam ollæ fragilitas necessitatem frangendi: uti enim adhibita cura quam diutissime conservari potest, ita quoque ab interitu & morte Dei potentia atque gratia vindicari & conservari potuissent primi parentes, eorumque posterii; & ob rationes à nobis paulo ante descriptas, si peccatum non admisissent, nunquam vitam cum morte commutassent; & hoc sensu immortalem hominem in statu integritatis fuisse, dicendum putamus, non ratione materiæ, ex qua corpus formatum atque desumptum, verum ratione originalis præstantiæ & gratiæ, sive justitiæ divini, atque eatenus quoque immortalitas homini, integro vitæ, scelerisque puro tam naturalis, quam peccato contaminato ipsi naturalis moriendi necessitas: quatenus enim sanctitas & justitia originalis erant qualitates & virtutes animæ inhærentes & insitæ, atque inseparabiles ab integritate, in qua conditi Protoplasti a Deo Creatore, naturales recte dicuntur, eatenus immortalitas homini naturalis fuisset; quoniam, salva justitia divina, haud potuisset vita privari, qui nihil admiserat, quamobrem malo aliquo, sive pœna afficeretur; & proinde divina gratia & justitia corpus ab interitu conservatum fuisset. Quamobrem Deus minatur mortem peccaturo, sive propter peccatum, adeo ut mors esset peccati sequela, quæ exciperet conditionis primariæ in deteriorem statum

statum mutationem; & proinde necessitas moriendi non directe profluit ex natura & materia, ex qua corpus formatum atque compositum, quam quidem ex commutatione status integritatis cum statu corruptionis, ut ita dicam, & quemadmodum omnes ejusdem depravatæ & corruptæ, atque omnibus vitiis inquinatæ naturæ post lapsum participes, ita quoque moriendi necessitati subjecti sumus, & eatenus mors homini naturalis: quoniam ex eodem omnes sanguine oriundi, natura eadem peccati labe contaminata in omnibus Adami posteris propagata, & sic quoque morti obnoxii facti sumus per naturalem propagandi modum: adeo ut nemo sine vitiis nascatur, uti canit Poeta: uti propagandi modus naturalis, ita quoque naturæ depravatio ex propagatione proveniens homini naturalis, & proinde quoque mors corporis homini naturalis; quia immediate provenit ex depravatione naturæ, ejusque necessaria sequela: uti ex sanctitate & justitia originali, quæ homini in statu integritatis naturalis, immediate proveniebat conservatio corporis ab interitu & morte; sic *naturalis* dicitur *malitia impiorum*, Sap. 12: 10. quatenus corruptæ naturæ adhæret, & cum ea propagatur; & proinde *omnes sumus filii iræ naturæ*, Ephes. 2: 3. mortemque meriti, & ob naturam depravatam & in nobis propagatam morti subjecti. *Per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit*, uti docet Paulus Cap. 5. *Epist. ad Rom.* Quemadmodum generatione peccatum transfunditur, ita quoque mors, sive moriendi necessitas; utrumque naturale

rale homini peccatori. Initio enim Deum hominem inexterminabilem fecisse traditur, *Sapient. Cap. 2.* scil. ut esset immortalis, si vellet Deo obedire, & persistere in sua innocentia & naturæ integritate. Quamobrem Concilium Milevitanum statuit *capitulo 1.* *Quicumque dicit primum hominem mortalem factum, ita ut sive peccaret, sive non peccaret, moreretur in corpore, hoc est, de corpore exiret non peccati merito, sed necessitate naturæ, Anathema sit.* Audiamus Augustinum *de bono conjug. cap. 2.* *Corpora illa prima conjugii, inquit, & mortalia fuisse intelligamus prima conformatione, & tamen non moritura, nisi peccassent. Sicut minatus erat Deus, tanquam si vulnus minaretur, quia vulnerabile corpus erat; quod tamen non accidisset, nisi fieret, quod ille vetuisset. Et Cap. 15. de Civit. Dei Lib. 13.* *Unde constat inter Christianos Catholicam fidem veraciter tenentes, etiam ipsam nobis corporis mortem, non lege naturæ, scil. necessitate, qua nullam mortem homini Deus fecit, sed merito inflictam esse peccati; quoniam peccatum vindicans dixit homini, in quo tunc omnes eramus, terra es, & in terram ibis.* Non est nobis animus respondere ad omnes objectiones, quas adferre solent, qui contrariam sententiam tuentur; sufficit nobis breviter hic nostram opinionem dixisse; alii enim ante nos sacrarum litterarum Interpretés adversariorum argumenta diluerunt, atque ad ea responderunt. Vid. Rivetum *in Cap. 2. Genes. & Pareum Comment. in Genes. Cap. 2.* aliosque divinatorum Oraculorum Interpretes: tum etiam ea, quæ de hac quæstione annotavi-

Mm

mus

mus *Dissert. de Die Mundi natali pag. 391.*

392. 393.

Nomen
quale, &
quare
Adam u-
xori suæ
imposu-
erit?

Deinceps Moses refert, quale nomen, & quare id uxori suæ imposuerit? Putant nonnulli, hunc verum esse parenthesisum, & rationem parentheseos hanc esse existimant, quod deinceps describendus est status hominis extra Paradisum, in quo nominatum etiam Evæ mentio facienda fuit. Antequam ergo id faciendum, præmisit, quodnam ejus nomen? Verum statuunt, Adamum uxori suæ nomen id imposuisse, scil. cum primum ipsi adducta est, atque etiam *virissam* sive *viraginem* appellaverat, adeoque ante lapsum & latam sententiam: quamobrem vertunt textum Hebræum in Plusquamperfecto, & *vocaverat Adam nomen uxoris suæ &c.* Quippe, cum post admissum peccatum, universum mortale genus, cujus mater futura Heva, morti addictum, perperam appellasset uxorem suam Hevam, utpote, quæ non viventium, verum mortalium potius hominum mater futura. Adeoque hæc nominis impositio in statum integritatis magis conveniebat; in quo si permansisset, mater futura fuisset non mortalium, sed immortalium, uti supra annotavimus. Quidam addunt, haud verisimile esse, cum Adamus vehementer judicio Dei premeretur, inter medias pœnas & flagella, amarissimamque mortis denunciationem quasi tranquillo & vacuo animo, de imponendo nomine uxori cogitasse. Perer. *ad h. l.* Aliis non infimi subfellii sacrarum litterarum Interpretibus contraria magis arridet sententia. Quamobrem opinantur, post latam sententiam demum Adamum nomen

id

id uxori imposuisse. Cur enim suo loco, ubi Moses de nominis impositione primo agit, non retulisset etiam vocatam Hevam, & duntaxat *viraginem* sive *virissam* appellatam annotasset, proprium nomen reticuisset; atqui ibi nulla hujus nominis mentio; adeoque pro mera potius conjectura habenda est altera opinio, utpote quæ nullo fundamento, nec scriptoris auctoritate nititur. Cur non potius juxta seriem historiæ omnia ab Adamo gesta & facta fuisse credamus eo tempore, & ordine, quo a Moyse literis consignata atque descripta, quam incertis conjecturis fidem adhibeamus. Idque eo magis, quia probabilis reddi potest ratio, qua inductus Adamus uxori suæ post latam sententiam id nomen demum indiderit: scilicet ut demonstraret se plane promissioni sibi a Deo factæ, de semine mulieris serpentis caput contrituro, fidem habere, & in illa acquiescere. Unde in testimonium suæ fidei, conjugem suam, quam primo *viraginem* appellaverat, vocavit *Hevam*, id est, *viventem*. *Postquam enim per unius peccatum mors intravit in mundum, Rom. 5: 12.* Eva vita excidit, & in mortem tum temporalem, tum æternam incidit. Vita animalis, quæ illi mansit, vix *vita* nominari meretur, estque potius umbra vitæ, quam vita dicenda, caduca est, ad finem labitur, somno, qui gelidæ mortis imago, sustentatur, in mortem terminatur, estque adeo mixtura vitæ & mortis. Putabimusne ab umbratili hac vita mulierem חַוָּה nominatam, mulierem moribundam & cito morituram? Quid igitur? Promissio spem faciens certam de positione inimicitæ, de contritione

serpentis, indicat, mulierem a morte resuscitandam & sanctificandam, ut *in novitate vitæ ambulet*, Rom. 6: 4. Hæc est vera vita, vita, quæ semper crescit; vita, quæ a morte liberat; vita, quæ ad vitam ducit; vita, quæ in æterna vita consummata erit. Ab hac vita, cujus hæredem factam mulierem per Dei gratiam promissio declarat, Adam illam חַיָּה denominavit, uti eleganter differit Wilhelm. Momma *Oeconom. tempor. cap. 2.* Nec hæc unica denominationis ratio est, sed insuper additur à Moyse, *quia est mater omnium viventium.* Quidam Rabbino- rum aliam nominis excogitarunt significationem præter eam, quæ à Moyse allata; & sic dictam esse volunt à radice חַוָּה *chivvah*, id est, *loqui, indicare*; propter loquacitatem, sive garrulitatem mulieribus non insuetam. Alii volunt appellasse *matrem viventium* per quendam jocum, & acerbam ironiam: quemadmodum Græci Furias infernales appellant *Eumenides*, id est, faciles ac mites, a contrario nempe; cum sint diræ & inexorabiles: sic *Parca*, quasi minime parcentes; & bellum quasi minime bellum. Alii, uti quoque in his Rupertus, referente Pererio, censent, Adamum ex ingenii superbia, animique pervicacia hanc divinam sententiam mortis in se latam, aut minime credentem, aut parvi pendentem, appellasse uxorem suam *matrem viventium.* Quasi de morte non admodum sollicitus, se victurum credidisset, ac si non peccasset, & proinde id nomen indidisset, quod futura mater viventium. Verum haud suspicari possumus, Adamum justo dolore, ob admissum à se peccatum, commotum

motum, & proinde pœnitentia ductum, atque resipiscentem ad ejusmodi impietatem prolapsum, ut in contemptum diviñæ sententiæ uxori id nomen imposuisset. Et non ambigendum, quin, uti divino spiritu illuminatus, vim ac rationem promissionis sibi factæ intellexerit, & proinde in ea acquieverit: ita eodem spiritu ductus uxori id nomen indiderit, præsentē & approbante Deo, atque hoc nomen suadente. Præterquam quod hæc verba, *Quoniam ipsa fuit mater viventium*, non debent accipi tanquam prolata ab Adamo; verum sunt verba Mosis, qui nomen hoc ab Adamo inditum exponere, & rationem illius assignare, atque ita Adæ de futura posteritate providentiam considerandam proponere voluit, ut inquit Musculus; licet Augustinus diversum sentiat. Nec dubitandum, quin Moses divino impulsu actus, ad mentem & intentionem Adami respexerit; quod, audita sententia, quam ex ore Dei judicis sui, peccatum à se admissum vindicantis, acceperat, non tantum appellaverit uxorem *Hevam*, id est, *viventem*, scil. ut, sicuti dicere incepimus, fidem suam profiteretur, in cujus testimonium uxorem vocavit *Hevam*, id est, *viventem*, ob rationem paulo ante allegatam; verum etiam *omnium viventium matrem*, quia ex ea per varias generationes esset Christus, vitam æternam omnibus viventibus, eum per fidem amplectentibus, reparaturus. Promissio enim facta erat non mulieri duntaxat, sed & *semini illius*, scil. illi semini, quod semini serpentis oppositum, & ab eo discretum est. Huic semini vita spiritualis in testa-

mento Dei æterno, cujus notificatio in promissione legata atque disposita est; inde vocatur *omne vivens*. Nominis itaque ratio in eo consistit, quod hujus feminis viventis mater facta est Eva. Belgice, **Om dat sy een moeder aller levendigen is**; sive **Gen moeder aller levendigen geworden was**. Scil. propter promissionem de femine serpentis caput contrituro, ad quam respexisse Adamum, dum uxori id nomen imposuit, modò annotavimus. Postquam enim peccaverat, non poterat dici mater *viventium*, sed *morientium*, imo *mortuorum*. Igitur, uti differit summus Theologus Coccejus, *simpliciter non potuit de illa dici, quod sit mater viventium, nisi quatenus per gratiam Dei ad hunc honorem, & felicitatem hanc pervenerat, & verbo ipsius mater viventium declarata fuit*. Quod factum est iis verbis, quibus Deus promittit, *se positurum inimicitiam inter feminam & semen ejus, & serpentem & semen ejus*. Deinde ex eo, quod semen mulieris dicit contriturum semen serpentis. Unde Franciscus Burmannus *Synops. lib. 3. cap. 1. n. 15. Fidei enim ipsorum intellecta promissione non parva indicia sunt, quod Adamus, audito Dei sermone, mox uxorem appellaverit Evam h. e. non mortuam, sed vivam, & matrem omnis viventis Gen. 3: 20. Quod illustre nomen, fœminæ, quæ peccatum mortemque in mundum intulerat, convenire non poterat, nisi promissionis istius respectu, cujus vim atque sensum Adamus capiebat, quaque ex mœrore suo relevatus, & vitam sibi posterisque sperare audens, semen præcipue istud, in quo vera vita & victoria contra Satanam promissa erat, jam è*
Para-

Paradisi umbris prospectabat. Insuper notandum, quod non simpliciter dicitur *mater viventis*, sed additur, *omnis viventis*. Alibi annotavimus, per semen mulieris, quod caput serpentis esset contriturum, primis parentibus promissum, intelligi oportere Christum Messiam, qui solus in certamen descenderet adversus Satanam, eumque debellaret atque devinceret, cujus victoriæ participes essent omnes, qui Christum tanquam Expromissorem salutis æternæ, sincera fide amplecterentur: atque hac ratione vitam amissam recuperarent. Verum cum Eva hic dicitur non duntaxat *mater viventis*, sed *omnis viventis*, patet non solum fore matrem seminis vivificantis, verum etiam vivificati. *Sunt enim omnes ex uno, Hebr. 2: 11.* Adeoque in semine, cujus mater deprædicatur Eva, id est, qui revera vivens eo sensu, quo vivere denotat, immortalitas dici potest, qui vivificat, *qui vitam dat, qui vitam habet in se, Joh. 5: 26. qui vivit in secula seculorum, Apocal. 1: 18.* Sunt & in illo semine, qui vivificantur, qui mortui quidem, sed per fidem in redemptorem vivum, veræ & æternæ vitæ fierent participes. Adeo ut nemo vitam æternam consequeretur, nisi ipsa Eva ejusque semen, juxta promissionem, ipsi factam. Quoniam itaque *Heva* fuerat declarata mater seminis sanctificati, facta quoque mater erat eorum omnium, qui in illo semine, & per illud vitæ spiritualis participes futuri. Unde apparet, Adamum neutiquam in dubium revocasse, tum Evam, tum semen illius, aliquando vitam æternam sive spiritualem & gloriosam in coelis consecuturum. Ita-
que

que juxta promissionem mulieri factam, se quoque ejusdem gloriæ ac vitæ participem aliquando fore credidisse atque sperasse, haud ambigendum. Quippe cum illuminante Deo cognoverat, mulierem sibi datam esse, ut ex illa nasceretur semen sanctificandum, & quidem per gratiam seminis sanctificantis, & caput serpentis conterentis. Ideo simul eam ab illa gratia Evam denominavit: simul se quoque vitam ex semine mulieris sperare ostendit, ut inquit Heideggerus. Quamobrem & Evam, quæ omnis viventis mater facta est, per promissionem ipsius etiam Adami, matrem factam esse dicendum. Ratio enim nominis, quod Evæ uxori indidit, est argumentum ac testimonium fidei, quam habuit promissioni auditæ de semine mulieris contrituro caput serpentis, & vitam æternam reddituro hominibus, uti alibi annotavimus. Unde etiam credidit, se pertinere ad omne illud vivens, cujus matrem factam esse Evam testatus est; & proinde se quoque, per illud semen vivificum, vivificatum, vitam æternam consecuturum. Quomodo enim de salute sua dubitare illum suspicari posset, qui non, nisi per fidem in Messiam, uxorem suam *viventem* appellare potuerit, a quo solo peccati sui remedium exspectabat. Fides enim sola & unica salutis & vitæ æternæ consequendæ ratio. Habebat enim notitiam seminis illius, quod caput serpentis contrituro promiserat Jehova: haud eum quoque divino spiritu illuminatum fugiebat vis & ratio promissionis, cujus certior factus fidem & assensum eidem adhibuit, atque propterea uxorem æternæ morti propter peccatum mancipatam,

per

per semen illud vivificandam, & vitæ æternæ ex gratia hæredem per promissionem factam, *Hevam* appellat. Qui autem credidit, per semen illud sanctificatum & vivificum salutem, & vitam æternam consequendam, imo ejus hæredem jam *Evam* factam, eadem cum fiducia in illo semine vitam quoque se accepturum, credidisse haud negari potest. Ambo peccati rei, utrique promissio facta. Cur non ambos ejusdem gratiæ participes, dum promissioni fidem, antecedente ejus notitia, eorum menti per Spiritum sanctum instillata, adhibuisse dicendum, ex nominis impositi ratione à Moyse litteris consignata atque descripta. Noverant ambo, quod eorum vindex, qui contriturus caput serpentis, vivebat, uti inquit *Job. 19: 25*. Cujus notitia eorum animis spem ac fiduciam ingenerabat, qua semen illud, quod à morte & potestate serpentis se vindicaturum, & secundum gratiam vitæ compotes facturum, fide certa amplectebantur. Idem enim ille spiritus, quo illuminati promissioni fidem adhibuerunt, ipsos quoque certiores fecit, se in illo semine vitam accepturos; atqui ambo adstipulati promissioni: ergo quoque in illa spe atque fiducia, quam de semine illo vivifico sive vivificante conceperant, plane acquiescebant; cujusmodi fiducia omnem plane ex animo evellit dubitandi rationem: unum tollit alterum; quia sibi opposita. Quamobrem haud ambigendum, quin Adamus crediderit, se quoque ad illud omne vivens, cujus matrem factam uxorem testatus fuerat, pertinere; adeoque se in illo semine vitæ secundum gratiam ali-

N n

quando

quando fore compotem, neutiquam in dubium revocasse statuendum. Nominis autem impositio non duntaxat fidei, quam promissioni Adam adhibuit, documentum fuit; verum etiam symbolum potestatis sibi à Deo in uxorem concessæ: nominis enim impositio est signum potestatis in aliquem; quamobrem cum Adamo imperium & potestatem in uxorem concesserat Deus, jure potuit nomen imponere: uti post latam sententiam & auditam promissionem fecisse testatur Moses, imponendo ei nomen maxime conveniens.

Nonnulli excipiunt, uti paulo ante notavimus, non esse verisimile, cum Adamus judicio Dei & animi angore ac tremore ob mortis denunciationem premeretur, de imponendo nomine uxori cogitasse.

Non ambigendum, quin peccati conscientia, tum etiam tot ærumnarum ac molestiarum, quibus cum in totius vitæ cursu consisteretur, denunciatio, & vitæ tandem cum morte commutandæ ipsi imposita ob admissum peccatum necessitas, summo peccati reum Adamum affecerit dolore, atque horrorem in ejus animo excitaverit. Verum contra conscientiz morsus, contra mortis horrorem armatus ac munitus erat certa firmaque fiducia de promisso femine mulieris contrituro caput serpentis, adeoque abolituro peccatum & mortem, & proinde ab ea homines, scilicet fideles & eiectos, adeoque se quoque liberaturo. Quamobrem non extimescebat mortem, verum potius tranquillo animo exspectabat, *sciens, quando terrestris hujus domus sue tabernaculum per mortem dissolutum fuerit, se adificium ex Deo habiturum, domicilium videlicet non manufactum, sed æter-*

num

num in cælis, 2 Corinth. 5: 1. Absorpta morte in victoriam: hac fiducia recreatus promissioni fidem habens, cur non tranquillo & metu vacuo animo, ut fidei suæ posteris documentum extaret, & coram Deo Creatore suo profiteretur, se plane in promissione sibi facta acquiescere de nomine uxori suæ imponendo cogitasset. Vel ut respondet Summus Theologus Pareus: " Non magis verisimile eum „ de induendis vestibus nunc cogitasse, & tamen „ certum est, eum prius vestitum fuisse, quam è Pa- „ radiso ejectum. " Quamobrem statuendum putat, tunc imposuisse nomen uxori, cum audivisset Dei sententiam.

Pergit deinceps Moyses & alterum summæ misericordiæ & gratiæ divinæ erga hominem peccatorem illustre testimonium celebrare: quod Deus non duntaxat promisit, hominem peccatorem sanctitate, integritate atque justitia originali exutum atque denudatum, adeoque juste expositum excandescenti iræ divinæ, atque ignitis serpentis jaculis, infernalibusque cruciatibus, promissioni fidem habentem Christi veste justitiæ iterum vestire atque induere adversus justam iræ divinæ excandescenciam, atque æternum ignem, omnesque infernales ærumnas, atque cruciatus; eaque tectus in conspectum Dei venire. Unde apud *Jesai cap. 61. Letando lætor in Jehovah, exsultat anima mea in Deo meo, quoniam induit me vestibus salutis, pallio justitiæ amiccivit me, &c.* Verum etiam; quod, dum in terris ageret, multis imbecillitatibus obnoxium factum corpus ab cœli intemperie atque injuriis, tum maxime

Alterum
gratiæ
divinæ
testimo-
nium

ardore solis, atque pluviis tueretur, turpitudinemque verecundia obtegeret, *fecit quoque Jehova Adæ & uxori ejus tunicas pelliceas, quibus vestivit eos.* Hucusque tecti foliis ficulneis; verum levius atque brevius tegumentum, quod vix idoneum ad tot depellenda atque arcenda à corpore incommoda, quibus obnoxii forent post lapsum mortales. Quamobrem Deus pro immensa erga hominem, etiam post transgressionem, bonitate ac misericordia, induit illis tunicas pelliceas. In elucidandis hisce verbis multi divinorum oraculorum Interpretes omni doctrinarum genere florentissimi elaborarunt, strenuamque locarunt operam; atque in genuino eorundem verborum sensu indagando non Christianorum duntaxat sacris initiati Doctores, verum Ebræorum magistri etiam desudarunt; quamobrem tot varix sententiæ magis obscurarunt verba textus, quam illustrarunt. Mire hic nugantur Hebræorum Doctores, qui præter hanc vestem aliam adhuc primis parentibus tribuunt, natalem scilicet, qua ab ipso existentix momento induti fuerunt, adeo ut in ipso quoque innocentix statu vestiti fuerint, non ob necessitatem, sed ornatum: quamobrem R. Bechai, cum disputat de lege propter captivos lata, *Deuter. 21.* num præcipiat unguis nutrire sive alere, nec ne? prius membrum approbat, ac paulo diligenter legis mentem ac rationem pensitans, in recordationem lapsus humani hunc ritum introductum putat, scilicet, *ut cogitet de constantia primi hominis, cujus vestis, antequam peccasset, erat instare unguis, colore corneolum referens.* Unde teste Buxtorfio *Synagog. Jud. cap. 16.*

Judæi

Judæi adhuc ineunte Sabbatho ungues ad candelam contemplari solent, admurmurata precula. Huic quoque sententiæ subscribit R. Elieser in *Pirke*, cap. 14. annotante Joh. Willemero *dissertat. de tunica Adami pellicea*. Cujus verba Latino sermone ita sonant: *Qualis erat vestis Adami hominis primi? Erat pellis onychina. (Vox enim Hebræa פרוך utrumque & onycha & unguem manuum atque pedum denotat) quam nubes gloriæ circumdabat. Cum vero comedisset de fructibus arboris vetitæ, exuebatur ei pellis illa unguem referens, videbatque se esse nudum, atque recedebat ab eo nubes gloriæ. Verum quis ejusmodi anilibus fabulis fidem habiturus, cum apertis verbis contrarium sacræ litteræ doceant; scilicet ambos fuisse nudos, nec tamen erubuisse, Gen. 2. vers. ult. Missis itaque hisce nugis, non dubitandum, quin post admissum peccatum demum vestiti primi parentes fuerint, cum ob nuditatem tegendam, tum etiam infirmum ac multis imbecillitatibus obnoxium corpus muniendum adversus cœli injurias, uti modo notavimus; cujus instituti auctorem Deum fuisse, Mosis verba satis indicant, cum Deum ipsum hæc tunicas fecisse testatur; adeoque omnem dubitandi rationem tollit. In dubium autem vocare, quod expressis textus Mosaici verbis affirmatur, non oportet quemque sana mente præditum. Verum, cum sæpius quis ipse fecisse dicatur, quod quis facit per alium, vel quem aliquid facere seu exsequi jussit: quæri hic posset, ane posteriori sensu intelligenda verba Mosis, juxta vulgarem loquendi modum, Deum scilicet dici, fecisse *ex pellibus ve-**

stes, quia, ut facerent, jussit, iisque dedit industriam conficiendi sibi vestes juxta formam menti eorum divinitus inditam atque impressam? Vel an adeo tenaciter proprietati litteræ inhærendum, ut Deum ipsum parasse primorum parentum vestes dicendum sit? quoniam hoc factum Moyse directis verbis, ut ita dicam, Deo tribuit. Quamobrem de eo omnis futura disputatio videtur, an Deus immediate ex pellibus vestes confecerit mortalium vetustissimis, an tantum fecisse dicatur, quia, ut facerent, jussit, industriamque contulit? Hoc existimavit summus & facundissimus Theologus Joh. Calvinus, ita ut rudi Minerva & populariter id Moyse repræsentaverit, &, quod suggerente eorum mentibus Domino fecerant, in auctorem Deum transulerit. Alii sentiunt, Deum ipsum immediate confecisse vestes, & jussisse, ut induerent; eamque opinionem magis cum textu convenire, atque germanæ historicæ verborum sententiæ consentaneam putant. Quippe si industria & opera hominis vestes confectæ essent, cur Moses id verbis non explicasset, uti supra testatur, sibi fecisse perizomata, sive subligacula. Nec tamen inde sequi ostendunt, Deum, quasi futorem atque pellicem decoriatis mortuis animantibus, pelles eorum in humanarum vestium usum aptasse atque concinnasse; quia potuit id facere modo majestati ipsius convenienti, nempe solo jussu vel nutu, uti totum hoc universum, omnesque creaturas produxit: cur itaque jussu suo primas hæc vestes non parare potuisset? Imo vero tunicas istas absque occisione animalium bisariam Deum conficere potuisse

isse contendit Gazzæus *in commentariis Geneseos*, vel ex conversione præexistentis materiæ in pelles (sicut aquas Nili convertit in sanguinem; sic materiam elementorum in pelles mutare potuit,) vel ex creatione de nihilo. Nam cum homo diei sextæ initio conditus, hora sexta ejusdem diei peccaverit, & de Paradiso ejectus fuerit: nihil prohibet Deum eadem die sexta pelles creasse de nihilo, cum nondum septima advenisset dies, in qua quievit ab omni creationis opere. Alii vero, quibus hæc opinio displicet, eo nihil decessisse auctoritati divinæ statuendum putant, si dicatur, ipsummet Deum mactasse animalia, atque ex eorum pellibus confecisse homini tegumentum, ac ea de causa primum pellem fecisse. Cum multa id genus exempla adduci possent, in quibus omnibus similiter Numen benignissimum se exhibuit. Ex tot exemplis unicum adducere sufficiet, Mosis scilicet sepulturam, quem Deus ipse sepelivit, *Deut. 34.* ne scandalo fieret Israëli, ad idololatriam propenso populo. *De facilitate potentiæ divinæ*, inquit summus Rivetus, *dubitare nefas est. Sed modum, quo id Deus fecerit, determinare nostrum non est, tacente Moyse.* Fatetur tamen, se magis inclinare in eorum sententiam, qui fecisse Deum dici putant, quia hominibus indicavit, ut facerent. Præterquam quod nulla mihi videtur subesse ratio, cur immediate Deum fecisse statuamus, quod perfici potuit a causis secundis a Deo productis, & idoneis ad voluntatem & decretum divinum exequendum: uti Deus statim perfecto sex dierum curriculo creationis opere quievit, id est, cessavit immediate aliquid producere,

veluti

veluti totum hoc universum, omnesque creaturas solo jussu ac nutu, adeoque immediate produxerat; ita voluit, ut deinceps intervenientibus causis secundis sua decreta effectum sortirentur. Patet id ipsum in propagatione ac multiplicatione rerum omnium. Quod etiam dicendum de inventione & propagatione variarum artium & operarum, sine quibus haud commode vitam traducere possemus. Earum quoque in numero vestium conficiendarum scientia ad Deum referenda, qui eam menti nostræ primo indidit, antequam aliquid in actum deducere possimus; ita etiam primos parentes docuisse hanc artem, scilicet eorum menti impressisse ejusmodi vestium formam, quas sibi induerent, atque earundem conficiendarum scientiam indidisse, primas quoque vestes non Deum ipsum, verum primos parentes ipsos sibi fecisse dicendum videtur. Quamobrem Joh. Clericus *comment. ad h. l. Tunicas pelliceas fecit*; hoc est, unde tunicæ fieri deberent, docuit seu voce, seu providentiæ tacito ductu. Vix enim putem, Deum confectas tunicas ad eos misisse. At Hebræi sæpe Deo ἀμείωνs tribuunt, quibus efficiendis aliæ causæ intervenêre. Vide 2 *Sam.* 16: 10. Sic *Genes.* 37: 3. Jacobus dicitur Josepho tunicam fecisse, quam fieri curavit aut factam ei dedit. Illo tamen tempore necesse fuit multa à Deo homines doceri, sine quibus miserum nimis fuisset humanum genus. Erat enim hic subjectum rationis capax homo, qui non tantum intelligendi facultate præditus, verum etiam habilis & idoneus ad faciendum, & in actum deducendum, quod mens sibi dictabat perficiendum & exsequendum.

dum. Erat quoque materia ad manum, ex qua vestes conficiendas procul dubio indidit Deus eorum mentibus. Quamobrem igitur statueremus, non mediate Deum parasse primas vestes, utpote, qui jam illa media sive causas secundas produxerat, quæ fini assequendo, quem Deus sibi proposuerat, interservi-
re poterant; nec frustra a Deo productas statuendum.

Magis autem à vero aberrare mihi videntur, qui memoratas vestes non factas ex animalium pellibus jam creatis, & ad ejusmodi tunicas, quibus par hominum vestire Deo placuit, conficiendas idoneis, sed ex conversione præexistentis materiæ in pelles, vel die sexta creatas de nihilo, uti Procopius ait. Quippe, uti paulo ante notavimus, quamvis de facilitate potentiæ divinæ dubitare nefas sit, & proinde, si placuisset Deo vestes hæc, sive tunicas, vel ex nihilo, vel ex materia a se ante facta, facillime verbo solo concinnare potuisset; amat tamen, post clausam creaturarum universitatem ex materia facere opera sua corporalia: vellem equidem scire, ubinam sacra Scriptura mentionem facit ejusmodi præexistentis materiæ, ex qua tunicæ conficerentur, sane nusquam: quamobrem nisi aliunde sibi revelatum probet statim allegatus autor, erubescendum ipsi sine auctoritate sacræ scripturæ loqui. Quorsum enim ejusmodi præexistentem materiam in pelles convertendam, quorsum de nihilo creatas sexto die fingere, ubi jam tot animalium genera producta, quorum pelles tunicis conficiendis aptæ, abunde forte sufficiebant. In hanc sententiam inclinarunt quidam Viri docti cum Theodoreto statuentes, haud

o o

veri-

verisimile, ex animalium pellibus hæc tunicas confectas; propterea quod cum bina tantum in unaquaque specie animalia, unus scilicet mas, unaque fœmina, in exordio mundi à Deo creata fuerint, nec tantum temporis intervallum a prima origine mundi usque ad Adami ex Paradiso ejectionem, quo tempore tunicæ pellicæ confectæ, intercesserit, ut multiplicari potuerint animalia, adeoque cum nulli adhuc partus extitissent, verendum, ne animalium occisorum genus defecisset, si duo vel quatuor Deus occidisset ad perficiendas tunicas. Verum cum Moyses non definit, quot cujusque speciei animalia mundi primordio creata, nec nos definire possumus; adeoque magis contrarium videtur probari posse ex historia, quam de origine mundi omniumque rerum creatione litteris Moyses consignavit, ex qua perspicimus, mundi exordio animalia ex terra producta, non circumscripto, nec definito cujusque speciei animalium numero; jam vero nulla potest dari ratio, cur Deus uniuscujusque generis non fecisset, nisi par unum maris & fœminæ. Huc etiam accedit, quod haud satis multiplicari potuissent ejus generis animalia, quæ sacrificiis Deo offerendis destinata, si duntaxat bina & bina animalia creata fuissent; quippe sunt viri docti, qui statuunt, Deum, postquam promissionem de femine mulieris edidit, statim typum sacrificiorum instituisse ad præfigurandum calcanei ejus læsionem, id est, mortem ejus. Præterquam quod fœdus gratiæ cum primo homine erectum, sanguine obsignatum, & ad confirmationem ejus sanguinem victimarum effusum putant, uti omnia fœdera

foedera sanguinis effusione obsignari & confirmari solent: *Hebr.* 9: 18, 22. *Psal.* 50: 5. Qui mos etiam ad Ethnicos translatus, ut foedus & pacem cum hostibus facturi, porcum vel porcã saxo filice ferirent, ut perspicimus ex Livio, *Lib.* 1. & illo Maronis versu:

Stabant & cæsa jungebant foedera porca.

Quarum victimarum pellibus se vestire potuerunt; pelles enim cedebant sacerdotibus, *Lev.* 7: 8. Primum omnium sacrificiorum videtur Braunio oblatum fuisse ab Adamo, statim post initum novum foedus gratiæ. Credibile enim est, inquit, fuisse sacrificium pacificum & gratiarum actionum: statim enim post erectum foedus gratiæ vestivit se pellibus, quæ istis victimis detractæ videntur. Quamobrem verisimile, plura fuisse ab initio, mundorum saltem, animalium paria condita, ut superessent carnes si non ad victum, ad holocausta tamen, pellesque ad vestimenta. Et cur non etiam ad victum? nusquam legitur usus carniū homini prohibitus; quippe cum omnes herbæ agri, animaliaque omnia, tum cœlestia, tum terrestria, in usum hominis creata; cur non facultatem habuisset hisce utendi in cibum; dominium enim, quod Deo ipsi concedere placuit, in pisces maris, & in volucres cœli, & in pecudes, ejusmodi facultatem involvit: quod autem forte ab initio in simplicissimo vitæ genere degentes non lautis ac sumptuosis dapibus mensas onerarint, verum forte simpliciore quoquo victu contenti carniū esu omnino abstinerint, id non probat, esum carniū nondum permissum fuisse hominibus; erat enim id potius voluntatis,

tis quam necessitatis. Vid. quæ annotavimus *præcedenti Dissertationi pag. 372, 373*. Materia sacrificiorum erant bestię divinitus homini concessæ ad mactationem, vitam & comestionem, perinde ut fructus terræ, inquit Bebelius *Antiquitat. Eccles. Tom. 3. de sacrificiis*. Quamobrem nobis vero magis consentanea eorum videtur sententia, qui statuunt, protoplastos sibi ipsos fecisse tunicas ex pellibus, quas victimis detraxerunt. Quod autem Moyses subligaculorum inventionem directe tribuat primis parentibus, atque ea ab iis facta refert, vestium sive tunicarum conficiendarum Deum auctorem nuncupat, easque fecisse perhibet, ex eo non videtur mihi colligi posse, quasi immediate ipse Deus absque hominis opera mactasset animalia, atque ex eorum pellibus confecisset homini tegumentum. *Quippe, uti respondet ad hoc argumentum doctissimus Riverus, non est par ratio, quia tunc Moses ipsis tribuebat, quod tumultuarie fecerant, & propria industria: nunc vero Deo, quod fecerant Deo instigante, quando non sufficiebat prius illud inventum.*

Tunica-
rum pri-
morum
parca-
tum ma-
te ia,
quæ-
nam?

Materia igitur, ex qua tunicæ confectæ, fuerunt naturales animalium pelles cum villis & pilis; verba enim hæc historice & litteraliter, uti sonant, sunt accipienda, cum in scriptura vox Ebræa *גור*, *gnoor*, nusquam reperiatur alia significatione, quam pro externa animalium pelle usurpata, uti ejus linguæ periti annotarunt. Sunt tamen, qui nudæ litteræ non adhærendum statuunt, existimantes protoplastorum vestes non e pellibus, sed linteo factas fuisse. Alii iterum, quorum in numero Origenes, hic

hic non veras tunicas pelliceas, sed carnalia & mortalia corpora intelligunt, quibus post admissum peccatum Adam & Eva induti fuerunt. Addit Epiphanius, ideo ipsum ita sensisse, quia existimaret ridiculum esse, quod Deus fuerit. Adæ coriarius & pellium futor. Verum Sixtus Sinensis ejus defensionem suscepit, atque culpam in Originis æmulos transfert, a quibus illum locum corruptum fuisse, suspicatur: dum *Homil. 6. in Levit.* hac de rementem suam aperuerit, ubi docet: *Fecisse Deum tunicas pelliceas, & induisse Adam & mulierem ejus. Illæ ergo tunicæ, inquit, de pellibus erant ex animalibus sumtæ; talibus enim oportebat indui peccatorem, pelliceis inquam tunicis, quæ essent mortalitatis, quam pro peccato acceperat, & fragilitatis ejus, quæ ex carnis corruptione veniebat, indicium.* Theodorus Heracleotes & Gennadius Constantinopoleos Episcopi putant, pelliceas tunicas hoc loco significare arborum cortices. Quemadmodum enim animalium coria pelles vocantur, ita quoque arborum cortices commode pelles appellantur. Ex arborum itaque corticibus ad vestium compositionem aptis primi parentes, suggerente Deo, tunicas sibi fecerunt, uti prius detecta nuditate sua sibi ipsis præcinctoria confecerant ex foliis fici, ne genitalium turpitude in oculos incurreret. Unde Gregorius Theologus ait, *quodam loco fuisse cortices arborum, quos ipse Deus in mentem miserit, ceuidoneos, ex quibus sibi vestis quandam formam aptarent, sequæ ea amicirent, sicut ante ex foliis ficulneis fecerant subligacula.* Et alibi, *Adamum & Evam arbores*

Oo 3

deglu-

deglubisse, dicit; ceterum Mosen ideo factas esse à Deo dicere, quia hic illis in mentem immisit, ut arborum corticibus se vestirent. Haud negari potest, apud quasdam gentes in usu fuisse vestes ex arborum corticibus factas: testatur Herodotus lib. 1. sub fin. Masagetas ex arborum corticibus vestes confecisse. Idem de Germanis testatur Pomponius Mela lib. 3. cap. 3. Viri, inquit, sagis velantur & libris arborum. Strabo lib. 15. testatur, Indicos Philosophos, quos Sylvicolos appellant, vestes ex arborum corticibus habere. Idem ex Seneca colligimus, dum Epist. 90. ait, simpliciori cura constant necessaria, in deliciis laboratur. Non desiderabis artifices, si sequere naturam: illa noluit esse districtos: ad quæcunque nos cogebat instruxit: Frigus intolerabile est corpori nudo. Quid ergo? Nunquid non pelles ferarum, & aliorum animalium à frigore satis abunde defendere queunt? Non corticibus arborum pleræque gentes tegunt corpora? Non avium plumæ in usum vestis conferuntur: non hodieque magna pars Scytharum tergis vulpium induitur ac murium, quæ tactu mollia & impenetrabilia ventis sunt. Hinc Plinius lib. 12. Restant neque ipsa anima carentia terra edita, ut inde eruta dicantur, ac nullum sileatur rerum naturæ opus. Diu fuere occulta ejus beneficia, summumque munus homini datum arbores, sylvæ intelligebantur. Hinc primum alimenta, harum fronde mollior specus, libro vestis. Etiamnum gentes sic degunt. Verum nulla hic subest ratio, uti paulo ante dicere incepimus, cur literali & propriæ significationi, à qua nisi gravissima de causa recedendum, suadente

suadente rectæ rationis dictamine, non inhæreamus. *Quid enim certum esset in scriptura, si quisque suo pro arbitrio, præsertim in Historiis, tropos & allegorias fingeret, uti inquit ipse Bellarminus.* Proprio verborum sensui adhærendum putamus, quoties non liquet, aliquid inepti vel absurdi & à mente Spiritus Sancti alieni statuendum. Hoc si perspicimus, ad impropriam verborum significationem confugiendum, ut verum sacræ scripturæ sensum eruamus, atque consequamur: id ipsum fat lucide constare potest cuique sana mente prædico, & in sacris litteris evolvendis & perlegendis assidue & diligenter versanti. Missis itaque allegoriis, pelles hic naturales ac veras intelligimus; hoc enim innuit verbum Hebræum, & nusquam alia significatione, quam pro pelle externa animalium, usurpatum reperiri, jam annotavimus, & quidem cum reliquis corporis partibus conjuncta, vel detracta, sine, vel cum villis & pilis, uti statuit a Lapide. Verum, quoniam Moyfes silentio præterivit nominare animal, sive animalia, quorum ex pellibus tunicæ confectæ, indagandum nobis iterum incumbit, cujus animalis pelles istæ fuerint. Non ambigendum mihi videtur, quin ex mundorum animalium pellibus fabricatæ; quoniam in celebrandis sacrificiis id genus duntaxat animalia immolari solebant. Quamobrem pro mero figmento habendum, quicquid de serpentis pelle, & lana leporina, vel camelorum pilis somniarint Judæi. Existimat R. Eliefer in *Pirke*, ex pelle, quam serpens, Evæ familiaris, exuerat, tunicas confectas: quippe inter pœnas contra serpentem

serpentem pronunciatas numerandum quoque existimat, ut quolibet septennio pellem exuat, unde tunicæ factæ; si Judæo fides habenda. Verum erubescendum ipsi, sine divinæ scripturæ auctoritate pœnas multiplicare. Forsitan hunc corpus tegendi morem imitati Troglodytæ, alixque nonnullæ gentes Barbaræ, quas serpentum & piscium coriis indumentis & stramentis uti tradit Alex. ab Alexandro *Genial. dier. lib. 5. cap. 18.* Strabo *lib. 17.* Adeoque ut nullus habitus aut amictus corporis vetustior allegari possit, utpote qui ab ipso mundi exordio in usu fuerit. Cur autem deponenda pellis erat anno septimo? *Forſan*, inquit Vorſtius, *annus Sabbathicus vim suam hic exerit, juxta Rabbini mentem.* At constat in senili ætate pellem à serpentibus exui. Placet interim nonnullis, hanc senectam exui ob siccitatem, notante Nuchterleinio, *Dissert. de tunicis pelliceis protoplastorum.* Imo vero alii, qui penitius naturam & indolem serpentis perscrutati videntur, statuunt, revera nunquam serpentes novam pellem induere, verum vernationem, quam deponunt, pellem non esse, sed potius spoliū ex mucō & sordibus instar musci corpus animalis collectis & siccatis genitum; quod postea vere è cavernis exeuntes, & circa loca angusta se affricantes, deponunt. Alii, qui huic opinioni fidem non habent, sed pellem vere deponere non septimo duntaxat anno, nec tantum in senili ætate, sed singulis annis, statuunt eam exuere ob causam, quia cum serpentes ex natura sua siccam admodum cutem habeant, ac minime porosam; & cum etiam per totam hyemem alimento

alimento careant, inde fit, ut magis ac magis illorum cutis ficcior reddatur, ita ut alimenti defectu rugosa fiat, atque ita a corpore separetur: unde vere accedente, quando e cavernis exeunt, & alimento utuntur, cum cutis illa nutriri non valeat, ob dictam rationem, ex novo alimento ad superficiem accedente, nova cutis generatur, & antiqua penitus deponitur.

Alii ex vellere seu lana, & quidem lana leporina tunicas desumptas fabricatasque autumant, propterea, quod illa est mollis & calefaciens. Nonnulli dicunt, fuisse quoddam animal homini valde simile, atque hoc jussu divino pellem suam exuisse, notante Aben Ezra; ipsam tamen sententiam vanam esse existimat: uti quoque de lana leporina dicendum; cum lepus sit ex eorum animalium classe, quæ impura sunt, & proinde in sacrificium nequaquam offerebantur. Nec satis verisimilem sententiam statuit statim allegatus auctor R. Samuel Bar Nachman, qui vestes illas de Camelorum pilis factas autumat, & quidem de asperis & vulgaribus illis camelorum pilis omnino intelligendum putat, ex quibus olim Judæi indumentum conficere, eoque modo corpus deformare solebant, in impetrando aliquid divinitus; quam corporis deformandi rationem apud Christianos quoque Principes dein invaluisse, notavit dict: Auctor; eumque poenitendi modum Radulphum Ardentem ab illis pelliceis protoplastorum vestibus derivare voluisse, dum inquit:

Pili camelorum & cilicium sunt signa poenitentiae, tum propter asperitatem & punctiorem, tum quia signa sunt tunicarum pellicearum, quibus induti primi

Pp mi

mi parentes, Paradiso exclusi sunt. Quales etiam illi fuisse haud sine ratione creduntur, quibus Johannes Baptista fuit amictus, *Matth. 3: 4. Marc. 1: 6.* ubi perhibetur, quod indutus fuerit villis camelorum scilicet veste vel tunica contexta pilis Cameli, rudibus, nec ulla arte præparatis; non vero netricum operâ in fila deductis, & a fullone coactis. Idem est inter illa discrimen, quod inter linum rude & præparatum, quorum prius posteriori multo asperius est: sive inter id, quod vocamus Anglice *Hair-cloth*, Gallice *une Haire*, vel, *un Cilice*, quod rudibus constat villis, & pannum, qui Anglice *chamlet*, Gallice *camelot*, vocatur, & ex netis atque emollitis pilis contextus est, quorum usus in Caspia & Tartaria insignis. Prioris autem generis Joannis vestem fuisse apparet ex consilio Johannis Evangelistæ, qui exprimere voluit ea descriptione cultus asperitatem, ut sequentibus austeritatem victus. Vid. Hammondi *Annotat. in Matth. cap. 3: 4.* Lud. de Dieu statuit, hic non pilos multorum camelorum intelligi, qui ab eorum velleribus avulsi, deinde rursus contexti fuerint; quoniam inde pretiosæ vestes fieri solent, quæ *camelotæ* dicuntur, Joanni nequaquam congruæ: verum unius Cameli pilosam pellem intelligi, quam corpori suo circumjecit, & pelliceo cingulo firmavit; qualis fuit illa toga villosa Eliæ Prophetæ, deserto conveniens vestis, *2 Reg. 1: 8.* Videtur enim, qui in virtute & spiritu Eliæ venerat Joannes, ejusdem vestitum imitari voluisse. Ejusmodi enim vestes luxum omnem fastidientes, innocentia, poenitentia & austeræ vitæ signa erant, adeoque

adeoque Prophetis Dei, calamitosis præsertim temporibus, aptissimæ; quoniam vero neuter dicitur pellibus fuisse indutus, propterea indumento ex Camelorum pilis rudi opere contexto cum Eliam tum Joannem vestitum fuisse, Scripturæ Sanctæ litteræ magis convenire putant: forte etiam, ut demonstrarent, quam vani & inepti sint pictores & idolorum fictores, qui utrumque depingunt, non veste ex pilis Cameli contexta, sed facta ex cameli pelle indutum, cauda etiam pendente, quomodo Hercules quoque cum Leonis exuviis formari solet. A quo forte mos inolevit, ut mulieres caudatis vestibus, sive tunicis, & olim & nostro ævo, incedant. Quem morem perstringens Bernardinus Sinensis, notante Joh. Nuchterlein *d. l.* inquit: *Jam tota Italia caudatis mulieribus plena est: nihil jam restat aliud, ut animalia completa videantur. Caudas & cornua habent. Jam enim in quibusdam partibus, ad binarium numerum in mulieribus cornua devenerunt.* Verum non video necessum esse, quamvis veste e pelle facta indutum tum Eliam tum Joannem statuamus, ut juxta illorum pictorum stoliditatem fingamus, vestiti quoque caudam annexam fuisse, non magis quam primos parentes tunicas pelliceas simul cum caudis induisse; suspicandum potius, ejusmodi caudas, utpote pelli adhærentes magis incommodas, quam commodas, nec ullum ornamentum allaturas, pellibus vestibus conficiendis aptatis descissas fuisse. Tum etiam, quia non decorum fuisset homini, animalis instar incedere. Quicquid sit, multos olim cum ovinis & caprinis pellibus oberrasse, testatur

Paulus *Hebr.* 11: 37. Sic Joannem Baptistam pro veste exuvias Cameli gestasse, statuit quoque Beza in notis ad *h. l.* Casaubonus *Exercit.* 13. ad *Anal. Baronii* statuit, vestem e pilis camelorum in aliquo usu apud Judæos fuisse, nullo testimonio probari posse e Bibliis, aut alio scriptore veteri. De solis Caspiorum sacerdotibus se legisse tradit, illos vestes gestasse e pilis Camelorum contextas. Sed ratio, inquit, diversissima: nam Cameli Caspii mollitiâ lanæ ipsos Milesios greges superabant, teste Æliano, *Histor. animal. lib. 17. cap. 34.* In *2 Reg. 1: 18.* extat exemplum zonæ *δερματίνης, ἐ corio confectæ*, qua utebatur Elias Propheta; sed vestem illi fuisse e pilis Camelorum, nunquam ex illis verbis scripturæ *בעל שער* elicies. Scio esse, qui existiment, Hebræorum *שק*, cujus in luctu describendo toties scripturæ meminerunt, vestem fuisse e pilis hircorum & caprarum contextam. Verum neque hoc e sacra pagina potest demonstrari, neque ullo alio, opinor, satis firmo argumento probari. Proprium igitur hoc Christianorum, qui ad exercitia pietatis cilicia e pilis Camelorum contexta adhibuerunt. Hæc pauca de materia vestium pellicearum delibasse sufficiant. Verum silentio præterire non potui, Johannem Clericum per *tunicas pelliceas* intelligendum suspicari tabernaculum pellibus contextum, uti quoque perizomata ficulnea tabernaculum interpretatus fuerat. *Propterea quod in agro Babylonico, ubi tepidiores hyemes, non indigebant vestibus pelliceis, quæ calidiores sunt, primi parentes. Tecti alicujus, quo ardorem solis, ac pluvias arce-*
rent,

rent, usus potius erat, quod præstare sat commode potuit tabernaculum pellibus tectum. Fateor כתנות cathenoth, tunicas significare: verum antearationes attuli, ob quas primas mortalium domos vestium nomine describat Moses; atque ut apud Romanos vestis quemlibet pannum, ita forte apud Hebræos כתנות, velum quodvis, quamvis exempla nunc desint, significavit. Hæc porro, inquit, serius fuisse fixa tabernacula crediderim, quamvis res narretur, antequam ejectio è Paradiso describatur. Animalia in illo tanta forte copia non fuere, ut possent occidi velamentorum conficiendorum causa, sine nimia sobolis jaçtura. Primo illo tempore, ut verbis Lucretianis utar e lib. 5. nondum sciebant

- - - - - uti
Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum;
Sed nemora atque cavos montes sylvasque colebant,
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare, imbresque coacti.

Serius,

Inde casas postquam ac pelles ignemque pararunt,
Et mulier conjuncta viro concessit in unum,
Tum genus humanum primum mollescere cæpit.
Credibile certe est, tum vestes inventas, quæ saltem pudenda tegerent, cum luxurianti juventuti frænum injiciendum fuit; ne aut parentes ipsos violarent, aut passim concumberent. Atque hinc natus pudor, seu affectus ille, quo percelluntur, qui, quæ privatim fieri usus instituit, coram aliis facere deprehenduntur. Sed hæc nos extra oïeas abducerent. Ita quoque

Pp 3

Auctor

Auctor paulo ante, ubi de foliis ficulneis sibi sub'igacula protoplastos fecisse Moses narrat, non de corporis vestimento vel tegumento hic sermonem habere statuit Mosem; verum putat, sub hisce vestibus seu cingulis aliquid aliud latere; nimirum scenam quampiam foliis & ramis ficulneis tectam, in quam se abdiderint, uti commate 7. notavimus. Verum, uti ad *dict. loc.* annotavimus, hanc vocis significationem plane a mente & sensu auctoris Pentateuchi alienam esse, ita quoque tunicarum in tabernaculum conversio omnino repugnare & propriæ vocis significationi & menti scriptoris, nobis videtur. Quis per tunicastabernaculum, vel per tabernaculum tunicas, juxta cujusque vocis communem usum intelligeret? singulis enim rebus sua nomina imposita, ut a se invicem distingerentur, & ex cujusque rei denominatione intelligi posset, qua de re sermo habetur, & quænam denotatur: quod si ejusmodi commutatio fieret contra communem & vulgarem loquendi usum, ut vice versa tabernaculum tunicam, tunica tabernaculum denotaret, tantam ubique confusionem pareret, ut nullus fere, vel exiguus sermonis ac orationis in hominum coetu usus esset, & potius, uti apud nonnullas gentes usus invaluit, per Hieroglyphica res & animi sensa exprimere necessum haberemus. Si tunicæ figuram depictam viderem, haud tabernaculum esse intelligerem, uti quoque tabernaculi formam conspiciens, nec tunicam esse dicerem. Verba enim intelligenda atque interpretanda sunt juxta naturam cujusque rei, de qua sermo habetur, & communem loquendi usum.

Quippe

Quippe cum verba significandis rebus inventa sint, oportet vocem significare id esse, quod rei ipsius essentiam, veluti picta quadam in tabella, ἀκριβῶς exprimit, & ponit ob oculos. Statim enim atque ad aures vox pervenit, ejusmodi ideam menti imprimit ejus rei, quam per vocem sive enunciationem vocis exprimere, & eum, ad quem sermonem dirigimus, intelligere volumus. Quod si unusquisque a communi & vulgari loquendi usu recedens pro arbitrio suo verborum significationes commutandi licentiam sibi vindicaret, sane brevi major linguarum confusio verenda, quam in excitanda turri Babylonica contigisse sacræ testantur paginæ. Quamobrem, uti annotavimus, propriæ verborum significationi adhærendum putamus. Propriam significationem dicimus, quam verba accipiunt a vulgari & communi loquendi usu. Non inficiamur, plures quandoque unam vocem admittere significationes, atque etiam improprias, & allegoricas; verum a propria verborum significatione non facile recedendum, ut alibi notavimus. Atqui nullam hic verisimilem rationem adferri posse, nobis videtur, quæ a propria vocis *tunicarum* significatione recedentes, *tunicas pelliceas*, quas Deum fecisse, sive jussisse, ut conficerent atque induerent Protoplasti, in *tabernaculum pellibus tectum*, convertamus, præter omnem vocis utum, & contra perspicuum contextum. Non me fugit, *pellem* aliquand. pro *tentorio* sumi in sacris litteris, tum etiam apud profanos auctores eadem in significatione occurrere, per Metonymiam materiæ: quamobrem Cicero 4. *Acad. Ut non multum Imperatori*
sub

sub pellibus otii relinquatur; scil. in castris stativis: militum enim tentoria sive tabernacula apud antiquos è pellibus conficiebantur. Verum tunicas pelliceas, quas induerent primi mortalium, tabernaculum significare pellibus tectum, quis unquam fando audit? Fateor, tabernaculum & tunicas in eo convenire, quod unum & alterum sit tegumentum corporis contra ardorem solis & pluvias; verum haud indumenti nomine utrumque venire potest. Quamobrem, cum aperte Moyses testatur tunicas factas, ut sibi hæc induerent Protoplasti, quis adeo cæcutire posset, ut non perspiceret, Moysen hic sermonem habere de indumentis, quibus corpus tegerent, quas *tunicas* appellat, ut nobis vestium quoque formam describeret, vel saltem ejus ideam menti imprimeret. Huc accedit, quod in Paradiso nulli tabernaculo locus erat; atqui non ambigendum, quin, ut alibi notavimus, vestibus pelliceis induti fuerint, antequam Paradiso ejecti; qui igitur vestes sive tunicas in tabernaculum convertere possumus? Quamobrem statim allegatus Auctor, ut vero magis consentanea sua videretur opinio, statuit, serius fixa fuisse tabernacula, scil. post expulsionem primorum parentum ex Paradiso; quamvis, inquit, res narretur, antequam ejectio è Paradiso describatur. Verum an ejusdem spiritus ductu, quo Moyses afflatus, hæc scripserit; vehementer dubito. Quod de animalium mundorum copia exigua disputat, alibi refutavimus. Nec multum apud nos valet Lucretii auctoritas, qua ex disciplina sui Epicuri, & in tenebris palpans, fingit, primævos homines nudos erravisse, nec nisi longo post

post temporis intervallo uti vestibus cœpisse, dum *Lib. 5. vers. 951. & seq.* ita ait:

*Necdum res igne sciebant tractare, neque uti
Pellibus & spoliis corpus vestire ferarum:
Sed nemora atque cavos montes, sylvasque colebant;
Et frutices inter condebant squalida membra,
Verbera ventorum vitare imbresque coacti.*

Est vers. 1009. uti paulo ante descripsimus,
*Inde casus postquam, ac pelles, ignemque pararunt,
Et mulier conjuncta viro concessit in unum:
Castaque privatæ Veneris connubia læta
Cognita sunt, prolemque ex se videre creatam:
Tum genus humanum primum mollescere coepit.*

Si Lucretio habenda fides, nec ullus quoque tabernaculi vel tentorii aut casarum usus primis illis temporibus obtinuit, sed domus, antra, nemora, cavi- que montes & sylvæ fuerunt; quamobrem Lucretii auctoritas magis opinionem Auctoris evertit, quam adstruit. Nec magni ponderis nobis esse videtur ratio, quam Auctor allegat, cur primi homines magis tabernaculo, quam vestibus pelliceis opus habuissent, propterea quod in regione Babylonica, ubi tepidiores hiemes, non tam indigebant vestibus ex pel- libus factis, quæ calidiores esse solent; quam quidem opus habebant tegmine, quo ardorem solis, & plu- vias arcerent, quod præstare fat commode potuit ta- bernaculum pelibus tectum. Verum nonne eam quo- que ob rationem, uti alibi annotavimus, vestibus indigebant, ne cæli injuriis expositum esset corpus, & contra nimium solis ardorem, ac pluvias tecti essent; dum magis sub Jove frigido, quam in casis atque

Q q

ta-

tabernaculis degebant: quo autem densiores vestes ac tunicæ, eo minus solis æstus ac pluviz penetrare poterant; quamobrem vestes ex pellibus factæ hisce a corpore arcendis incommodis maxime idoneæ fuerunt.

Non possumus silentio præterire, quæ de figura, & colore harum tunicarum, tradunt, sive potius somniarunt Judæorum magistri, scil. quod omnium animantium, volucrum, & bestiarum figuræ in tunica Adami depictæ fuerint. Quamobrem forte nonnulli fingere non erubuerunt, plumatiles protoplastorum tunicas fuisse, quod diversis coloribus intermixtis pictæ, quasi opus plumarium referebant. Paulo ante notavimus ex Seneca, ex avium plumis sive pennis quandoque vestes conficere apud quasdam gentes in usu fuisse, uti testatur Plutarchus *de fortuna Alexandri*. Sunt & novi orbis Indi; qui plumatili veste utuntur, & plumas mira arte in vestis usum texere solent. Sophocles inducit Philoctetem pennosum; Accius vero textis pennarum indutum. Ejus enim hæc verba;

*Quod hæc pennigero, non armigero in corpore
Exerceantur tela, abjecta gloria.*

Idem Accius Poeta:

Pro veste pennis membra textis contextit.

Citat Cicero eundem locum *Epist. fam. 33. lib. 7. ad Volumnium*. Et de Phylotete, quem hujus texturæ inventorem prædicant, Q. Smyrnæus *lib. 9. vers. 356*.

----- ἀμφὶ δ' αὐτῷ
Ἵλιων πλεὰ πολλὰ περὶ λέχεος κέχυντο

”ΑΛ-

"Ἄλλα δὲ συνέραπτο ποτέχρῳ, χείματος ἄλλα
Λευγαλῆς.

- - - - - plurima circum
*Pluma avium strata in thalamis hinc inde jacebat,
Pars consuta grave a pallenti corpore frigus
Arcebat.*

Et Cicero de fin. lib. 5. *Philoctetes cum cruciaretur non ferendis doloribus, propugnabat tamen vitam aucupio sagittarum; configebat tardus celeres, stans volantes, ut apud Attium est, penarumque contextu corpori tegumenta faciebat.* Qui fingunt in tunicis Protoplastorum omnium animantium figuras expressas, & proinde variis quoque coloribus intertextas fuisse, non de ejusmodi vestibus plumatilibus, de quibus statim disputavimus, cogitasse mihi statuendum videtur, scil. quæ ex plumis concinnatæ & mira arte elaboratæ sunt, verum quæ acu pictæ, & coloribus ac figuris variegatæ, ut ita dicam. Non me fugit, eum dici plumarium, qui opus quoddam artificiose ex pluma concinnat; verum eadem appellatione venit & ille, qui aliam quoque materiam mira arte elaborat, uti etiam acu pictor vel similis ποιητῆς, seu Dædalus variator. Apud Vitruvium lib. 6. cap. 7. pictoribus junguntur plumariorum textrinx, pictorumque officinæ; cum inquit: *Non minus pinacothecæ & plumariorum textrinx pictorumque officinæ, ut colores eorum in opere, propter constantiam luminis, immutata permaneant qualitate.* Ibi Philander: ,, Plumarios a pluma dictos putant, ,, alii a plumis culcitris. Nos existimamus, eorum ,, nomine intelligi, qui tomento quodcunque genus vestis aut stragula confarciunt inculcatumve

Qq 2

„ 2

„ acu pingunt. Eos nostri a punctis *punctores* vo-
 „ cant, alii *recamatores*, quod Itali *recamatum*
 „ dicunt. Barbarus ait, plumarios esse illos, qui
 acu pingunt, sive simpliciter, sive tomento confar-
 ciunt, uti ii, quos *recamatores & imbotitores* nomi-
 namus; eoque nomine dici posse, qui in Flandria
 mantilia texunt & aulæa, quos *arazzos* dicunt.
 Fullerus autem rejicit hoc, quod plumarius inde sit
 dictus, quia acu pingeret super culcitrīs plumis aut
 plumis pulvinaribus. Ipse vero artem plumariam
 eam fuisse putat, quæ nunc apud Indos occidenta-
 les usu invaluit, qui opera plurima ex avium plu-
 mis pennise versicoloribus contextunt, & exquisi-
 ta & mirabili arte elaborant. *Miscell. sacr. lib. 1.*
cap. 10. Atque ejusmodi vestium plumatiliū arti-
 fices denotari a Vulgato Interprete, quoties pluma-
 riorum, & plumarii operis in Exodo meminit, pu-
 tat, uti quoque Scaliger in *Varronem* idem statuit.
 Verum summa eruditione florentissimus Bochartus,
 plumarii vocem latius sumi, uti statim annotavimus,
 putat; propterea, quod respondeat Hebræis *רקם* &
חשב, quarum prior acu pictorem proprie significat,
 posterior polymitarium, neutra plumarum textorem.
 Itaque alibi Vulgatus *חשב polymitarium* explicat,
 & *רקמת polymitaria, scutulata, discoloria, multi-*
coloria; nusquam plumea, aut ex plumis contexta
 vestimenta. Quod si plumarius, pergit, is sit, qui
 aulæa, aut vestes textit ex plumis, cur *Exod. 35:*
35. opera plumarii texi dicuntur, non de pluma, sed
 de hyacintho, ac purpura, coccoque & bysso. Cui
 simile est, quod *Exod. 39: 23.* fit Aarōni cingulum
 de

de bysso retorta, hyacintho, purpura ac vermiculo bis tincto arte plumaria. Ita ut artem plumariam versari palam sit in textura byssi, purpuræ, etc. non vero plumarum. Rationem vero, cur plumaria dicta, tradit Turnebus *Advers. lib. II. cap. 25.* Quia scilicet species quædam est solerter acu pingendi, cum clavi, aut patagia, aut segmenta, aut scutulæ aut tessellæ; sic aliæ aliis in veste superassuntur, ut plumam avium referant, aut cum sine assuendo acu pingendo plumæ avium referuntur. Quod indicat Prudentius Hamartig: hisce versibus:

- - - - *Hunc videas lascivas præpete cursu
Venantem tunicas, avium quoque versicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.*

Plautus in *Epid. 2. 2.*, de vestimentis loquens, jungit *Cumatile aut plumatile*. Hinc Nonius, *Vestis plumatilis est clavata aut ex clavis facta*. Et Vopiscus in fine Carini. *Quid Tyro & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles*. A plumis igitur illis, scilicet clavis, quibus vestes intertexebantur, plumarii textores dicti, non solum, qui clavos vestibus insuerent & intexerent, sed & qui quocunque picturæ genere, quibuscunque coloribus & figuris variatas vestes acu pingerent. Plumarius itaque, qui diversis coloribus & figuris vestem aut togam vel tunicam pingit, unde Latini à plumis *plumare* fecerunt, pro variare & pingere. Sic *Exod. 35: 35.* uti statim annotavimus, verbum Hebræum קרק à LXX. vertitur. ποικιλλειν, id est, *variegare*; & ποικιλτὸν ὑφαίνειν, *variegatum texere*; & קרק / ποικιλτὴς *variator*. Chald. קרץ est

Qq 3

est figurare, pingere. Unde **רַקְמָה** vestes coloribus & figuris variare & quasi pingere. Hoc vocabulo complectimur tam vestes diversi coloris acu pictas, quam quæ versicoloribus liciis contextæ sunt. Hinc Plin. lib. 8. cap. 48. *Plurimis vero liciis contexere, quæ polymita appellant, Alexandria instituit. Gallicè, Tissue de fils de diverses couleurs. Ital. De piu colori.* Uti hodie fit à polymitariis nostris, qui tapetarii vocantur, *Tapissiers*, quod non acu fit, sed pectine. Acu autem facere Phryges invenisse, testatur idem auctor. *Acu facere, est pingere.* Nonius cap. 1. *Phrygia vestis picta est, ejus artifices Phrygiones appellantur.* Et Isidorus lib. 19. Cap. 22. *Acu picta vestis aut textilis, aut acu ornata: eadem & Phrygia: hujus enim artis periti Phrygii omnes dicuntur. Sive quia in Phrygia inventa est: unde & artifices, qui id faciunt, Phrygiones dicuntur.* Quare ejusmodi vestes *Phrygionæ* appellatæ. Quamobrem Hieronymus plumarij nomine synecdochice utitur pro Phrygione; uti quoque homines artis plumariæ Latini acu pictores nominant. Sane variare acu, & acu pingere, quod & plumare dicitur, synonyma sunt, & Græca vox latius patet, ita ut etiam complectatur textores; & vocantur etiam *Phrygionia* & *Phrygia*, Gall. *ouvrage de broderie*; nobis *Borduyr werk*. Unde **Aben Melech** in *michlal Jophi*, *Opus plumarii est opus vestium, quas faciunt è multis coloribus textura vel acu, quod רַקְמָה dicitur.* Qui ejusmodi vestibus sive tunicis ornatos fuisse statuunt Protoplastos, vix mentis compotes merito videntur, nec eorundem opinio refutari meretur. Cui
simi-

simile, quod fingant, Deum hæc tunicas sive pelles Adamo peccati labe contaminato, tanquam indigno, antequam Paradiso eiecisset, abstulisse, vel ut alii volunt, Noachum Tunicam Adami secum in Arcam tulisse, ibique servatam; ubi vero sua cum familia arca egressus est, in Chami filij pervenisse manus, forte per donationem inter vivos; a Chamo vero Nimrodo relictam, tanquam prælegatum; illa cum indutus esset, mirum quanta auctoritate & veneratione pollebat apud omnis generis bestias & aves, adeo ut omnes tam bestiarum, quam aves venerint, coramque ipso conciderint, quasi cogitantes ipsum polere robore; quamobrem eum constituisse Regem, quidam ex Judæis fingere non erubescunt. Et ne quid deesset fabulæ, tradunt tunicam illam deinde Hefavum desiderasse, eumque Nimrodum interfecisse, eamque ab illo abstulisse. Eaque indutum robustum quoque factum fuisse secundum illud, *Et erat Esau sciens venationis. Gen. 25.* Jacobum vero secum dixisse, *hic improbus non dignus est, ut induat has vestes.* Quamobrem eas sepelivit, & in terra abscondidit, veluti dicitur. *Abdidit Jacob in terra bonum thesaurum.* Quæ tandem ab Hefavitibus rursus effossæ sunt, & Romæ servatæ, & septuagesimo quoque anno in spectaculo circumductæ. Verum missis hæc nugis atque figmentis, ex descriptione materix, ex qua tunicæ Protaplastorum confectæ, quam Moses dedit, patet fuisse animantium pelles sine vel cum lana vel pilis suis. Unde forte mos inolevit apud vetustissimos mortalium, teste Platone in *Protagora*, ut animalia cæderent, & pellibus eorum

corum tegerentur. Et eundem animalium usum cum reliquis enumerat Cicero 1. *Tuscul.* quadruplicem agnoscens bestiarum usum, propter quem bestiarum hominum causa creatæ sunt à Deo: partim scilicet ad vescendum, partim ad cultus agrorum, partim ad vehendum, partim denique ad corpora vestienda. Et Scythas, hominum rude ac vetustum genus, pellitos olim dictos, tradit Hieronymus in *Epitaphio ad Nepotianum*. Et si Straboni habenda fides, apud Indos Philosophi cervorum damarumque pellibus tegebantur, *lib. 15.* Quamobrem primos Romæ Senatores Propertius vocat *pellitos, rustica corda, Patres.* Sic etiam olim viri pii, ubi annotavimus, quibus indignus erat mundus, ovillis & caprinis pellibus amicti leguntur. Non eo, quod habitus pelliceus quondam in populo Dei fuerit magnæ venerationis, uti Jesuitæ volunt; verum quia destitutis, oppressis, male habitis, non aliæ vestes suppetebant, quibus corpus adversus cæli injurias atque intemperiem pluviasque tegerent.

Ratio
pellicea-
muntur-
nica-
rum.

Cur autem Deo placuerit tunicis pelliceis primos parentes induere, varias rationes nonnulli adferunt. Prima fane causa fuit, ut verecundiæ ac pudicitiae consuleretur: nuditas enim corporis homini sanctæ mentis maxime pudenda est, & aspectus nudi corporis magna libidinis illecebra est. Altera causa, ut defendatur corpus nostrum, ob peccatum obnoxium factum morti, omnibusque cæli injuriis, atque multis ærumnis & incommodis expositum, præmuniretur ejusmodi vestibus adversus cæli intemperiem, sub quo deinceps victuri Protoplasti, uti ali-

bi

bi notavimus. Et quidem pellibus animalium occisorum induti; tum ut homo haberet perpetuam mortalitatis memoriam, quoties se exuviis mortui animalis tectum conspiceret. *Quo enim majore indicio potuit significari mors, quam sentimus in corpore, quam pellibus, quæ mortuis corporibus detrahi solent,* inquit Augustinus lib. 2. de Gen. contr. Manich. cap. 21. Tum ut sciret, vestes esse necessitatis, non ambitionis vel ornamenti, atque in poenæ peccati signum datas, non ad novas peccandi occasiones, aut ad superbiæ ostentationem: *Aptissimum huic tempori profecto ex pellibus fuisse habitum constat,* inquit Robinson; *simplicissimus enim facillimusque paratu, nullo textoris, aut aliis artificis ingenio peritiave indigebat.* Deinde luctui maxime convenit hominum exfulantium atque deflentium suas miserias. *Lugentes, auctore Festo, diebus luctus in pellibus sunt.* Sed & nudos gratia justitiæque originali, cum in bestias degenerassent quodammodo homines, (Psal. 49: 13 & 21.) bestiarum pellibus tegi decuit; ut quod intus erat, extra præ se ferrent. Denique ad labores perpetuos, tanquam ad metalla damnati servi poenæ, ut servorum pelliceis vestibus amicti prodirent e paradiso, par fuit. Unde Tertullianus de pallio cap. 3. ita scribit de Adamo: *Quippe deliquerat, pellitus orbi ut metallo datur.*

Vestes igitur, quibus amicti Protoplasti, re-
vera pelliceas fuisse, non ambigendum mihi vide-
tur: verum ulterius indagandum nobis incumbit,
quorum animalium fuerint istæ pelles? Statuunt
Judæi, tunicas hæc confectas fuisse ex pelle bovi

Quorum
anima-
lium
pellibus
fuerint
induti
Protoplasti?

R r

de-

detracta; propterea, quod verisimile est, primum sacrificium, quod Adamus Deo obtulit, bovem fuisse, atque ejusmodi sacrificium Deo maxime gratum fuisse, juxta *Psal. 69: 32. Quæ melior videbitur Jehovæ bove.* Bos hic est, inquiunt Judæi, quem obtulit Adam primus: qui cornu prius emerit è terra, quam ungulis, cui nimirum in fronte enatum cornu; unde etiam defective absque *Jod* in textu scriptum מן, quia bos ille fuit unicornis; Unde Kimchius: *Dixerunt patres nostri beatæ memoriæ, agi de bove, quem obtulit primus Adam. Nempe, ut ajunt, cornua bovis ab eo oblata priora fuerunt ungulis. Unde est, quod cornutus dicitur, antequam ungula divisus. Addunt, cornu in fronte unicum illi fuisse ac proinde מן scribi sine jod.* Vid. *Bochart. Hieroz. lib. 13. cap. 26. pag. 944.* Procul dubio Psalmista hic agit de sacrificio, quod Deo gratum, scilicet de victima bovis juveni, qui cornua protrudit, adeoque tenerrimus est, & proinde gratior cæteris victimis, quæ juxta legem Mosi traditam offerri deberent. Verum Deo multo acceptiores esse affirmat Propheta vitulos laborum, quam vitulos cornua solum & ungulas producentes, vid. *Oseam cap. 14: 3.* scilicet, interior cultus & spiritualis est sacrificium longe gratius & magis acceptum, cujus illud externum de bove sacrificium quoddam testimonium erat ac symbolum. Præstantissimam enim hic nominat victimam. Ab hoc excellentiæ gradu proximior ovis. Hac vero ratione generis inferior capra. Vid. *Abarbanel comment. in Levit.* Quamobrem etiam Ethnici, licet varii gene-

ne-

neris victimas Diis suis immolasse veterum testentur monumenta, puta Soli equos, Marti lupos, Priapo asinos, Dianæ cervas, Cereri fues; plerumque tamen ac pluribus Diis boves, oves & capras immolarunt; quia prima sacrificii species holocaustum, & odoris grati Jehovæ, interque sanctissima. Edicit Deus *Levit. 1: 3. Si holocaustum erit oblatio è bobus, maris integri offerito illam.* Incipit Legislator à bove tanquam excellentiori victimarum genere, quam obrem majorem hostiam passim appellat Livius. Hinc *victimæ opimæ* (vel ut alii volunt, *optimæ*) & *lautissima Deorum placatio* apud Plinium *lib. 8. cap. 45.* Unde Virgilius *lib. 2. Georg. vers. 146.*

*Hinc alibi, Clitumne, greges & maxima taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.*

Inter victimas itaque taurus sive bos præstat, & quidem Clitumno amni hic honor præcipue datus, ut ei boves tanquam optimam & maximam victimam immolarent, qua & Jovi, supremo omnium Deorum, sacra faciebant: Hinc Jupiter Clitumnus apud *Vibium Sequestrem*; & Xenophon *de Cyro & Persis lib. 8. Sacrum facientes Jovi tauros, deinde Soli equos in holocaustum obtulerunt.* Quoniam itaque cum apud Hebræos, tum etiam Gentiles sive Ethnicos, præstantissimum atque optimum de bove fuerit sacrificium, non ambigendum videtur, quin ab Adamo in sacrificio Deo primitus bos sive taurus integer selectus, præsertim in sacrificio adeo solenni & extraordinario, ad confirmandum foedus, quod post admissum peccatum

cum homine ferire placuit Jehova, quod effusione sanguinis victimæ obsignaretur: idque imprimis, quia, uti credibile est, fuerit sacrificium pacificum & gratiarum actionum, in quo boves offerebantur, sive mares sive fœminæ; atque in eo differt hoc sacrificium ab holocausto, in quo marem mactari lex præceperat, *Levit. cap. 1: 3.* Quod cum moribus Ægyptiorum haud convenit, utpote quibus non licebat fœminas ex bovillo genere immolare, teste Herodoto *lib. 2: cap. 41.* Contra neque Græci, neque Romani hoc discrimen observabant in suis sacrificiis. Possent hic quoque indagari, cujusnam coloris fuerit victima in actu hoc solenni ab Adamo oblata, candidi vel rubri? Solebant Ethnici in triumphis mactare boves niveos, vel juvenecam niveam, unde apud Ammian. *lib. 25. Mactabimur albi boves tibi Marce Imperator, victor si fueris.* Et Poëta Claudian. *Paneg. de VI. Consul. Honorii vs. 506.*

*Quin & Clitumni sacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Visere cura fuit.*

Quippe, teste Plinio *lib. 2. cap. 103. In Phalisco Clitumni amnis aqua pota candidos boves facit.*

Merito mortalium vetustissimus per promissionem certior factus, semen mulieris serpentis caput contritum, adeoque de serpente devicto aliquando triumphum acturum, & hujus feminis sive Mellisæ sub auspiciis ipsos quoque fideles Satanam sub pedibus conculcaturos, candidum quoque bovem in sacrificio Jehovæ obtulisset: vestes enim, sive stolæ albæ erant regis majestatis nondum ornamentum: omnes enim
electi

electi credentes regnant cum Christo, quatenus per gratiam Christi Jesu, & in Christo Jesu capite & principe suo victoriam referunt de Diabolo, mundo, cupiditatibus vitiosis, animi propensionibus, tentationibus, quas per fidem in Christum, & gratiam Spiritus Sancti superant; tum etiam albis stolis induti, tum quod abluti, sanctificati, & iustificati sanguine Christi Jesu, quo se abluendum à peccati labe profitebatur Protoplastes. Hujusmodi itaque sacrificium illustre erat documentum fidei Adami, quam promissioni de femine mulieris caput serpentis contrituro habuit. Eoque testificabatur, se omnem suam fiduciam in Messia venturo, Sospitatore suo & universæ Ecclesiæ, quam devicto serpente à tyrannica ejus dominatione vindicaret, & hunc tenebrarum catenis vinctum in triumphum cum omnibus ejus satellitibus duceret. Quasi jam aspiceret Messiam, tanquam triumphatorem magnificum insidentem equo albo, & habentem arcum, qui capiti coronam impositam habens exivit vincens, & ut vinceret, *Apocalyps. cap. 6: 2, 11.* uti albis equis in triumphis Romani uti solebant. Ita hic nobis imperatorem Christum exhibet victoriosum, qui proinde albo insidens equo, arcuque instructus, & corona caput cinctus, cum pompa egrederetur ad debellandos hostes, ante prælium jam certus de victoria, uti inquit Theologus summus Campeg. *Vitrin-ga Comment. in Apocalyps.*

Sed forte rubri coloris sive rufam vaccam Jehovahæ divino Spiritu illuminatus Protoplastes obtulit. Ex eo magis inclarescit peccati a se admissi conscientia, tum

etiam fides sua, quam in satisfactione Messiae ex semine mulieris oriundi repositam per oblationem juvencae rufae testificabatur, qui peccata nostra in se susciperet, cujusque sanguine se aliquando ab omni peccati labe abluendum atque purificandum credebat, atque fiduciae suae constantiam maceratione hujus victimae confirmare voluisse videtur. Docet enim nos Sacra Scriptura, Deum cum Hebraeorum Rempublicam suis fundaret legibus tum forensibus, tum etiam ceremonialibus, quae divinum cultum spectabant, praecipisse *Numer. 19: 2.* sacrificium juvencae rufae, immaculae, injugis, quam extra castra immolaret Sacerdos, totamque cum ligno cedrino, hyssopo & cocco bis tincto combureret, ut ejus cineribus aquae separationis immistis aspersi mundarentur, qui propter cadaveris contactum, vel alia quavis de causa polluti erant. Vaccam autem rufam fuisse manifestam picturam Jesu Christi, ac asperisionem illius cineris, adspersionis & purificationis per sanguinem Christi, docet David *Psal. 51: 9.* *Expiabis me hyssopo, & mundus ero, lavabis me, & prae nive albescam.* Debuit esse vacca rufa: color enim rufus est peccati symbolum; peccata enim rufa instar coccini & sanguinis dicuntur *Es. 1: 18.* Christus peccata nostra in se suscepit, & nostra peccata sua ipsius dicit *Psal. 40: 13.* Per peccata itaque nostra revera ruber est. Quamobrem amictus dicitur *veste sanguine tincta Es. 63: 2, 3.* Quem vitula rufa praefigurabat, atque imaginem Messiae, passionis suae rubicundi sanguine, Judaeis exhibebat. Non est hujus loci, Viri eruditionis laude florentissimi de hac lege
opinio-

opinionem referre, forte nobis alia de ea disputandi, Deo. volente, erit occasio. Profitetur quidem Vir celeberrimus, se haud inficiari vitulam rufam æque ac alia pleraque sacrificia imaginem sacrificii nostri maximi olim offerendi, purgatoribus oculis intuentam exhibuisse; adduci tamen se non posse, ut crederet hujus præcepti sanctionem ei soli rationi tribuendam esse. Hoc genus vaccarum in Palæstina rarum fuisse, atque à constituta Republica Judaica usque ad urbis excidium, novem duntaxat fuisse combustas vaccas rufas, ex traditione Judæorum notavit vir Celeberrimus Hadrianus Relandus, Reipub. literariæ dum viveret magnum decus atque ornamentum *antiquitat. sacr. veter. Hebræor. part. 2. cap. 5. §. 23.* Sex duntaxat crematas agnoscit Burgensis, toto tempore a lata lege ad finem templi secundi, ita ut primæ hujus cineres servati fuerint, si ve duraverint usque ad finem templi primi, secunda cremata sit ab Esdra in principio templi secundi, duas dein immolaverit *Simon Justus*, & alias duas *Johannes Pontifex*, pater Mathathiæ. Quibus tamen alias tres addunt Ebræi, scil. unam combustam ab *Eljonai* filio Hakkoph; alteram a *Hananaele*, tertiam si ve nonam ab *Ismaele* filio Tabi: decimam vero comburendam esse in diebus Messiæ, (id est, nunquam) uti annotavit Pfeifferus Dub. Vexat. Centur. II. Loc: 24. Quod si cineres vaccæ tantum duraverint in annum, uti Lyranus scribit, multo plures combustas fuisse necessum est. Quod si juxta Judæorum opinionem, per vaccam rufam integram denotari statuendum ducamus vaccam perfecte

fecte & omni ex parte rufam, adeo ut ob duos pilos albos aut nigros in ejus pelle deprehensos immolari haud debuerit, in quam opinionem etiam ivit Spencerus: non à veritate alienum videtur hoc genus, non in Palæstina duntaxat, verum etiam aliis in regionibus maxime rarum fuisse. Quippe alioquin in boum coloribus rufus est vulgatissimus. Verum commode mihi videtur per vaccam sive juvencam rufam integram denotari vaccam rufam, nullo defectu nullisque vitiis laborantem; adeoque integritatem corporis, non autem rubedinis, lex exigit: quamobrem opinatur summus Calvinus, absurde nonnullos interpretari integram vaccam etiam absque macula; ac si dictum esset, ne qua sit in pilis varietas: quin idem exigit Deus, quod in reliquis sacrificiis, quæ ut vitiosa rejiciebantur, si quæ in illis extaret deformis nota. Idem statuit Bochartus, uti quoque Johannes Clericus *comment. ad cap. 19. Numer. Integram תמימה* inquit, hoc est, cui nullum insit vitium ex us, quæ memorantur *Levit. cap. 22. Qui est perpetuus vocis usus, ubi de pecudibus mactandis sermo est. At Hieronymus, ætatis integræ, contra consuetudinem Moïsi, qui semper membrorum integritatem eo vocabulo significat. Pejus alii post Thalmudicos, pessimos Grammaticos, totam interpretantur, quasi velit dicere Moïses totam rufam; quod Hebræicæ linguæ repugnat, ex cujus ingenio dicendum esset אדומה כולה adumma chullag. Ubi etiam Spenceri opinionem refellit. Unde integra animalia in S. Codice sunt animalia non scabiosa, cæca, clauda, & proinde omni vitio carentia: quale etiam animal debebat*

bat esse agnus paschalis, *Exod.* 12: 5. qualia etiam offerenda erant in sacrificium. Et sic quoque hic vacca rufa integra, est nullo vitio, nulloque defectu corporis laborans.

Sunt qui putant, Adamum in sacrificium non bovem, sed agnos, vel oves, utpote præfigurantes agnum occisum ab origine mundi, Christum, Deo obtulisse: tum etiam, quod humano vestitui aptissime per pellem suam cum enascente lana homini usui esse potuerint. Qui hanc opinionem tuentur, conferre solent Christum cum agno, & primum naturam agni penitius inspiciunt atque rimantur; atque primo loco describunt, esse animal ab omni prorsus calliditate & astutia alienum, adeoque non cum vulpe, leone vel pardo comparandum, sed omnino simplex, quod facillime potest errare, & sæpe devia quærere solet, etiam si sibi nulla vis immineat. Ita quoque Christus calliditatem & astutiam vulpinam Phariseorum omni odio persecutus, & ovinæ simplicitati, quæ longe tamen illam superat, studuit. Sponte sua in desertum hoc venit, satisfactorius patri pro peccato. Tum etiam ingenio & moribus mansueta est ovis. Pariter verus paschalis ille agnus Christus, mansuetudinem elegit. Præterea admodum inermis est, non valet unguibus, non dentibus, non calcibus; & licet arietes sint cornuti, non tamen feroces sunt, sed timidi, non crudeles, sed misericordes. Hinc apud Ovid. *Metam.* 15: 116.

*Quid meruistis oves, placidum pecus, inque
tuendos*

Natum homines, pleno quæ fertis in ubere nectar?

Ss

Simili

Simili modo Christus, etsi multis Angelorum stipatus foret legionibus, nullum animi rancorem, sed ne quidem impatientis animi signum præbuit, affectum potius misericordiæ plenissimum in omni vita testatus est. Ovinas autem fuisse pelles, vel inde augurantur hujus sententiæ patroni, quod illæ commodissime respondeant simplicitati primævæ, quæ purpuram & pannum ignorabat. Verum nonne eidem simplicitati respondent boum pelles, quæ nec purpuræ nec panno similes mihi videntur. Deinde ad sententiam suam haud parum stabiliendam id facere statuunt, quod in sacrificiis nullam sive pecudem, sive aliud animalis genus, tam crebro Numini oblatum fuisse legamus, ut quidem oves: verum quænam illa consequentia: Ergo Adamus non bovem, sed ovem in sacrificium obtulit? Cur non potius ad inaugurationem, sive confirmationem fœderis gratiæ, adeoque ad tam solennem actum peragendum majorem quoque victimam, scilicet ex armentis, in sacrificiis obtulisse verosimilius: tum etiam si attendamus illam, quæ inter alias, quas paulo ante notavimus, similitudinem, quæ est inter bovem & Christum. Debit enim esse ex genere boum, animalium robustorum, ad laborem & patientiam natorum, *Deuter.* 33: 17. Christus est Deus fortis *Es.* 9: 6. Est robur Dei, qui regnum Diaboli potentissimi hostis destruxit atque evertit, *Luc.* 11: 20. Sic quoque in Hieroglyphicis Ægyptiorum bovis seu tauri imago significabat virum fortem. Præterquam quod ad tegendum corpus magis aptæ videantur boum, quam agnorum pelles; imprimis si foret verum juxta quorundam

rundam Judæorum traditionem, quod Adamus plusquam giganteus fuerit. Quod tamen pro mero figmento habendum ducimus: attamen, si non arte contextæ, nec veluti confutæ fuerint, uti non infimi subfellii Theologi statuunt, verum corpori tegendo tuendoque magis idoneæ pelles boum, quam agnorum, utpote quæ totum corpus magis tegere, ac ejus nuditatem ab omni parte protegere poterant. Quamvis non omni careat dubio, an non arte aliqua aptari & confui debuerint tunicæ, quas indueret Adam, tum uxor ejus: quippe verisimile videtur, non ejusdem fuisse formæ ob sexus discrimen, quoniam Deus ipse præceptum dedit *Deut. 22: 5. ne vir vestes mulieris, neve mulier viri vestes induat*; & proinde procul dubio inter tunicas Adami & uxoris, quoad formam, diversitas aliqua fuit, quæ non à natura, sed ab arte profecta. Nonnulli ex Judæorum schola depingunt formam, quasi oculis eam explorassent, atque dicunt, vestes primi hominis quoad partes inferiores latas fuisse, & quoad superiores, angustas. Verum cum Moses ejus nullam mentionem faciat, nec nos aliquid certi de forma tunicarum pellicearum dicere possumus, nisi quod admodum simplex fuerit. Nullam tamen omnino formam arte aliqua adhibita pelles animalibus detractas accepisse, priusquam induerent, vehementer dubito, ob rationes modo allegatas: quod enim ex materia aliqua factum, uti ex pellibus tunicæ factæ, præsupponit accedente operâ sive arte aliam figuram vel formam accepisse, ut posset inservire usui, cui destinatum est. Aliud est ex pellibus tunicas facere,

atque fabricare, aliud pelles in modum tunicarum vel tanquam tunicas induere. Testatur Moyses, Deum fecisse tunicas pelliceas, & induere eos fecisse, id est, postquam ex pellibus tunicæ factæ essent, fecit eos induere; unde liquet, non induisse pelles, postquam detractæ animalibus, nullam adhuc tunicæ formam habentes; verum cum in formam tunicarum compositæ, fecit induere eos, scilicet postquam aptatæ jam erant corpori undique tegendo, atque conveniebant staturæ atque totius corporis humani fabricæ, cui commode applicari poterant: adeoque non rudes pelles, sed in formam tunicæ confutæ & arte compositæ hic intelligendæ mihi videntur, adeo ut rerum usus ipsum adhuc Paradisi incolam docuerit, ubi hucusque in otio beatissime vitam traduxerat, jam peccati reus, deinceps omnia, quæ ad vitam corpusque tuendum necessaria essent, opera & labore sibi parare necessum haberet, & proinde verum foret, quod edixerat justissimus peccati admitti vindex Jehova, *ut in sudore vultus sui panem comederet*, id est, non alimenta duntaxat, verum etiam vestimenta & tegumenta corporis proprio labore sibi compararet, ut alibi notavimus. Quamobrem si vellet corpus innumeris imbecillitatibus & ærumnis, ob contractum peccatum, obnoxium, adversus cœli injurias, aliaque incommoda, quibus expositum erat, protegere, sibi tunicas, sive vestes facere atque consuere, foret necessarium; adeoque nihil absque opere & labore in posterum quæsiturum jam experiebatur. Hisce autem pelliceis tunicis indutus in conspectum Dei, quem frustra au-

fugisse

fugisse expertus erat, procul dubio veniebat majori animi tranquillitate & alacritate ob promissionem sibi factam; quam prima vice, quando ad summi Jehovæ judicis sui tribunal citatus: in semetipsum tamen oculos convertens, facile perspiciebat, quam miser & calamitosus, quantam passus status mutationem, cum à summo felicitatis gradu, Satanæ callidis & perditis ac nefandis consiliis inductus, in omnium miseriarum abyssum præcipitem semetipsum dedisset: id enim rerum eventus ipsum docuerat. Adeo ut dum recens manu Creatoris sui conditus similem Creatori suo, cujus ad imaginem factus, absque blasphemia se prædicare potuisset; jam exutus integritate, innocentia, atque justitia & sanctitate originali, brutis animantibus naturæ stimulis obsequentibus se magis, quam Deo similem evasisse perspiceret, & ratio ipsi dictaret. Dum experiebatur naturæ suæ depravationem, & ad quæcunque vitia admittenda propensionem, & ad corporis voluptatibus brutorum instar inserviendum, quam rectæ rationis, qua potissimum bestiis antecellimus, dictamini obtemperandum se esse proniorem, imo plane peccati servum factum esse, adeo ut inordinatos animi motus haud comprimere posset, non amplius voluntate rationi, sed corporis stimulis & corruptæ naturæ affectibus cedente, atque obsequente. Quamobrem semetipsum intuentem brutorum pellibus indutum, adeoque exteriorem formam atque aspectum maxime convenire cum interiore animi habitu atque mutata conditione, non absque animi dolore perpexisse, haud ambigendum. Forte dum ejusmodi cogita-

tiones subirent animum, Deus quasi oculos in Adamum tunicatum atque pellitum convertens, eum perstringit, atque vanitatem promissionum, quibus decepta fuerat Eva, insinuat, dum ait: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus sciens bonum & malum.* Ecce personam, de qua hic sermo est, imo ne quidem illum solum, sed etiam Evam. Non ambigendum enim, quin ambo adstiterint, atque auscullarint orationem Dei. Ambo enim rei peccati, ambo ejusdem miseræ conditionis participes, & ejusdem pœnæ socii. LXX. & Vulgatus retinuerunt hic nomen proprium, sive omnium mortalium primum, ex quo mulier ipsa, & universum genus humanum originem trahit atque propagatum. Alii viri eruditione celeberrimi vertunt: *Ecce homo factus*, &c. atque idem nomen collective putant tum intelligendum tam de muliere, quam viro, uti *cap. 1: 26. & 27.* idque ex præfixo nomini huic אָדָם, quod arguit nomen appellativum, tum ex similitudinis divinæ promisso, factò antea a serpente homini utriusque, ad quod palam hic alluditur; tum ex pari utriusque hominis infelicitate ac ejectione è Paradiso. Verum haud mihi videtur, nos adeo sollicitos esse oportere, an res enunciata directe & explicite duntaxat ad Adamum pertineat, an vero etiam hic de muliere quoque enunciatur; quia quomodocunque accipias, certum est, eandem enunciationem illud par hominum complecti; vel implicite vel explicite; præterquam quod tum mas tum fœmina Hebraice vocatur *Adam*, uti patet *Gen. 5: 1, 2.* & aliis locis. Atque in hac significatione est nomen appellativum,

&c

& collective intelligendum; adeo ut dicendum videatur, hoc loco vocem *Adam* non sic accipiendam, quasi ad personam tantum Adæ referri debeat, verum licet singulariter loquatur Deus, intelligit tamen de utroque homine, viro & muliere; nam utrumque vocavit *Adam*, uti inquit Musculus. *In Adam*, inquit Rupertus, *quod interpretantur terrenus, virum simul & mulierem intellige; quia viri pariter & mulieris commune nomen.* Quis autem hic loquatur, indicat Moyſes, ſcilicet Jehova Deus. *Et dixit Jehova Deus, &c.* quibus verbis deſignari omnino Deum Patrem, primam adorandæ S.S. Trinitatis personam, ſtatuit cum plerisque divinatorum oraculorum interpretibus, Ludovicus Capellus: *Nulli enim, inquit, earum convenientius & potiori jure competere poteſt iſ ſermo, quam primæ, quæ conſtituto ſemel per creationem mundo, rerumque in eo ſtabilito ordine, cepit illius regimen, judicisque ac ſummi moderatoris personam ſuſcepit uſque ad Chriſti adventum & incarnationem, cui poſtmodum omnem tam in cælo quam in terra tradidit poteſtatem uſque ad mundi conſummationem, quando regnum traditurus eſt Patri, fietque illi ſubjectus, ut Deus ſit tum omnia in omnibus. Et ſane ſi illi, quibus hic loquitur, ſunt non Angeli, ſed divinæ personæ; nulli trium convenientibus tribui poteſt hic ſermo, quam Patri.*

Verum ulterius indagare nobis incumbit, ad quem, ſive ad quos ſermonem dirigat Jehova. *Ecce enim, inquit Jehova Deus, Adam factus eſt ſicut unus e nobis, vel, ſicut unus noſtrum.* Deus pluraliter de

Sermonem illum ad quem dirigat Deus?

ſe

se loquitur, propter personarum trinitatem, *tres enim sunt qui testantur*, 1 Joh. 5: 7. Hostes Trinitatis fingunt, Deum ad Magnatum & Principum exemplum fuisse de se locutum in plurali numero. Verum præcedenti dissertatione prima, pag. 204. hanc opinionem tanquam erroneam refutavimus. Si Principum more de se hic locutus fuisset Deus, non utique dixisset, *factus est sicut unus ex nobis*; verum, *factus est sicut nos*: quemadmodum in edictis suis & placitis legibusque promulgandis hac loquendi formula uti solent. Verum dum dixit Jehova Deus, *factus est sicut unus ex nobis*, indicare voluit plures esse sibi æquales, quibus Adam scilicet factus sit similis. Targum, id est, periphrasis Onkelosi Chaldaica, verbum illud Hebræum מִמֶּנּוּ *mimmennou* exponit *ex seipso sciens bonum & malum*. Ita enim Onkelos, *Ecce Adam est יָדִידִי unus in mundo ex se, ad sciendum bonum & malum*. Alii Paraphrastæ, qui mentem ejus per clariorem interpretationem elucidare conantur, reddunt: *Ecce Adam est unicus in terra, sicuti ego unicus in cælis celsitudinis, & surgent ex eo, qui sciant discernere inter bonum & malum*. Quod & fit in Hierosolym. Targum, uti viri docti annotarunt: *Ecce Adam, quem ego creavi, unicus est in medio mundi mei, quemadmodum ego unicus sum in cælis excelsis, populi multi sunt ex eo orituri, ex eo surget gens, quæ sciet distinguere inter bonum & malum*. Quibus postremis verbis intelligit procul dubio univèrsum genus humanum ex uno Adamo oriturum: porro ex omnibus orbis habitabilis populis unam futuram gentem, Judaicam scilicet, quæ

ex

ex legis, quam a Deo Moses accepturus erat, doctrina sciet distinguere bonum & malum, uti differit Lud. Capellus, *Comment. ad h. l. Verum*, inquit, *dura & coacta illa constructio*, ex eo ad cognoscendum, *hoc est, ex eo orientur qui cognoscent*. Deinde quid hoc ad Dei hoc loco consilium & propositum, qui Adamum vult redarguere atque increpare; quid facit, inquam, ad illam redargutionem, commemorare, fore ut ex eo orituri aliquando sint, qui discernant inter bonum & malum. Vid. Coccejum *Comment. ad h. l.* Alii pluralem agnoscentes numerum, quorum in numero summus Grotius, vult esse communicationem cum Angelis, *Est enim*, inquit, *scire multa divinum & angelicum*. Quam sententiam amplecti quoque videtur Vir doctissimus Joh. Clericus *Comment. ad h. l.* ubi adfert duas potissimum sententias; alteram nonnullorum Christianorum, qui hic divinas hypostasas significari volunt; ut supra *cap. 1: 26.* alteram cum Christianorum, tum Judæorum, cui etiam subscribere videtur: *Qui censent hic Deum sibi conjungere Angelos propter vocis אלהים Elohim homonymiam, quasi diceret, homo factus est instar unius nostrum, qui Dii vocamur. Atque hi nituntur iisdem rationibus, quibus ad vers. 5. voce Elohim Angelos intelligi probant Viri docti. Habet ea phrasis, instar Deorum sciens bonum & malum, aliquid παρομοιωδές; atque ex sensu παρæμιæ intelligi debere videntur verba eo aludentia.* Mira est glossa, quam affert Reuchlinus *lib. 1. Cabbalæ*, nomine Simonis Judæi, quam nonnulli divinatorum oraculorum interpretes silentio haud

T t

præter-

præterire potuerunt, statuentis verba hæc a Deo dicta quidem Angelis fuisse, ita ut tamen illud *sicut unus ex vobis*, ad Angelos non referatur; quia non est unum in Angelis sicut in Deo, quamobrem non dixit, *ex vobis*. Verum Adamum talem factum non intelligit Adamum lapsum, conjicit potius de altero Adamo sermonem haberi, scilicet cœlesti, Angelis in cœlo demonstrato. Fingit enim Deum primitus duos Adamos produxisse; unum divinum & cœlestem, alterum humanum & terrestrem, qui sit è Paradiso expulsus. Istum unum fuisse cum Deo; hunc autem non modo alterum esse, verum etiam alium, & aliud à Deo. Deum itaque post miserabilem hominis casum, docuisse Angelos, quis sit humanum genus redempturus; quia tunc prædestinata fuerat salus hominum. Hunc autem Adamum fuisse in æternitate cum Deo unum, antequam tempus fieret. Vid. Rivetum *exercit. in Cap. 3. Genes.* Verum quis non videt id hominis vigilantis somnium esse: Deus enim Jehova, qui loquitur, profitetur se esse unum ex illis, quibus se fore similem vana promissione serpentis delusus Adam sibi persuaserat. Deus autem non est unus ex Angelis. Præterquam quod homo juxta promissionem sibi factam non Angelorum similitudinem, verum cum Deo creatore suo affectaverat. Quamobrem non alios alloquitur Deus, quam quibus similis evadere homo summa ambitione concupiverat. Huc etiam accedit, quod si Deus se Angelis accenseret, seque in eorum classe, atque ordine concluderet, hoc esset plane indecorum, & majestati divinæ haud conveniens, cum infinitum sit

fit inter Deum & Angelos discrimen, infinita distantia; adeoque plane esset incongruum, si Angelis, qui ejus sunt ministri & servi, quasi sodalibus suis & æqualis conditionis & majestatis confortibus dixisset, *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*, uti ait Pererius, atque ex eo descripsit Rivetus. *Cur non potius dixisset*, inquit Lud. Capellus, *Factus est sicut unus vestrum, nam dicendo, sicut unus nostrum, alloquendo Angelos, eos sibi fecit æquales, quod absurdum.* Verum enim vero mihi videtur evidens esse argumentum, Deum hic non alloqui Angelos, quoniam illi ejusmodi boni & mali cognitionem haud habere dici possunt, qualis cadere debet in eum, qui ratione ejusmodi cognitionis Deo æqualis sive similis factus esse dicitur. Cognitionis enim boni & mali, qua præditos vetustissimos mortalium similes Deo fore prædixerat sive promiserat serpens, & ad cujus verba sive promissionem alludit manifeste Deus, proficiscetur ex omniscientia, quæ nec in hominem, nec in Angelos potest cadere, verum est attributum divinæ essentiæ proprium & incommunicabile, ut ita dicam. Cognitionem boni & mali habet Deus, quia omnisciens sive infinita Dei scientia, adeoque omnia tam præsentia quam futura & contingentia novit, tam quæ sunt & actu existunt, quam quæ non sunt, sed eventura. Quæ autem eventura, adeoque nondum existunt, & proinde non sunt entia positiva, nota tamen Deo; quia per omniscientiam etiam ideam habet ejus, quod non est, adeoque etiam nihili. Et sic quoque mali, sive peccatorum, cum per se revera nihil sint, sed tantum

mentis humanæ defectus atque aberrationes, virtutum, ut ita dicam, privationes: præterquam quod uti Deus habet ideam sui ipsius, adeoque summæ perfectionis, ita quoque etiam habet ideam nihili, ut negationis illarum perfectionum. Antequam itaque malum sive peccatum admissum, scientiam habet mali sive peccati, non tanquam entis positivi, verum entis positivi privationis; unde peccatum novit tanquam ens privativum: malum enim sive peccatum, de quo hic omnis disputatio, consistit in defectu sive absentia, ut ita dicam, boni; ejusmodi autem defectus revera nihil est; quia in non esse, quod adesse debebat, consistit: ejusmodi autem defectus, qui eventurus, sive contingere, & in Adamum cadere poterat, tam ideam habuit Deus, quam præsentis status & conditionis omnibus numeris absolutæ atque ab omni parte beatæ, in qua conditus Adam atque creatus: quoniam novit omnia tam præsentia quæ positiva sunt, quam eventura ac contingentia, quæ non sunt & actu non existunt; & proinde quoque mala ac privativa, quæ judicat summo Numini æque nota, atque bona ac positiva, quæ facit: quia ejusmodi cognitio proficiscitur ex infinita Dei scientia. Verum cognitio, quam homo sibi acquisivit boni malique, multum distat ab ea, quæ Deo tribuitur. Homo novit bonum & malum ex eventu, cum jam in semetipso experiebatur defectum ac privationem boni, adeoque cum jam mali sive peccati labe contaminatus erat, & proinde ex oppositione mali sive peccati præsentis, cum boni defectu sive absentia, id est, entis positivi cum privativo, ut ita dicam,

dicam, per mentis discursum facta collatione ac contentione dignoscere potuit unum & alterum, & utriusque ideam nactus est, uti alibi notavimus, postquam peccati reus factus erat. Cognovit malum non tanquam aliquid contingens & eventurum, sed jam actu præsens & existens. Quamobrem Augustinus *lib. 2. de Genesi contra Manich. cap. 22. Sed ad quam rem factus est tanquam unus ex nobis? ad scientiam scilicet dignoscendi boni & mali, ut iste per experimentum disceret, dum sentit malum, quod Deus per sapientiam novit.* Cognitio, quæ priore loco descripta est, si caderet in hominem, vel cadere posset, Deo similis esset; quia, uti diximus, ejusmodi cognitio sive scientia mali & boni præsupponit omniscientiam, quæ solius duntaxat Dei propria. Cujusmodi scientia virtus est, non virtutis defectus; adeoque summæ perfectioni perfectissimi Entis non repugnat. Verum ratione hominis, quia proficiscitur ex defectu & privatione bonitatis & integritatis & peccati, quo semetipsum contaminaverat homo, labe, serpenti magis quam Deo similis factus. Deus ideam & cognitionem atque scientiam mali habet extra se; quia novit omnia futura, quæ nondum sunt, & proinde quoque tam entia positiva quam privativa. Homo autem non extra se, sed in seipso, tanquam subjecto peccati, quod actu contraxerat; adeoque istius per experimentum conscius, sensum habens & ideam nactus, cognovit utrumque; ex defectu enim cognovit bonum, quod amiserat, & malum quod contraxerat. Malum enim haud concipere possumus, nisi tanquam privationem &

defectum boni, qui extra mentem humanam non intelligitur, ideoque ab homine concipi nequit, nisi jam existat, id est, homo sibi conscius sit istiusmodi defectus, sive mentis suæ aberrationis: atque hæc scientia ex eventu & rerum usu acquisita menti quasi ingenerat ideam mali, & ad notitiam rei deficientis perducit hominem, atque hac ratione naturam boni & mali mentis acumine penetrat; qualis notitia merito *experimentalis* & *idealis* appellatur; ab experientia enim ideam mali formamus. Adeoque cognitio boni & mali, ut cadit in hominem, est peccati sequela: ratione vero summi & perfectissimi entis Dei est omniscientiæ, sive infinitæ scientiæ effectus. Si illam sibi comparasset esu vetiti ligni, secundum promissionem serpentis, homo Deo factus esset æqualis; verum proh dolor! contrarium expertus summo cum suo detrimento. Utinam persistisset in innocentia statu, in quo nec boni nec mali notitiam habuisse alibi demonstravimus; scilicet quantum ex opposito mali, quod contraxerat, naturam boni perspiciebat, eaque duo contraria juxta se seposita per mentis discursum, quid malum, quid bonum, & proinde dictante ratione quid fugiendum, quid faciendum sibi incumberebat, ipsum erudiebant. Merito itaque Deus quasi per ironiam dixit. Ecce Adam periclitatus est comedendo de arbore boni & mali, an non per id ejus cognitionis, quæ non humanitatis, sed divinitatis duntaxat propria est, particeps fieri potuisset similis nobis? Verum egregie deceptum atque delusum eventus docuit: quippe non solum non est factus, qualis fieri concupivit, verum

rum insuper illud, quod factus fuerat, amisit; dum à felicissimo statu integritatis deturbatus, atque divina imagine, qua ornatus erat, exutus, in omnium miseriarum abyssum præcipitatus est. Hic stultæ credulitatis & vanissimæ ambitionis effectus, sua sorte non contentus, verum insuper æqualitatem cum Deo affectans, omnem cum Creatore suo similitudinem perdidit. Videte ergo, inquit Jehova, digito quasi monstrans miserum hominem, pellibus vestitum adstantem, quam egregius sit Deus factus, egregie callens bonum & malum. Serpentis suavis nobis similem fieri & boni malique cognitionem sibi comparare vehementer concupivit. En quomodo nobis æqualis factus, scientia boni & mali præditus, foedam nuditatem, quam prius ignorabat, nunc perspicit in cute: unde erubescit, ut foliis & pellibus, tunicis sordidis, se tegere necessum habeat. Misera sane & perniciofa sibi mali bonique scientia. Quanta & quam deploranda status mutatio, exterior habitus monstrat interiorem animi habitum sordidum, foedum atque abjectum, utpote peccati labe contaminatum, atque adpersum.

Sunt tamen verbi divini Interpretes, qui statuunt, hæc verba non quasi ironice prolata, nec in opprobrium hominis peccatoris nuntiata; propterea quod non alloquitur Jehova hominem seu Adamum, verum S. S. Trinitatem; cujus ad imaginem fictus homo, cuique similem evasurum serpens promiserat comedendo, de ligno vetito, scientem bonum & malum, uti videre est *vers. 5*. Sancta enim Trinitas hic secum colloquitur, uti *cap. 1: 26*. in ejusmodi autem colloquio

quio nulli ironiæ, vel dissimulationi, aut exprobrationi locus esse potest. Præterquam quod cum divina majestate, tum etiam bonitate, sapientia & veritate haud convenire videatur ejusmodi ironia: quippe Deus est ipsa veritas, adeoque omne mendacium & dissimulationem odit, ironia autem mendacii esse species videtur, quoniam aliud in lingua promptum, aliud in pectore clausum habet ille, qui ironicè loquitur; & proinde mentiri videtur, dum verba aliam præ se ferunt sententiam animi nostri; quam quæ revera erat; consistit enim veritas in conformitate verborum cum animi sensu. Tum etiam adversari videtur hæc ironia Divinæ bonitati & misericordiæ, cujus non ita pridem Deo placuisset tot tantaque in hominem conferre testimonia, erigendo cum peccatore æternæ morti mancipato fœdus gratiæ; tum etiam nudum corpus tot cœli injuriis expositum vestiendo tunicis pelliceis, miserum & afflictum ob peccati sensum, divina tamen benevolentia ob promissionem de semine mulieris caput serpentis contrituro sibi factam recreatum, per ejusmodi exprobrationem iterum affligere & acerbo dolore afficere. Quamobrem ut durio rem hanc verborum interpretationem evitemus, quidam volunt, Deum absque ironia hominis statum præteritum cum præsentem conferre; quasi dicat: *Ecce homo factus erat, ante lapsum scilicet, tanquam unus ex nobis sciens bonum & malum.* Cujusmodi interpretatio nec a textu originali, nec verborum propria significatione recedit. Adeoque sensus est, quoniam homo, quem non ita pridem in gratiam recepimus, factus erat,

erat, verum esse jam desit, tanquam unus ex nobis, adcoque cognitione boni & mali præditus, exutus post lapsum imagine atque similitudine illa, qua recens conditus ornatus fuerat, nullam querendi habet rationem, quod migrandi necessitatem ipsi imponimus. Vel si forte hæc interpretatio quibusdam non satisfaceret, propterea, quia Deus respicere videtur ad fallaces serpentis promissiones *vers. 5.* descriptas, possunt eadem verba sano sensu, si oculos in Adamum divina misericordia atque gratia respicientem atque regnitum convertamus, accipi, quasi Jehova diceret: Serpens ille astutus atque vaserimus egregie hominem decepit inanibus atque fallacibus promissionibus eum inducens, ut legem sibi datam transgrederetur, verum ecce homo jam vere factus est sicut unus ex nobis; non ob peccatum, quod admisit, verum quia nostra ope atque misericordia & gratia conversus reginitusque, dum iterum nostræ imaginis particeps factus, & nobiscum consociatus, ut bonum à malo discernendi scientia præditus, illud sequeretur, hoc fugeret in totius suæ vitæ cursu. In eo enim gratiæ effectus sese prodit, ut per regenerationem, justificationem & sanctificationem homo peccati labe adsperfus imagini Filii Dei sive Christi conformis fiat, *Rom. 8: 29.* Eoque magis paratus sit, ex odio, quo peccatum, ejusque auctorem Diabolum prosequitur, etiam pro omni eo, quod bonum rectumque est, strenuum propugnato-rem; quod vero malum atque injustum est, adversarium atque hostem acerrimum se præbere atque declarare; unde mentis oculi illuminantur *Eph. 1: 18.*

V v

ut

ut bonum à malo, dictante ratione, fecernere valeat, *Hebr. 5: 14.* & proinde quid sibi faciendum, perspiceret atque dijudicaret. Quod ad primum argumentum attinet, haud mihi videtur hæc ironia sive sarcasmus esse mendacium, sive mendacii species: notandum enim, mendacium proficisci ex obligatione, qua homini homo devinctus animi sui sententia atque cogitata aperire in negotiis sive colloquiis, quæ illi, quicum ipsa commercium intercedit, jus dat, ab alio exigendi sermonis sive verborum enunciationem, quæ cum animi sententia convenit, adeo ut verba non aliam præ se ferre videantur sententiam animi nostri, quam quæ revera erat. Ex quo facile colligitur, quod ille mentiri demum dici potest, qui signis vel verbis aliam præ se fert sententiam animi sui, quam in pectore recondit; cum tamen hanc ipsam is, ad quem signa illa diriguntur, intelligendi & judicandi jus haberet, & nobis obligatio incumberet faciendi, ut ipse nostram sententiam intelligeret. Verum nulla ejusmodi Deo cum homine intercedit obligatio: Deus enim liberrime omnia agit, nec homini obligatus revelare quidquam, vel decreta sua aperire; quam quatenus ipsi placet, ut ea sint homini norma & regula agendi, sive ad alium finem obtinendum, quem sibi Deus proposuit: nullum enim homini jus est inspicere divinam mentem; neque querelæ ulla ratio ei patet, si non noscat, quæ Deus efficere atque in actum deducere cum humano genere ejusque singulis membris decrevit. Nullum Deo cum homine commercium necessarium, nullam cum eo consuetudinem habere necessum habet;

quo-

quoniam nulla re indiget, omnia possidet, atque ab omni parte beatus nihil desiderat, non alieno indiget auxilio, non hominum commercium efflagitat; quia sibi ipse sufficit: verum ex incredibili & nullis nostris meritis provocata benevolentia & gratia admittit hominem ad sui communionem & consociationem. Adeoque nulla Deo cum homine mutua potest intercedere obligatio. Atqui homo natus ad societatem colendam cum proximo; societas autem efflagitat mutuum commercium & consuetudinem; consuetudo autem oratione & sermone fovetur, atque conservatur, sine qua misere vitam traduceremus, cum alter alterius ope indigeat ad beate vivendum; hinc homo homini devinctus, ut sui animi sensa oratione sive sermone absque furo & dissimulatione repræsentet alteri, quocum colloquitur; cum omnis dissimulatione redolet fraudem, ea autem detecta, societas distrahitur, atque commercium inter homines tollitur; cujusmodi distractio repugnat fini, quem Deus sibi in creando homine proposuit, scilicet ut homines inter se societatem colerent, quamobrem ratione & oratione præditi: ratio enim & oratio vinculum est societatis, teste Cicerone 1. *de Offic.* Utpote *quæ discendo, docendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate.* Hac enim ratione alter alteri prodesse atque necessitatibus sublevandis inservire potest, atque hac ratione, singulis membris sibi mutuo opitulantibus, tota societas conservatur. Quamobrem ex jure societatis humanæ proficiscitur jus illud, quod socio in socium competit,

petit, quo sibi mutuo devincti verum dicere omni tempore, loco, statu, omnibus in negotiis peragendis, contractibus celebrandis, in omnibus sermonibus, colloquiis; etiamsi nihil ejus interest, cum quo agimus; ne dissimulando, mentiendo, decipiendo, fallendo, & fraudulenter agendo societatem dissolvamus atque distrahamus. Quamobrem *omnem simulationem, fraudem atque mendacium è vita tollendum*, inquit Cicero 3. *de Offic.* Licet non intersit ejus, cum quo agimus; quippe jus, quod habent in se invicem societatis membra, nullis circumscribitur cancellis: cuivis competit jus interrogandi alterum, atque etiam exigendi responsionem veram, si respondere non denegat. Huc etiam accedit, quod obligatio verum dicendi in omni sermone non ab humana conventionem vel jure hominum, ab arbitrio & voluntate originem ducente, derivanda; sed a Dei voluntate petenda, qui, uti dicere incepimus, homini loquendi facultatem dedit, ut verum diceret ac enunciaret: imo profluit hæc obligatio ex ipsa Dei essentia, cujus ad imaginem conditus homo, qui cum ipsa veritas, ita quoque ad ejus exemplar; & cujus à voluntate uti pendemus, ita veraces quoque nos esse oportet, non solum ore, sed etiam mente & animo, vid. *Comment. in Grot. de jur. bell. ac pac. lib. 3. cap. 1. §. 8, 9, 10.* ubi hanc quæstionem late tractavimus. Quoniam itaque Deus sit summum ens independens, liberrime agens omnia, nullo societatis vinculo homini alligatus, nullum cum eo commercium ipsi necessarium, nisi quatenus sese ei communicare velit, pro sua infinita.

ta erga hominem misericordia & gratia, constat, et si ironia per se esset mendacii species, tamen respectu Dei haud eo nomine appellandam, dum cum homine agere potest pro lubitu, eumque pro arbitrio alloqui, mentemque suam & decreta eo loquendi modo revelare ac manifestare, quo sibi placet; nec ad interrogationem respondere devinctus, nisi si sibi placeat de voluntate sua hominem certiores facere, eo quo velit modo: nec potest Ens perfectissimum, independens, omnipotens, quomodocumque cum homine colloquatur, aut decreta sua & voluntatem ipsi revelare & declarare velit, sive per Prophetas, sive per signa, sive per visiones, sive per somnia, sive per alia quaecumque indicia mentis, unquam hominem decipere aut fallere, quoniam quantum, & quod vult enunciat. Dum autem homini declarare mentem ac voluntatem sibi placeat, vult etiam, ut intelligat; frustra enim ipsi aperiret sua decreta atque placita, nisi quoque intelligendi facultatem haberet; adeoque illuminaret mentem, ut percipiat Dei sermones atque alloquia: cum autem mendacium sit oris enunciatio ab omni sensu & cogitatione diversa atque aliena, quænam ratio, cur alienam a mente & decreto suo Deus enunciationem proferret, qui enunciat, quod revelare atque manifestare homini sibi placeat. Præterquam, quod in casu nostro Deus non hominem alloquitur, sed secum quasi colloquitur, sibi ipse conscius mentis suæ, nec etiam hominem fugiebat status sui mutatio, & quo sensu factus Deo similis dici poterat; cujus ideam ac cognitionem Deus menti suæ imprimere poterat. Præ-

terquam quod ironia per se haud mendacii species appellari potest; quoniam mendacium est, quum volumus alterum fallere ac decipere, uti modo annotavimus, dum conamur ore atque oratione persuadere contrarium illius, quod animo agitamus, quodque in se verum est: at ironicè loquendo non conamur persuadere aut credi volumus id, quod est mentis nostræ conceptui contrarium: *Sed est*, ut inquit Lud. Capellus, *τερόπος quidam λέξις, quo fit, ut verba nostra aliud sonare prima fronte videantur, quam quod significatum volumus; ea tamen sic enunciamus, ut planum sit, quod velimus; nempe eo vocis tono & accentu atque inflexione, vel ea temporis, loci, personæ circumstantia à nobis dicuntur, ut manifestum sit mentis nostræ conceptum alium, adeoque contrarium esse ei, quod verba sonant, si simpliciter dicerentur. Id vero tantum abest, ut vel veritati vel sapientiæ atque gravitati seu majestati adverseetur, ut ista omnia contra vel maxime commendet. Sarcasmus enim & Ironia illis maxime convenit, qui jus & auctoritatem in illos habent, quos sic affantur, & quibus delicti pudor jure sic incutitur, qui finis optimus est, proptereaque nulli magis, quam Deo, qui supra omnes est, competere potest. Nec etiam bonitati atque misericordiæ sive promissioni gratiosæ, qua Deus gratiam atque favorem & beneficia illi obtulit, repugnat. Quid mirum enim, si illi, qui è mera miseratione in amicitiam receptus est, pristina stultitia objicitur; hoc non tollit amicitiam, verum fontem ad saniores mentem revocat, & in posterum cautum & providum facit, ne simili lapsu titubet*
&

& erret, qui fuit hic Dei erga Adamum animus & finis; ” Non insultat misero peccatori, quem modo consolatione erigebat, inquit Pareus, verum
 ,, do consolatione erigebat, inquit Pareus, verum
 ,, irridet tam apertam Diaboli imposturam, & levitatem hominis exaggerat; ut hujus eum magis pudeat atque poeniteat, semperque meminerit, quid sit affectare divinitatem, & non esse sua sorte contentum, & præceptum Domini violare; imo ut discat, quanta irrisione dignus sit homo tam stolide peccans. ” Nec aliud voluit Theologus facundissimus Calvinus, dum inquit: *Ironica exprobratio, qua Deus cor hominis non tantum pungere, sed penitus confodere voluit. Nec vero crudeliter misero & afflicto insultat, sed pro morbi necessitate violentius remedium adhibet. Nam etsi confusus erat Adam & attonitus sua calamitate, mali tamen causam non satis reputabat, superbiam pertasus, veram humilitatem amplecti disceret. Adde, quod non in ipsum magis, quam in posteros hac subsannatione invehit Deus, ut modestiam commendaret omnibus seculis. Estque talis Ironia ab ipso Deo sæpe us adhibita. Ita sæpe Deus egit cum Israële, Dei populo: Ite, & inelamate Deos, quos elegistis, illi salvent vos tempore angustiae vestrae. Jud. 10: 14. Stent, age, & salvent te augures caeli, qui contemplantur sidera, Esai. 47: 13. Et illusit eos Elias, & dixit, vociferate voce majore, quandoquidem Deus est, nam colloquium habet, aut in secessu est, aut iter est ei: fortasse dormit ut evigilet. 2 Reg. 18: 27.*

Haud mihi eorum Interpretum opinio arripet, quam paulo ante annotavimus, qui eo sensu

ea verba accipiunt à Deo enuntiata: *Ecce homo homo factus erat sicut unus ex nobis, cognoscens bonum & malum*: quippe ante lapsum haud boni malique cognitionem habuisse, peculiari dissertatione, *de Origine juris naturalis*, satis clare demonstratum à nobis. ” Homo ante lapsum, inquit Pare-
 „ us, non erat factus in cognitione boni & mali, quo-
 „ niam ideam mali, quatenus oppositum boni, non
 „ potuit formare, cum nullo defectu laborabat, ve-
 „ rum perfecte sanctus, justus, atque rectus crea-
 „ tus erat. ” Cognitionem boni habuit quidem,
 quatenus semetipsum cognoscebat in statu suo integritatis; verum non habebat cognitionem boni per oppositum mali, quatenus supponit defectum ejusdem integritatis, rectitudinis, atque justitiæ originalis, quam lapsu perdidit, cujusmodi defectum, dum ratione duce in se expertus fuit, perspicere potuit ex contentione status primævi cum præsentem, bonum quod amiserat, & malum quod contraxerat. Itaque ejusmodi cognitionem ante lapsum habere non potuit, cum nullo adhuc laborabat defectu, adeoque nec scientiam boni & mali ne theoreticam quidem, quam ipsi tribuit Lud. Capellus. Ejusmodi enim cognitio, quæ in mente & theoria consistit, absque experimentalis scientia, haud cadere poterat in hominem, qui ex objectis sibi oppositis unum ab altero, bonum à malo, sejungere atque discernere hactenus non potuit. Ejusmodi igitur nostro in casu, cognitio proflueret ex omniscientia, uti paulo ante demonstravimus, & proinde latius de hac materia disputare nobis non est animus. Quamobrem dicto sensu haud
 mihi

mihî videtur accipi Dei sermo sive alloquium. Verum cum hanc quæstionem late tractavimus dicta Dissertatione nostra, ad eam Lectorem remittimus.

Deus autem, cui tam futura, quam præsentia, ^{Quare} nota sunt, prævidens hominis temeritatem & audaciam, ne peccatum peccato cumlaret, comedendo de arbore vitæ eo animo, ut sententiam mortis evitaret, & vel invito Deo in æternum viveret, opinionis errore sibi persuadens vitam quam maxime longam efficiendi, imo in æternum prorogandi, facultatem, esuistius arboris acquirendam, dum nulla sibi recuperandæ vitæ, nisi in Christo spes reliqua erat, omnem peccandi occasionem ei præcidens, adeoque de arbore vitæ quoque facultatem comedendi eripiens, emisit eum ex horto Eden. *Sciebat Deus, inquit Pareus, quid esset consecuturum, homine ibi relicto; ideo tollit antecedens, ut tollatur consequens.* Quamobrem: *Et nunc ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de arbore vitæ, & comedat & vivat in seculum. Et misit eum Jehova Deus ex horto Eden ad colendam terram, ex qua sumtus erat.* Non ambigendum, quin vox illa prior sit Jehovæ Dei hætenus locuti apud se sermo de Adamo, Evam sub se tanquam sexu digniore & capite uxoris comprehendente & adstante atque audiente eum, non tanquam pars sententiæ, ut nonnulli opinantur, quam mox exsequi Deus, justitiæ acerrimus vindex, paratus erat, è paradiso hominem in exilium mittendo; verum tanquam decreti divini in hominem peccatorem exsequendi declaratio, sive exilii denunciatio. Ellipticam esse orationem plerique

que Interpretes judicant: quamobrem suppleverunt Tigurini *periculum est*, vel cum Tremellio & Junio supplevit Piscator, *nunc igitur videndum, seu cavendum*, sicut infra Cap. 10: 4. & 42: 4. Job. 1: 5. *Simplicius*, inquit Pareus, *videtur subaudiri id, quod mox Deus fecit: emittendus est homo ex paradiso: sic erit in hoc membro exilii decretum & ratio, cur in paradiso diutius ferri homo non possit. Nam hæc sententiæ pars adhuc desiderabatur, a qua ordianda erat executio. Ac licet non exprimatur, intelligitur tamen ex facto. Sequitur enim: Ejecit igitur hominem. Quod autem homini fecit in poenam, haud dubie prius se facturum dixit, aut dictum intelligi voluit. Rationem, cur eliminandus homo è paradiso, perspicimus ex verbis præcedentibus sententiæ executionem, scil. *ne mitteret manum suam, & sumeret de arbore vitæ & comederet. Esse autem orationem abruptam, quasi judicis ad executionem festinantis, notare particulam statuit וְנִיחַ & nunc. Quasi dicat, quid multis opus est? Migrandum est homini: facessat hinc ocius, ne forte quid gravius hic delinquat: neque esse Ironiam, ut prius, sed seriam orationem, qua decretum suum Deus de hac parte aperit. Alii vero Interpretes non à vero aberrare mihi videntur, qui statuunt, hæc verba præcedentis Ironiæ esse continuationem; quod satis mihi indicare videntur verba, *ne vivat in æternum*, scilicet, ne esu istius arboris immortalitatem consequatur, atque hac ratione mihi quoque similis fieret: quippe cognitione boni & mali jam imbutus, adeoque mihi similis factus quoad omnem*
 scien-*

scientiam & sapientiam, cavendum, ne degustando de arbore vitæ beatam immortalitatem consequatur, atque hoc quoque respectu mihi rursus fiat similis. Quamobrem hæc verba non respiciunt rei ipsius eventum, quasi esu istius arboris immortalis homo fieret; sed stultam hominis cogitationem, qui ex ejus ligni usu sibi polliceri potuisset immortalitatem: expositus enim erat serpentis insidiis atque cailliditati & astutiæ, qua inductus de arbore scientiæ boni & mali comedisset, cujus esu sibi omnium rerum scientiam atque cognitionem absolutissimam comparare tentasset, ne eadem ergo facilitate atque temeritate forte iterum consilio serpentis aures præbens de arbore vitæ degustando immortalitatem consequi sibi persuaderet, è paradiso eliminandus erat. Adeoque hæc verba accipienda, uti proxime præcedentia: *Ecce homo factus est*, ut sit continuatio redargutionis Ironiciæ. Nam quemadmodum Adam non erat factus similis Deo, sciens bonum & malum, absque experimentalis cognitione, quæ ex defectu proficiscitur, uti paulo ante annotavimus, & proinde à creatore Deo, Ente perfectissimo, cujus ad imaginem conditus longissime recesserat: ita non erat futurum vere, ut habita facultate utendi ligno vitæ, viveret in æternum, quamobrem ejiciendus paradiso, & ab esu arboris arcendus, ne stulte sibi ex ejus ligni usu promitteret immortalitatem, ut inquit Rivetus. Non me fugit, quosdam existimare, si Adam, postquam sese peccato contaminasset, fructum hujus arboris degustandi facultatem nactus fuisset, vitam cum morte haud commutaturum fuisse,

isse, sive æternitatis appellatione intelligamus longissimum tempus, sive durationem nullis terminis circumscriptam: & proinde in hac præcautione Deum usum fuisse misericordia, dum per mortis accelerationem hominem voluerit liberare tot molestiis & miseriis, quibus peccati jam reus factus obnoxius erat; quamobrem vitæ prorogatio potius supplicium, mors vero solatium fuisset, dum per eam eximeretur tot molestiis, quibuscum in perpetuum ipsi conflictandum. " Ne ergo ex arbore vitali postea, cognita sumat, & juxta vim fructus arboris sit æternum superstes: è paradiso oportet ablegari. Quam benignus Deus, quam misericorditer Adamo consuluit, ne miser futurus à miseria æternum teneretur, inquit Munnos D'Escobar *comment. ad h. l.* " Eorum autem, qui hanc opinionem tuentur, alii existimant, fructum hujus arboris ea vi ac virtute naturali præditum fuisse, ut aliibi in dissertatione præcedenti annotavimus, ut ejus esu ac usu frequenti vires, valetudinem, & vigorem corporis, calorem & radicale humidum conservare ac refocillare, stabilire, & ad senium ac vergentem ætatem innovare, atque ita vitam, si non in perpetuum, saltem ad longissimam annorum seriem, continuare homines potuissent. Alii statuunt, arboris vitæ habuisse vim, semel percepto ejus fructu, vitam hominis perpetuandi, atque ita mori impossibile futurum fuisse Adamum, nisi prohibitus fuisset, ab illius arboris esu. Alii autem, qui arbori vitæ eandem vim adscribunt, scilicet ejus fructum fuisse tutissimum adversus vim mortis medicamen, statuunt,

unt; hanc Dei cautionem non ex divina erga hominem misericordia, verum iustitia attribuitur. & vindicativa, pœnam peccatori secundum peccati admissi gravitatem irrogante, profectam, & proinde Deum præcavisse, ne Adamus peccati reus, comedendo ex arbore vitæ, viveret in æternum. Morti enim addictus, spoliandus etiam erat arbore vitæ, ne comedendo ex ea vitam recuperaret, atque hac ratione sententiam Dei eluderet. Unde sequeretur, fructui hanc vim inditam à Deo naturalem fuisse, uti cæteris fructibus atque arboribus herbisque peculiare inditæ virtutes naturales, quæ secundum naturam suam & indolem innatam ab homine comessæ, & in succum & sanguinem redactæ, ad vitam tuendam, & corporis vigorem conservandum creatæ & à Deo destinatæ sunt. Merito igitur præcavere Deo placuit, ne fructum hujus arboris degustaret post lapsum homo, atque hac ratione sententiam mortis eluderet. Verum si fructus hujus arboris peculiari vi præditus fuisset, ut ejus usu ac esu frequenti vires ac valetudinem & corporis vigorem, atque ita vitam vividam semper ac florentem, si non in perpetuum, saltem ad multa annorum millia prorogare potuisset homo, quorsum tot arbores, tot diversi generis fructus atque herbæ, tum etiam volucres cœli, tum bestię terræ, & pisces maris in cibum homini dati, si unica illa arbor vitæ tuendæ sufficere potuisset? Quorsum enim tot ciborum genera, tantaque alimentorum ubertas atque diversitas, si vi & efficacia illius arboris vita prorogari, & corpus stabili sanitate & perpetua soliditate firmari potuisset? Nullum enim aliud in fi-

nem alimenta homini data, quam ad vitam tuendam, corpusque refocillandum atque conservandum. Quicquid enim à Deo productum, ad certum finem productum est, adeo ut nihil creatum, atque homini in cibum concessum datumque sit, quod non aliquid conferre possit ad alendum, fovendum, conservandumque corpus: uti enim tot diversis partibus, tot membris compositum atque fabricatum, ut ita dicam; ita quoque diversa ciborum genera, secundum varias eorundem qualitates & virtutes ipsis innatas atque inditas, omnibus partibus, prout cuiusque natura & indoles efflagitat, alimenta præbent, adeo ut reliqui cibi haud frustra Adamo dati, nec ab eo usurpati fuerint. Quod si dicamus arborem vitæ habuisse vim medicam adversus vim mortis, omnis generis morbos atque imbecillitates, quibus corpus obnoxium, & proinde ab ejus usu & esu Deum hominem repellere atque arcere voluisse, ne comedendo de ejus fructu, mortis sententiam eluderet, vel ultra vitæ terminos Adamo præscriptos à Deo vivendi tempus protrahendi facultatem nactus, obstinatus adversus Deum sibi plauderet, quasi instructus adhuc mediis ad vitam conservandam necessariis, quicquid Deus comminatus fuisset: Sane ejusmodi arboris usus haud multum prodesse potuisset homini in statu integritatis, in quo, quamdiu vitam transegisset, nullis morbis, nullisque naturæ humanæ imbecillitatibus fuisset obnoxius. Quamobrem non aliam vim atque efficaciam hanc arborem habuisse dicendum mihi videtur, quam ceteræ arbores atque herbæ homini in cibum datæ, quibus vitam tu-

eretur;

eretur, adeoque non magis verendum, ut inde sumens sibi alimenta in æternum viveret, quam comedendo de arbore scientiæ boni & mali Deo æqualis evaderet, cognoscens bonum & malum, id est, Dei instar, qui solus omniscius est, omnia sciret. Quamobrem egregie falli mihi videntur, qui, uti modo annotavimus, statuunt, Adamum ex unica fructus illius prægustatione, immortalitatem perpetuam consecuturum fuisse, invito Deo, ut ita dicam, vel saltem ad aliquot annorum millia vitam prorogaturum; quod haud consequi potuisset ex esu atque usu hujus fructus; quippe etiamsi ejusmodi vis fuisset arbori naturalis, non tamen inde sequeretur, hominem ex esu fructus arboris vivificæ, immortalitatem consecuturum post lapsum, cum illa vis arbori insita in corpore jam male constituto non eundem effectum produxisset, uti antea peccatum admissum; multo minus, si aliunde ejusmodi vis arbori vivificæ advenisset, adeoque non ipsi innata atque indita, haud potuisset illa fructui illius arboris instillari vel cum ipso communicari, quam ab eodem illo auctore, qui universi mundi machinam, omnesque creaturas produxit atque formavit, utque singulis suas qualitates virtutesque, & pro suo beneplacito iniecit. Quamobrem non opus fuisset, ut hac præcautione Deus uteretur, ejiciendo hominem à paradiso, ne de fructu arboris vivificæ comederet, atque hoc remedio se contra vim mortis præmuniendo, sententiam in se latam eluderet. Cur autem Deus præcaveret id, cujus eventus à liberrima sua unice dependet voluntate? Nec magis ejusmodi præ-

præcautione opus fuisset, si propter vim naturalem arbori ejusque fructibus innatam ex esu atque usu istius fructus homo immortalitatem sibi comparare potuisset; quippe, quemadmodum Deus ejusmodi vim arbori inseverat, ita quoque eandem ipsi auferre poterat atque efficere, ne post peccatum eundem in homine produceret effectum. Præterquam, quod uti hoc tempore vitæ diuturnitas non ab alimentis tantum pendet, sed à corporis etiam constitutione, quæ si mala sit, quæ magis nutriunt alimenta, sunt nocitiva: sic etiam in primo illo statu, quo hominis constitutio fuit perfectissima, quæ præsertim pendebat ex bona animi constitutione, id est, justitia, etsi fructus arboris vitæ summæ fuisset efficacæ, bona tamen corporis qualitate per peccatum deperdita, homini haud contulisset immortalitatem, vel vitæ prorogationem supra eam mensuram, quæ Adamo concessa fuit post lapsum, uti inquit Rivetus. Itaque sive statuamus, vim illam arbori fuisse naturalem, sive supernaturalem, nullum periculum fuisset, etsi homo degustasset fructum arboris vivificæ ad sententiam divinam eludendam: quamobrem vis illa, quæ arbori vitæ insita atque innata, uti aliarum herbarum atque arborum, fuit duntaxat naturalis, eum in finem ipsis insita, ut homo inde sibi alimenta sumeret ad nutriendum & alendum atque refocillandum corpus; adeoque ad vires vigoremque corporis conservandum, donec in terra degeret. Quod si ad vitam prorogandam fructus esus atque usus aliquid conferre potuisset, ob vim ipsi fructui inditam, ejusmodi vim non tam ipsi naturalem, quam quidem,

dem supernaturalem fuisse, statuendum nobis videtur; modò Deo placuisset ejusmodi vim in statu integritatis cum fructu arboris communicare eique tribuere; uti pani subcinericio Eliæ cœlitus administrato ejusmodi vim indere Deo placuit, ut eo comesto cibo, Propheta alio non indigeret per quadraginta dies, donec pervenit ad montem Dei Horeb, illicque mansit, & rediit; adeoque vis illa non ei cibo per creationem ipsam concessa erat, sed singulari divinæ potentæ efficacia superaddita, ut ita dicam. Idem dicendum de oleo illius viduæ Elisæ, cum in fictilibus vasis farina & oleum, deficientes, reficerent nec deficerent. Quamobrem quod lignum vitæ talem habuisset effectum, illud non profectum fuisset ex conditione naturæ, sed ex beneficio & gratia conditoris hujus universi; cujusmodi gratia cum sese plane indignum reddiderat homo ob admissum peccatum, non ambigendum, quin ejusmodi virtus supernaturalis non adfuisset arbori, adeoque nec hanc ob rationem paradiso ejiciendus, ne de fructu arboris vivificæ comedendo mortis pœnam irritam redderet. Lata enim divino orè in hominem mortis sententia *Gen. 2.* suum debebat effectum sortiri: *Stipendium enim peccati mors, Rom. 6.* Quamobrem postquam homo peccasset, necessarium fuit ipsum mori, corpusque in cineres dissolvi. Quam sententiam nulla virtus creata poterat infirmare, adeoque nec comedendo de fructu vitæ mortem evitare potuisset, vel etiam vitam prorogare ultra metam, Dei decreto immutabili homini positam. Imo cum omnis mutationis expers Deus, pœnam mortis ex ju-

Y y

stitia

stitia Dei, qui peccatum haud impunitum, salva sanctitate sua, relinquere potuit, proficiscentem necessario subire homo erat devinctus. Quamobrem si homo post peccatum de ligno illo comedisset, corpus ejus nihilominus dissolvi esset necesse: quia pro summa erga genus humanum sua misericordia aliam vitam recuperandi rationem ab æterno decreverat Jehovah, qua scimus & justitiæ divinæ satisfaciendum, & hominem peccatorem in vitam restituendum: esu enim arboris vitam haud recuperare poterat; ” Quia, „ uti inquit Pareus, justitia & veritas Dei non fe- „ rebant, ut homo peccator restitueretur in vitam „ absque satisfactione pro culpa admissa. Admisso „ enim peccato, oportebat hominem mori, ut im- „ pleretur dictum, *morte morieris*; nec poterat fieri „ expiatio culpæ absque morte peccantis; quoni- „ am sine sanguinis effusione nulla fit remissio. ”

Libera-
tio ho-
minis à
domina-
tione te-
nebra-
rum
Princi-
pis.

Promiserat Deus homini lapsò in solatium semen mulieris caput serpentis contritutum, id est, hominem liberaturum ab importuna dominatione tenebrarum Principis, atque ab æterna morte vindicaturum, & viam ad vitam cælestem æternamque recuperandam aperiturum omnibus promissioni fidem habentibus. Ex hoc enim semine aliquando nasciturus Sospitator ac Salvator mundi, generis humani redemptor Christus, qui vitam suam profunderet pro fidelibus atque electis, & pretiosi sanguinis sui effusione redimeret atque vindicaret hominem peccatorem ab æterna morte, vitamque æternam repararet omnibus viventibus in eum credituris; qua ratione, salva justitia & sanctitate divina, non esu arboris vivificæ,
verum

verum per fidem in Christum, qui in se suscipiendo satisfactionem pro nostris peccatis ad vitam æternam recuperandam aditum nobis aperiret, cum Deus Filii satisfactionem pro incredibili sua erga hominem peccatorem misericordia ipsi imputando, cum eo iterum reconciliatus vitæ æternæ faceret eum participem atque hæredem. Hanc viam restituendi hominis, & non aliam, decreverat ante jacta mundi fundamenta Deus; adeoque nulla vitæ æternæ consequendæ post lapsum, homini, æternæ morti mancipato, potuit esse spes reliqua: quamobrem testatur Apostolus, *vitam nostram in Christo esse reconditam, Coloss. 3: 3. Adeoque in Christo ordinati sumus ad vitam æternam voluntate & gratia Dei, in quo mundum etiam sibi reconciliavit, 2 Cor. 5: 19.* Ille est vera illa arbor vitæ, cujus typus fuit arbor in paradiso collocata, quæ vim habet insitam ingenerandi cum fide gustantibus immortalitatem.

Itaque, ut paucis dicam, Arbor vitæ dicta mihi videtur, non ob naturalem ipsi vim insitam conferendi de ea gustantibus immortalitatem, adeoque si ve peccasset homo, sive non, per esum fructus hujus arboris in vita conservandus non erat, & propterea post lapsum Deus hominem è paradiso ejicere non voluit, ne forte haberet occasionem mittendi manum suam, & sumendi etiam de arbore vitæ, & comedendo ejus fructum viveret in æternum, vel supra mensuram, quæ Adamo concessa fuit, vitam prorogaret: verum sic dicta est phrasi sacramentali, quia erat typus futuræ immortalitatis, quam homo consecutus fuisset, si perseverasset in integritate: at-

Quare
Arbor
vitæ di-
ctæ?

que adeo symbolum seu sacramentum Adamo, quod vita, quam ex Dei gratia obtinebat, continuanda esset ei, & in vitam meliorem, cœlestem scilicet & æternam, aliquando commutanda, cum quadam quidem ejus transmutatione, sed tamen citra mortem, si ille in obedientia Dei perstaret. De ea vero ne post lapsum comederet, victurus in æternum, scil. cogitans se immortalitatem esu istius fructus consecuturum; e paradiso ejicitur. *Non est ergo loci sensus, timuisse Deum, ne prægustata vitæ arbore, in multa tempora vitam prorogasset, vel in æternum vixisset; nam si omnes ejus arboris fructus devorasset, non putandum est eum post acceptam mortis sententiam fuisse vitam protrahiturum ultra naturaliter sibi constitutos dies. Neque hoc dicitur, quasi immortalitatem aut longiorem vitam Deus homini invideret: Sed quod, qui vitam peccando amiserat, & re se privaverat, signo esset privandus, vel cui longior vita denegabatur, non abuteretur signo immortalitatis, uti differit Rivetus. Videtis quæ de arbore vitæ disputavimus Dissert. 2. de orig. mundi, ad quam Lectorem remittimus. Ratio itaque, cur Deo placuit hominem è paradiso ejiciendo facultatem ei eripere, ne comederet de arbore vitæ, cum Dei misericordiæ atque bonitati & gratiæ erga hominem peccatorem, tum etiam justitiæ attribuenda. Beneficium atque misericordiæ sese prodit in eo, quod hac ratione Deus hominem labilem a majori & graviori peccato avocare atque præservare voluerit; quale secutum fuisset, si homo, ulterius forsan a Satana & carne tentatus, fumeret invito Deo de arbore*

re.

re vitæ, erroneè sibi persuadens, se invito Deo victurum in seculum, ut supra annotavimus. Justitia vero efflagitabat, quod eum ex horto ejecit: haud æquum enim vel justum erat, ut, quandoquidem legi sibi datæ de non comedendo ex arbore scientiæ boni & mali non obtemperasset, post admis- sum peccatum diutius felicitate frueretur, quæ obedientiæ præstitæ merces atque præmium fuisset: neque etiam tantæ felicitatis atque beatitudinis usura ei concessa erat, nisi quatenus & quamdiu vitæ agendæ rationem ad Dei sanctissimam voluntatem, tanquam normam & regulam agendorum, composuisset. *Ejectio*, inquit Pareus, *fuit pars pænæ peccati, quo privari possessione amœnissimi horti erat meritus. Per peccatum enim indignum se reddiderat habitatione amœni horti, in quo fuerat collocatus; nihil justius igitur erat, quam ut mitteretur in illam terræ partem, ex qua primum desumptus fuerat, & rediret ad locum originis suæ.* Eamque ejectionem describit Moses, dum inquit: *Et emisit eum Dominus Deus de horto Eden ad colendam terram illam, ex qua desumptus erat.* Modò annotavimus, dimissionem sive expulsionem hominis ex paradiso partim ex misericordia & gratia, partim ex justitia procedere: hac enim ratione placuit Deo hominem, quem pro infinita sua erga eum benevolentia in gratiam receperat, præservare, ne iterum tentatus a serpente, cujus insidiis expositus, in novam peccandi occasionem incideret: Justitiam vero efflagitasse, ne amœnissimi horti diutius maneret incola, qui ob admis- sum peccatum Dei Creatoris sui gratia atque bene-

volentia omnino sese indignum reddiderat. Videtur Moses in describenda expulsionem hominis è paradiso satis demonstrasse, divinæ essentia hæc duo attributa causam fuisse, cur eum possessione domicilii tam sancti, tamque amœni privari oportuerit, dum non emisisset, verum eiecisset Deum hominem peccatorem ex paradiso perhibet. Dimisit è paradiso, ne forte in eo manens, vana spe ductus recuperandæ vitæ per esum fructus arboris vivificæ, de eo comederet, atque hac ratione contra Dei voluntatem mortem effugere præsumeret, atque ita gravius peccandi occasionem haberet. Ejecit, quia justitiæ conveniebat, eum privari possessione ejus domicilii, quod homini, vitæ integro scelerisque puro, Dei imagine ornato, duntaxat concessum erat. Non ab omni verisimilitudine alienum nobis videtur, si dicamus, Deum post pronunciatam tum in serpente, tum in hominem peccatorem, adstantibus reis, sententiam, & quidem in medio paradisi, ubi steteret cum arbor vitæ, tum arbor scientiæ boni & mali, scilicet in loco admissi criminis & perpetrati delicti, hominem, ne adspectu arboris vitæ iterum, instigante serpente, alliceretur ad comedendum de ejus fructu, ut mortis pœnam evitaret, ab eo loco discedere, & alio migrare, atque consistere jussisset Protoplastos, donec pellibus vestiti amœnissimum hoc suum domicilium relinquerent inviti. Quippe alibi annotavimus, non statim, postquam sententiam audivissent, è paradiso ejectos; verum temporis aliquod intervallum intercessisse inter sententiam jam dictam, & ejectionem: cum non verisimile videatur,

tur, Deum voluisse homines, quibuscum jam fœdus gratiæ iniverat, nudos ejicere; sed prius eos vestiit, ut adversus cœli injurias & aëris intemperiem tectum esset corpus, tot imbecillitatibus per peccatum obnoxium factum. *Dimisit*, scilicet, discedere jussit Deus criminis reos ab eo loco, ad quem citaverat, ut sese tanquam coram tribunali supremi Judicis sisterent, & sententiam in se latam audirent: eaque pronunciata, ad alium sibi destinatum locum migrarent, ob rationem modò descriptam. Ejusmodi dimissio jam instantis exilii, sive ejectionis initium: quippe non ambigendum, quin, uti istæ arbores reliquis longè præstantiores, ita quoque locus iste, in quo collocatæ sive consitæ, totius paradisi fuerit aspectu amœnissimus & jucundissimus: quamobrem quoque, quam primum in paradysum introductus homo, quasi Dei manu ductus ad illum videtur locum, ubi arbores istæ consitæ, tanquam ad locum horti præ cæteris amœnitate præstantiorem & digniorem; ut eo magis perspiceret homo summam creatoris sui erga se benevolentiam & gratiam, suamque felicitatem atque beatitudinem admiraretur. Procul dubio non absque animi dolore atque ægritudine inviti ex hoc migrarunt loco; interim tamen dolorem levare poterant, quod non totius paradisi extorres facti; emisisse quidem, id est Deum præcipisse, ut migrarent, ut discederent ab illo loco, ubi morari soliti, instantis sive futuri exilii haud sibi conscii: illud enim sententiæ, ut paulo ante notavimus, pars non erat; licet etiam pars pœnæ, quatenus divina justitia vindicativa non poterat permittere,

tere, ut ille, qui interdictum divinum transgressus fuerat, felicitate & beatitudine, hortique amoenissimi possessione frueretur, quæ homini duntaxat competebat atque concessa fuerat, quam diu se Deo obsequentem præbuisset. Pro sua itaque benevolentia erga hominem afflictum, & dolore atque animi angore ob pœnam mortis sibi impositam depressum, emisit, sive migrandum edixit Deus ex horto, sive loco Paradisi, ubi sententiam in se latam audiverat, deinceps in exilium mittendus & ejiciendus è paradiso. Utitur hoc verbo Moses, ad denotandam placidam dimissionem. *Pro sua igitur φιλανθρωπία Deus placide egit cum homine misero, etiam in ira sua,* inquit Pareus: Deinde dicit: *Et ejecit eum* שָׁרַח *vajegaresch*, duriore verbo. Non idem bis dicit, sed notat diversos actus in hominis exclusione. Prius exundum seu migrandum hominem jussit: hoc intelligo per שָׁרַח *emisit eum*, hoc est, dedit ei missionem seu ablegavit eum: ubi ventum erat ad portam, exclusit eum: quod sequenti verbo שָׁרַח significatur. Verum diversi actus in exclusione hominis vix locum habere possunt, nisi simul statuamus, dimissionem præcessisse ejectionem; scilicet, non uno eodemque tempore & dimissum & ejectum; dimissio præcessit ejectionem, ejectionem secuta exclusio. Non eadem emittendi sive dimittendi & ejiciendi ratio. Dimittitur, ne peccatum peccato cumularet. Ejicitur, ut transgressionis pœnam luat. Dimissio ex gratia & affectu paterno proficiscitur. Ejectio ex justitia Dei vindicativa dimanat. Dimittit eum igitur, ut dicere incepimus, id est, discedere præcipit

cipit Deus ex loco delicti admissi, ubi arbor vitæ collocata, ne proinde extendat quoque æque temere manum suam, & sumat de arbore vitæ, & sic iterum novo sese peccato contaminet. Placidè itaque egit cum homine Deus, quod dimisit eum, ut peccandi occasionem ipsi præcideret. Dimissionem excipit ejectione sive exclusio pœnalis, dum forte aliquo temporis intervallo alio fuisset moratus loco, donec vestitus, Paradiso protinus egredi, atque tam jucundum & amœnum domicilium relinquere jussit Deus; cujusmodi mandatum haud sine dolore & animi ægitudine exaudivisse facile suspicari possumus, atque statim animum subiisse peccati admissi hanc esse sequelam, & divinæ illibatæ justitiæ effectum; adeoque suam agnovisse culpam, Dei justitiam adorasse: ægre quidem procul dubio, multisque suspiriis emigrarunt ambo; ducente tamen Deo, quomodo miseri homunciones, peccati conscientia convicti, obstreperent. Nec ambigendum, quin doloris sensu maxime perciti fuerint, cum vix egressi Paradiso, omnem sibi ad illum aditum Deum præclusisse animadverterent; adeoque sibi pœnalem hanc esse ejectionem facile perspiciebant, dum hac ratione amœnissimi horti possessione, in quo huc usque beatè atque tranquilliter vitam duxissent, privarentur. Cujusmodi privatio supponit delictum ejus, qui hoc commodo privatur, quod haud impunitum salva Dei justitia relinqui poterat, & proinde exilium sive ejectionem Protoplastorum recte pœnalem dicimus, proficiscentem ex justitia Dei vindicativa: uti emissio è loco delicti proveniebat ex

gratia & affectu paterno, quatenus hac ratione homo removebatur a conspectu ejus arboris, cujus esu forte, quo propius arbori adfuisset, eo magis vana & fallaci spe ductus vitam recuperare tentasset. Vana, & omni ratione destituta est quorundam conjectura, qui emissionem hanc Adami per Angelum factam putant, qui eum vel manu eduxit, uti Raphaël Tobiam, vel abripuit, uti rapuit Habacuc ex Judæa in Babylonem, ut ferret prandium Danieli. Forte videri possit subtilius, quod de utriusque verbi significatione, qua ejectionem Adami è Paradiso exprimit Moses, disputant: referentes verbum *emittere* ad placidam educationem Adami usque ad januam horti, quasi Deus manu velutiprehendisset Adamum & Evam, eosque sic prehenso leniter deduxisset ad portam usque, ibique expulisset viliqua, qua uti necessum erat, dum ad portam ducti, ibique persistentes exire atque emigrare recuserint vel detrectaverint. Ex quibus tamen perspicimus, quod paulo ante notavimus, vocem *emittere* ad Dei gratiam & benevolentiam, *ejicere* ad justitiam referendam. Emissio beneficium divinæ gratiæ: Exclusio sive ejectio pro effectu justitiæ ultricis habenda est. Quod tamen non impedit, quo minus ejusmodi castigatio & poenalis ejectio eatenus quoque pro beneficio habenda, quatenus illa hominem edocuit, etiam in ira sua homini parcere voluisse Deum, utpote qui, si poenas, quas meritus erat pati, dedisset, longe severius tractari potuisset: tum etiam in semetipsum oculos convertens, & status sui mutationem perspicuens, actuali ex Paradiso expulsi-

expulsione orbatus atque privatus tam amœno domicilio, quod cœlestis gratiæ symbolum erat, & vitæ & felicitatis. Quid inde concludere poterat aliud, quam quod ejectus è Paradiso, abjectus quoque à Deo. Et proinde vitæ æternæ recuperandæ nullam sibi spem reliquam, nisi in semine promisso, in quo omnem fiduciam suam reponere necessum perspiciebat, si aliquando cœlestis gratiæ fieret participes. Adeoque exilium ipsum quamvis durum atque homini pœnale, attamen propter hominis salutem necessarium erat, ut præsens conditio, in qua collocatus, ipsum admoneret de peccato admisso, quod causa erat, cur miser in æternum permaneret, nisi fieret reconciliatio interventu Messiæ, adeoque ad felicitatem amissam, Christo Mediatore requirendam, ipsa necessitate adigebatur. Ipsum itaque exilium, licet justitiæ ultricis effectus, homini tamen bonum atque utile futurum, eventus docuit. Exire itaque & exulare jubetur invitus. Qui ex Dei conspectu fugerat sponte. „ Qui noluit præsentia Dei, beatitudine non meruit frui, eum „ præsentia divinæ ac beatitudinis humanæ locum „ obtinere non oportebat, ” ut inquit Robbinson *Annal. mundi lib. I. §. 59.*

Ejectionem vero aliud adhuc incommodum excipit, scilicet, laboriosa & molesta terræ cultura. E-
Ejectionis ex Paradiso incommoda.
dixerat enim Jehovach Deus, *quod in sudore vultus sui panem comederet.* Damnatus itaque erat ad labores, & terræ difficilem culturam, ad eam nunc relegatur; quamobrem ejicitur Paradiso ad colendam terram, ex qua sumptus erat; aliunde enim natus sive formatus, & in Paradisum translatus erat, ut alibi

annotavimus. Ad illam itaque terram, unde sumptus erat, relegatus, ut eam operaretur. Quod non ita intelligendum, quasi præcise ad locum natalem, ubi primo a terra quasi matre in lucem editus; verum de terra extra Paradisum, ubicunque fuerit, interpretamur. Universa terra post lapsum erat à Deo maledicta, ita ut ad quamcunque mundi plagam relegaretur, ejus cultura foret homini molesta & difficilis. Prius in horto ad eum colendum & custodiendum collocatum fuisse tradidit Moses. Verum, uti alibi annotavimus, horti cultura fuisset sine molesto labore, sudore & defatigatione, adeoque cum voluptate & animi recreatione conjuncta; imo uti de aurea ætate finxerunt Poëtæ, sponte sua Paradisus profusus erat immensas opes frugum & deliciarum, absque molestia hominis, propter largissimam abundantissimamque in hortum illum amœnissimum benedictionem. Quidam indagare susceperunt, quamdiu vetustissimi mortalium in Paradiso fuerint, antequam ejecti sive expulsi? Nonnulli statuunt eodem die, quo Adamus peccavit, Paradiso ejectum esse; adeo ut in eo commorandi tempus admodum angusto circumscribant termino; atque tam accurate omnia, quae eo die gesta sunt, describunt, quasi suis oculis vidissent. Mane conditum hominem putant, hora tertia tentatum, sexta lapsum, nona citatum a Deo, ad vesperam ejectum. Placuit ea sententia Irenæo *lib. 5. cap. 23. adversus hæreses*, quem sequuntur Cyrillus & Epiphanius; uti quoque eam amplectitur Moses Barcephas, aliique multi ex veteribus. Et ne Sacrae

Scriptu-

Scripturae auctoritate destituta videretur haec sententia, existimant, id perspicue significari verbis illis, quae serpens Evae dixit: *Cur praecepit vobis Deus, ut non comederitis ex omni ligno Paradisi*; id est, ut ex nullo ligno Paradisi comederitis. Ex quibus verbis colligunt, Adamum & Evam nihil usque ad id temporis, quo serpens hoc dixit, comedisse; quoniam non verisimile videtur, si serpens, eos ante vidisset comedisse de fructu alicujus arboris, illud dixisset; unde sequitur statim atque in Paradiso collocati sunt, tentatos atque lapsos esse, & proinde è Paradiso ejectos: quippe si multo ante conditi & in Paradiso versati essent, nequaquam potuissent tamdiu famem absque cibo, atque ita vitam tolerare. Præterquam quod non credibile videtur, diu cunctatum fuisse Satanam, aut continere se potuisse tamdiu, flagrantem invidia, quin primo statim hominem invaderet, suisque dolis atque fallacis eum tentaret atque seduceret. Multo enim facilis primi homines decipi potuerunt in ipso exordio, quam si longiore tempore in Paradiso fuissent comorati. Quippe, uti disputant, qui hanc tuentur opinionem, si diutius apud animum suum meditando expendisset Adamus legem sibi a Deo imperatam, procul dubio cautior factus, minime lapsus fuisset: verum quia exiguum illic spatium temporis egit, facilius potuit ejus animus, scilicet in illis primordiis incautus, atque improvidus ad malum inclinari.

„ Præterea, uti inquit Robinsonius, duo sunt,
 „ quæ moram non ferebant, è quibus neutrum est
 „ factum in Paradiso. Liberis procreandis ope-

„ ram nondum Adamus ante lapsum dederat. *Gen.*
 „ 4: 1. Quamvis divina benedictione jam pridem
 „ instructus. Si enim dedisset à parentibus integris
 „ sine peccato Cainus fuisset conceptus. Nec de
 „ arbore vitæ gustaverant, quamquam unus omni-
 „ um is fructus erat, maxime optabilis. Horum
 „ ab alterutro cur multis horis abstinerent, causam sa-
 „ tis idoneam nemo finxerit.” Quare existimat vir
 doctus diu in Paradiso Protoplastos non commora-
 tos fuisse. Denique sexto die fuisse lapsum, Judæi
 omnes tradunt. Nec multum difficultatis habere
 putat, quod tot res uno die peragi debuissent: si
 quis per horas dispertiat, inquit, satis commode
 temporibus divisa, non negabit omnia: cui etiam ad-
 dit, ut conjectura sua majorem præ se ferret verita-
 tis speciem, quod Adam in honore ac dignitate non
 pernoctaverit, secundum *Psal. 49: 12, & 13.*
Neque tamen homo, qui in honore est, commoraturus
est, similis fit jumentis quæ intereunt. Sunt enim
 qui Ebraicè legunt לֹא יָלִין לוֹ *lojalin*, non pernoctabit,
 vel, non permanebit. R. Salomo Adamum in fine
 diei creationis suæ lapsum esse, colligit inde, quod
 Adam in splendore non pernoctaverit. Atque om-
 nes fere Judæi veteres accipiunt Psaltem de pri-
 mo parente nostro, uti notat Hacspan, eumque
 cum Mose sic conferunt, ut per gloriam intelligatur
 imago Dei. Splendor enim atque honor primi ho-
 minis consistebat in imagine Dei, qua ornatus erat
 recens conditus; adeoque cum dicitur, *in honore*,
 sive, *splendore non pernoctasse*, significat, statim at-
 que conditus splendorem sive honorem amisisse, seu
 lapsum

lapsus esse, & proinde non pernoctasse in Paradiso, sed immediate post lapsum, scilicet eodem die quo conditus est, eiectum. Unde Augustinus *ad h. l.* Quid est, *in honore positus?* R. factus ad imaginem & similitudinem Dei homo prælatus est jumentis. Sic etiam aliqui Romanam religionem profitentes ad imaginis primævæ conditionem hoc referunt. Verum Rivetus & alii viri docti negant, Psaltem hic agere de statu hominis primo ante lapsum, sed de statu & conditione hominis in hac mortali & ærumnosa vita: opibus enim per fas & nefas colligendis plerique dant operam, atque interim animæ suæ salutem negligunt: de talibus hominibus, qui sunt in pretio apud homines, nec tamen sunt intelligentes, id est, non sapiunt ea quæ sunt Dei, ait, similes fieri eos bestiis. *Honor* hic significat opum celebritatisque affluentiam ac splendorem, vid. *Esth. cap. 1: 4. cap. 6: 3.* In eo splendore atque opulentia & dignitate non permanebit, non pernoctabit, licet per diem quasi vitæ suæ ipsi concessum fuerit commorari in splendido palatio, mox tamen mortis aliud ipsi ostendet domicilium, non poterit pernoctare in pristino splendore, sed terribiles ipsi fugiendæ erunt umbræ. Verbum *לילה*, est *pernoctare, noctu alicubi commorari*, ceu *Gen. 32: 21. Jud. 19: 10.* unde generatim pro *mansione* vel *mora* accipitur *diuturniore*. Atque hac ratione homo assimilatur bestiis, quoad inevitabile scil. ac inopinum moriendi fatum, mortalitati non minus subjectus, quam brutum animal, cui ut in vita, ita etiam in morte similis est. Sicut bestię evanescit memoria, sicut

bestia

bestia nil secum aufert de stabulo vel pabulo, ita nec dives de suo splendore vel opum affluentia, sicut bestia moritur, absque præparatione ad mortem: sicut enim cadaver bestię longe aliam experitur sortem, ita etiam mundanus homo, uti commentatur *in hunc Psalm.* Geierus. Vid. Hacspan *ad h. l.* Fatetur tamen vir doctissimus, haud certo definiri posse diem, quo sint collapsi parentes primi, quamque diu felices integrique persisterint. Verum rem adeo incertam & subobscuram conjecturis duntaxat indagandam esse. Præ omnibus vero sibi arridere eam, quam statim descripsimus. Quæ aliis haud placet, qui arbitrabantur, plus uno die parentes in Paradiso fuisse: quoniam omnia, quæ tradit Moses in Paradiso gesta, non videntur uno eodemque die peracta fuisse. Die enim sexto creata animalia, effectus quoque ad Dei imaginem Adamus; adducta ad hominem animalia, ut ipsis nomina imponeret; formata quoque Heva; cui accedit promulgatio legis divinæ positivæ, de non comedendo de fructu arboris vetitæ; colloquium mulieris cum serpente; lapsus hominis, perizomata, fuga; iudicium Dei criminale; confectio tunicarum pellicearum; ejectio denique. Tam multa & varia, quæ inter creationem Adami & ejus ejectionem narrantur facta, adeo brevi temporis spatio haud peragi potuerunt. Verum quamdiu ibi fuerit, nec præcise nec definite potest constitui. Nullo autem modo probabile est, quod quidam prodiderunt, tot annos fuisse primos homines in Paradiso, quot annos, scilicet 33. Christus vitam in terris mortalem & ærumnosam egit. Nec vero ma-
 consen-

gis consentanea Cabbalistarum sententia, qui existimarunt, non potuisse Adamum damnari ante vicefimum annum. Uti quoque omni ratione caret, quod tantum 40. diebus, quot Christus jejunavit in solitudine, Adamus in Paradiso commoratus fuisset, ut quidam opinantur. Tostatus, referente Pererio, existimat, eos fuisse postero die, quam creati sunt, Paradiso ejectos, qui quidem fuit dies Sabbathi. Quod cum historia Mosis nequaquam convenire videtur: quippe, uti inquit, cum illum *diem Sabbathi sanctificaverit & benedixerit Deus, requiescens ab omni opere suo, quod patraverat*: non videbatur congruum, eo die tam severum divinæ vindictæ judicium exerceri. Quod nec à ratione alienum videtur Pareo. *Verum nec eodem die lapsos, quo conditos existimat, hoc ductus argumento, quod Moses non obscure indicare videtur cap. 2: 3. Deum septimo die quiescisse & illum sanctificasse, homine adhuc in Paradiso existente. Sanctificatio enim illa quid fuit nisi præceptum homini datum de eo sanctificando? Ergo homo septimo die nondum peccaverat, saltem tum, cum fieret sanctificatio, quæ facta est haud dubie mane ejus diei, quia totus dies est sanctificatus. Inde consequi videtur, hominem sexto die nec lapsum nec ejectum esse. Sed vel ipso die septimo post sanctificationem factam: quando si peccavit homo, utique Sabbathum horrendum in modum profanavit. Nescio autem, inquit, an tam gravis actio judiciaria cum homine, ejusque ejectio cum Dei quiete satis conveniat: vel die aliquo sequentis septimanæ primo, secundo vel alio.* Quibusdam haud improbabile vide-

tur affirmare, minimum ad octavum usque diem in Paradiso parentes commoratos fuisse. Cujusmodi spatium sufficiens fuisse existimant aliquantulum experiendi status felicitatis. Verum cum sacra Scriptura tempus lapsus silentio involvat, adeoque plane incertum sit definire, quanto tempore primi parentes in Paradiso vitam beate transegerint, de eo frustra inquiri nobis videtur. Pro vitio reputat Cicero, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles & non necessarias conferunt. Nec opus est in re non necessaria, ut nos in ea enodanda maceremus, ut inquit Rivetus. Quo magis eam indagare volumus, eo magis fluctuamur in definiendo & circumscribendo tempore. Quoniam nihil de hac quaestione statui potest certi sine divina revelatione, ut inquit Merfennus, adeoque hanc quaestionem enodandam & relinquendam iis censemus, qui coelitus edocti, & Spiritu Sancto singulariter illuminati, suas conjecturas pro divina revelatione certis & falli nescis argumentis sunt demonstraturi. Nos autem cum Francisco Burmanno putamus tempus illud, quo primi parentes in Paradiso commorati sunt, nec nimium producendum nec nimis coarctandum. Adeoque etsi præcise & definite non possit constitui tempus ipsum, certum tamen est, eum per aliquod tempus, quamvis nobis ignotum, in beato isto statu vitam traduxisse, adeoque non statim atque conditus, scilicet eodem die, quo lucem adspexit & in Paradiso collocatus est, lapsum & ejectum fuisse. *Quippe, uti inquit vir doctissimus, cum nulla ratio nos cogat,*
ma-

maxima Dei opera tam angustè circumscribere, atque ita calculum ponere, quasi mundus in primæva pulcritudine unum diem se videndum præbuerit, opusque illud adeo infirmum fuerit, ut mox ac è manibus Dei prodiret, & conciderit. Saltem eodem die, quo conditus est homo, lapsum non esse, ex iis, quæ *Genes: cap 2.* narrantur, patet: cum ne Eva quidem eo die creata fuisse videatur. Nec ambigendum mihi videtur, quin aliquamdiu in Paradiso commoratum fuisse dicendum, donec & sui ipsius status felicitatem experiri, & omnium divinorum operum elegantiam contemplari potuerit, quod non temporis momento, vel diei unius spatio fieri potuit, cujus vix ideam vel notionem habuisset aliquam, & proinde nec gloriam, nec infinitam potentiam & scientiam Dei, quam & prædicare & admirari oportuit, in producendo mundo, omnibusque creaturis sese exerentem: has enim Dei virtutes ex rebus visibilibus innotescere primis hominibus æquum erat, ut divinæ essentia ipsi innatam ideam tam illustre argumentum magis confirmaret. Imo neque divinæ benevolentia aliquem sensum vel gustum habuisset, si tantum ad temporis tam breve spatium Paradisi fuisset incola: qui status sui felicitatem ac beatitudinem experiri potuisset, tam illustre divinæ gratia erga se documentum, si & ipso die natali tam amœni horti possessione, ob admissum peccatum, & proinde ejus habitatione indignus fuisset ejectus? Quis ibi inficias, finem creationis esse manifestationem & celebrationem divinæ gloria, tum etiam immensa potentia. Quomodo ad illam prædicandam

& celebrandam homo fuisset idoneus, nisi scientiam & cognitionem sibi acquisivisset cum sui ipsius, tum earum rerum omnium, quas ex nihilo summus Jehovah per immensam potentiam produxerat, & per ineffabilem sapientiam tam ordinatè omnia disposita rerum usu edoctus fuisset, adeo ut quasi in admirationem raptus, se haud continere potuerit, quin Dei gloriam celebrare, atque omnia ad sui contemplationem, usum, ac commodum nata & producta, perspicuus creatoris sui erga se benevolentiam & gratiam, cum grati animi testificatione summis laudibus prosequi debuerit. Præterquam quod omnia, quæ Moses in Paradiso gesta narrat, haud uno duntaxat die peragi potuisse verisimile, uti paulo ante notavimus; quamobrem aliquot dies in Paradiso Adamum hæsisse, existimamus. Quot autem in eo manserit, aliis divinandum relinquimus.

Cherubim custodias horti Eden.

Quoniam vero Deo nota humana temeritas, ne tentaret sibi post ejectionem è Paradiso iterum ad fructum arboris vivificæ aperire viam, horti custodiam demandavit Cherubis, ne qua esset ad illum accessus. Memorat enim divino spiritu ductus, adeoque falli nescius historicus Moses, Deum collocasse ad orientalem partem horti Cherubim: *Et collocavit, inquit, ab oriente horti Eden Cherubim & aciem Gladii versatilem ad custodiendam viam arboris vitæ.* Notandum, septuaginta Interpretes in versione hujus loci verba illa, *& collocavit*, sive *posuit, ante hortum Paradisi*, vel, *ab oriente horti*, junxisse cum eo, quod præcedit, *Ejecitque Adam*; referentes illa ad Adamum, quem Deus Paradiso ejectum, ha-

habitare iussit è regione illius, sive extra Paradisum orientem versus, atque ab ea parte constituit excubias Angelorum, ne aliquando cupiditate fructum arboris vivificæ comedendi flagrans, ad eum sibi aditum patefacere tentaret. Collocatus ante Paradisum, ut scilicet frequenti horti adeo amœni adspectu, ubi tam beate atque in summa felicitate, quam perdidit, vitam traduxisset, vehementius intimis animi sensibus angeretur, & majori odio Diabolum, cujus calliditate atque astutia seductus, à summo felicitatis gradu semetipse in tantorum malorum abyssum egisset præcipitem, prolequeretur, atque rerum usu edoctus, quam graves pœnæ peccatorem excipiunt, ab admittendo peccato avocaretur; & ex animo sceleris patrati pœnitens, veniam a Deo deprecaretur atque impetraret. Augustinus mysterium addit, *ut contra Paradisum, quo beata vita significabatur, etiam spiritualiter, habitaret peccator in miseria, lib. 11. de Gen. Cap. 40. Et lib. 2. de Gen. cap. 22. Moratus est autem contra Paradisum in miseria, quæ utique beatæ vitæ contraria est: nam beatam vitam Paradisi nomine significatam existimo.* Verum, ut alii viri docti annotarunt, collatio illa in Ebræo contextu manifestissime refertur ad Cherubim, non ad hominem; quamobrem Vulgata recte interpretata est, & *collocavit ante Paradisum Cherubim.* Et Chaldæa Paraphr. *Et collocavit ad orientem horti Eden Cherubim.* Adeoque conjungunt, cum Paraphrasis Chaldaica, tum versio latina illud posuit, sive *collocavit ante Paradisum, cum Cherubim & flammeo gladio ver-*

satili. Prima controversia hie est, an historice hæc sint intelligenda prout narrantur, vel allegoricè accipenda? quod nonnullis placuit, qui putant Mo- sem his verbis significasse magna impedimenta, quæ Deus homini objecit, ut nullam ipsi spem reliquerit, sibi iterum aditum ad arborem vitæ aperiendi; quæ impedimenta etiam potuerunt esse invisibilia. Ve- rum ejusmodi allegorica interpretatio haud cum tex- tu convenit; utpote qui meminit visibilium figura- rum & gladii versatilis. Theodoretus *quæst.* 40. *in Gen.* uti quoque Procopius Gazæus *in Genesim*, per Cherubim intellexerunt spectra, seu horribiles quas- dam animalium formas pro foro Paradisi stantium, quæ terrorem incuterent hominibus, ne auderent Pa- radisum ingredi, ex quo ejecti fuerant. *Non est cre- dendum*, inquit, *Cherubim dicere virtutes quasdam invisibiles, ut quidam existimant, quoniam invisibili- lis natura nihil illic contulisset: cum visio sensibilis esse deberet, quæ ipsum Adam exterreret. Non igitur gladius ille flammeus naturaliter igneus erat, sed visu talis: neque Cherubim erant animalia, sed talia videbantur. Siquidem & Ezechiel Cherubim vidit habentes quatuor facies: cum tamen invisibilis natu- ra quadruplicem faciem non habeat; sed Cherubim vocat illud omne, quod potentia præditum est. Sic dicit, qui sedet super Cherubim, hoc est, qui poten- ter regnat: & ascendit super Cherubim, hoc est, ad- venit cum multa virtute. Illud igitur, & statuit Cherubim, dixit, ut indicet potentem quandam & terribilem visionem & formam, perinde ac si quedam animalia in ingressu Paradisi collocasset, quibus inde Adam*

Adam arceretur. Quam opinionem etiam secutus Theodorus Heracleæ Episcopus. Cherubim itaque, qui ante Paradisum erant collocati, nihil aliud fuisse arbitrantur, quam spectra quædam & simulacra terribili forma in vestibulo Paradisi collocata, ad incutiendum accessuris metum atque horrorem; cujusmodi in agris ad terrendas aviculas poni solent. Alii intelligunt per gladium flammantem Zonam torridam, ubi Paradisum situm fuisse statuunt; & proinde fuisse inaccessibilem, quia Zona torrida undique circumdabatur. Verum præterquam, quod præcedentibus Dissertationibus demonstravimus, ex descriptione Mosis Paradisum non quærendum iis in locis, quos ambit Zona torrida, certissimum est etiam, terras Zonæ torridæ subjectas, temperatissimas esse. Quanquam omnis fere antiquitas eam propter æstus vehementissimos nequaquam habitabilem esse censuit. Constat tamen ex nostri temporis navigationibus, diurnum calorem, quantumcunque sit, nocturni frigoris viribus moderari atque compensari; quod si cogitassent veteres, regiones istas non modo habitabiles, sed quales nos experti sumus, cultissimas fuisse perspexissent, ut inquit Parkerus de Deo. *Atque hinc in hisce locis maxima, quæ in omni terra reperitur fertilitas; cum enim per diem semina rerum tanta caloris ubertate provehantur, perque noctem pari aquarum copia irrigentur, mirum quam celeri progressu, ad vegetiorem maturitatem perducuntur. Hinc, inquit, sub ipso Equatore quotannis duplex sementis ac messis, uberrimi seminum proventus, frugifera magis arva, & dulciores fructus, stirpes, ar-*
ba-

bores, & animantia majori robore & amplitudine reperiuntur. Hinc denique, si quæ è regionibus nostris frugum semina, aut animantia eo deportemus, semina majores atque amœniores fruges mox procreant, atque animantia progeniem robustiorem & ampliorem gignunt. Atque adeo videtis, pergit, qui hac una ratione non modo malo occurratur, cui omnes omnium seculorum sapientes pene ad usque nostrum, nullum remedium excogitandum esse crediderunt; sed etiam qui terræ regio, quam omnium maxime inhospitalem arbitrati sunt, omnium fiat cultissima. Disp. 2. sect. 15. Atque sub ea Zona loca esse pascua & aquis irrigua, multis ostendit Josephus à Costa lib. 2. Hist. Nat. Indiarum. cap. 6. Lyra, qui putavit Paradisum collocatum fuisse in altissimo orbis terrarum monte, hoc loco arbitratur, jussu Dei ex illo maximam vim & copiam ignis erupisse, & in modum coronæ vel muri circumdedisse, ut omnis ad Paradisum aditus esset interclusus. Tostatus, non ex intimis montis visceribus illum ignem erupisse putat, verum credit, illum gladium igneum non aliud fuisse, quam ingentem quandam vim & copiam ignis, non ex terra Paradisi emicantis, sed vel aliunde illuc allati, vel inibi recens à Deo creati, qui instar muri Paradisum ambiret; quæ duo impedimenta eousque durasse, quamdiu vixit Adamus, statuit Epiphanius. Ille autem ignis dictus est *gladius versutis*, vel utrinque scindens, ad indicandam vim & efficaciam ignis maxime penetrantis; cujus natura in perpetuo motu & agitatione versatur, & qui ad modum Gladii in acumen desinens, flammam quasi vibrat. vid. Pe.

Pererium. Verum situs Paradisi cacumini montis haud conveniens est, ut alibi annotavimus, ubi de situ Paradisi disputavimus. Neque talis ambitus ignis competere potest loco adeo temperato & amœno; præterquam, quod si ex illo monte tanta vis perpetuo eructaretur, necesse esset, interiora illius montis esse sulphurea, terramque illam penitus exustam, quod locum Paradisi fecisset infructuosum, sterilem, atque inamœnum. Vir summus Hugo Grotius, per flammantem gladium, ignes intelligit & cavernas bitumine & sulphure stagnantes, quales in campis Babylonicis aliisque locis Plinius aliique scriptores produunt. Credit vir doctus Joannes Clericus, hoc voluisse Mosem, Deum scilicet Angelos misisse, qui Babylonicis agri bitumen accenderent, eoque quasi flammeo gladio ad arcendos homines uterentur. Uti quoque gladium hunc flammeum ignem interpretatus est Lactantius *lib. 2. cap. 12. Deus ejecit hominem de Paradiso sententia in peccatores lata, ut victum sibi labore acquirerent, ipsumque Paradisum igne circumvallavit, ne homo posset accedere.* Arnobius in *Psal. 118.* fingit, Deum hic ante Paradisum purgatorium construxisse ignem, in quo fidelium ac justorum animæ, qui in hac vita non omni peccati labe purificati, in totum purificantur, omnique debito persoluto expiantur, cum nihil inquinatum in cœlestem illam civitatem intrare potest. Duplicem enim putat à Deo ad purganda hominum peccata constitutum Baptismum; unum in hac vita, qui fit per aquam Baptismi, quo eluuntur delicta; alterum post hanc vitam: *Si quidem,*

inquit, *post consummationem seculi missis Angelis, qui segregent bonos & malos, hoc futurum est Baptismum, quando per caminum ignis iniquitas exuretur, ut in regno Dei fulgeant iusti, sicut sol in regno Patris sui.* Ejusmodi Patrum figmenta occasionem dedere forte, quod quidam Romanæ religioni addicti alium ignem purgatorium excogitarint, quem in centro terræ collocatum somniant, in quem animæ fidelium illico à morte deferantur ad exurendas veniales culpas. Verum utrumque figmentum repugnatum sacræ scripturæ veritati, tum Christi merito. Præterquam quod flamma hæc, de qua Moses agit, ab introitu Paradisi arcebat hominem, ignis vero purgatorius viam in cælum aperit; adeo ut perperam & ridicule hisce verbis ignem purgatorium indicatum velint. Quamobrem & ipse Pererius hanc explicationem videtur rejicere, *comment. ad h. l.* atque in purgatorium ignem minime quadrare affirmat. Verum longe probabiliorem & multorum & gravium auctorum assensu comprobata existimat sententiam, verba Moysis, uti sonant, ita quoque accipienda atque interpretanda. Munivit itaque, inquit, Deus Paradisi aditum duplici custodia, tum Angelorum, tum earum rerum, quæ maxime homini sunt formidabiles & terribiles, ut ignis & gladius. Uti quoque omnes sanioris doctrinæ Theologi per Cherubos intelligunt Angelos, Dei ministros; per gladium versatilem speciem quandam gladii, in ipso Paradisi aditu die nocteque modo visibili ab Angelo, sive Angelis, quibus id demandatum, vibrati, quo hominibus spem illuc in posterum intrandi penitus ad-

adimeret. Sic sæpius Deus in judiciis suis exequentis Angelorum ministerio usus fuit, qui humana specie apparuere. Talis fuit Angelus, quem primo vidit Asina Bileami, deinde ipse herus, postquam ipsi fuerunt oculi referati, *Num. 22: 22, 23.* habens in manu sua gladium eductum. Sic Jesuæ apparuit vir quidam, qui stabat ex aduerso cum suo gladio stricto in manu sua, *Jos. 6: 1.* Ita quoque sex Angeli forma humana apparent ad Hierosolymanam excindendam missi, habentes singuli in manibus nocens ac lethiferum instrumentum, *Ezech. 9.* Quamobrem nec mirum, & ante aditum horti Deum collocasse Cherubos, qui visibili forma ibi apparuerunt cum gladio flammeo ad deterrendum hominem, ne tentaret iterum hortum intrare.

Verum indagandum nobis incumbit, cur Angeli illi Cherubi appellentur. Cujus nominis variæ afferuntur rationes. Aben Ezra *Cherub* generalem vocem esse putat, atque hoc nomine quamvis figuram denotari, non humanam duntaxat, sed brutam quoque; quia Angeli soliti erant apparere modo sub forma hominis, modo sub forma animalium brutorum, uti patet ex *Ezech. 1: 9, 10.* collato cum *cap. 10: 14, 15, 20.* *similitudo autem vultus eorum facies hominis & facies leonis & facies bovis & facies aquilæ.* Et *cap. 10.* *Facies unius facies Cherub, & facies secundæ facies hominis, & tertiæ facies leonis, & quartæ facies aquilæ.* Musculus arbitratur, *Cherubim* esse volucres, unde & figuræ illæ Propitiatorii, quas scriptura sacra *Cherubim* vocat, alatæ fuerunt. Quamobrem *psalm. 18: 11.* *Et ascendit super Cherubim*

Angeli
horti
custodes
cur Cherubim
disti?

& volavit super pennas ventorum. „ Quare simplicius
 „ esse arbitror, inquit, ut grandes & terribiles volu-
 „ cres a Deo ad custodiam Paradisi deputatas esse cre-
 „ damus. ” Alii *Cherubim* Arabicam vocem esse di-
 cunt, ex *Caph* litera servili, quæ *similitudinem* sig-
 nificat, conflatam. Hinc *Cherubim* dictos, quod
 formam & figuram habuerint puerorum, uti ex Ebræis
 notat Fagius. Atque ita *Cherubim* super arcam
 erant informati. Alii volunt potius vitulina sive bo-
 vina specie fuisse figuratas, ideoque *Cherubim* di-
 ctos voce Syriaca: nam כרוב Syriacè significat *arato-*
rem, qualis est bos, à כרב id est, *arare*, quod
 proprium apud gentes antiquiores boum munus.
 Unde apud *Amos* 6: 12. *An current in petra equi?*
aut quis arabit bobus. Quamobrem veteres, terræ,
 agriculturæ, & alimenti symbolum, bovem fecerunt.
 Neque novum atque insolens videri possit, quod a-
 pud antiquos Hebræos bos ab arando nomen habue-
 rit: bos enim, uti doctissimus Bochartus notavit,
 כקר dicitur, quia Arabicè قمر est *terram vomere,*
proscindere. His apprimè convenit, quod boves
 olim *Triones* dicerentur, vel a terra quasi *Terriones*,
 aut quasi *Striones*, vt voluit Scaliger in *Conjecta-*
neis ad Varronem, à *stria*, quam faciunt, dum *sub-*
cos vomere perstringunt, uti inquit vir eruditione
 florentissimus Spencerus *de Legib. Hebræorum ritua-*
libus dissert. 5. lib. 3. cap. 3. Cum autem, pergat,
Cherub bovem, ut dixi, creaturam corporis viribus
 præstantem, primario significaret: inde profectum
 videtur, quod ea voce Magnates & viros, potentia
 & fortitudine singulari conspicuos olim denotarent;

un-

unde vox *Cherub* ad fortem, potentem, & validum significandum in scripturis usurpatur. Quamobrem nomen *Cherub* tribuitur Regi Tyrriorum *Ezech. 28: 14. Tu Cherub unctus protegens; sive, Tu Cherub eras, ex quo unxi te protectorem, interprete Tremellio.* Ubi videtur comparari uni ex Angelis illis, quos Deus disposuerat ad custodiam Paradisi ex collatione cum vers 13. unde Junius & Tremellius in notis: *Elegantissima Regiæ illius majestatis descriptio per comparationem Cherubi illius, qui in horto Edenis à Deo dispositus est, Gen. 3: 24. Quemadmodum (inquit) Angelus præpositus est ei horto ad protegendum eum, & gladio illo versatili armatus, omnibus est terrori. Ita etiam tu, ex quo regnum tibi est traditum, visus es tibi æquare gloriam Angelorum Dei.* Alii tamen volunt, eum comparari uni ex Cherubinis duobus existentibus super arcam, qui gloriosi seu pretiosi erant, quod facti essent ex solido auro. Sunt alii, qui sic dictos censent à *multitudine scientiæ*, scilicet, quia ככר *multitudinem* significat. Atque hæc interpretatio arrisit omnibus fere Patribus cum Græcis, tum Latinis, quorum in numero præter Philonem sunt Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus alii-que plurimi. Ita enim Clemens Alexandrinus *Strom. lib. 5. vocem explicans, ἐθέλει δὲ τὸ ὄνομα τῶν Χερουβὶν δηλοῦν ἐπίγνωσιν πολλήν, vult autem nomen Cherubim significare multam cognitionem.* Hieronymum quoque, ut majorem sententiæ suæ auctoritatem conciliarent, auctorem citant, utpote qui in *Epist. ad Paulinum* inquit, *Cherubim, quod exponitur scientiæ multitu-*

do, per omne corpus oculati sunt. Verum fatetur Doctissimus Rivetus, se non posse videre, quomodo fieri possit, ut a *multitudine scientiæ* derivetur vox כרוב *Cherub*, nec id Hieronymum docere: nam festivum est, quod Martinus Merfenus *Cherub* deducit a נכר *nachar*, cognoscere, & מלכות *multitudo*. Verum hujus linguæ periti hanc nimis violentam & Hebraismo insolitam compositionem esse annotarunt, cujus apud Ebræos nullum potest dari exemplum, nec analogiam ullam inter talia institui. Alii denique existimant, inter quos Delrius, *Cap. 3. Genes.* כרוב per transpositionem literarum dici, pro רכב, quæ vox significat *currum*, *vehiculum*: sic Angeli denotantur per *currus Dei*, *Psal. 68: 18. currus Dei duæ myriades millia duplicata*: ubi Psalmista Angelos pro Sione certantes comparat exercitui. Conf. *Zach. 6: 1*. Quamobrem etiam Cherubinis, tanquam *vehiculis* nimir. seu curribus tribuuntur rotæ, *Ezech. 10: 9, 12, 17, 19*. Huc etiam accedit, quod *Ezech. 10: 14. bos*, unum ex quatuor animalibus in visione Prophetæ ostensis, dicitur habuisse faciem *Cherub*, id est, *vehiculi*. Sic etiam *2 Sam. 22: 11. Psalm 18: 11.* per *Cherub* procul dubio intelliguntur *nubes*, quibus tanquam curruj Deus vehi dicitur, sive, ut *Psal. 104: 3.* habetur, quas Jehovah Deus dicitur *disponere in vehiculum*, seu, *currum suum*. Vid. Ludov. de Dieu. Sic Deus, vel gloria Dei, insidere dicitur Cherubinis, nempe tanquam curruj. Hoc cum legisset Plato, affirmavit, *volucris Jovem in cælo curru vehi*, ut refert Justinus Martyr *cohort. ad Græcos p. m.*

m. 30. Vidit enim ille, inquit, in Prophetæ responsis de Cherubim dictum illud: *Et exiit à domo gloria domini, & ascendit super Cherubim & elevarant Cherubim alas suas, & rotæ cum eis, & gloria Dei Israël erat super eos, Ezech. cap. 11.* Inde incitatus vocalis Plato, cum multa dicendi libertate exclamat, dicens: *Magnus in cælo Jupiter volucrem regit currum.*

Jupiter in summo volucrem regit æthere currum. Platonis locus est in Phædro. Cherubim autem ad Angelos significandos in scripturis ad liberi docet Moses, qui hoc loco Angelos nomine Cherubim designavit: nec ambigendum, quia figuræ illæ duæ, Angelorum ministerium repræsentantes, in operculo propitiarii Cherubim appellabantur, quæ erant figuræ alatæ, vultu humano: accommodans se Israëlitis, quibus Angeli hoc nomine noti erant, vid. Rivetus. Unde Judæi simul & Christiani in scriptis & precum suarum formulis semper usi sint vocabulo *Cherubim* ad Angelos significandos. Quamobrem statuunt Viri docti, nomen *Cherubim* non accipi simpliciter pro Angelis, sed pro Angelis, quatenus vel apparebant, vel figurabantur aliqua externa forma vel hominis, vel alterius animalis: Ideoque Angelorum formæ & figuræ externæ vel erant assumptæ, ut in apparationibus, vel effectæ, ut in Arca & Tabernaculo. Huic etiam accedit, quod ex visionibus Prophetæ Ezechielis perspicimus, Cherubinos non humanis duntaxat, sed etiam brutis formis exprimi, & in specie forma bovina, quam *Ezechiel cap. 1: 10.* viderat, nomine *Cherub* insignitur *cap. 10: 14.*

Che-

Cherub vocari Hebræis omne id, cujus ministerio ad judicia sua exequenda Deus utitur, notavit Brenius ad *Psal.* 18. 11. Hæc obiter de Cherubis annotasse sufficiat.

Gladius
versatili-
s, qua-
li fue-
rit ?

Quod ad gladium flammeum versatilem attinet, de eo quorundam opiniones annotavimus. Junius & Tremellius vertunt *flammam gladii sese vibrantis*. Castalio, *flammeum ensen vibrantem*. *Flammeum gladium* habent hic LXX. & Vulgatus. Vocabulum להט significat *flammam & laminam politam*, instar flammæ fulgentem. Quamobrem incertum esse videtur, an per להט החרב intelligatur flamma præ se ferens formam & speciem gladii: an vero gladius ipse candens igne, fulgurans & quasi flammam vomens. Mercerus tamen notat, quod להט, secundum Hebræos, magis sit accidens ipsius gladii, quam pars ejus; quoniam proprie est ipse gladii fulgor atque splendor, qui in lamina conspicuus flammam ignis refert. Quamobrem Hebræi gladium, cui erat splendor, sive gladium fulgore & splendore præditum, exponunt. Adeoque *gladius flammeus* dicitur, quia ob tersum nitorem flammæ instar coruscabat, fulgoremque emittebat. Quamobrem Rivetus ait: *Rutilans gladius flammeus dici potest, quia ferrum politum & fulgens flammam videtur emittere. Exercit 41. in Genesin.* להט flamma est, seu splendor laminæ politæ, si ad radios solares vibretur: *micat enim, & fulgore oculos perstringit*, inquit Pareus. Fuit autem hæc flamma gladii sese vibrantis, sive gladii versatilis; tribuitur itaque gladio flammeo, quod esset convertens & convolvens sese,

fese, scilicet huc illuc, in omnes partes, sursum deorsum, antrorsum, retrorsum; dextrorsum & sinistrorsum movens, cujusmodi vibratio sive motus gladii procul dubio ad Angelum sive Angelos habentes in manu gladium, eumque hac illac vertentes referenda: quippe cum per se gladius sit immobilis, necesse est, ut ab alio moveatur, uti supra annotavimus. Exinde Pererius, *per flammeum autem gladium non aliud equidem intelligo, quam illos ipsos Angelos sub specie & figura hominum, tenentes manibus suis gladios acerrima acie acutissimos, & ex eorum vibratione fulgentissimos.* Cum quo consentire videtur Piscator, dum ait, *Cherubos & flammam gladii, pro Cherubos cum flamma gladii, id est, per hypallagen cum gladio flammæ, hoc est, flammeo id est, per enallagen numeri cum gladiis flammeis seu flammantibus, quum enim fuerint plures Cherubi, non autem unus tantum Cherub, probabile est singulos gladium tenuisse ad hominem arcendum.* Chaldæus paraphrastes, *acutum gladium versatilem, id est, cui duæ erant acies, & qui ab utraque parte acutus erat.* Statuit vir doctus Joan Clericus, cujus opinionem de gladio flammeo paulo ante notavimus, per gladium hac illac se vertentem describi flammam huc illuc vento actam, prout eadem vox occurrit de nube vento itidem rapta, *Job. 37.* Collocati autem ante Paradisum Cherubi, *ut custodirent viam arboris vitæ*, scilicet omnem ad illam aditum homini præcluderent, atque hac ratione vitam istic petendi spe adempta, omnem eam recuperandi fiduciam in femine promisso poneret; notavimus enim arborem

vitæ Symbolum fuisse vitæ æternæ. *Perdita autem vita, etiam vitæ Symbolum fuit perditum. Cum non amplius esset immortalis homo, non voluit Deus eum immortalitatis Symbolum retinere aut videre unquam, uti differit Pareus. Verum patet fidelibus atque electis aditus ad arborem vitæ in cælestis paradisi medio positam, nempe Jesum Christum, filium Dei, quem fide manducantes, vivamus sine fine. In ipso enim vita est, Joh. 11: 4. Victori dabo edere ex arbore vitæ, quæ est in medio Paradisi Dei, Apoc. 2: 7. & Apoc. 22.*

2. Adeoque gaudebimus æterna illa vita in artificissima Christi Jesu communionem. Edere enim de arbore vitæ in medio Paradisi Dei, nihil aliud est, quam consortem esse æternæ illius cælestis & spirituales vitæ cum Christo, & per eum in statu consummatæ lætitiæ & voluptatis, uti inquit Vitringa in *Apocalyp. cap. 2.*

I N D E X.

Accuratissimus atque Amplissimus omnium rerum,
& verborum, quæ in utraque hac partis primæ
de die Mundi & rerum omnium Natali Dis-
sertatione Amplissimi Domini Auctoris con-
tinentur, coniectus ejusdem jussu.

A.

- A**brahamus astrologus diff. 1. p. 231.
Abraxæ figura. diff. 1. p. 101.
Abraxas Hæreticorum. diff. 1. p. 96 99.
Accidentia corporum, sed non substantiarum annihilabuntur. diff. 1. p. 112.
Accervus lapidum apud Græcos. diff. 1. p. 143.
Accervus lapidum apud Hebræos. diff. 1. p. 143.
Accervus lapidum apud Indiae gentes. diff. 1. p. 144.
Accervus lapidum apud Muhammedanos. diff. 2. p. 144.
Actionis subjectum debet esse quid positivum. diff. 1. p. 113.
Actus sensitivus qui? diff. 1. p. 184.
Adamus non Gigas. diff. 1. p. 211.
Adamum primum hominem fuisse gentium consensus. diff. 1. p. 278 279. 280.
Adamus quo sensu primus homo diff. 1. p. 287. 288. 289. 290. 291. 292.
Adamus ubi uictor peccati, ita etiam causa mortis. diff. 1. p. 297. 298.
Adamus nullius rei creationi interfuit. diff. 1. p. 304.
Adam an dempta costa inutilis aut imperfectus. diff. 1. p. 307.
Adam semper mortalis. diff. 1. p. 391.
Adam si non peccasset, an mortuus. diff. 1. p. 392. 393. 394.
Adam an de arbore vitæ comederit. diff. 2. p. 548. 549. 550. 551. 552.
Adam an revelationem de cælo habuerit. diff. 2. p. 554. 555.
Adam quomodo in Paradisum translatus. diff. 2. p. 563.
Adam cur in Paradisum. diff. 2. p. 564. 565.
Adam quo sensu malitia infans. diff. 2. p. 594.
Adam animantibus nomina dat. diff. 2. p. 604. 605. 606.
Adam an piscibus nomina dederit. diff. 2. p. 606.
Adam nomina cujusque nature convenientia imposuit. diff. 2. p. 606.
Adam quo tempore animalibus nomina imposuerit. diff. 2. p. 608. 609.
Adam quo idiomate in impositione nominum usus. diff. 2. p. 609.

I N D E X.

- 60.
- Adam linguam non usu didicit. diff. 2. p. 612.
- Adam linguam a Deo edoctus. diff. 2. p. 613. 614.
- Adamo cur facultas imponendi nomina concessa. diff. 2. p. 605. 608.
- Adamo cur pœnæ inferni non comminatæ. diff. 2. p. 601. 602.
- Adamo Mysticus arboris sensus revelatus. diff. 2. p. 555. 556.
- Adami verba : adhærebit vir uxori suæ : an vim legis ? diff. 1. p. 319. 320. 321.
- Adami verborum prolatorum : adhærebit &c. finis. diff. 1. p. 321. 322.
- Adami in noscenda animalium natura notio. diff. 1. p. 386.
- Adami in statu innocentie cognitio. diff. 1. p. 386.
- Adami ratiocinium. diff. 2. p. 553. 554.
- Adami post lapsum libertatis moralis perditio. diff. 1. p. 384. 385.
- Adultera an retinenda ? diff. 1. p. 361. 362.
- Adulterium. diff. 1. p. 327. 328. 330.
- Adulterii paena. diff. 1. p. 360.
- Aeternum esse quid. diff. 1. p. 8. 102. 103. 108.
- Aeternitas summo Numini propria. diff. 1. p. 103. 104. 108.
- Aetiopia duplex. diff. 2. p. 534. 535. 536.
- Agricultura diff. 2. p. 565. 566.
- Agri Babylonie. diff. 2. p. 483. 484.
- Alexander magnus. diff. 2. p. 512.
- Alexandri lacrymæ. diff. 1. p. 29.
- Amoris divini in nos testimonium. diff. 1. p. 3.
- Amor & conservatio sui. diff. 1. p. 314. 315.
- An quædam inter animam & spiritum distinctio. diff. 1. p. 246. 247.
- Anabaptistarum opinio. diff. 1. p. 388.
- Angeli an in creatione quid fecerint ? diff. 1. p. 25.
- Angeli. diff. 1. p. 119.
- Animæ viventis prima mentio. diff. 1. p. 182.
- Anima sensitiva. diff. 1. p. 182. 183.
- Anima hominis quid ? diff. 1. p. 213. 214.
- Anima extra corpus an sit orbata actuali cogitatione. diff. 1. p. 214. 215.
- Anima nunquam emoritur. diff. 1. p. 214. 215.
- Anima Ens spirituale. diff. 1. p. 216.
- Animæ nomen à ventis. diff. 1. p. 217.
- Animæ definitio. diff. 1. p. 218. 219.
- Anima quo tempore creata. diff. 1. p. 220.
- Anima non traducitur à parentibus. diff. 1. p. 222. 223.
- Animæ creatio immediata solius Dei opus. diff. 1. p. 224. 226.
- Anima est ingenerabilis. diff. 1. p. 225. 226. 227.
- Animæ mediata creatio refutatur. diff. 1. p. 226. 227. 228. 229.

Ani-

- Anima corporis serva. diff. 1. p. 229.
- Anima immortalis. diff. 1. p. 230. 133. 234. 235.
- Animæ post interitum corporis status. diff. 1. p. 230. 234.
- Anima subsistit extra corpus. diff. 1. p. 231. 232.
- Anima corpori juncta ad actiones exequendas indiget organis. diff. 1. p. 232.
- Anima non interit cum corpore. diff. 1. p. 233. 234. 235. 236.
- Animæ immortalitas nostra consolatio. diff. 1. p. 244.
- Anima corporea an detur? diff. 1. p. 247. 253.
- Anima corporea ipsa vita. diff. 1. p. 247.
- Anima corporea & sensitiva in homine quid? diff. 1. p. 248. 250. 251.
- Anima una, sed diversæ ejus facultates ac operationes. diff. 1. p. 251. 252.
- Animæ sedes. diff. 1. p. 255. 274.
- Anima quomodo in toto corpore, & in qualibet ejus parte. diff. 1. p. 256. 257.
- Anima illocalis. diff. 1. p. 257. 258. 273. 274.
- Anima nullam divisionem patitur. diff. 1. p. 258. 259.
- Animæ unio corpori cognitu difficillima. diff. 1. p. 259. 260. 261.
- Animæ & corporis in unione nulla præsentia localis. diff. 1. p. 262. 263.
- Anima ne quidem virtualiter extensa. diff. 1. p. 263. 264. 265.
- Animæ & corporis unio non per relationem. diff. 1. p. 265. 266.
- Animæ unio cum corpore per voluntatem. diff. 1. p. 266. 267.
- Animæ unio per mutuam dependentiam. diff. 1. p. 267.
- Animæ cum corpore unionis finis. diff. 1. p. 267.
- Animæ objectum diff. 1. p. 268.
- Anima an intercessione organorum percipiat motus corporis. diff. 1. p. 270.
- Anima quomodo tota in singulis partibus. diff. 1. p. 272. 273.
- Animæ vel in cerebro vel in corde. diff. 1. p. 274. 275.
- Animalium noxiorum bonitas naturalis. diff. 1. p. 192.
- Animal ferum & silvestre diff. 1. p. 194.
- Animal terrestre & aquatile. diff. 1. p. 181.
- Animalia munda. diff. 1. p. 194. 195.
- Animalia minuta creata potentialiter. diff. 1. p. 195.
- Animalium cornutorum septem genera. diff. 1. p. 197.
- Animantibus in Paradiso usus sermonis non impeditus. diff. 1. p. 200.
- Animantium genera quot? diff. 1. p. 310.
- Animalia individua an species singulorum adducta. diff. 2. p. 606.
- Animalia individua quomodo ad Adamum adducta. diff. 2. p. 607.
- Annihilatio rerum creaturarum nulla. diff. 1. p. 112. 113. 114. 115. 117. 118.
- Annihilatio rationi repugnat. diff.

I N D E X.

- diff. 1. p. 112. 113.
 Annihilatio involvit mutabilitatem decreti primi. diff. 1. p. 114. 115.
 Annihilatio includit simul esse & non esse. diff. 1. p. 113. 115.
 Annihilatio S. Scripturæ repugnat. diff. 1. p. 115. 120.
 Annihilare non est nihil agere. diff. 1. p. 114.
 Anni initium Judæi quo mense statuunt. diff. 1. p. 33. 34. 41. 42. 43. 46. 47. 48.
 Anni computatio variarum gentium. diff. 1. p. 179.
 Anni Solaris partes. diff. 1. p. 180.
 Annus Solaris & lunaris. diff. 1. p. 178. 179.
 Annus Astronomicus. diff. 1. p. 179.
 Annus politicus. diff. 1. p. 179. 180.
 Annus communis. diff. 1. p. 180.
 Annus intercalaris. diff. 1. p. 180.
 Ante Adamum homines non existere. diff. 1. p. 299.
 Ante lucem quid fuerit? diff. 1. p. 53.
 Anthropomorphitarum errores. diff. 1. p. 299.
 Aquarum separatio. diff. 1. p. 68. 70. 73.
 Arabia. diff. 2. p. 522. 528.
 Arborum & plantarum productio. diff. 1. p. 81. 84.
 Arbor vitæ. diff. 2. p. 544. 545.
 Arbor scientiæ boni & mali. diff. 2. p. 544. 545.
 Arbor vitæ quomodo in medio Paradisi. diff. 2. p. 544.
 Arbor vitæ cur sic appellatur. diff. 2. p. 546. 547. 548.
 Arbor vitæ Symbolum quale? diff. 2. p. 550. 551. 552.
 Arbor ficus. diff. 2. p. 560. 561.
 Argentum. diff. 1. p. 12.
 Aromata & herbæ magnei pretii. diff. 1. p. 85.
 Assyria regio. diff. 2. p. 539. 540.
 Astaroth quæ Dea? diff. 1. p. 124. 125. 126.
 Astaroth civitas Ogi. diff. 1. p. 126.
 Astarte qua Dea? diff. 1. p. 123. 124.
 Astrologia judiciaria quo fine excogitata. diff. 1. p. 164.
 Astorum fines quatuor. diff. 1. p. 88.
 Astorum operatio qualis. diff. 1. p. 162.
 Astorum vis & facultas. diff. 1. p. 158. 159.
 Astrologus pænitens. diff. 1. p. 164.
 Astrologorum tributum, vestigal stultorum. diff. 1. p. 174. 175.
 Astrologorum de cometis conjecturæ. diff. 1. p. 174. 175.
 Astrologorum conjectorum vanitas explosa. diff. 1. p. 559. 161. 163.
 Athei nostræ ætatis pejores gentilibus. diff. 1. p. 79. 80.

B.

- B**aal. diff. 1. p. 124.
 Baaltis derivatio. diff. 1. p. 127.
 Babylonix divisio. diff. 2. p. 458. 459.
 Babylonix ægri. diff. 2. p. 483. 484.

Bac-

I N D E X.

- Bacchi nomen Arabicum. diff. 2. p. 528
 Bacchi facinora. diff. 2. p. 529.
 Bacchi cultus. diff. 2. p. 529.
 Bacchus Imperator. diff. 2. p. 529.
 Bacchus primum Jovi Cinnama obtulit. diff. 2. p. 527.
 Bacchus Monarchiæ conditor. diff. 2. p. 530.
 Bacchus hedera coronatus. diff. 2. p. 533-534.
 Basilidianorum folis cultus. diff. 1. p. 96. 99.
 Basilides 365 cælos esse statuit. diff. 1. p. 97. 98.
 Basilisci nulli. diff. 1. p. 196.
 Bdolach in regione Chavilæ quid. diff. 2. p. 518. 519. 520.
 Beatitudo hominis. diff. 1. p. 370.
 Benedictio Dei. diff. 1. p. 365.
 Benedictio divina an vim legis. diff. 2. p. 617. 618.
 Benedictio divina quam late pateat. diff. 1. p. 369. 370.
 Benedicendi vox quid denotet. diff. 2. p. 414. 415. 416.
 Benedictio vis legis non conditionata. diff. 1. p. 367. 368.
 Benedictio actus diversi. diff. 1. p. 365. 366.
 Beneficentiam naturalis ratio suadet. diff. 1. p. 371.
 Bonitas divina erga homines. diff. 2. p. 449.
 Brutorum tres classes. diff. 1. p. 193. 194.
 diff. 2. p. 606. 607.
 Calendæ Junoni dicatæ. diff. 1. p. 125.
 Calvinus error de Havila. diff. 2. p. 511.
 Camilli apud Romanos. diff. 1. p. 141. 142.
 Camillus sacerdos gentilis. diff. 1. p. 141.
 Camillorum munus. diff. 1. p. 142.
 Camilli nomen unde? diff. 1. p. 140. 141.
 Camellus. diff. 1. p. 310.
 Campestre quid & unde. diff. 2. p. 640.
 Caput hominis. diff. 1. p. 208.
 Caprea bicornis. diff. 1. p. 199.
 Cartesii opinio de mundo diff. 1. p. 29.
 Causæ rerum naturalium quomodo investigandæ. diff. 1. p. 261.
 Cælum quasi naturæ liber constituitur. diff. 1. p. 166.
 Cæli hæctenus *ἀνάστη* ornatus quarti dici opus. diff. 1. p. 85. 86.
 Cæli terræque ornatus quis? diff. 2. p. 403. 404.
 Cæli intemperies peccati comes. diff. 2. p. 637.
 Cælebs. diff. 2. p. 616.
 Cælibatus. diff. 2. p. 616. 617. 618. 619. 620. 622. 623. 625.
 Cecrops Athenis conjugium introduxit. diff. 1. p. 225.
 Cerebrum hominis. diff. 1. p. 209. 210.
 Cetus commune nomen. diff. 1. p. 188.
 Ceti prodigiosa magnitudo. diff. 1. p. 188.

C.

Cajetani opinio. diff. 1. p. 55.
 Cajetani sententia rejicitur.

Chal-

I N D E X.

- Chaldæorum superstitio. diff. 1. p. 163.
- Chaos quid fuerit. diff. 1. p. 49.
- Chavilah duo. diff. 2. p. 513. 514.
- Chavilah & fur ubi. diff. 2. p. 514. 515. 516.
- Chavilah Incolæ auctoribus ignoti. diff. 2. p. 515.
- Chavila & Regiones Arabiæ auro abundantes. diff. 2. p. 516. 517. 518.
- Chavila regio non est India. diff. 2. p. 509. 510. 112.
- Christus quo mense mortuus. diff. 1. p. 42. 43. 44. 45.
- Christus quo sensu secundus nominetur. diff. 1. p. 389.
- Christus qua ratione imago Dei diff. 1. p. 377.
- Christus arbor vitæ. diff. 2. p. 545. 546.
- Christiani cur mortem timeant. diff. 1. p. 245.
- Chus provincia. diff. 2. p. 525. 526.
- Circumcisio. diff. 1. p. 296.
- Cissia regio. diff. 2. p. 525.
- Clausula transitoria. diff. 2. p. 433. 434.
- Cogitare quid? diff. 1. p. 217.
- Cometæ nihil futuri portentunt mali. diff. 1. p. 165. 166. 167. 168. 171. 172.
- Cometæ signa Dei diff. 1. p. 166.
- Cometæ ad mundi ornatum factæ. diff. 1. p. 167. 168. 169.
- Cometa res merè naturalis. diff. 1. p. 168.
- Cometæ apparitio non metuenda. diff. 1. p. 169. 170. 171.
- Cometa nullius mali causa. diff. 1. p. 170. 171. 172.
- Cometas esse signa malorum refutatur. diff. 1. p. 172. 173. 174.
- Comimentum Rabbiorum refellitnr. diff. 1. p. 29.
- Comminatio præcepto adjuncta necessitas moralis. diff. 2. p. 568. 569.
- Communio Dei proprie cælum. diff. 2. p. 551.
- Complementum & quies eodem die septimo quomodo concilianda. diff. 2. p. 405. 406. 407. 408. 409.
- Concessio post diluvium est renovatio. diff. 1. p. 373. 374.
- Concubitus diff. 1. p. 311.
- Concubitus vagi illiciti. diff. 1. p. 323.
- Concubitus juri naturali repugnat. diff. 1. p. 323.
- Concubitus quis finis? diff. 1. p. 323.
- Concubitus vagi à moratoribus gentibus damnati. diff. 1. p. 326. 327.
- Confusio babylonica. diff. 2. p. 609. 610.
- Conjector quid. diff. 1. p. 160. 161.
- Conjugii institutio. diff. 1. p. 310.
- Conjugii auctor. diff. 1. p. 311.
- Conjugii vinculum indissolubile. diff. 1. p. 312. 313. 314. 318. 319. 320. 321. 334. 343. 344. 345. 346.
- Conjugium etiam ob sterilitatem indissolubile. diff. 1. p. 347.
- Conjugium indissolubile naturalis ratio docet. diff. 1. p. 313. 314. 347. 348. 349.
- Con-

I N D E X.

- Conjugalis amor. diff. 1. p. 311.
 312. 313. 320.
 Conjunctio dispar Patris & filii.
 viri & uxoris. diff. 1. p. 313.
 314.
 Conservatio imaginis divinæ in
 quo. diff. 2. p. 586.
 Conservatio. diff. 2. p. 411.
 Corporis existentia. diff. 1. p.
 112.
 Corpus hominis in tres partes
 divisum. diff. 1. p. 208.
 Corpus truncus. diff. 1. p.
 209.
 Corpus animæ pondus ac vin-
 culum. diff. 1. p. 233.
 Corpus & anima entia sibi op-
 posita. diff. 1. p. 253. 254.
 Corpus & mens non semper a-
 ctu agunt in se. diff. 1. p. 268.
 269.
 Corpora vitalia quæ? diff. 1. p.
 184.
 Costa, ex qua Eva, ex utro la-
 tere desumpta. diff. 1. p. 306.
 Creationis finis. diff. 1. p. 34.
 Creatio non ab æterno. diff. 1.
 p. 4.
 Creatio an in tempore cæperit.
 diff. 1. p. 4. 10.
 Creatio quid? diff. 1. p. 15. 16.
 Creationis causa. diff. 1. p. 19.
 21.
 Creatio hominis. diff. 1. p. 201.
 Creationis hominis modus. diff.
 1. p. 202. 208.
 Creatio animæ. diff. 1. p. 380.
 Creatio mundi libera. diff. 2. p.
 628. 631.
 Creatura omnia sua natura bona.
 diff. 1. p. 83. 84.
 Creatæ omnia ad certum fi-
 nem determinata. diff. 1. p.
 157. 158.
- Creatura creare nequit. diff. 1.
 p. 19. 20. 21.
 Creatura tam in naturalibus
 quam moralibus dependet à
 Deo. diff. 1. p. 382.
- D.
- D**anubius fluvius. diff. 2. p.
 510. 541.
 Dei verbum quid. diff. 1. p. 13.
 14. 15.
 Deo an materia aliqua coæter-
 na. diff. 1. p. 4. 5. 7.
 Dependētia quid. diff. 1. p.
 382. 384.
 Dependētia causarum secun-
 da. diff. 2. p. 440. 441.
 Derivatio nominis Bacchi. diff.
 2. p. 528. 529.
 Descriptio regionis Eden. diff.
 2. p. 454.
 Deus ab æterno qui hodie. diff.
 1. p. 2.
 Deus Creator & causa mundi
 libera. diff. 1. p. 5. 6.
 Deus creavit unum mundum.
 diff. 1. p. 27.
 Deus quo sensu dicere dicatur.
 diff. 1. p. 59. 60. 68.
 Deus in creando homine non
 alloquitur Angelos. diff. 1.
 p. 203. 204.
 Deus licet immediatè creet ani-
 mam, non tamen auctor
 peccati. diff. 1. p. 228. 229.
 Dictamen rationis norma vi-
 vendi. diff. 1. p. 322. 323.
 diff. 2. p. 558.
 Dies primus. diff. 1. p. 66.
 Diem naturalem Hebraei à ve-
 spera incipiunt. diff. 1. p. 67.
 Diei initium diversimodè statui-
 tur.
- D d d

- tur. diff. 1. p. 67.
 Dies naturalis. diff. 1. p. 176.
 Dies civilis. diff. 1. p. 177.
 Dies civiles quomodo gentes
 definierint. diff. 1. p. 177.
 Dies Astronomicus. diff. 1. p.
 178.
 Diei septimi quies quo sensu in-
 telligenda. diff. 2. p. 409. 410.
 411. 412.
 Dies septimus an creatus. diff.
 2. p. 412.
 Diei causa. diff. 2. p. 412. 413.
 Dies nulli facti. diff. 2. p. 412.
 413.
 Dies septimus Sabbathum Dei.
 diff. 2. p. 413.
 Diei septimi benedictio & san-
 ctitas. diff. 2. p. 413. 414.
 415. 416. 417.
 Diei septimo an singularis gene-
 randi vis insit. diff. 2. p. 414.
 Dies septimus cur sanctificatus.
 diff. 2. p. 417. 418.
 Dies septimus ab aliis non sepa-
 randus. diff. 2. p. 422. 423.
 Dies septimus ante legislatio-
 nem non institutus. diff. 2.
 p. 423. 424.
 Diecula. diff. 2. p. 439.
 Differentia inter diem natura-
 lem & civilem. diff. 1. p. 66.
 Differentia inter aeternum &
 sempiternum. diff. 1. p. 108.
 Differentia inter aeternitatem
 hominis & rerum creatarum.
 diff. 1. p. 110.
 Differentia solis & lunæ. diff. 1.
 p. 128.
 Differentia magnitudinis solis
 & lunæ. diff. 1. p. 129.
 Differentia inter conjunctio-
 nem animalium, & matrimo-
 nium. diff. 2. p. 630. 634. 635.
 Diluvium. diff. 2. p. 470.
 Discrimen dierum & noctium
 quomodo & quando factum.
 diff. 1. p. 62. 63.
 Discrimen inter aquas superio-
 res & inferiores. diff. 1. p. 72.
 Distinctio inter imaginem & si-
 militudinem quæ? diff. 1. p.
 379. 380.
 Distantia inter Tigrim & Eu-
 phratem. diff. 2. p. 463. 466.
 Divisio fluvii Paradisum irri-
 gantis ubi facta. diff. 2. p.
 494. 495. 496. 497.
 Divisio terræ inter Noachi filios
 diff. 2. p. 528.
 Divinationes variae. diff. 1. p. 161.
 Divortium. diff. 1. p. 338. 339.
 340.
 Divortium an admittendum.
 diff. 1. p. 344. 345.
 Divortium apud Romanos.
 diff. 1. p. 349. 350.
 Divortii initium apud Judæos.
 diff. 1. p. 352. 353.
 Divortiorum discrimen inter
 Judæos & alias gentes. diff.
 1. p. 353. 354.
 Divortium in foro soli conces-
 sum, & quare? diff. 1. p.
 356. 357.
 Divortium est non præcepti,
 sed permissionis. diff. 1. p.
 357. 358.
 Divortii legem perperam inter-
 pretantur Judæi. diff. 1. p. 358.
 Divortii lex ad Judæos solos
 pertinet. diff. 1. p. 359.
 Divortium nulla lex præcepit,
 diff. 1. p. 362. 363.
 Doctorculi Theologiæ. diff. 1.
 p. 24.

Do-

I N D E X.

Dominium omnium rerum homini concessum. *diff. 1. p. 370.*

Dominium hominis restrictum. *diff. 1. p. 370. 371.*

Dominium post lapsum non amplificatum. *diff. 1. p. 374.*

Domitiani nummus. *diff. 1. p. 197. 198.*

Dracones alati. *diff. 1. p. 196.*

E.

Eden regio ubinam locorum sita. *diff. 2. p. 456. 457. 480.*

Eden duplex. *diff. 2. p. 472. 473.*

Eden nomen loci proprium. *diff. 2. p. 479. 480.*

Eden regio. *diff. 2. p. 488.*

Elohim vox quomodo sumenda. *diff. 1. p. 23. 24. 25. 26. 27.*

Empe'doclis de creatione lucis opinio. *diff. 1. p. 61.*

Episcopii opinio erronea. *diff. 1. p. 154.*

Essentia animæ. *diff. 1. p. 215. 216.*

Esus animalium nunquam veritus. *diff. 1. p. 372. 373. 374.*

Esus de arbore vitæ non interdictus. *diff. 2. p. 548. 550.*

Ethnicorum saniorum de origine mundi opinio. *diff. 1. p. 10. 11. 12.*

Ethnicorum de aeternitate Numinis opinio. *diff. 1. p. 104. 105. 106.*

Ethnici, quo sensu Dñs suis aeternitatem adscripserint. *diff. 1. p. 107.*

Ethnicorum de comets opinio

refutatur. *diff. 1. p. 167.*

Ethnicorum opiniones variæ. *diff. 1. p. 206. 207.*

Ethnici animam ingenerabilem statuere. *diff. 1. p. 225. 229.*

Ethnicorum aliqui animæ mortalitatem statuere. *diff. 1. p. 237.*

Ethnicorum plurimi statuunt animæ immortalitatem. *diff. 1. p. 238. 239. 240. 241.*

Ethnicorum mos in diebus festis. *diff. 2. p. 432. 433.*

Ethnicorum idea de Paradiso. *diff. 2. p. 542. 543.*

Ethnicorum de statu integritatis opinio. *diff. 2. p. 564.*

Ethnicorum de statu post peccatum opinio. *diff. 1. p. 564.*

Etymologia Saturni. *diff. 1. p. 152. 153.*

Etymologia stellæ. *diff. 1. p. 154.*

Etymologia nominis Phræt. *diff. 2. p. 540. 541.*

Etymologia nominum Genesaris & Jordanis. *diff. 2. p. 459. 460.*

Eva mater omnium viventium. *diff. 1. p. 287.*

Eva ex Adami costa facta. *diff. 1. p. 303.*

Eva cur ex Adami costa, & non ex luto. *diff. 1. p. 308.*

Eva an eodem, quo Adam loco condita. *diff. 1. p. 309.*

Eva an eodem, quo Adam die condita. *diff. 1. p. 309. 310.*

Evæ materia. *diff. 1. p. 303. 304.*

Ex timore Cain inferri nequit existuisse ante Adamum homi-

I N D E X.

- mines. diff. 1. p. 299. 300.
 Exercitus cæli & terræ. diff. 2. p. 405.
 Exercitus cæli primum Idololatriæ objectum. diff. 1. p. 93.
 Exitus ex Aegypto typus redemptionis Ecclesiæ. diff. 1. p. 43. 44. 45.
 Expansum quid. diff. 1. p. 69. 70.
 Expansum coelum æthereum. diff. 1. p. 69. 70.
 Expansum in quem finem factum. diff. 1. p. 71.
 Expansum triplici modo in S. Scriptura sumitur. diff. 1. p. 71.
 Explicatio vers. 6. Psalm. 6. diff. 1. p. 214. 215.
 Expositio vers. 6. cap. 2. Gen. diff. 2. p. 441. 442. 443.
- F.
- F**abrica ferraria. diff. 1. p. 13.
 Fabula de primo homine androgyno. diff. 1. p. 304. 305. 306.
 Fata hominum non ex Altris deducenda. diff. 1. p. 159. 163.
 Ferarum mirabile genus. diff. 1. p. 195.
 Fides data servanda. diff. 1. p. 307.
 Figmenta de creatione mundi. diff. 1. p. 13.
 Figmentum Poëtarum de anima generali. diff. 1. p. 31. 32.
 Filii Dei qui fuere. diff. 1. p. 312.
 Finis creationis stellarum. diff. 1. p. 155. 157.
 Finis rerum inanimatarum. diff. 1. p. 158.
 Finis. ad quem omnia tendunt, unde dimanet. diff. 2. p. 633. 634.
 Firmamentum quid. diff. 1. p. 68. 69.
 Firmamentum secundi diei opus. diff. 1. p. 67.
 Fluviorum origo non è planitie. diff. 2. p. 468. 469.
 Fluvii unde deducantur. diff. 2. p. 469. 471.
 Fluvius Mesopotamiæ. diff. 2. p. 471. 472.
 Fluvius ex Edene egressus qualis. diff. 2. p. 489. 490.
 Fluvius in horto & Edenis regione unicus. diff. 2. p. 491. 492. 493.
 Fluvii Edenis divisio. diff. 2. p. 492. 493. 494. 496.
 Fluvii Paradisi origo. diff. 2. p. 484. 485.
 Fluviorum Paradisiorum primus fons. diff. 2. p. 473.
 Fluvius secundus. diff. 2. p. 474.
 Fluvius tertius. diff. 2. p. 474. 475.
 Fluvius quartus. diff. 2. p. 475.
 Forma pereunte manet materia. diff. 1. p. 109. 110.
 Formatio primorum hominum. diff. 2. p. 445. 446. 447.
 Formatio lucis. diff. 1. p. 59.
 Fons. diff. 2. p. 469.
- G.
- G**anges fluvius. diff. 2. p. 508.
Gangis divitiæ. diff. 2. p. 508.
Gangis ortus. diff. 2. p. 508. 509.
 Gan-

I N D E X.

- Gangis à Pisone distantia. diff. 2. p. 507.
- Gebon sive Gichon. diff. 2. p. 523. 524. 525.
- Generacionis vox quid includat. diff. 2. p. 434. 435.
- Generatio liberorum primi seculi. diff. 1. p. 211.
- Gentiles ratione agnoverunt Deum solum creationis causam. diff. 1. p. 21. 22.
- Gentiles principium universi aërem tenebrosum solvere. diff. 1. p. 53. 54.
- Gentilium mos tempora computandi. diff. 1. p. 54.
- Gentilium de terra, frugibus commenta. diff. 1. p. 78.
- Gentiles rerum omnium causam divinam statuere. diff. 1. p. 78. 79.
- Gentiles solem genitum crediderunt. diff. 1. p. 92.
- Gentiles lunam genitam crediderunt. diff. 1. p. 121. 122.
- Gentiles sapientiores Deum unum statuere. diff. 1. p. 149. 150. 151. 152.
- Gentilium depravati mores circa conjugium. diff. 1. p. 324. 325.
- Gentilium de imagine Dei opiniones. diff. 1. p. 377. 389. 390.
- Gentilium de matrimonio diversæ leges. diff. 2. p. 616. 617.
- Gentilium de hominis formatione variæ opiniones. diff. 2. p. 448.
- Gentilibus Jehovah nomen non ignotum. diff. 2. p. 438. 439.
- Gentilibus luna regina dicta. diff. 1. p. 95. 96. 127.
- Gens Pygmæa. diff. 1. p. 212.
- Geographorum de Aegypto opinio. diff. 1. p. 36. 37.
- Geographorum de partibus orbis opinio. diff. 1. p. 36. 37.
- Gichon alveus orientalis. diff. 2. p. 525.
- Gigantum gens. diff. 1. p. 212.
- Gihon regionem Transstigritanam alluens. diff. 2. p. 537. 538.
- Gosen terræ situs. diff. 2. p. 38.
- Grotii de primævo conjugio opinio. diff. 1. p. 338. 339. 340.
- Gryps animal fabulosum. diff. 1. p. 195.

H.

- H**æreticorum de animæ mortalitate opinio confutatur. diff. 1. p. 236. 237. 241.
- Hebræorum de stellis opinio. diff. 1. p. 155.
- Hebræis plures uxores ducere licitum. diff. 1. p. 434. 335.
- Hebræorum mos. diff. 2. p. 407.
- Hebræorum matrimonii necessitas. diff. 2. p. 615.
- Hebræa lingua unde nomen habeat. diff. 2. p. 611. 612.
- Hebræa lingua omnium prima. diff. 2. p. 611. 612.
- Hedera coronati. diff. 2. p. 533. 534.
- Herbarum, graminumque procreatio tertii diei opus. diff. 1. p. 77. 78. 80.
- Herbarum spinosarum & Venena

I N D E X.

- natarum origo. diff. 1. p. 82.
- Herbæ venenatæ an sub plantarum speciebus comprehendantur. diff. 1. p. 83.
- Herbæ & Aromata magni pretii. diff. 1. p. 85.
- Herculis origo. diff. 1. p. 49.
- Herculem ovum grande peperisse fingitur. diff. 1. p. 49.
- 57.
- Hiddekel. diff. 2. p. 538. 539.
- Homo cur creatus. diff. 1. p. 202.
- Homo quare dictus. diff. 1. p. 207.
- Hominis mirabilis fabrica. diff. 1. p. 207. 208. 209. 210.
- Hominis quot & quæ partes. diff. 1. p. 246. 247. 248.
- Homo unus, de quo Paulus, Adamus. diff. 1. p. 295. 296.
- Homo inter omnes creaturas longe præstat. diff. 1. p. 374.
- Homo imago Dei. diff. p. 1. 375.
- Homo solus ad imaginem Dei conditus. diff. 1. p. 379.
- Homo agit libere. diff. 1. p. 381. 383. 384.
- Hominis præstantia. diff. 2. p. 402. 403.
- Homini primo nulla lex segregationis dierum data. diff. 2. p. 425. 426. 427.
- Homo ex terræ pulvere formatus. diff. 2. p. 447.
- Homo cur ex terræ pulvere formatus. diff. 2. p. 447. 448.
- Hominines non sua sponte ex terra geniti. diff. 2. p. 448. 449.
- Homo simplex creatus. diff. 2. p. 589. 590. 592. 593.
- Horarum diei septimi partitio. diff. 2. p. 406.
- Hortus in Edene. diff. 2. p. 449. 450.
- Horti principium. diff. 2. p. 451.
- Hortus utrum ante mundi creationem. diff. 2. p. 480. 481. 482.
- Humani generis propagatio. diff. 1. p. 300.

I.

- Iudus Jovi dicatæ. diff. 1. p. 125.
- Jehovæ vocis energia. diff. 2. p. 436. 437.
- Jehovæ vox tria tempora complectitur. diff. 2. p. 436.
- Jehovæ vox quo sensu ab Adonai nomine differat. diff. 2. p. 437. 438.
- Jehovæ nomen Hebræis eloqui interdictum. diff. 2. p. 438.
- Jehovæ nomen etiam gentilibus non ignotum. diff. 2. p. 438. 439.
- Imago Dei qua in re consistat. diff. 1. p. 375. 376. 377. 385. 386. 390. 395.
- Imago in quo eluceat. diff. 1. p. 378.
- Imago Dei naturalis & moralis. diff. 1. p. 378. 379.
- Imago Dei non in solo dominio consistit. diff. 1. p. 394. 396. 397.
- Immortalitas hominis. diff. 1. p. 390.
- Imperatorum edita contra Astrologos. diff. 1. p. 165.
- Incolæ vel animalia an in luna. diff. 1. p. 29. 30. 31.
- Incolæ an in Jove. diff. 1. p. 31.

In-

I N D E X.

Incolæ an in Saturno. diff. 1. p. 31.
Infantes quo modo peccare dicantur. diff. 1. p. 286.
Infinutum quid. diff. 1. p. 8.
Interpretum quorundam divinorum oraculorum temeritas culpatur. diff. 1. p. 45. 46.
Intellectus & voluntatis nomina. diff. 2. p. 591.
Jovis apud plerasque gentes veneratio. diff. 1. p. 146.
Jovis parentes. diff. 1. p. 147.
Joves plures. diff. 1. p. 137. 148.
Jovis etiam casus rectus. diff. 1. p. 148.
Jovem veteres omnium Deorum primum existimavere. diff. 1. p. 148. 149. 150.
Jovis Etymologia. diff. 1. p. 152.
Iris. diff. 2. p. 412.
Israëliitarum exitus ex Aegypto quo mense. diff. 1. p. 39. 43.
Judæorum de tenebris commentum exploditur. diff. 1. p. 51.
Judæorum opinio. diff. 1. p. 55.
Judæorum opinio animas in creatione conditas refutatur. diff. 1. p. 221.
Judæorum de divortio errores. diff. 1. p. 352.
Juliani Apostatæ Solis cultus. diff. 1. p. 96. 97. 101.
Jumentum. diff. 1. p. 194.
Jupiter à juvando dictus. diff. 1. p. 147.
Jupiter sidus plane regium. diff. 1. p. 147.
Juris naturalis significationes variz. diff. 2. p. 633.

Jus belli inter gentes. diff. 2. p. 530. 531. 532.
Jus divinum necessarium immutabile. diff. 1. p. 333.
Jus naturæ. diff. 1. p. 81.
Jus naturæ & gentium. diff. 1. p. 335. 336.
Justitia originalis. diff. 1. p. 387.

L.

Lacus Licene. diff. 2. p. 465.
Lacus Thospites. diff. 2. p. 466. 467.
Lateraria. diff. 1. p. 12.
Legis connubialis caput primum. diff. 1. p. 322. 323.
Legis connubialis caput secundum. diff. 1. p. 328. 329.
Legis connubialis caput tertium. diff. 1. p. 343.
Legis divinæ necessitas ad divortium quæ. diff. 1. p. 359. 360.
Leviathan qualis piscis. diff. 1. p. 187. 188.
Lex. diff. 1. p. 319.
Lex connubii Adamo & Evæ lata. diff. 1. p. 292. 293.
Lex connubii cur data. diff. 1. p. 293.
Lex connubii moralis. diff. 1. p. 294.
Lex connubialis mere positiva. diff. 1. p. 333.
Lex naturæ suo modo brutis inest. diff. 1. p. 80.
Lex naturæ quo sensu ad matrimonium obliget. diff. 2. p. 624.
Lex naturalis dictamen rationis. diff. 2. p. 582.
Lex Sabbathi an homini primo data.

I N D E X.

- data. diff. 2. p. 597. 598.
 Lex unica in statu integritatis.
 diff. 2. p. 579.
 Libertas moralis homini concessa. diff. 1. p. 380. 381. 383. 384.
 Libertas moralis in quo consistat. diff. 1. p. 382. 383.
 Liberi parentibus succurere jure naturæ obligantur. diff. 1. p. 314.
 Linguarum novarum origo. diff. 2. p. 610.
 Linguarum Dialectorum mutatio. diff. 2. p. 610. 611.
 Litterarum origo. diff. 1. p. 12.
 Luciferi cultus. diff. 1. p. 135. 136.
 Lucis substantia. diff. 1. p. 61. 62. 65.
 Lucis à tenebris divisio. diff. 2. p. 64. 65.
 Lucem bonam esse non ex post facto Deus vidit. diff. 1. p. 63.
 Luminarium productio. diff. 1. 86. 87.
 Luminarium usus. diff. 1. p. 87. 88.
 Luminare quid. diff. 1. p. 89.
 Luna gentilibus Regina dicta. diff. 1. p. 95. 96. 127.
 Luna cur Regina vocatur. diff. 1. p. 127. 128.
 Luna quo sensu dicatur magnum luminare. diff. 1. p. 128. 129.
 Luna non omni lumine per se caret. diff. 1. p. 128. 129.
 Luna terrâ miror. diff. 1. p. 129.
 Luna omnibus astris excepto Mercurio minor. diff. 1. p. 129.
 Lunæ Descriptio. diff. 1. p. 121.
 Lunæ plura nomina. diff. 1. p. 122. 123. 124.
 Lunæ religiosus cultus. diff. 1. p. 123. 123. 125. 126.
 Lux primæ diei opus. diff. 1. p. 65.
 Lux primigenia materia solis, lunæ, & astrorum. diff. 1. p. 86. 87. 89. 90.
 Lux pro die, & tenebræ pro nocte sumuntur. diff. 1. p. 65.
 Lux stellarum materia. diff. 1. p. 62.
- ## M.
- M**alis novis nova remedia adplicanda. diff. 1. p. 363.
 Mane initium. diff. 1. p. 66.
 Manichæorum de Deo sarcasmus. diff. 1. p. 53.
 Manichæorum opinio rejicitur. diff. p. 411.
 Mare diff. 1. p. 73. 76.
 Mari vectis positus. diff. 1. p. 74.
 Maris an terræ pars major. diff. 1. p. 77.
 Mariti erga uxorem officia. diff. 1. p. 315. 317.
 Mars Deus belli. diff. 1. p. 145. 146.
 Martis stellæ cultus religiosus. diff. 1. p. 144.
 Martis nomina diversa apud orientales. diff. 1. p. 145. 146.
 Marti humanæ hostiæ mactatæ. diff. 1. p. 146.
 Marcionitarum & Manichæorum de tenebris deliramenta.

I N D E X.

- ra. diff. 1. p. 51.
 Martius mensis. diff. 1. p. 35.
 Materiae initium. diff. 1. p. 8.
 Materia, ex qua factus homo, qualis. diff. 1. p. 205. 206.
 Materia piscium & avium. diff. 1. p. 186. 187.
 Materiarii qui. diff. 1. p. 17.
 Matrimonium. diff. 1. p. 301. 302. 303. 328. 329.
 Matrimonium Mythicum. diff. 1. p. 303.
 Matrimonium perfectum. diff. 1. p. 341. 342.
 Matrimonii definitio. diff. 1. p. 343. 344.
 Matrimonii qualitas correlativa tolli nequit. diff. 1. p. 354. 355.
 Matrimonii præceptum generale non exitat. diff. 1. p. 366. 367.
 Matrimonium quibus necessum. diff. 2. p. 619. 620. 624. 627.
 Matrimonii contrahendi nulla lex nec obligatio diff. 2. p. 618. 619. 520. 621. 622. 623. 725. 626. 628. 629. 631. 632. 635.
 Medicina. diff. 1. p. 12.
 Mens. diff. 1. p. 11.
 Mens nostra unde. diff. 1. p. 2.
 Mens quo sensu æterna. diff. 1. p. 107. 109.
 Mens ætus est substantialis cogitandi. diff. 1. p. 273.
 Mens erronea. diff. 1. p. 344. 345.
 Mensis satus & messis in Syria quis. diff. 1. p. 40.
 Mensis messis & vindemiarum primis temporibus quis. diff. 1. p. 36.
 Menti leges naturæ insculptæ. diff. 1. p. 80.
 Mercurius movetur circa solem. diff. 1. p. 137.
 Mercurius unde dicitur. diff. 1. p. 137.
 Mercurius mercatorum præses. diff. 1. p. 143.
 Mercurii veneratio apud Romanos. diff. 1. p. 139.
 Mercurii statua apud Græcos. diff. 1. p. 142.
 Mercurii cultus. diff. 1. p. 138. 139. 140.
 Metallorum cur apud Mosen nulla mentio. diff. 1. p. 84.
 Metalla & fossilia quo die producta. diff. 1. p. 84.
 Mithras commentitius Deus. diff. 1. p. 98. 99. 101.
 Mithræ Deo inscriptiones Romæ factæ. diff. 1. p. 100.
 Monachi. diff. 1. p. 367.
 Monoceros animal creditur fabulosum. diff. 1. p. 196. 197. 198.
 Monocerotis effigies. diff. 1. p. 198.
 Monogamia apud Romanos turpis. diff. 1. p. 350. 351.
 Monogamia in primæva Ecclesia. diff. 1. p. 351.
 Monogamia Hebræis quando in usu. diff. 1. p. 335.
 Mons Capitolinus. diff. 1. p. 153.
 Mors an naturalis. diff. 1. p. 298. 299.
 Mors secunda quæ? diff. 2. p. 599.
 Mors Protoplastis interminata in qua re consistebat. diff. 1. p. 153.

I N D E X.

- diff. 2. p. 600. 601. 602. 603. **Mundus non per animam, sed per naturæ leges tenetur.** diff. 1. p. 32.
 604. **Moriendo morieris quid.** diff. 2. p. 598. 599. 600. **Mundus quo anni tempore conditus.** diff. 1. p. 32. 33. 35. 36. 37. 38.
Mortis genera diversa. diff. 2. p. 599. 600. **Mundus conditus circa æquinoctium vernum.** diff. 1. p. 40. 41. 43.
Motuum figurarumque ideæ nobis innatæ. diff. 1. p. 270. 271. **Mundus cur creatus.** diff. 1. p. 201.
Motus omnes dependent a Deo. diff. 1. p. 383. **Mundus hominum causa factus.** diff. 1. p. 396.
Moyſes non ortum sed curſum fluvii describit. diff. 2. p. 498. 499. 500. **Myrtus.** diff. 2. p. 451.
- N.
- Natura Divina noſtrum obſequium poſcit.** diff. 1. p. 3.
Naturale quid. diff. 1. p. 387.
Nergal idolum. diff. 1. p. 138.
Nilus. diff. 2. p. 525.
Nimrod. diff. 2. p. 525.
Nimrod an idem cum Baccho. diff. 2. p. 526. 527. 529.
Niſan vox quid ſignificet. diff. 1. p. 39.
Niſan initium anni in celebrandis ſacris. diff. 1. p. 45.
Nomine cæli quid intelligendum. diff. 1. p. 72.
Noritia arboris vitæ apud Ethnicos. diff. 1. p. 556.
Nox an dies prior. diff. 1. p. 54. 66.
Nubes quid. diff. 1. p. 72.
Nuditas barbaris probroſa. diff. 2. p. 637.
Nuditas ante lapſum. diff. 2. p. 637. 638. 640.
Nuditas poſt lapſum. diff. 2. p. 637. 539. 640.
Nuditatis turpitudō. diff. 2. p. 636. 637. Nu-

I N D E X.

Numerus septenarius nil in se morale. diff. 2. p. 430.
 Numeri pluralis Hebræorum usus. diff. 1. p. 23 24. 25. 26. 27.
 Nysa urbs Lybiæ. diff. 2. p. 543. 544.

O.

Objecta boni & mali quæ. diff. 2. p. 557. 558.
 Objecta inclinationes animi. diff. 2. p. 582
 Omne quod decreto divino infervit, an moraliter bonum. diff. 2. p. 631.
 Onyx. diff. 2. p. 522.
 Onychis differentia. diff. 2. p. 522.
 Operum creationis perfectio. diff. 1. p. 397. 398.
 Opinio Cartesii de mundo. diff. 1. p. 20.
 Opinio Cajetani. diff. 1. p. 55.
 Opinio Hebræorum de stellis. diff. 1. p. 157.
 Opinio Hæreticorum de animæ mortalitate confutatur. diff. 1. p. 236. 237. 241.
 Opinio Manichæorum rejicitur. diff. 2. p. 411.
 Opinio Philosophorum de origine mundi. diff. 1. p. 56
 Opinio Philosophorum de mundo refutatur. diff. 1. p. 29.
 Opinio Platoniorum & stoicorum de interitu mundi. diff. 1. p. 101.
 Opinio Patrum quorundam de creatura refutatur. diff. 1. p. 119.
 Opinio Philosophorum gentilium de immortalitate animæ. diff. 1. p. 242. 243. 244.
 Opinio Philosophorum de unio-

ne animæ. diff. 1. p. 275. 276.
 Opinio Pontificiorum de justitia Adami. diff. 1. p. 387.
 Opinio Pelagii de hominis statu integro. diff. 2. p. 591.
 Opinio Pelagii. diff. 1. p. 387. 388.
 Opinio Remonstrantium refutatur. diff. 1. p. 19.
 Opinio Socinianorum de hominis simplicitate. diff. 2. p. 590.
 Opinio vulgi imperiti de animi. diff. 1. p. 217.
 Opinio Anabaptistarum. diff. 1. p. 388.
 Opinio Ethnicorum saniorum de origine mundi. diff. 1. p. 10. 11. 12.
 Opinio Empedoclis de creatione lucis. diff. 1. p. 61.
 Opinio Ethnicorum de æternitate Numinis. diff. 1. p. 104. 105. 106.
 Opinio Ethnicorum de cometis refutatur. diff. 1. p. 167.
 Opinio Ethnicorum de statu integritatis. diff. 2. p. 564.
 Opinio Ethnicorum de statu post peccatum. diff. 2. p. 564.
 Opinio Geographorum de Aegypto. diff. 1. p. 36. 37.
 Opinio Geographorum de partibus orbis. diff. 1. p. 36. 37.
 Opinio Grotii de primævo conjugio. diff. 1. p. 338. 339. 340.
 Opiniones Ethnicorum variæ. diff. 1. p. 206. 207.
 Opinio Episcopii Erronea. diff. 1. p. 204. 205.
 Opiniones Gentilium de imagine Dei. diff. 1. p. 377. 389. 390.
 Opiniones Gentilium variæ de
 E e e 2 ho

I N D E X.

- hominis formatione. diff. 2. p. 448.
- Opiniones Philosophorum de sole. diff. 1. p. 61. 62.
- Opiniones variæ de Astrologis. diff. 1. p. 165.
- Opiniones variæ de Paradisi situ. diff. 2. p. 454 555.
- Opiniones Veterum de Phænice. diff. 1. p. 109.
- Opinio Judæorum. diff. 1. p. 55.
- Opus propriè secundi diei quid. diff. 1. p. 70.
- Ordo parentalis cedit conjugali. diff. 1. p. 319.
- Origo alia animæ, alia corporis. diff. 1. p. 221. 222.
- Origo omnium rerum immediate à Deo. diff. 2. p. 440. 441. 442. 444 445.
- Origo Jordanis. diff. 2. p. 460.
- Origo Herculis. diff. 1. p. 49.
- Origo Tigris. diff. 2. p. 464. 465.
- Origo Paradisi fluvii. diff. 2. p. 484. 485.
- Origo herbarum spinosarum & venenatarum. diff. 1. p. 82.
- Origo linguarum novarum. diff. 2. p. 610.
- Origo litterarum. diff. 1. p. 12.
- Origo Euphratis. diff. 2. p. 458.
- Orthographia veterum. diff. 2. p. 473.
- Ovidii figmentum de vere. diff. 1. p. 34.
- P.
- P**aena quid præsupponat. diff. 2. p. 570.
- Paradisus hortus circumseptus. diff. 2. p. 450. 451.
- Paradisi nomen Perus usitatum. diff. 2. p. 451.
- Paraditus Græcis quid. diff. 1. p. 452.
- Paradisi vocis triplex significatio. diff. 2. p. 452 453
- Paradisi de situ opiniones variæ. diff. 2. p. 454. 455.
- Paradisi de situ tres communiores sententiæ. diff. 2. p. 455. 456.
- Paradisus an in Mesopotamia. diff. 2. p. 458. 471. 472. 473. 475. 476.
- Paradisus an in Babylonia. diff. 2. p. 458. 459. 478.
- Paradisus an in terra Chanaan. diff. 2. p. 459. 460. 461. 462. 478.
- Paradisus plantatus ab oriente. diff. 2. p. 460. 462. 473 482. 483.
- Paradisus an inter Armeniæ majoris montes. diff. 2. p. 464. 465.
- Paradisi planities. diff. 2. p. 468.
- Paradisus supra Euphratem & Tigrim. diff. 2. p. 470.
- Paradisus an in Edenis regione. diff. 2. p. 477. 478.
- Paradisus terrestris & spiritalis. diff. 2. p. 481. 544. 545.
- Paradisi fluvius an in Hedenis regione ortus. diff. 2. p. 486. 487. 489. 490.
- Paradisus ante Adami translationem conditus. diff. 2. p. 562. 563.
- Paradisi cultura cur molesta facta. diff. 2. p. 566. 567.
- Paradisi cultura non molesta. diff. 2. p. 566. 588.
- Paradisi custodia. diff. 2. p. 567.
- Particula simul quo referenda. diff. 1. p. 224. 225.

Pa-

I N D E X.

- Pasotigris fluvius. diff. 2. p. 506. 507.
- Patrum quorundam opinio de creatura refutatur. diff. 1. p. 119.
- Pauli locus ad Rom. c. 5. Explicatur diff. 1. p. 284. 285.
- Pauli locus Rom. 5. contra Præadamitas. diff. 1. p. 286. 287.
- Peccati definitio. diff. 1. p. 298.
- Peccatum causa mortis. diff. 1. p. 391. 392.
- Peccatum est deflexio. diff. 2. p. 587.
- Pegasus ficta avis. diff. 1. p. 196.
- Pegasus Navis. diff. 1. p. 196.
- Pelagii opinio. diff. 1. p. 287. 388.
- Pelagii de hominis statu integro opinio. diff. 2. p. 591.
- Phantasmata sunt signa. diff. 1. p. 232.
- Phantasia facultas animæ. diff. 1. p. 209.
- Philosophorum de origine mundi opinio. diff. 1. p. 5. 6.
- Philosophorum de mundo opinio refutatur. diff. 1. p. 29.
- Philosophi antiqui aquam & terram causam rerum omnium statuere. diff. 1. p. 49. 50.
- Philosophorum de sole opiniones. diff. 1. p. 61. 62.
- Philosophorum de aqua commentum. diff. 1. p. 73.
- Philosophorum gentilium de immortalitate animæ opinio. diff. 1. p. 241. 242. 243. 244.
- Philosophorum de opinione animæ opiniones. diff. 1. p. 260. 261.
- Phison fluvius. diff. 2. p. 512. 513.
- Phiso alveus occidentalis. diff. 2. p. 525.
- Phoenicem in rerum natura dari. diff. 1. p. 189.
- Phoenicis imago Nummis Imperatorum impressa. diff. 1. p. 189. 190. 191.
- Phoenix symbolum resurrectionis. diff. 1. p. 191. 192.
- Phrat. diff. 2. p. 540.
- Phrat unde nomen suum. diff. 2. p. 541.
- Phrat ubi oriebatur. diff. 2. p. 541. 542.
- Phrasis. diff. 2. p. 486. 487.
- Pierius per legem Adamo datam quid intelligat. diff. 1. p. 283. 284.
- Piscium & volucrum natura. diff. 1. p. 181.
- Piscium sæcunditas. diff. 1. p. 182.
- Pisces & aves unde producti. diff. 1. p. 185. 186.
- Piscium aviumque multiplicandi facultas ex Dei benedictione. diff. 1. p. 188. 192. 193.
- Pisonis fluvii nomen non invenitur apud profanos auctores. diff. 2. p. 506.
- Pisonis vocis significaciones diversæ. diff. 1. p. 507. 508. 512.
- Pison unde nomen. diff. 2. p. 510. 511.
- Pison an Danubius. diff. 2. p. 510. 511.
- Planetarum numerus. diff. 1. p. 132.
- Planetarum descriptio. diff. 1. p. 135.
- Planetæ in Deorum numerum relatæ. diff. 1. p. 135. 144.
- Pla-

I N D E X.

- Planetæ perperam stellæ errantes dicuntur. diff. 1. p. 135.
 Planetarius. diff. 1. p. 162.
 Planetarum diversa species. diff. 1. p. 82.
 Platonis philosophatio de mundo. diff. 1. p. 29.
 Platonis anima mundi. diff. 1. p. 57. 58.
 Platonicorum & stoicorum de interitu mundi opinio. diff. 1. p. 111.
 Plebiscitum Atheniense. diff. 1. p. 356.
 Polygamie species. diff. 1. p. 330. 331.
 Polygamia feminis prohibita. diff. 1. p. 330. 331.
 Polygamia feminea rationi repugnat. diff. 1. p. 331.
 Polygamia viris non prohibita. diff. 1. p. 332.
 Polygamia virorum juri naturæ non repugnat. diff. 1. p. 332. 333.
 Polygamia juris voluntarii. diff. 1. p. 334.
 Polygamia Hebræis ad numerum quaternarium restricta. diff. 1. p. 334.
 Polygamia juri gentium non repugnat. diff. 1. p. 336. 337.
 Polygamia Romanis ad numerum binarium restricta. diff. 1. p. 336.
 Polygamia eur a Deo permissa. diff. 1. p. 337.
 Polygamia an omnibus gentibus concessa. diff. 1. p. 337. 341. 342. 343.
 Polygamia primæva nobis non imitanda. diff. 1. p. 338.
 Pontificiorum de Polygamia sententia. diff. 1. p. 335.
 Pontificiorum de justitia Adami opinio. diff. 2. p. 387.
 Potentia procreandi. diff. 1. p. 365.
 Præadamitarum auctor, ejusque profana opinio. diff. 1. p. 260. 261.
 Præadamitarum auctor cur nomen suum reticet. diff. 1. p. 277.
 Præadamitarum dogma antiquis ignotum. diff. 1. p. 279. 280. 281.
 Præadamitarum argumenta confutantur. diff. 1. p. 282. 290. 293. 294. 295. 300.
 Præadamitarum transgressionis & mortis naturalis & legalis distinctio. diff. 1. p. 298.
 Præceptum de Sabbatho an Morale, an positivum. diff. 2. p. 419. 420. 421.
 Præceptum de septimo die positivum. diff. 2. p. 427. 428. 431. 432.
 Præceptum de cultu divino certo tempore paragendo morale. diff. 2. p. 428. 429.
 Præceptum de non comedendo de arbore boni & mali positivum. diff. 2. p. 567. 568. 579.
 Præceptum an Adamo soli vel & Evæ datum. diff. 2. p. 569. 570. 571. 572. 573. 574. 575. 576.
 Præceptum cur Adamo datum. diff. 2. 576. 577. 578. 579.
 Præteritum Hebræum sumitur pro plusquamperfecto. diff. 2. p. 408. 409.

Prin-

I N D E X.

- Principia rerum duo. diff. 1. p. 14. 15. 19.
 Productio ex nihilo. diff. 1. p. 17. 18. 19.
 Productio & imperium in Deo unum. diff. 1. p. 29.
 Propagationis causa. diff. 1. p. 300. diff. 2. 635.
 Propagationis diversitas. diff. 1. p. 301. diff. 2. 629. 630. 634.
 Propagatio rerum animatarum. diff. 1. p. 301.
 Propagatio hominis per justum matrimonium. diff. 1. p. 301. 302. diff. 2. p. 618. 619. 625. 630.
 Protoplasi in statu innocentiae an leges naturales habuerint. diff. 2. p. 580. 581. 582. 583.
 Protoplastorum felicitas in quo. diff. 2. p. 585. 589.
 Protoplastorum post peccatum status infelix. diff. 2. p. 594. 595. 596. 604.
 Protoplasi quo modo bonum & malum cognoverint. diff. 2. p. 558. 559.
 Pudoris origo. diff. 2. p. 637. 638. 639.

Q.

- Q**uartus fluvius: diff. 2. p. 475.
 Quies duo includit. diff. 2. p. 410.
 Quies Dei. diff. 2. p. 426. 430.
 Quies & complementum eodem die septimo quomodo concilianda. diff. 2. p. 405. 406. 407. 408. 409.
 Quid conjector. diff. 1. p. 160. 161.

- Quinti diei opera pisces & volucres. diff. 1. p. 180.
 Quis caeli terraeque ornatus. diff. 2. p. 403. 404.
 Quo fine mortem Ethnici exoptarint. diff. 1. p. 239. 240. 441.

R.

- R**atiocinari est imperfectio. diff. 1. p. 214.
 Rectitudo Adami. diff. 1. p. 368. 369.
 Regio chus quae & ubinam. diff. 2. p. 532. 533.
 Remonstrantium opinio refellitur. diff. 1. p. 19.
 Reptile. diff. 1. p. 194.
 Reptilium tria genera. diff. 1. p. 194.
 Rerum inanimatarum vis operandi. diff. 1. p. 158.
 Rhinoceros controversitur inter authores. diff. 1. p. 179.
 Romuli institutum. diff. 1. p. 350.

S.

- S**abbathi sanctificationis initium. diff. 2. p. 418.
 Sabbathi initium. diff. 2. p. 415. 422. 423.
 Sabbathi sanctificatio continet necessitatem moralem. diff. 2. p. 597.
 Sacramenta in quem finem. diff. 2. p. 548.
 Salamandra quale animal. diff. 1. p. 199.
 Salomonis van Till opinio an cum Moyse conveniat. diff. 2. p. 503.

I N D E X.

- p. 503. 504. 505. 506.
- Sanctificandi vox quo sensu sumenda. *diff.* 2. p. 416. 417. 421.
- Sardonychen ex duobus nominibus. *diff.* 2. p. 522.
- Saturni cultus. *diff.* 1. p. 137. 152. 153.
- Saturni descriptio. *diff.* 1. p. 137.
- Saturni situs. *diff.* 1. p. 152.
- Saturni effigies. *diff.* 1. p. 153.
- Schoham quid. *diff.* 2. p. 520. 521. 522.
- Semen Dei. *diff.* 1. p. 368.
- Sententia Calvinii de situ Paradisi. *diff.* 2. p. 478.
- Seopora aethiopsia. *diff.* 2. p. 535. 536.
- Separatio aquarum quomodo facta. *diff.* 1. p. 73. 74.
- Sexti diei opus incolæ terræ. *diff.* 1. p. 193.
- Sexus utriusque ligatio. *diff.* 1. p. 341.
- Signa stellarum triplica. *diff.* 1. p. 156. 157.
- Sistrum quid & cuius usus. *diff.* 1. p. 122. 123.
- Socinianorum error. *diff.* 1. p. 391. 394. 395.
- Socinianorum de hominis simplicitate opinio. *diff.* 2. p. 590.
- Societas humana sine Magistratu subsistere nequit. *diff.* 1. p. 79.
- Societas humana. *diff.* 2. p. 613. 614. 627. 630.
- Sol an circa terram, vel terra circa solem moveatur. *diff.* 1. p. 75. 76. 91.
- Sol non lux per se. *diff.* 1. p. 89. 90.
- Solis variaz definitiones. *diff.* 1. p. 91.
- Sol corpus coeleste natura sua igneum. *diff.* 1. p. 90. 91.
- Sol ab antiquis auctor rerum omnium habitus. *diff.* 1. p. 92. 93.
- Sol a gentilibus Deus nominatus, divinusque honor exhibitus. *diff.* 1. p. 94. 95. 96.
- Sol cultus à Persis. *diff.* 1. p. 99. 100.
- Sol terra major. *diff.* 1. p. 129.
- Solis comites. *diff.* 1. p. 137.
- Sortes. *diff.* 1. p. 160.
- Species animalium tres ad Adamum adductæ. *diff.* 2. p. 605.
- Spinosa animam mundi statuit. *diff.* 1. p. 32.
- Spiritus non aeternus. *diff.* 1. p. 8. 9.
- Spiritui S. creatio rerum tribuitur. *diff.* 1. p. 55. 56.
- Spiritus S. varie à variis describitur. *diff.* 1. p. 57. 58.
- Spiritus Dei aquis incumbens quis. *diff.* 1. p. 54. 55.
- Spiritus hominis qua in re consistat. *diff.* 1. p. 212. 213.
- Status primaevus; quo sensu status Innocentiæ. *diff.* 1. p. 583. 584.
- Status primorum hominum Innocentiæ. *diff.* 2. p. 636. 637. 738.
- Stellarum creatio, earumque multitudo. *diff.* 1. p. 129. 130. 131. 132.
- Stellarum materia. *diff.* 1. p. 130. 134.
- Stellarum numerum solus Deus noscit. *diff.* 1. p. 130.

Stel-

I N D E X.

Stellarum numerus Ptolomæi & aliorum. diff. 1. p. 130.
 Stellæ fixæ Astrologis innumera-
 biles. diff. 1. p. 132.
 Stellarum usus. diff. 1. p. 132.
 Stellæ fixæ undelumen. diff. 1.
 p. 132. 133.
 Stellarum cultus. diff. 1. p.
 133.
 Stellæ Jovis partes. diff. 1. p.
 133.
 Stellis stoici vitam adscribere.
 diff. 1. p. 133. 134.
 Stellarum definitiones. diff. 1.
 p. 134.
 Stellarum erraticarum quinque
 statuuntur. diff. 1. p. 135.
 Stellæ fixæ in Deorum nume-
 rum relatæ. diff. 1. p. 154.
 Stellæ fixæ unde dicantur. diff.
 1. p. 154.
 Stellarum usus tertius quis.
 diff. 1. p. 175.
 Stellarum usus quartus. diff. 1.
 p. 150.
 Stellæ sunt signa naturalia. diff.
 1. p. 175. 176.
 Stirpium tria genera a Deo pro-
 lata. diff. 1. p. 81.
 Superstitio Altrorum damna-
 tur. diff. 1. p. 163. 164.
 Susa. diff. 2. p. 533. 534. 537.
 Susiana provincia. diff. 2. p. 532.
 533.
 Susiana auro dives. diff. 2. p.
 516.

T.

Temporis initium. diff. 1. p. 9.
 Tempus cultui divino des-
 tinatum an mutabile. diff. 2.
 p. 429. 430. 431. 432.

Tenebræ non positivum quid.
 diff. 1. p. 50. 51. 52.
 Tenebræ privatio lucis. diff. 1.
 p. 51.
 Tenebræ primordiales negatio
 lucis. diff. 1. p. 51. 52.
 Terra informis, molesque in-
 digesta. diff. 1. p. 48. 49.
 Terra plana. diff. 1. p. 74.
 Terra an centrum universi.
 diff. 1. p. 75. 76.
 Terræ habitas ad germinan-
 dum. diff. 1. p. 78. 84. 85.
 Tigris & Euphratis origo. diff.
 2. p. 458.
 Tigris. diff. 2. p. 478. 479. 513.
 Triduum ante solem condi-
 tum quid. diff. 2. p. 412.
 Tzelah non latus sed costam
 significat. diff. 1. p. 306.

V.

Valentiniani & Sabbelliani
 Ethnicis pejores. diff. 1.
 p. 151.
 Vaporum duæ species. diff. 2.
 p. 443. 444.
 Vasa aerea. diff. 1. p. 12.
 Veneris cultus. diff. 1. p. 132.
 Venus moveretur circa solem.
 diff. 1. p. 137.
 Verbum Repo. diff. 1. p. 182.
 Verbum memento quid indicet.
 diff. 2. p. 424. 425.
 Verbi Egredior significatio. diff.
 2. p. 488. 490.
 Verba, vir adhærebit uxori suæ:
 utrum Moysis, an Adami.
 diff. 1. p. 316. 317.
 Verba quocunque die &c: quo-
 modo intelligenda. diff. 2. p.
 602. 603.
 Fff

Vc-

I N D E X.

- Veritatis criterium unanimitatis consensus.** diff. 1. p. 277. 281.
Vespasiani nummi. diff. 1. p. 102.
Vesperini initium. diff. 1. p. 65. 66.
Veterum de Phœnice opiniones. diff. 1. p. 189.
Via lactea quæ? diff. 1. p. 132.
Vindicationis duplex terminus. diff. 1. p. 120.
Vita duplex in homine. diff. 1. p. 219. 220.
Vita temporalis mors. diff. 2. p. 604.
Vivendi vocabulum quam late pateat. diff. 1. p. 183. 184.
Unio mentis cum corpore qua ratione facta. diff. 1. p. 245. 246. 248.
Unio corporis & animæ. diff. 1. p. 254. 255.
Vocis creare significatio. diff. 1. p. 18.
Vocis Tholedoth observatio Hebræorum. diff. 2. p. 435. 436.
Vocis dici significatio. diff. 2. p. 439.
Vocis Eden diversæ significationes. diff. 2. p. 453.
Vocis Josè significatio. diff. 2. p. 481. 486.
Vocis caput significatio. diff. 2. p. 494. 495. 496. 499.
Vox Mikkedem ambiguae significationis. diff. 2. p. 480.
Vulgi imperiti de anima opinio. diff. 1. p. 217.
Uxor in præstandis vitæ necessariis præferenda parentibus. diff. 1. p. 316. 317.

Z.

Zoophyornm materia. diff. 1. p. 187.

I N.

I N D E X.

Accuratissimus atque amplissimus omnium rerum,
& verborum, quæ in Tertia hac partis secundæ
de die Mundi & rerum omnium Natali Dis-
sertatione Amplissimi Domini Auctoris con-
tinentur, confectus ejusdem jussu.

A.

- A** bilinentia Evæ ab Esu fru-
ctus unde. diff. 3. p. 38.
Adami ingratitude & ambitio.
diff. 3. p. 88. 89.
Adamus præsens num fuerit,
cum serpens sermonem cum
Eva habebat. diff. 3. p. 89.
Adamus à serpente non sedu-
ctus. diff. 3. p. 20. 91. 92.
Adamus amore uxoris lapsus.
diff. 3. p. 91. 92.
Adamus an Eva gravius pecca-
verit. diff. 3. p. 91. 133.
Adami octo peccata. diff. 3. p.
94.
Adami peccatum an intempe-
rantia vel superbia. diff. 3.
p. 94.
Adami peccatum in quo consi-
stebat. diff. 3. p. 94.
Adami pudor. diff. 3. p. 97. 98.
103. 104. 107. 108.
Adam quo tempore diei e Pa-
radiso ejectus. diff. 3. p.
127.
Adami ubi es? an interrogatio.
vel increpatio. diff. 3. p. 133.
134. 135.
Adam culpam in Deum & E-
vam transfert. diff. 3. p. 140.
141.
Adam crimen fatetur. diff. 3.
p. 140. 143.
Adami excusatio. diff. 3. p.
141.
Adami excusatio accusatio. diff.
3. p. 142.
Adam in uxorem severus &
immisericors. diff. 3. p. 142.
Adam quare ex Eden emissus?
diff. 3. p. 345. 346. 348. 349.
350. 355. 356. 357. 358. 359.
360. 361. 362. 363.
Adam si fructum arboris vitæ
post lapsum gustasset, an mor-
tuus? diff. 3. p. 347. 348. 349.
350. 351. 352. 353. 354. 355.
Aer plenus dæmonibus. diff. 3.
p. 197.
Aethiopum habitus. diff. 3. p.
102.
Agni descriptio. diff. 3. p. 321.
Agnus typus Christi. diff. 3. p.
321.
Alexander IV papa. diff. 3. p.
226.
Amor inter primos conjuges.
diff. 3. p. 61. 62.
An sub cingulo quid aliud la-
tuerit. diff. 3. p. 100. 302.
An unum par vel plura cujus-
que speciei animalia in pri-
mordio creata. diff. 3. p. 290.
291.
Angeli mandata Dei denun-
tiant.

I N D E X.

- ciant. diff. 3. p. 33.
 Angelorum ordines. diff. 3. p. 196.
 Angelorum malorum multitu-
 do. diff. 3. p. 196. 176.
 Anzeli iudiciorum divinatorum
 ministri. diff. 3. p. 379.
 Angeli horti custodes cur Cheru-
 rubim dicti. diff. 3. p. 379. 381.
 Angeli an boni & mali cogni-
 tionem habeant. diff. 3. p. 331.
 Animadversio Dei in Chamum.
 diff. 3. p. 112. 113.
 Animantia varia loquuta roma-
 na historia continet. diff. 3. p.
 13. 14.
 Animal nullum homini in sta-
 tu integro noxium. diff. 3. p.
 14. 15.
 Animantium tres species. diff.
 3. p. 153.
 Animalium quadruplex usus.
 diff. 3. p. 312.
 Antipatia inter hominem & ser-
 pentem. diff. 3. p. 154.
 Apertio oculorum mensis quo-
 modo intelligenda. diff. 3. p.
 43. 44.
 Apertio oculorum. diff. 3. p.
 94. 95.
 Apertionis oculorum sequellæ.
 diff. 3. p. 95. 96.
 Arbor Paradisi delectabilis. diff.
 3. p. 85.
 Arbor vitæ typus Christi. diff.
 p. 355.
 Arbor vitæ cur dicta. diff. 3. p.
 355.
 Arbor vitæ typus immortalita-
 tis. diff. 3. p. 355. 356.
 Arboris ficus Indicæ descriptio.
 diff. 3. p. 98. 99.
 Arcanius Cardinalis. diff. 3.
- p. 10.
- Aurora. diff. 3. p. 125.
 B.
Baptismus ad purganda pec-
 cata, an duplex datur.
 diff. 3. p. 377. 378.
 Benedictio quid. diff. 3. p. 153.
 Bos agriculturæ symbolum
 diff. 3. p. 280.
 Bos Aegyptiis tortitudinis sym-
 bolum. diff. 3. p. 322.
 Bruta verè non loqui. diff. 3. p.
 11. 12.
 C.
Calcaneus quid diff. 3. p. 165.
 Calliditas naturalis ani-
 mantibus indita. diff. 3. p. 8.
 Camelorum pili signa pavente-
 tiæ. diff. 3. p. 297.
 Camelotæ unde vocentur. diff.
 3. p. 298.
 Cameitre quid & unde deno-
 minetur. diff. 3. p. 101. 102.
 103.
 Caspiorum Sacerdotes vesti-
 bus ex camelorum pilis uti.
 diff. 3. p. 300.
 Cerastes. diff. 3. p. 166.
 Cherubim custodes horti eden.
 diff. 3. p. 372. 378. 379.
 Cherubim ad partem orienta-
 lem. diff. 3. p. 372.
 Cherubim an spectra? diff. 3.
 p. 374. 375.
 Cherub vox generalis. diff. 3. p.
 379.
 Cherubim arbitrantur esse vo-
 lucres diff. 3. p. 379. 380.
 Cherubim vox Arabica formam
 pue-

I N D E X.

- puerorum indicat. diff. 3. p. 380.
- C**herub Syriace aratorem significat. diff. 3. p. 380.
- C**herub nomen regi Tyrionum tribuitur. diff. 3. p. 381.
- C**herub à multitudine scientiæ nominatur. diff. 3. p. 381.
- C**herub per transpositionem litterarum vehiculum significat. diff. 3. p. 382. 383.
- C**herubim quomodo Angelorum adinstar sumantur. diff. 3. p. 383. 384.
- C**hristus an in hortum descenderit, & Adamo loquutus? diff. 3. p. 119. 120. 124. 125. 126. 130. 133.
- C**hristi apparitio in horto præfagium redemptionis. diff. 3. p. 126. 127. 130.
- C**hristi meritum. diff. 3. p. 228.
- C**hristus quomodo infirmitatibus, & affectibus humanis affectus? diff. 3. p. 238. 239. 240.
- C**ingulum quid, & in quem usum. diff. 3. p. 100. 101.
- C**lamare quomodo de Deo dicatur, quidque denotet. diff. 3. p. 133.
- C**ognitio lapsus primi hominis apud quosdam Gentiles. diff. 3. p. 93. 94.
- C**omparatio diaboli cum bestiis terræ. diff. 3. p. 8.
- C**oncupiscentia. diff. 3. p. 74. 75. 76. 77. 78. 79.
- C**oncupiscentia mali moralis coram Deo peccatum. diff. 3. p. 66. 67. 74. 86.
- C**oncubitus. diff. 3. p. 111. 112.
- C**onjunctio sensuum. diff. 3. p. 58.
- C**onservatio sui inclinatio naturalis. diff. 3. p. 26. 27. 37. 61.
- C**onscientiæ summa voluptas. diff. 3. p. 56.
- C**onstantinus. diff. 3. p. 181.
- C**onstantius. diff. 3. p. 181.
- C**ontritio capitis quid innuat? diff. 3. p. 227. 228.
- C**ontritio serpentis semini mulieris, an feminis mulieris serpenti inflicta magis damnoſa? diff. 3. p. 230. 233. 237. 242.
- C**ordis motio triplex ad malum. diff. 3. p. 67. 68.
- C**ordis motiones a scholasticis quomodo vocentur. diff. 3. p. 68. 69. 73.
- C**orruptio in quo? diff. 3. p. 266.
- C**reationis finis. diff. 3. p. 371. 372.
- C**ur a litterali significato a S. S. non nisi gravissima de causa recedendum? diff. 3. p. 295.
- C**ynici. diff. 3. p. 115.

D.

- D**aemonis calliditas Evam tentans. diff. 3. p. 18. 20. 21. 22. 26. 27. 34. 45. 48. 55. 56. 57. 61.
- D**aemonis mirum ad seducendam Evam artificium. diff. 3. p. 28. 29. 30. 32. 33. 34. 38. 39. 40. 41.
- D**ecorum & honestum non a quibusdam gentibus deducendum. diff. 3. p. 110.
- De
Fff 3

I N D E X

- Defensio animalibus naturalis. diff. 3. p. 164. 166.
- Dei finis in condendo homine. diff. 3. p. 2 3. 186.
- Dei adventus in hortum non formidabilis. diff. 3. p. 120. 121. 122. 123.
- Dei adventus in hortum quo diei tempore. diff. 3. p. 123. 124. 125. 127.
- Dei decretum æternum. diff. 3. p. 183. 186. 187.
- Dei omniscientia. diff. 3. p. 331. 332. 333 334.
- Deus invidiæ arguitur. diff. 3. p. 19. 21. 30. 40.
- Deus æsum fructus prohibens, an etiam ejus tactum? diff. 3. p. 23. 24.
- Deus ubique præsens. diff. 3. p. 128. 132. 133. 134.
- Deus absque ulla criminis inquisitione serpenti maledicit. diff. 3. p. 145. 146.
- Deus toti terræ cur maledixerit. diff. 3. p. 150.
- Diabolus se Dei nuncium simulat. diff. 3. p. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 46. 47. 49. 90.
- Diabolus cur Evæ non sua, sed serpentis specie apparuerit. diff. 3. p. 14. 15.
- Diabolum Christi calcancam contrivisse quomodo intelligendum. diff. 3. p. 229. 230. 231. 232. 233. 234. 235. 236. 241.
- Dimissionis & ejectionis e Paradiso diversa ratio. diff. 3. p. 360. 361. 362.
- Diversitas inter camelorum pilos. diff. 3. p. 298.
- Doctores Theologie de disciplina morali opinio ex-
ploditur. diff. 3. p. 81.
- Draco felicitatis symbolum. diff. 3. p. 5.

E.

- E**ducatio. diff. 3. p. 105.
- E**jectionis e Paradiso incommoda. diff. 3. p. 363. 364.
- Epaminondas. diff. 3. p. 163.
- Æsus carniū nunquam homini interdictus. diff. 3. p. 291. 292.
- Æsus pulveris quid denotet? diff. 3. p. 176.
- Ethnicorum de serpente seductore idea. diff. 3. p. 9.
- Ethnici Diis suis potissimum boves immolavere. diff. 3. p. 316. 317.
- Ethnici in triumphis boves niveos maculavere. diff. 3. p. 316.
- Ethnici Deos ubique præsentem crediderunt. diff. 3. p. 132.
- Eva ad articulatam serpentis vocem cur non obstupuerit. diff. 3. p. 16. 17.
- Eva idololatriæ non rea. diff. 3. p. 17.
- Eva quo animo fructum viro dederit. diff. 3. p. 60. 61.
- Eva an concupiscentia sola violatæ legis positivæ rea? diff. 3. p. 62. 63. 66.
- Eva indulget suis sensibus. diff. 3. p. 85.
- Eva nimium ratiocinando peccavit. diff. 3. p. 86. 87.
- Eva pomum marito offert. diff. 3. p. 89. 90.
- Eva marito omnia, quæ cum serpente loquetur, narrat. diff. 3. p. 99.

Eva

I N D E X.

- Eva** seductrix Adami diff. 3. p. 90. 91.
Eva in iudicium vocatur. diff. 3. p. 142.
Eva culpam fatetur. diff. 3. p. 143.
Eva omnium miseriarum humanarum causa. diff. 3. p. 144.
Eva, si non peccasset, an viro subiecta. diff. 3. p. 247. 248.
Eva cur mater viventium. diff. 3. p. 276. 277. 278. 279.
Eva tentata an præter serpentem aliquid viderit? diff. 3. p. 13.
Evam tria potissimum in peccatum pelliciebant. diff. 3. p. 87.
Evæ responsum serpenti datum. diff. 3. p. 22. 23. 26.
Evæ appetitus qua ratione excitatus. diff. 3. p. 57. 58. 59. 60.
Evæ concupiscentia in quantum mala fuerit. diff. 3. p. 87. 88.
Evæ ingratitude & ambitio. diff. 3. p. 88. 89.
Evæ excusatio. diff. 3. p. 143.
Evæ excusatio duplex accusatio. diff. 3. p. 143. 144.
Evæ poena. diff. 3. p. 243. 244. 245. 246. 248. 249.
- F.**
- Fæcunditas** terræ. diff. 3. p. 252. 253.
Fæcunditas terræ ante peccatum quæ, & quomodo intelligenda. diff. 3. p. 253. 254. 255. 264.
- Fellecitas** summa quæ? diff. 3. p. 183.
Fertilitas terræ post peccatum diminuta. diff. 3. p. 257. 259. 262.
Ficus Indicæ folia. diff. 3. p. 99.
Fides in Christum unica hominis salus diff. 3. p. 84. 85.
Figmentum de duobus Adamis. diff. 3. p. 330.
Filii Diaboli. diff. 3. p. 197. 198.
Finis daemonis in seducenda Eva. diff. 3. p. 170. 171.
Finis Dei in condendo homine. diff. 3. p. 2. 3. 186.
- G.**
- Gentilium** de seclerum affectu opinio. diff. 3. p. 80.
Gentilium de descensu Deorum testimonia. diff. 3. p. 122. 123.
Gentiles dictamine rationis Deum agnovère. diff. 3. p. 83.
Gentiles in Evam debacchantur. diff. 3. p. 144.
Gentiles sapientiores aeternitatem panarum crediderunt. diff. 3. p. 173. 174.
Gentiles decreta Numinis immutabilia tenuère. diff. 3. p. 187.
Gentiles vestibus ex arborum corticibus usi. diff. 3. p. 294.
Gladius versatilis qualis fuerit? diff. 3. p. 376. 377. 378. 384.
Gloria nostra. diff. 3. p. 54.
- H.**

I N D E X.

H.

Habitus pelliceus cur antiquo tempore in usu. diff. 3. p. 312.
 Hebræorum de veste natali Protoplastorum fabulæ. diff. 3. p. 284. 285.
 Hebræorum de adventu Dei opinio. diff. 3. p. 121.
 Hominis primævus status. diff. 3. p. 1. 2. 55.
 Hominis essentia non in corporis figura, sed ratione consistit. diff. 3. p. 151.
 Homo ad imaginem Dei conditus. diff. 3. p. 2. 64. 183. 366.
 Homo naturam ducem sequutus, mansisset felix. diff. 3. p. 2. 28.
 Homo integer Essentiæ divinæ perfectam ideam possidet. diff. 3. p. 30. 31. 32.
 Homines serpentibus nocivi. diff. 3. p. 156. 162.

I.

Ignis purgatorius. diff. 3. p. 377.
 Imago divina non corporis, sed animi ornamentum. diff. 3. p. 65.
 Immutabilitas attributum divinæ naturæ necessarium. diff. 3. p. 184.
 Incommoda prægnantium, & parturientium. diff. 3. p. 245.
 Indi & aliæ gentes plumatili veste utuntur. diff. 3. p. 306.
 Inimicitia inter dæmonem & mulierem Evam exitus. diff.

3. p. 163.
 Inimicitia inter serpentem & Evam quæ. diff. 3. p. 182. 183. 187. 188. 189.
 Inimicitia inter serpentem & Evam causa quæ? diff. 3. p. 189. 190. 191. 192. 193. 203. 204. 205.
 Inimicitia cum posteritate Evæ duraturæ ad consumationem seculi. diff. 3. p. 194. 203. 204. 205. 206.
 Inimicitia & odia legi morali è diametro opposita. diff. 3. p. 188.
 Interrogatio apud Hebræos diversimoda. diff. 3. p. 134.
 Invidia. diff. 3. p. 175.
 Invidia fortunæ comes. diff. 3. p. 3.
 Joannis Baptistæ vestis an ex multorum Camelorum pilis, vel unius pellofa pelle fuerit? diff. 3. p. 298. 299.
 Ironia an mendacii species? diff. 3. p. 336. 338. 342.
 Judæorum de serpente opinio. diff. 3. p. 15.
 Judæorum de Protoplastorum tunicis signa. diff. 3. p. 306. 310. 311.
 Judæorum de duobus Angelis cælo pulsus opinio refellitur. diff. 3. p. 198.
 Judæorum indumentum ex Camelorum pilis. diff. 3. p. 297.
 Judæorum de Adami lapsu opinio. diff. 3. p. 366.
 Judicium animi potentia. diff. 3. p. 55.
 Juris moralis objecta quæ. diff. 3. p. 81.
 Juris moralis neglectus causa. diff.

I N D E X.

diff. 3. p. 81. 82.
 Jus morale vivendi norma. diff. 3. p. 80. 81.
 Jus morale initium ordinatæ vitæ. diff. 3. p. 82.
 Justitia & misericordia collective divinæ naturæ insunt & quomodo? diff. 3. p. 83. 84.
 Justitia divina in vindicando & puniendo peccato se prodit. diff. 3. p. 115.
 Juvencæ rufa num: 19. 2. typus Christi. diff. 3. p. 318. 319.

L.

Liberatio hominis à dominatione tenebrarum principis. diff. 3. p. 354. 355.
 Lex moralis unde profluat. diff. 3. p. 73.
 Lex moralis in scriptum redacta. diff. 3. p. 74. 75.
 Legio. diff. 3. p. 196.
 Locus Pauli Rom. 7. 7. exponitur. diff. 3. p. 76.
 Lucretii de Protoplastis figmentum. diff. 3. p. 304. 305.

M.

Maledictio quid. diff. 3. p. 153. 154.
 Maledictio serpentis in quo potissimum consistat. diff. 3. p. 169. 171. 172. 173. 174.
 Maledictio serpentis spiritualis. diff. 3. p. 169. 171. 172. 173. 174.
 Maledictio terræ totum orbem complectitur. diff. 3. p. 250. 252. 364.
 Maledictio terræ quare? diff. 3.

p. 252. 256.
 Maledictio terræ in quo consistat? diff. 3. p. 255. 256. 258. 260.
 Mali cognitio in quo consistat. diff. 3. p. 333. 334.
 Maxima Dei misericordia. diff. 3. p. 242. 243. 265. 283. 287.
 Membra genitalia. diff. 3. p. 108. 109.
 Mendacium. diff. 3. p. 338. 341. 442.
 Mens res cogitans. diff. 3. p. 65. 70. 71. 75.
 Merops quid? diff. 3. p. 11.
 Mos victorum qui fuerit. diff. 3. p. 225. 226.
 Mos Ethnicorum fœdus & pacem ineuntium. diff. 3. p. 291.
 Mos, ut mulieres caudatis vestibus incedant, unde. diff. 3. p. 299.
 Mosis sepultura. diff. 3. p. 287.
 Mors peccati sequella. diff. 3. p. 271. 272.
 Mors corpori humano non naturalis. diff. 3. p. 266. 267. 268. 271. 273.
 Mors quomodo Homini naturalis. diff. 3. p. 272.
 Motus primo primus. diff. 3. p. 68.
 Motus secundo primus. diff. 3. p. 68.
 Mulier. diff. 3. p. 11.
 Mulieres suave venenum. diff. 3. p. 93.
 Mulier in omnibus à viro dependens. diff. 3. p. 246. 247. 248. 282.
 Multiplicatio conceptus non est pœna. diff. 3. p. 245.
 Na-
 G g g

N.

- N**atura animalibus arma ad
defensionem suppeditat.
diff. 3. p. 164.
Necessitas alia Theologica alia
philosophica. diff. 3. p. 266.
267. 268.
Necessitatis moralis immuta-
bilitas. diff. 3. p. 71. 72.
Necessitatis moralis obligatio.
diff. 3. p. 73.
Nomen an Adam ante vel post
lapsum Evæ imposuerit? diff.
3. p. 274. 278. 283.
Nomen quale & quare Adam
Evæ imposuerit. diff. 3. p.
274. 275. 276. 277. 280. 283.
Nuditatis. diff. 3. p. 105. 111.
Nuditatis pudor cur apud gen-
tes diversas exoleverit. diff.
3. p. 112.
Nuditatis multorum malorum
causa. diff. 3. p. 113. 114.
Nuditatis homini non est pæna-
lis. diff. 3. p. 158. 159.

O.

- O**bligatio dicendi verum un-
de! diff. 3. p. 340.
Obsequii præstandi moralis ne-
cessitas. diff. 3. p. 75.
Oculorum mentis apertio quo-
modo intelligenda? diff. 3. p.
43. 44.
Oculorum apertio. diff. 3. p.
94. 95.
Oculorum apertionis sequellæ.
diff. 3. p. 95. 96.
Omniscientia Dei. diff. 3. p.
331. 332. 333. 334.

- Opinio Ethnicorum de Deo-
rum præsentia. diff. 3. p. 152.
Opinio Gentilium de scierum
affectu. diff. 3. p. 80.
Opinio Gentilium de decretis
Nominis. diff. 3. p. 18.
Opinio Hebræorum de adven-
tu Dei. diff. 3. p. 121.
Opinio Judæorum de Adam
lapsu. diff. 3. p. 366.
Opiniones de serpente paradi-
siaco variæ. diff. 3. p. 6. 7.
Ordines Angelorum. diff. 3. p.
196.
Origo legis Dei moralis. diff.
3. p. 64.
Origo pudoris. diff. 3. p. 92. 104.
114. 139.
Orientalium consuetudo. diff.
3. p. 176.

P.

- P**aradisus muro igneo cir-
cumdatus. diff. 3. p. 376.
377.
Partus liberorum non est pæ-
nalis. diff. 3. p. 159.
Paena serpenti inflicta qua in
re consistat. diff. 3. p. 159.
160. 161.
Paena an serpenti vel Diabolò
soli vel utrique inflicta. diff.
3. p. 146.
Paena serpenti corporeo addi-
cta. diff. 3. p. 175. 176.
Paena Adam. diff. 3. p. 249.
251. 252. 255. 260.
Paena in Adamum statuta in
omnes ejus posteros transit.
diff. 3. p. 250.
Paena Evæ. diff. 3. p. 243. 244.
245. 246. 248. 249.

Pec-

I N D E X.

- Peccatum quid? diff. 3. p. 62. 63.
 Peccatum in foro poli. diff. 3. p. 63. 64. 66. 67.
 Peccatum in foro soli. diff. 3. p. 63. 64. 66. 67.
 Peccator. diff. 3. p. 131. 177. 178.
 Pelagianorum de morte sententia. diff. 3. p. 370.
 Perperio molestiarum humanarum non in compensationem peccati imposita. diff. 3. p. 250. 251.
 Pharizæorum de motu interno opinio. diff. 3. p. 277.
 Philosophus Indicus. diff. 3. p. 294.
 Philosophi Indorum. diff. 3. p. 312.
 Philoctetes pennosus. diff. 3. p. 306. 307.
 Phrygii pictarum vestium inventores. diff. 3. p. 310.
 Pica. diff. 3. p. 10.
 Pictores & Idolorum fictores. diff. 3. p. 299.
 Plumarius quis? diff. 3. p. 307. 308. 309.
 Pontificiorum de femine mulieris opinio refellitur. diff. 3. p. 206. 207. 208. 209. 210. 211.
 Pontificiorum de triplici cordis motione opinio. diff. 3. p. 68. 69.
 Pontificiorum expositio Epist. Jacob. cap. 1. v. 14. diff. 3. p. 69.
 Pontificiorum opinio refutatur. diff. 3. p. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80.
 Protoplastorum dementia. diff. 3. p. 128. 132. 135.
 Protoplastorum peccati quinquæ effectus. diff. 3. p. 130. 131.
 Protoplastorum tunicarum quænam materia? diff. 3. p. 292. 293. 294. 295.
 Protoplastorum vestes an ex animalium pellibus jam creatis, an præexistente materia factæ. diff. 3. p. 289. 290. 291.
 Protoplastorum tunicæ cujus ex animalibus pellibus confectæ. diff. 3. p. 295. 297. 300. 301. 302. 303. 304. 305. 311. 313. 312. 323.
 Protoplastorum vestium formæ? diff. 3. p. 333. 334.
 Protoplastorum post lapsum spes venæ. diff. 3. p. 183. 184. 185. 186. 188. 200. 216. 220. 221. 279. 280. 181. 282.
 Protoplastorum cognitio boni & mali. diff. 3. p. 332. 333. 334. 335.
 Protoplastorum cognitio boni & mali ante lapsum quæ? diff. 3. p. 344.
 Protoplasti citantur ad iudicium. diff. 3. p. 133.
 Protoplasti se sistant Deo citanti. diff. 3. p. 336.
 Protoplasti ante esum pomi cæci cum fuere. diff. 3. p. 42. 43.
 Protoplastorum apertio oculorum quæ? diff. 3. p. 43. 44. 45.
 Protoplasti cur potius ex ficus foliis, quam aliunde tegumentum quæverint? diff. 3. p. 98. 99.
 Protoplasti latebras quærunt. diff. 3. p. 115. 122.
 Protoplasto qua hora peccarint. diff. 3. p. 125. 366.
 Ggg 2 Pro-

Protoplasti a facie Domini se abscondunt. diff. 3. p. 127. 128. 129. 130. 131.

Protoplasti cur à facie Domini se absconderint. diff. 3. p. 128. 129. 131. 136. 137. 138.

Protoplasti si non peccassent, an mori? diff. 3. p. 268. 269. 270. 271. 273. 250. 251.

Protoplasti in Paradiso quamdiu fuerint? diff. 3. p. 364. 365. 366. 367. 368. 369. 370. 371. 372.

Protoplastorum tentatio. diff. 3. p. 3.

Protoplastorum tentationis historia. diff. 3. p. 7.

Protoplastorum nuditas ante lapsum. diff. 3. p. 96. 97. 103. 106. 136. 138.

Protoplastorum nuditas post lapsum. diff. 3. p. 96. 97. 101. 103. 104. 106. 108. 136. 137. 139. 140.

Pudoris origo. diff. 3. p. 97. 104. 114. 139.

Pudoris definitio. diff. 3. p. 139.

Pulveris nomen quo sensu veniat. diff. 3. p. 177. 178. 179.

Purgatorii ignis figmentum. diff. 3. p. 378.

PSittacus. diff. 3. p. 10.

Platonis fabulæ de animalibus Paradisiaciis. diff. 3. p. 10

R.

Ratio pellicearum tunicarum. diff. 3. p. 312. 313.

Reptatio super ventrem an serpenti vel Diabolo pænæ adinæar. diff. 3. p. 156. 157. 158.

S.

Sacrificiorum primum ab Adamo oblatum & quale? diff. 3. p. 291. 314. 315. 316. 321. 322.

Sapor Rex Persarum. diff. 3. p. 226.

Satanas primo homini invidus. diff. 3. p. 4.

Satanas Deo invidus. diff. 3. p. 4.

Satanas Evam in exordio tentasse censetur. diff. 3. p. 365.

Scythæ. diff. 3. p. 312.

Seminis vox quid significat. diff. 3. p. 395.

Semen herbis inditum. diff. 3. p. 195. 258.

Seminis metonymica significatio. diff. 3. p. 195.

Semen Evæ quid? diff. 3. p. 198. 199. 200. 201. 202.

Semen Evæ an collective vel individualiter accipiendum? diff. 3. p. 200. 201. 203. 204.

205. 206. 211. 212. 213. 214.

215. 216. 218. 219. 220. 221. 222. 224. 225. 226. 227.

Sensus externi absque mentis ope quid? diff. 3. p. 58.

59.

Sententiæ in serpentem latæ quinque distinctæ pænæ. diff. 3. p. 152. 156.

Senatores primi Romani. diff. 3. p. 312.

Sermonem suum ad quem dirigat Deus? diff. 3. p. 327.

328. 329. 330. 331.

Serpens quis & qualis non constat. diff. 3. p. 4.

Serpentis occurfus infaustum omen.

I N D E X.

- omen. diff. 3. p. 4. 5.
- Serpentis Etymologia. diff. 3. p. 45.
- Serpens felicitatis symbolum. diff. 3. p. 5.
- Serpens qui Evam tentavit, diversimode describitur. diff. 3. p. 6.
- Serpentis colloquium cum Eva quale? diff. 3. p. 6. 18.
- Serpens Paradisiacus corporatus sepens. diff. 3. p. 7. 8. 13.
- Serpens Paradisiacus obsessus. diff. 3. p. 9. 10.
- Serpens Evam tentans a Diabolo obsessus. diff. 3. p. 12. 13.
- Serpens calliditate omnibus animalibus præstat. diff. 3. p. 16. 17.
- Serpentis verborum ad Mulierem sensus. diff. 3. p. 19. 20. 21. 22.
- Serpens an alios sermones Evam tentando præmiserit. diff. 3. p. 19. 20. 36.
- Serpenti quatenus organo satanæ poena inflicta. diff. 3. p. 148. 149. 150. 151. 152.
- Serpens non omnibus gentibus horroni. diff. 3. p. 155.
- Serpentis partus mortalis. diff. 3. p. 155.
- Serpentes hominibus nocivi & horridi. diff. 3. p. 156. 162.
- Serpentibus homines nocivi ab eisque abhorrentes. diff. 3. p. 156. 162.
- Serpens ante lapsum protoplastorum pedibus præditus dicitur. diff. 3. p. 157.
- Serpentis lactis & vini appetentissimi. diff. 3. p. 160.
- Serpens in Norwegia. diff. 3. p. 160. 161.
- Serpentis cum homine inimicitæ. diff. 3. p. 161. 166.
- Serpentis nocendi vis omnis in capite. diff. 3. p. 163. 227. 228.
- Serpens caput suum præ toto corpore servat illæsum. diff. 3. p. 164.
- Serpentes calcaneo insideantur. diff. 3. p. 165.
- Serpentis jaculum. diff. 3. p. 165.
- Serpentis defensio ex natura non odio proficiscitur. diff. 3. p. 165.
- Serpens cornifer. diff. 3. p. 166.
- Serpens spiritualis quis? diff. 3. p. 169. 170.
- Serpentis semen quid completatur. diff. 3. p. 195. 197.
- Serpentis capitis nomine quid intelligendum? diff. 3. p. 227.
- Serpens an quolibet septennio, vel omni anno pellem suam exuat? diff. 3. p. 296. 297.
- Similitudo hominis cum Deo. diff. 3. p. 53. 54.
- Societas humana. diff. 3. d. 339. 340.
- Somnia de serpentibus. diff. 3. p. 163.
- Sonus ingens pro voce accipitur. diff. 3. p. 116.
- Spinæ & tributi non semper agris noxiæ. diff. 3. p. 261.
- Stoicorum opinio, quibusnam perfectum officium conveniat. diff. 3. p. 30.

I N D E X.

T.

- T**actus. diff. 3. p. 24.
 Terræ cultura, si Adam non peccasset, an necessaria fuisset? diff. 3. p. 252. 258. 260.
 Terræ fertilitas an post peccatum diminuta? diff. 3. p. 257. 259. 262.
 Terra an ante Adami peccatum spinas & tribulos progerminarit? diff. 3. p. 261. 262.
 Terra Zonæ torridæ subjecta temperatissima & fertilissima. diff. 3. p. 375. 376.
 Terminus temporalium miseriarum. diff. 3. p. 264. 265.
 Testimonia veterum mutuui inter hominem & serpentem odii. diff. 3. p. 162. 163.
 Theologia naturalis diff. 3. p. 24.
 Theologiæ naturalis defectum supplet revelata. diff. 3. p. 83. 84. 85.
 Timor sæpe pro pudore sumitur. diff. 3. p. 137.
 Tonitru. diff. 3. p. 116.
 Tribus Danitica. diff. 3. p. 167.
 Tunicarum Protoplastorum quamnam materia? diff. 3. p. 252. 293. 294. 395.

V.

- V**accæ rufæ a constituta republica iudica ad urbis excidium usque novem tantum combusta. diff. 3. p. 319. 320. 321.

- Ventus. diff. 3. p. 116. 118. 124. 126. 127.
 Verborum: ex omni ligno duplex sensus. diff. 3. p. 22.
 Verbum victus & panis quid sub se contineat. diff. 3. p. 363. 264
 Verba juxta naturam cujusque rei intelligenda. diff. 3. p. 302. 303.
 Verba versus 22. cap. 3. Gen. an Adamum solum vel & Evam tangant. diff. 3. p. 326. 327.
 Verba versus 22. cap. 3. Gen. an per Ironiam dicta? diff. 3. p. 334. 335. 336. 337. 341. 342. 343. 346. 247.
 Verba versus 22. cap. 3. Gen. cujus ex S. S. Trinitate Personæ. diff. 3. p. 227.
 Verbo video in S. S. duplex significatus tribuitur. diff. 3. p. 57. 58.
 Versus 21. cap. 3. Gen. exponitur, dubiaque resolvuntur. diff. 3. p. 284. 285. 286. 287. 288. 292.
 Versuum 12. & 13. Psalm. 49. Expositio. diff. 3. p. 366. 367. 368.
 Versus 24. cap. 3. Gen. ad quem referatur. diff. 3. p. 372. 373.
 Versus 24. cap. 3. Gen. an historicè vel allegorice intelligendus. diff. 3. p. 374. 375.
 Victoria de serpente in Christo promissa. diff. 3. p. 217. 218. 119. 220. 221. 223. 224. 225. 226
 Victima ab Adamo oblata candidi vel rubri coloris fuerit. diff. 3. p. 316. 317.
 Vir abjecti animi qui. diff. 3. p. 249. Vi-

I N D E X.

- Viperæ partus. diff. 3. p. 155.
- Vita ejusque duratio. diff. 3. p. 269. 275.
- Vocis Phen expositio. diff. 3. p. 25.
- Vocis Elohim significatio. diff. 3. p. 49. 50. 51. 52.
- Vox Elohim an Angelis conveniat. diff. 3. p. 52. 53.
- Vox Elohim cur in plurali. diff. 3. p. 53.
- Vox Dei in Paradiso ambulantis quid? diff. 3. p. 116. 117. 118. 119.
- Vol kol ambigua. diff. 3. p. 116.
- Vox interna quæ? diff. 3. p. 117.
- Vox Dei ad Adamum, an in aere vel corpore formata. diff. 3. p. 117. 118. 119. 126. 128. 130.
- Vox Ebah quas significationes habeat. diff. 3. p. 181. 182.
- Vox semen in S. S. sæpe individualiter sumitur. diff. 3. p. 201. 202. 222.
- Vox semen in S. S. sæpe collective sumitur. diff. 3. p. 202. 223.
- Vocis conterere diversa significatio. diff. 3. p. 231. 232. 233. 237. 238.

Z.

Zona torrida. diff. 3. p. 375.

F I N I S.



